PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN XV.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1848.

VOLUMEN XV.

LIBRI PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS ENARRAVIT SCRIPTURAM SACRAM.

XII. ANNOTATIONES IN EVANGELIA.

(CONTINUATIO)

„ENARRATIO IN EVANGELIUM IOANNIS"

edita quidem est a Casp. Crucigero suo nomine, sed scripta a Philippo Melanthone, qui anno 1536, cum iter in Palatinatum faceret, chartas a se perscriptas Crucigero dedit publice praelegendas in schola Witebergensi. Quo modo hae praelectiones Conradum Cordatum occasionem dederint accusandi et Crucigerum et Melanthonem apud Lutherum, quasi deflexerint a genuina Lutheri doctrina de iustificatione ex sola fide, satis apparet ex Epistolis, ad annum 1536 et 1537. pertinentibus, quae supra Vol. III., p. 159 sqq. et p. 347 sqq. dedimus. Ex iisdem vero intelligitur, Melanthonem utique scripsisse hanc enarrationem, quod etiam confirmat testimonium Ratzebergeri, quod habes in Epistolis supra Vol. IV., p. 1037. Peucerum, generum Melanthonis, quoque habuisse Melanthonem auctorem huius enarrationis, satis professus est eo, quod eam operibus Melanthonis, ab ipso Witebergae editis, Tom. IV. p. 592. inseruit. Neque contradixit Mylius, qui in „Chronologia scriptorum Ph. Mel." ad annum 1546. haec habet:

„Edita a Crucigero enarratio in Evangelium Iohannis Apostoli. Extat 4 Tom. operum Philippi p. 592."

Vivente enim Luthero Cruciger non ausus est hanc enarrationem edere, haud dubie timens, ne Lutherus ea offenderetur. Post huius vero obitum Cruciger illam edidit suo nomine, eamque dicavit Mauritio Duci Saxoniae sic inscriptam:

Caspari Crucigeri enarratio in Evangelium Iohannis Apostoli. Argentorati 1546. 8. (2 Alph. 18 pl.)

Quum dubium non sit, quin Cruciger usus sit chartis Melanthonis, etiam nos hanc enarrationem simul cum epistola Crucigeri Operibus Melanthonis inserere non haesitavimus.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,

Domino MAURICIO Duci Saxoniae, Landgravio Turingiae, Marchioni Mysiae, Domino suo clementissimo, *Caspar Cruciger* Theologiae Doctor,

S. D.

Etsi genus humanum praecipue hanc ob causam a Deo conditum est, ut Deum recte agnoscat, invocet, et celebret, eamque ob causam et insita fuit naturae hominum lux monstrans Deum, et Deus ipse statim expressa voce primis parentibus se patefecit: tamen postquam post tristissimum lapsum primorum parentum natura hominum morte, et aliis malis oppressa est, hae tenebrae omnium maxime deplorandae sunt, quod quanquam se Deus postea rursus expressa voce, et multis illustribus testimoniis patefecit, ut in diluvio servata familia Nohae, in eductione Israëlitarum ex Aegypto, denique misso filio: tamen furor tantus est magnae multitudinis hominum, ut aut prorsus Cyclopico more, nihil esse Deum, nullam providentiam, nullum discrimen virtutum et vitiorum ducat, aut reiecta voce et patefactione divina, audacissime fingat nova numina, et a vero Deo aberret.

Cum autem Deus non velit universum genus humanum perire, saepe manifestis testimoniis se patefecit, et arcanum decretum de filio Mediatore nobis tradidit, eaque doctrina filio haereditatem, ac Ecclesiam colligit, quae laeta consuetudine Dei

aeterna fruetur. Etsi autem multi furentes hoc Dei beneficium contemnunt: tamen semper est coetus aliquis θεοδίδακτος, et semper erit, qui testabitur doctrinam de Deo traditam per Prophetas, Christum et Apostolos, non esse inanem tragoediam, sed veram Dei vocem. Et hic coetus unicus amplectitur doctrinam illam per Prophetas, Christum et Apostolos traditam, agnoscit et celebrat magnitudinem huius beneficii, quod Deus ex arcanis latebris suis prodiens, se nobis familiariter patefecit, et Deum invocat, sicut ipse invocandum se esse docuit, retinet eius Evangelium, et experitur voce Evangelii lucem, et vitam aeternam in mentibus accendi: quo in coetu nos cum simus, sciamus Cyclopum, et aliorum furores execrandos esse, qui nos derident, propterea quod scripta prophetica et apostolica legimus, amplectimur, interpretamur.

Nam homines ἄθεοι iudicant nos hoc totum studium quodam errore mentis sequi. Sed illorum iudicia aspernemur, nosque cogitatione divinorum testimoniorum resuscitationis mortuorum, et similium miraculorum confirmemus, ac statuamus sequuturum esse iudicium, in quo palam ostendet Deus universo generi humano Ecclesiam ad aeternam salutem vocatam esse.

Hac confirmati sententia, legamus scripta divinitus tradita, quia nusquam aut fuit, aut erit Dei Ecclesia, nisi ubi haec scripta leguntur. Sicut filius Dei inquit: Qui diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Hanc dulcissimam promissionem infixam animis teneamus, quae palam affirmat ibi certo futuram esse Dei Ecclesiam, ubi sonabit vox Evangelii, ubi hi ipsi libri, qui Evangelium continent, legentur, audientur, amabuntur.

Haec cum sint verissima, labor noster, quem in legendo et enarrando sustinemus, probandus est, qui eo suscipitur, ut ad posteritatem haec coelestia scripta integra et incorrupta transmittantur. Vult Deus hos libros in manibus hominum esse, et eorum lectione et cogitatione in mentibus accendit veram et aeternam lucem. Et ut hi libri sint in hominum manibus, servat, et subinde instaurat Evangelii ministerium, hoc est, vult esse doctores et interpretes.

Nec interpretatio sit ludus ingeniorum, sed sit vera enarratio, quam gignunt collata membra sermonis divini, qua in re tamen interpres adiuvatur certis vetustae et purioris Ecclesiae testimoniis.

Etsi enim sermo divinus non est ambiguus, et similis foliorum Sibyllae: tamen rudiores sine voce interpretis non ubique genus sermonis, phrasin, figuras verborum intelligunt. Et quia de rebus positis extra conspectum humanum dicitur, facile transferuntur, seu detorquentur coelestia dicta ad humanas opiniones. Id ne fiat, pii interpretes monere debent.

Depravabat hoc dictum Samosatenus: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος*, nec volebat *λόγον* intelligi *ὑφιστάμενον*. Ne igitur corruptela Samosateni deleat veram sententiam, necesse est interpretes nativam sententiam propugnare, quae collatis membris, ut ante dixi, cernitur. Et ea non est prorsus inaudita, quia inde usque ab initio ab Apostolis propagata est.

Sit igitur nota interpreti vetustas, sint nota omnium temporum certamina, ut verae sententiae probatos testes habeat. Hanc ob causam initio symbola condita sunt, ut primae antiquitatis pura sententia omnibus nota esset.

Sic cum Pelagiani vocabulum Gratiae corrumpunt, ac dicunt legem dici gratiam, ostendit interpres hanc corruptelam cum fontibus pugnare, et gratiam significare remissionem peccatorum, et reconciliationem gratuitam, cum qua donatio Spiritus sancti coniuncta est.

Sic cum Monachi corrumpunt dictum: Fide iustificamur, ac iubent de remissione peccatorum mentes luctantes cum magnis pavoribus, ac fugientes Deum, dubitare, refutet interpres hanc corruptelam, et ostendat fide vincendam esse du-

bitationem, ideoque fidem esse fiduciam misericordiae, statuentem nos a Deo recipi, ac praecipi hanc fiduciam in his dictis: Fide iustificati, pacem habemus apud Deum. In his et similibus disputationibus res ostendit vocem pii interpretis in Ecclesia non inutilem esse. Sed, ut dixi, non sit interpretatio ludus ingeniorum, verum sit ex fontibus sumta, et congruat ad symbola, et mens interpretis pii, diligenter et dextre conferentis dicta divina, et antiquitatem, a Deo adiuvatur. Praeterea sint in Ecclesia etiam iudices et censores interpretationis, ut Paulus inquit: Sedentes iudicent.

Haec praefatus sum, ut mei studii et consilii rationem omnibus ostendam. Etiamsi ridemur ab atheis, tamen omnes in Ecclesia Dei sciant necessario cognoscendos esse Libros Propheticos et Apostolicos. Deinde cum nunc quidem parte aliqua ministerii Evangelici fungar, res cogit interdum interpretationem, aut certe commonefactionem aliquam addere brevibus dictis in narratione aliqua.

Profiteor autem toto pectore me amplecti doctrinam Symbolorum Apostolici et Niceni, et consensum Catholicae Ecclesiae Dei, quem quidem et Ecclesiae harum Academiarum, Witembergensis et Lipsicae sequuntur, quas etiam iudices esse meorum scriptorum volo.

Quod autem hanc meam enarrationem in Iohannis Evangelium tui nominis auspicio edidi, haec praecipua causa est, ut cum ostendas te veram Dei invocationem omnibus rebus humanis anteferre, et amare Ecclesiam Dei, primum in hoc publico scripto Deo gratias agam, quod aliquorum Principum pectora ad Evangelii et Ecclesiae amorem flectit, deinde ut tibi quoque meam gratitudinem et studium ostendam.

Ago itaque gratias Deo aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi, quod lucem Evangelii sui in te et aliis quibusdam Principibus accendit, et efficit, ut aliquae politiae hospitia sint Ecclesiae. Nam opus est scholis sede aliqua doctrinae, et Psalmus 46. inquit: Deum valde exaltari, cum Principes populorum congregantur cum Deo Abraham, quia multi exemplo moventur, et doctrina propagari facilius potest, et maiore severitate regi disciplina. Deinde hunc animum tibi gratulor, quod gloriam Dei ornare, et multarum gentium saluti consulere studes, ac precor Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut te regat ac servet. Et cum Paulus vere dicat: Deum efficere, ut et velimus et perficiamus salutare curriculum, ut aliqua ipsi grata fiant, tu quoque, cum accenderit Deus lucem in pectore tuo, petes et expectabis auxilium deinceps, ut tua gubernatio fausta sit, et felix tibi et Ecclesiae, et ad hunc finem tuos labores dirigas, quod et multi pii ardentibus votis pro te petunt. Provehet autem Deus pios conatus, ut aliqua ipsi grata fiant. Nimis multa in tota genere humano fiunt contumeliosa in Deum. Epicurei, Mahometistae, et multi alii tanquam coelo bellum inferentes, non solum ingrata Deo faciunt, sed etiam audacissime falsas et tetras opiniones de Deo defendunt, et saevitiam in eos exercent, qui Deum vere celebrant. Deinde, quam multi ambitionem, libidines, avaritiam suam Deo anteferunt? Hi cum omnes Deo ingrata faciant, vult tamen Deus aliquam partem generis humani, scilicet, Ecclesiam grata ipsi facere, quae videlicet eum recte invocat, curat veram doctrinam propagari, et honeste disciplinam regit, quo in numero, ut semper sis, et salutaria et grata Deo semper agas, faciat aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi. Datae Witebergae, anno 1546. die 13. Februarii, quo ante annos 1708 Nicanore interfecto, recuperatum templum, et restituta schola doctrinae coelestis in urbe Ierosolyma, quo exemplo commonefacti petamus et expectemus nunc quoque a Deo Ecclesiae, et piae doctrinae defensionem.

Finis.

IN EVANGELIUM IOANNIS
ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

De discrimine Legis et Evangelii.

Initio enarrationis Evangeliorum necesse est dici de discrimine Legis et Evangelii. Sed hoc ipsum tradit Ioannes statim in primo capite. Nam et ipse iudicavit necessario in Ecclesia hoc discrimen tradendum, propagandum, et conservandum esse. Quod nisi extet et conspiciatur, horrendas tenebras de summa doctrinae, de beneficiis Christi, de vera invocatione, de fide, necesse est sequi. Quare Deo gratias agamus, quod hanc lucem Ecclesiae suae restituit, ut verum discrimen Legis et Evangelii intelligatur, et precemur eum, ut mentes nostras accendat, ut tanto munere in invocatione Dei, et exercitiis fidei, grati utamur. Differam autem doctrinam de hoc discrimine ad enarrationem eius loci in 1. cap.: Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.

Ut autem ab initio mundi Ecclesiae traditae sunt promissiones de Messia, quem aeternus pater pro nobis voluit fieri victimam, et quem voluit esse redemtorem et salvatorem generis humani. Et promissiones illas Patres et Prophetae omnibus temporibus, donec ipse Messias venit, propagaverunt. Ita postea Apostoli testantur hunc Messiam exhibitum esse, et ipsius recitant doctrinam, mortem, et resurrectionem.

Hoc consilio Ioannes et hanc historiam conscripsit, ut in Ecclesia testis esset de exhibito Messia, et mortem et resurrectionem eius exponeret, et beneficia monstraret, propter quae liberantur a peccato, ab ira Dei, et donantur vita aeterna. Haec est huius historiae summa, sicut ipse Ioannes sapienter monet de summa et scopo consilii, cap. 20.: Haec scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.

Et quoniam testis est Ioannes tantae rei, et monstrat autorem vitae aeterna, quaedam de ipso Ioanne recitanda sunt.

De Ioanne.

Ex caeteris scriptoribus historiae evangelicae apparet Ioannem fuisse filium Zebedaei, et fratrem eius Iacobum, qui ab Herode interfectus est, anno quarto post resurrectionem Christi, ut annotavit Eusebius. An fuerit natus ex sorore Mariae, non constat, sed tamen cognatas fuisse consentaneum est. Quod vero Christus commendavit ei matrem, etsi exemplum ad omnes pertinet, tamen significatum arbitror, hunc inter Apostolos diutissime gubernaturum Ecclesiam. Hanc ei matrem praecipue Christus voluit esse curae, ac scribit Sophronius 68. anno post resurrectionem Christi Ioannem esse mortuum Ephesi, videlicet, tertio Traiani anno, cum caeteri Apostoli et Paulus multo ante extincti essent. Docuit igitur non exiguo tempore, videlicet annos circiter 67. Interim et exulavit aliquandiu sub Domitiano, cuius actis rescissis sub Traiano, Ephesum rediit. Auditores post se reliquit Ignatium Episcopum Antiochenum, Polycarpum Episcopum Smyrnaeum, et Papiam Episcopum Hierapoleos. Quanta messis Evangelii, quanta Ecclesiae felicitas fuit, tam longo tempore audire Apostolum et eius discipulos? Sed tamen hoc ipso tempore multi fanatici doctores passim vagati sunt: iam Ebion et Cerinthus turbârant Ecclesias, qui contendebant in Christo esse tantum humanam naturam, ad hos reprimendos et refutandos Ioannes scripsit Evangelium suum, ut testaretur clare et expresse, in Christo duas esse naturas, divinam et humanam, unitas ita, ut sit una persona Christus filius Dei, et mediator noster. Recitantur

historiae de morte Cerinthi, item de quodam adolescente revocato a Ioanne, quae sunt dignae memoria. Nam exemplum de poenitentia confirmat pios; et mors Cerinthi minatur blasphemis. Sed hae historiae integrae legantur apud Eusebium. Nunc accedimus ad enarrationem. Et quia Ioannes testis est de exhibito Messia, primum describit quis sit, ac caeteri Evangelistae testantur natum esse ex semine David iuxta promissiones. Ioannes igitur de natura divina concionatur.

Caput I.

In principio erat Verbum.

Vera notitia et invocatio Dei in sola Ecclesia Dei lucet. Ideo praecipue tradunt Prophetae et Apostoli doctrinam de natura, et de voluntate Dei. Ac Moses quidem incipit a creatione rerum, et inserit descriptionem, qua declarat quid sit Deus. Ait enim: In principio creavit Deus coelum et terram. Item: Dixit Deus. Item: Vidit Deus quae fecerat, et omnia erant valde bona. Est igitur Deus essentia aeterna, creans, omnipotens, dicens, bona, iusta etc. Testatur enim Deum fuisse ante creaturas, et creare ex nihilo res est omnipotentis. Cum vero ait: Dicens. Item: Vidit omnia quae fecerat, et erant valde bona, testatur Deum esse mentem intelligentem, sapientem, bonam, iustam etc. Cum igitur Ioannes descripturus esset filium Dei, deducit nos et ipse ad illam narrationem in Genesi, ubi legitur: Et dixit Deus. Hinc sumit nomen quod filio tribuit, scilicet Verbum. Nec acie ingenii humani deprehensa est haec nomenclatura, aut filii descriptio, sed haud dubie divinitus tradita.

Contexamus autem omnia membra. In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Hae propositiones omnes hoc volunt, Verbum esse personam coaeternam patri aeterno, quae tamen non sit pater, et tamen sit de essentia patris. Concionatur ergo de duabus personis divinis, Patre aeterno, et Filio. Vocat igitur filium Verbum. Id ut declarari possit, quaerantur et alia dicta de filio Dei, in quibus dicitur imago patris, ut ad Colossen. Item ad Heb. 1.: Novissime locutus est nobis in filio, quem fecit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor gloriae, et imago substantiae eius, ferens omnia verbo potentiae suae. Ut igitur filius vocatur fulgor paternae gloriae, et imago substantiae paternae, sic dicunt et verbum vocari. Verba enim sunt imagines rerum cogitatarum, et radii sunt quaedam imago lucis, seu, ut hic dicitur, ἀπαύγασμα. Sed hae collationes non omnino quadrant. Nam filius Dei est persona, et substantialis imago. Voco autem personam substantiam intelligentem, individuam, non communicabilem.

Sed veteres haec utcunque docendi causa declarabant, quod videlicet aeternus pater se intuens, atque intelligens, gignat imaginem sui ipsius, cui communicat essentiam suam. Haec genita substantialis imago est filius, et vocatur verbum, quia est cogitando genitus. Haec descriptio est Basilii et Augustini. Haec enim sunt verba Basilii. Quare dicitur λόγος? ut ostendatur quod ex mente prodierit, et sit imago genitoris, totum in se ostendens genitorem, et existens proprie, sicut et noster sermo effigies est totius cogitationis. Etsi autem probo hanc declarationem, et haud dubie verissimum est, aeternum patrem sese primum intueri, intelligere, et cogitare, et gigni filium cogitatione, ut sit imago patris, tamen sublimem et arcanam declarationem coram discemus. Nunc simus contenti veteri dicto Irenaei, qui significat filium dici verbum, quia sit persona sonans et loquens cum patribus, et edens promissiones. Quod videtur et Ioannes significare, cum ait: Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarravit vobis. Et mox de hac sententia plura dicentur.

Postquam exposui quid hoc loco Ecclesia intelligat, et quid Ioannes voluerit scribens: In principio erat verbum. Iam ordine singula membra percurremus.

Prima propositio est: In principio erat verbum, id est, filius aeterni patris erat ante mundi conditionem. Nam verbum significat hoc loco filium aeterni patris, qui est eius imago, et persona genita ab aeterno patre. Et personam intelligimus, non, ut in scenis loquuntur, Roscius sustinet personam Agamemnonis. Sed ut Ecclesia loquitur, substantiam individuam, intelligentem et incommunicabilem. Et quod oporteat hic personam hoc modo intelligi, postea in refutatione Samosateni copiosius ostendemus. Quod autem ait: Erat in principio, testatur hunc

fuisse, cum mundus conderetur, ergo filius ante conditionem mundi fuit, et ante creaturas, coaeternus patri, sed tamen a patre dicente genitus.

Et Verbum erat apud Deum.

Haec particula, apud, discernit personas. Verbum, id est, filius erat apud patrem aeternum. Sunt igitur duae personae, aeternus pater, et filius Dei coaeternus genitus a patre.

Et Deus erat Verbum.

Postquam personas discrevit, ne quis existimet filium esse creaturam, aut ex nihilo conditum, diserte additur: Verbum erat Deus, id est, de essentia patris et ὁμοούσιος. Hic autem diligenter observanda est Graeca lectio, quae est illustrior. Nam articulus adiuvat interpretationem, qui testatur in hoc dicto, ut Dialectici loquuntur, verbum, esse subiectum, et alteram vocem, scilicet Deus, esse praedicatum. Ita fit magis perspicua oratio, cum Deus dicitur de verbo, tanquam vocabulum communius describens substantiam verbi: Et natura sermonis postulat vocabula angustioria in subiecto collocari, et communiora in loco praedicati. Haec igitur collocatio multum lucis affert huic dicto: Verbum est Deus, quasi dicat: Illa ipsa imago a patre non est creata ex nihilo, sed est de substantia aeterna patris, et vere Deus. Nam hic Deus non intelligitur allegorice, sed proprie, videlicet de aeterno et omnipotente Deo. Quia hic describitur vera divinitas. Nec sunt significationes hic de substantia Dei discrepantes. Postea repetit primum dictum: Hoc erat in principio apud Deum. Rursus enim admonet duas esse personas, easque coaeternas, sed ita ut intelligatur, pater aeternus qui genuit, et filius genitus, qui est imago aeterni patris, etc.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Non dubium est, haec verba sumta esse ex Genesi, ubi creationi semper praeponitur dixit Deus. Ideo hic dicitur, omnia per ipsum condita esse, et Paulus aliquoties eodem modo loquitur, ad Corinth. 8.: Unus est Deus pater, ex quo sunt omnia, et nos in eum, Et unus dominus Iesus Christus, per quem sunt omnia, et nos per eum. Item Coloss. 1.: Omnia per ipsum et in ipso condita sunt. Ad Heb. 1.: Per quem et secula fecit. Arcana sapientia est, et longe posita extra conspectum omnium creaturarum, intellectus creationis, quam tamen Deus revelavit nobis, ut nos confirmet de providentia, quod vere curet creaturas, quod velit respicere, iuvare, alere et salvare invocantes ipsum, et punire contemnentes eum, ut haec in nobis fides accendatur, etiam doctrina de creatione divinitus revelata est. Et tenenda est regula pia et utilis: Creaturas omnes a tota divinitate, ab aeterno patre, filio, et Spiritu sancto pariter conditas esse. Hanc regulam confirmat dictum, Ioh. 5.: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Cur autem dicatur ex patre et per filium, et fovente Spiritu sancto, ut in Genesi, hoc non perspicitur acie humanae mentis, et tamen nos teneamus has formas loquendi divinitus traditas. In Genesi de conditione hominis scribitur, dixit Deus: Faciamus hominem. Hic significatur, condi res quadam deliberatione aeterni patris, filii, et Spiritus sancti. Conduntur ergo creaturae, quia lucet decretum in filio et imagine mentis paternae. Ita dicitur, per filium condi res. Quod autem omnia condita esse dicit per filium, intelligit et creaturas omnes, et omnia opera Dei in Ecclesia, sicut postea dicemus. Prius enim exponendum est, quare addat velut exceptionem: Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Hoc ideo dicitur, quia multa ingentia mala sunt in conspectu, quae cum valde moveant omnium animos, mirantur omnes, unde sint orta. Cum igitur antea dixisset, omnia per filium Dei condita esse, necesse fuit addi hanc exceptionem, ne quis hinc ratiocinetur etiam peccatum et mortem condita esse per filium Dei; ideo addit exceptionem, illa inquam, quae facta sunt, condita sunt per filium Dei. Sed quaedam irruperunt in naturam non condita. Haec non sunt facta per filium Dei. Hic totam naturam rerum, et naturam angelorum et hominum mente intueamur, in qua videbimus ingentem et horribilem deformitatem et confusionem, in diabolo odium Dei, et tyrannidem impellentem homines ad omnia flagitia, et saevientem in homines omni genere calamitatum et morte. Deinde in hominibus tristissimam servitutem, qua diabolo obtemperant, ruunt contemtu Dei in horribilia scelera, et exitium. Haec mala omnia sunt conspectiora, quam ipsae creaturae Dei, quare Ioannes excipit

ea a conditione creaturarum, et contrahit suum dictum, inquiens, tantum opera Dei per filium condita esse. Admonet igitur quaedam in rebus conditis cerni, quae nec sunt opera Dei, nec condita per Filium, videlicet peccatum et mortem. Hae duae appellationes significant universam naturae destructionem, furorem diaboli, totam humani generis depravationem, et omnia peccata omnium hominum, omnes calamitates, mortem, et perpetuos cruciatus. Horum malorum magnitudinem nulla creatura perspicere potest. Quare non existimemus levia incommoda significari, cum audimus nominari peccatum et mortem.

Docet autem et in aliis locis Ioannes, haec mala non esse res a Deo conditas, ut cap. 8.: Quando mendacium loquitur diabolus, ex propriis loquitur: quia mendax est, et pater mendacii; et in 1. Epist. cap. 2.: Concupiscentia carnis non est ex patre, sed ex mundo; et cap. 3.: Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia initio diabolus peccat. Cum igitur diabolus et hominis voluntas assentiens diabolo, sit causa peccati et mortis, diligenter observanda exceptio, quae discrimen tradit inter res conditas, et rerum destructionem non conditam. Et hinc definitio mali sumi potest. Malum esse non rem conditam a Deo, sed destructionem rei conditae, ortam a diabolo, et deinde a voluntate hominis. Peccatum, id est, aversio voluntatis a Deo extinxit noticiam Dei in mentibus, et timorem Dei, fidem, et dilectionem Dei in voluntate, et impellit voluntatem, ut ruat contra legem Dei, et Deum horribiliter offendat. Mors est naturae hominis destructio, secuta peccatum, et sensus irae Dei adversus peccatum, sicut in Psal. 90. dicitur: Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus; et Psal. 38.: Propter iniquitatem corripis hominem. Item Paulus breviter et clare dicit: Per peccatum mors. Item: Stipendium peccati mors. Item: Aculeus mortis peccatum est.

Exposui causam, cur Ioannes velut addiderit exceptionem, tantum res conditas factas esse per filium, ut sciamus mala, peccatum et mortem, quae sunt destructio operis Dei, non esse orta a filio Dei. Quanquam autem haec mala sunt privationes seu destructiones, tamen non propterea extenuari putemus: sed sunt velut ruina ingentis aedificii. Haec lectorem hoc loco breviter monendum esse censuimus. Etsi enim a doctis quaedam subtiliter disputantur de definitione peccati, tamen hoc meminerimus, nullam creaturam satis perspicere magnitudinem peccati, sed discamus in exercitiis poenitentiae, quid sit peccatum, et quid sit ira Dei adversus peccatum, intueamur etiam tristissima omnium aetatum exempla, in quibus Deus iram suam in hac vita declaravit, in diluvio, in conflagratione Sodomae, in òmnibus bellis et calamitatibus humani generis, in mutationibus regnorum, in excidio Ierosolymae, in vastationibus, quae nunc fiunt per tyrannidem Turcicam. In his tantis malis sinit Deus diaboli furorem grassari in genus humanum, ut poenae nos admoneant, Deum vere irasci peccato, et abiicere homines in aeternum exitium. Sed tanta est humani cordis durities, ut nec his exemplis satis moveatur, sed tamen Ecclesiam oportet haec considerare, et aliquo modo expavescere.

Postquam dixi de causa mali, et de exceptione in textu posita, nunc redeo ad alteram particulam. Omnia per ipsum facta sunt. Dixi antea hic non tantum primam conditionem rerum intelligi debere, sed etiam gubernationem et defensionem Ecclesiae omnium temporum. Admirandum opus est creatio mundi ex nihilo, sed non est minus opus prima restitutio Adae et Evae, post lapsum, ubi per filium Dei, et propter eum diabolo rursus erepta est humana natura, et promissa liberatio, per venturum semen, ad hoc opus et sequentia, etiam oportet accommodari dictum: Omnia per ipsum facta sunt. Nam in talibus operibus mirabiliter praeliatus est filius Dei adversus diabolum. Nec enim existimandum est leve quoddam negotium fuisse, edere primam vocem de remissione peccatorum, promittere liberatorem, et lapsos recipere.

Qualis pavor fuit in primis parentibus ante primam illam liberationem? quam difficile fuit etiam postea retinere hanc consolationem, cum primi parentes tot contraria exempla, caedes filiorum, et alia peccata cernerent? Nec dubium est, diabolum variis modis insidiatum esse primis parentibus, et aliis piis, ut cum corpora, tum animas eorum perderet. Adversus has insidias sancti defensi sunt per filium Dei.

Postea per eum Noë servatus est in diluvio, educti ex Aegypto Israëlitae ipso defendente, sicut Paulus inquit: Bibebant ex spirituali comitante eos petra, petra autem erat Christus. Quem

locum enarrans Theophylactus recte ait: Comitante autem eos dixit, ut ostenderet Christum hic illis et ubique adfuisse, et miracula omnia fecisse.

Et Iacob in benedictione filiorum Ioseph mentionem facit huius liberatoris, cum ait: Angelus qui liberavit me ex omnibus malis, benedicat pueris istis. Angelus benedicens, et liberans ex omnibus malis, proprie est filius Dei. Nam creaturae angelicae, quae sunt ministrae, non possunt homines a peccato, ab ira Dei, et a morte liberare.

Addantur et caetera gloriosa certamina, ut Iosue, Samuelis, Davidis, Iosaphat, Eliae, Elisaei, et similia. Haec omnia gubernavit et adiuvit filius Dei. Ita ad omnes liberationes in Ecclesia accommodetur hoc dictum: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Quare haec particula sit addita, supra rationem memoravi. Admonendi autem sunt studiosi, ut sequantur hic graecam lectionem, nec avellant a superiori postremam particulam. Nam mutilatio tenebras offundit, et sententias turbat.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.

Haec plerique interpretes accommodant ad creationem. Dicunt, per filium vitam et lucem creaturis inditam esse. Non enim dubium est, per filium Dei condita esse haec miranda opera: Vitam, id est, durationem seu conservationem, et motum rerum et gradus viventium, deinde et lucem corporum, et mentis noticias, discrimina iusti et iniusti mentibus indita, et reliquas noticias. Haec sentimus quidem, sed non possumus penitus perspicere, qualia sint haec opera, Agitatio perpetua quae est vita, item lux Solis, lux oculorum, noticia mentis. Obstupescimus admiratione harum pulcerrimarum rerum, cum eas quoquo modo aspicimus, sed penitus introspicere non possumus. Est ergo usitata interpretatio: In ipso vita erat, id est, per ipsum vita est condita, lucente decreto in filio, res a Deo tales fabricatae sunt, et per filium sustentantur et conservantur.

Sed Ioannes non de sola creatione loquitur, sed de vita perpetua hominis, cui initio vita indita est, quae erat imago Dei et perpetua, deinde hac amissa, redditur vita perpetua per filium, renovatur imago, ideo de hac vita perpetua, et luce, quae est imago Dei, hic dicendum est. Ut enim filius Dei est imago aeterni patris, ita in eo vita patris resplendet, et lucet sapientia intelligens et glorificans patrem. Ad hanc imaginem docet Genesis initio et homines conditos esse, ut viverent vita perpetua, et haberent noticiam agnoscentem et celebrantem Deum. Porro amissa hac imagine post lapsum, cum mors et tenebrae naturam humanam oppressissent, rursus inenarrabili consilio donatus est nobis filius Dei, quia sua efficacia in nobis iterum accenderet vitam perpetuam, et lucem.

Est ergo sententia, in filio esse vitam perpetuam, et lucem intelligentem Deum, quae est aeterni patris imago. Ideo autem nobis donatus est filius, ut sit efficax et similem vitam et lucem in nobis restituat. Nec dubium est, gravissimam doctrinam hic involutam contineri de filio, quomodo sit imago aeterni patris, item de conditione hominis ad hanc imaginem, item de consilio restituendi generis humani, quod is, qui est imago patris missus est, ut imaginem Dei in nobis restituat. Haec pii in invocatione cogitent, cum hoc inenarrabile consilium de filio mediatore constituto cogitandum est: verbis assequi magnitudinem harum rerum non possumus.

Illud autem monere necesse est, quod haud dubie et Ioannes hic voluit in his verbis discerni Messiam a caeteris Prophetis omnibus, et hoc ipsum discrimen postea saepe repetitur. Adam, Noë, Abraham, Moises, Apostoli, circumferentes doctrinam a Deo commendatam, externae vocis ministri sunt, nec sunt victimae, aut pretia pro genere humano, nec efficiunt ipsi in mentibus hominum perpetuam vitam et novam lucem. At Messias filius Dei non solum vocem externam proponit, sed ipse simul est propiciator et efficit in mentibus, quae Evangelio assentiuntur, novam vitam et lucem.

Hoc discrimen oppositum est imaginationi Iudaeorum, qui tantum somniabant imperium mundanum, et Messiam arbitrabantur allaturum esse bonas leges, iustam gubernationem, externam pacem, nec intelligebant naturae humanae lapsum, causas peccati et mortis, nec cogitabant haec mala funditus abolenda esse, et Messiam mirabili modo redditurum esse vitam et iusticiam perpetuam. Opponenda sunt et haec dicta adversariis nostris, qui somniant Christum tantum esse legislatorem, nec agnoscunt esse autorem

vitae et novae iusticiae in mentibus. Sed haec copiosius infra docenda erunt.

Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.

Antithesis observetur. Filium Dei vocat lucem, genus humanum oppressum peccato vocat tenebras. Semper autem adfuit filius Dei ipse generi humano, et semper post primam promissionem datam primis parentibus, sonuit vox de eo, in qua agnosci et conspici voluit, et per quam fuit efficax in aliquibus, et in eis novam lucem et vitam incoavit. Adfuit igitur et agnosci in promissione voluit, et suam praesentiam atque efficaciam multis mirandis liberationibus declaravit, ut exempla Patrum et Prophetarum ostendunt, et tamen tenebrae eum non agnoverunt. Semper maxima pars generis humani, furens horribili contemtu Dei, iudicavit Evangelium inanem fabulam esse. Multi etiam tanquam perniciosam doctrinam oderunt, et delere conati sunt.

Haec igitur narratio monet, qualis sit Ecclesiae species. Velut parva scintilla fulget in nocte, sic Evangelium est flammula fulgens in aliquibus, cum interim caeteri omnes sint tenebrae. Experimur autem humana iudicia abhorrere ab hac specie Ecclesiae, miramur maximam humani generis partem interire, et in aeternas poenas abiici. Sed propter hanc offensionem rationis non deficiamus a Deo, ac eo magis eius iudicium et iram metuamus, et Evangelio obediamus.

Fuit homo missus a Deo cui nomen Ioannes.

Superior pars docet lectorem de natura filii Dei, quae etiam ante assumtionem naturae humanae fuit. Sequens narratio concionabitur de assumtione naturae humanae, et priusquam de adventu filii Dei loquatur, mentionem facit Ioannis Baptistae propter duas causas, quarum prior est, ut alleget testimonium Baptistae de Messia, secunda, ut discernat Messiam a Baptista, et omnibus Prophetis et aliis ministris doctrinae coelestis.

De priori breviter dicam: Negotia imperiorum, ut victoriae Alexandri, Scipionis aut Iulii, incurrunt in oculos hominum, et habent evidentia testimonia universae multitudinis in multis magnis gentibus. Sed ea quae geruntur in Ecclesia non ita cernuntur ab universa multitudine, et tamen aliquis est coetus, in quo certa et firma testimonia extant de factis divinis aut de voce Dei. Vult enim Deus fidem Ecclesiae certam esse. Exempla huius rei multa sunt, pater aeternus ex coelo hanc edidit vocem: Hic est filius meus dilectus, hunc audite, et adfuerunt Moses et Elias. Hoc mandatum cum pertineat ad totum mundum, tamen tantum tunc adfuerunt tres discipuli, Petrus, Iacobus et Ioannes. Hi postea testes fuerunt eius vocis, et Deus testimonium eorum novis miraculis confirmavit. Ita de adventu filii Dei multa testimonia proposita sunt, quae piis proderant, et satis confirmabant eos, etsi ab impiis deridebantur. Ut constabat angelum cum Zacharia locutum esse, postea ex sterili et effoeta matre Ioannem natum esse, et nominatim ad hoc destinatum, ut ostenderet iam venturum Messiam. Postea Ioannis vocatione divina novum genus doctrinae et baptismum incoavit, ibi vidit descendentem Spiritum sanctum, et vidit et audivit claram vocem aeterni patris: Hic est filius meus dilectus. Multa igitur miracula concurrunt, Zachariae, Elizabeth, Ioannis, quae omnia colligenda sunt, ut confirment testimonium Ioannis, quod de filio Mariae dixit, et haec multi pii norant. Reliqua multitudo impia deridebat.

Haec ideo praefatus sum, ut autoritatem testimoniorum in Ecclesia magnifaciamus, etiamsi spectacula imperiorum magis incurrunt in oculos, quam mirandi eventus, quos Deus impertit Ecclesiae. Praedixerat Deus per Malachiam se missurum esse nuncium eximium, testificaturum de Messiae adventu, et ne deesset autoritas, huic testimonio multa miracula in Zacharia, Elizabeth, Ioanne affixit. Fit igitur mentio Ioannis, ut fides Ecclesiae confirmetur, collectis omnibus illis testimoniis et miraculis, et ut admoniti de promissione in Malachia, agnoscamus eventum congruere prophetiae, et doctrinam de Messia ex Prophetis ad confirmandam fidem requiramus. Haec de priore causa monuisse satis est.

Adieci et alteram causam, fieri mentionem Baptistae, ut discernantur ministri a persona Christi. Ideo addit:

Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

Infinitum est discrimen inter Messiam et reliquum totum coetum Prophetarum, Apostolorum et Doctorum, ut supra dixi. Solus filius Dei fuit victima, et pretium pro genere humano.

Hic abolet peccatum et mortem, et in mentibus credentium novam lucem, id est, noticiam Dei, iusticiam, et vitam aeternam exuscitat, et efficit, dat Spiritum sanctum vivificantem. Haec fiunt in nobis fide, hoc est, fiducia ipsius, non fiducia Mosi, Eliae, Baptistae, Petri, aut cuiusquam alterius. De hoc discrimine aliquoties concionatur ipse Baptista in textu: Ego vos baptizo aqua, ille vos baptizabit Spiritu sancto et igni. Haec dicta observet lector, et ad hoc discrimen referat, quod breviter hic volui attingere. Caeterum de baptismo Ioannis dicemus aliquanto post.

Erat lux vera quae illuminat omnem hominem.

Iterum inculcat filium Dei esse lucem, nec ambigue interpretor lucem, aut verbum illuminare. Lucem voco, quia filius Dei per Evangelium, quod ex sinu patris attulit, dat Spiritum sanctum, et in nobis lucem, hoc est, noticiam Dei, iusticiam, et vitam aeternam efficit, id vocat illuminare.

Sed cur addita est particula universalis, illuminat omnem hominem? Quia verbum omnibus proponit hanc novam lucem, tametsi non omnes accipiunt. Sic intelligatur, illuminat omnem hominem, scilicet, accipientem Evangelium, per quod lux, iusticia et vita illucescit in mentibus. Haec ipsa interpretatio additur: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; et aliquanto post: Ex plenitudine eius omnes accepimus; ac de his universalibus suo loco plura dicemus.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.

Supra affirmavit per filium Dei omnia condita esse, et semper affuisse eum Ecclesiae. Nunc loquitur de visibili praesentia, quia diserte addit: In mundo erat, significans visibilem conversationem cum hominibus. Sed sequens particula diligenter observanda est, quae perspicue testatur, in Christo duas esse naturas, et verbum, de quo supra dixit, intelligi oportere personam. Non enim dubium est hic de Christo dici: In mundo erat, et mundus per eum factus est. Constat autem mundum non esse conditum per humanam naturam Christi, ergo necesse est in eo et alteram naturam esse priorem conditione mundi, quae cum patre aeterno res condidit. Hoc testimonium meminisse utile est, ad refutandum Samosatenum, ut postea dicam.

Deinde repetit querelam de tenebris mundi, quod mundus non credit Deo, imo quod ille ipse populus, qui dicitur populus Dei, ita fascinatus sit propriis persuasionibus de iusticia legis et imperio mundi, quod putat Messiam occupaturum esse, ut huic filio Dei accerrime adversetur, quia non dat imperium quod ipsi expectabant, item abrogat legem, et de alia quadam iusticia concionatur. Admonemur et hoc brevi dicto Ecclesiam et exiguam esse et oppugnari ab illis ipsis, qui vocantur populus Dei, hoc est, qui gerunt titulum Ecclesiae, qui tenent ordinariam potestatem, ut vocant. Cum igitur similia certamina incidunt, hoc dicto Evangelistae confirmemur, ne propter adversarios, qui autoritate antecellunt, deficiamus ab Evangelio.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis, etc.

Antea de persona dixit, nunc addit de beneficio, quod per hanc personam datur, et quidem modum, quo hoc beneficium consequimur, ostendit. Atque ita summam seu praecipuam Evangelii sententiam et vocem proponit, et multa breviter complectitur, quid afferat Christus, quibus exhibeat, quomodo consequamur, quid in accipientibus fiat.

Sit igitur primum quid afferat, videlicet potestatem filios Dei fieri. Hoc cum brevius dicatur, quam magnitudo rei postulat, addendae sunt explicationes ex aliis locis, significat enim Apostolus genus humanum oppressum esse peccato, morte, ira Dei, et poenis aeternis, nec posse ab his tantis malis per legem aut ullam sapientiam, aut iusticiam humanam liberari, imo nulla re potuisse placari iram Dei, nisi hac una victima, scilicet, dato filio Dei pro genere humano. Itaque ineffabili consilio divinitus hic filius promissus et exhibitus est, qui rursus dat potestatem filios Dei fieri, id est, dat hoc munus, ut simus filii Dei, et cum filios nominat, complectitur omnia beneficia Evangelii. Filii significant eos, quibus placata est ira Dei, qui iustificati sunt, et facti haeredes vitae aeternae.

Et diserte dicit, filii, ut discernat Ecclesiam electam a populo legis. Hic enim dicitur populus, quia in aeterna politia servit Deo, et accipit promissiones corporales, etiamsi iusticiam et vitam aeternam multi non accipiebant, sed filii pro-

prie dicuntur hi, quibus Deus propicius est, et qui sunt renati et haeredes vitae aeternae. Hoc discrimen appellationis populi et filiorum saepe occurrit, ut Oseae 1.: Et erit in loco, ubi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis, filii Dei viventis. Recensui quod beneficium afferat, quod subinde pluribus verbis in ipso textu declarabitur, ideo fui brevior. Venio ad secundam particulam. Quibus exhibeat.

Diligenter observanda est propositio universalis, et supra posita, et saepe repetita, quae testatur Deum omnibus offerre salutem, iuxta illud: Venite ad me omnes qui laboratis. Et hic dictum est, ut omnes crederent. Item, illuminat omnem hominem, id est, missus est quidem ut omnes illuminet. Ac magnopere prodest animis infigere hanc doctrinam, quod utraque sententia sit universalis promissio evangelica, et mandatum ut credamus filio Dei. De promissione multa sunt exempla, Rom. 3.: Iusticia Dei in omnes, et super omnes. Item Ioan. 3.: Ut omnis qui credit in eum, non pereat. Huc et dictum Pauli pertinet: Deus vult omnes homines salvos fieri. Quia promissio omnibus offert salutem. Mandatum vero ad omnes pertinere constat, videlicet vocem illam quae de coelo sonuit: Hunc audite. Item: Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Hae universales tenendae sunt, sed requiritur voluntas assentiens, non repugnans Evangelio. Ideo dicit: Quotquot autem receperunt eum. Nam hos per Evangelium et Spiritum sanctum illuminat filius Dei, qui non repugnant, sed audiunt Evangelium, et in invocatione se sustentant voce Evangelii, sicut alibi dicitur: Dabit Spiritum sanctum petentibus, non vel contemnentibus, vel pertinaci furore opprimere Evangelium conantibus.

De tertia particula, quomodo consequamur, ait: Dedit potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius. Expresse, inquit, fide in Christum fieri nos filios Dei. Haec vox ignota est humanis iudiciis, fieri homines filios Dei hoc modo, scilicet, fide, id est, fiducia huius salvatoris nobis donati gratis, non propter nostram iusticiam. Et quidem ipsis credentibus difficile est retinere, quod placeant Deo gratis, quanquam infirmi et indigni, sed placeant tamen certo, propter filium Iesum Christum nobis donatum. Non sine certamine retinere hanc Evangelii vocem homines possunt, sed prodest in conspectu habere testimonia, quae sunt plurima, quae hanc de fide doctrinam nobis tradunt, quam aliquanto post copiosius exponemus, cum haec ipsa de fide propositio repetenda erit.

De quarta particula, quid fiat in nobis: Ait, filios Dei ex Deo nasci.

Non ex sanguinibus, nec ex voluntate etc.

Erudite describit iustificationem et regenerationem. Necesse est agnosci filium Dei, qui nobis donatus est ut fieret victima pro nobis, et resurrexit, ut regnet et sanctificet Ecclesiam Dei. Huius salvatoris fiducia recipimur, reputamur iusti, et efficimur filii. Et hoc cum fit, ut simus filii Dei, etiam a Deo per Spiritum sanctum regeneramur, ut ubique docet Evangelium, ad Gal. 3.: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Ad Rom. 8.: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Et Ioan. 7.: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Et Zach. 12.: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Vocat spiritum gratiae, quia per Evangelium movet corda, ut agnoscant inenarrabilem misericordiam Dei erga nos, et statuant nobis remitti peccata, nos esse in gratia. Deinde agnita tanta bonitate invocemus, et nos subiiciamus Deo. Ad haec Zachariae verba convenit aptissime dictum Pauli Rom. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Idem spiritus testificatur spiritui nostro, quod simus filii Dei. Hic complectitur agnitionem gratiae, et invocationem, cum qua coniuncti sunt alii motus spirituales, et incoatio novae iusticiae et vitae in cordibus. Haec est perpetua doctrina de beneficiis Evangelii, quam Ioannes initio breviter complexus, postea enim repetet.

Addit autem negativas, ut discernat populum legis a vero semine Abrahae, gloriabantur Israëlitae se esse populum Dei, et ad se pertinere promissionem datam de benedictione, iusticia, et regno aeterno, et hanc totam praerogativam tribuebant carnali generationi, seu legali successioni, sicut nunc Episcopi contendunt se esse Ecclesiam propter ordinariam successionem. Hic error necessario refellendus est. Quia Deus repudiatis his, qui insolescebant propter carnis praerogativas, saepe illustribus exemplis vocavit alios ad societatem regni sui, ut reiecto Cain, Esau, primogenitis, vocati sunt Abel, Iacob. Estque Ecclesia non penes eos qui sibi arrogant titulum, propter carnales praerogativas seu ordi-

nariam successionem, sed penes alios ignobiles, in quibus lucet Evangelium, et qui sunt nati ex Deo, ut Ioannes hic inquit: Haec est summa huius loci, congruens cum multis similibus disputationibus in Prophetis et Paulo ad Rom. 9. Et Ioannes discernens tria membra: Non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri etc., considerat modos omnes, quibus propagantur regna aut politici coetus, quia mundus putat propagari Ecclesiam, sicut regna mundi, vel coetus, aut collegia humana. Tradit igitur utilem doctrinam discernit Ecclesiam a politiis, et modum propagationis ostendit. Primus modus est, propagari carnali generatione, sicut haeres est Cambyses Cyri, quia ex eo natus est. Sicut politia Mosaica fuit propagatione carnali, sed ita, ut accederet circumcisio. Sic haerebat primum in Adam opinio, filium Cain fore haeredem, quia ex ipso natus esset. Sic imaginabatur Isaac de Esau, sic David de Absalon, et nos singuli cogitamus aliquam praerogativam esse generationis et familiae. Contendebant igitur Israëlitae se esse populum Dei seu filios, propterea quod nati essent ex semine Abraham, et circumcisionem a patribus acceptam retinebant. Et erat persuasio pontificum Leviticorum, alligatam esse Ecclesiam ad seriem ordinariorum successorum. Hunc errorem et Baptista taxat, cum inquit: Ne dicatis intra vosmetipsos, patrem habemus Abraham, etc.

Secundus modus propagationis est per adoptionem, vel electionem, ut Augusto succedit Tiberius. Sic postquam constat Ecclesiam post destructam politiam Mosaicam non esse alligatam ad familiam certam, obrepsit alia persuasio, Ecclesiam alligatam esse ad successionem eorum, qui humana electione ordinariam gubernationem tenent. Hic nervus est potentiae pontificiae, hac persuasione tenent fascinatum totum orbem terrarum, quod Ecclesia sit propagata electione canonica seu successione ordinaria Episcoporum. Ad hanc ita alligant Ecclesiam, ut contendant damnatos esse omnes, qui non sunt sub talibus Episcopis, aut non obtemperant eorum legibus. Sed Ioannes palam reclamat: Non ex voluntate carnis. Alius coetus est Ecclesia, non propagatus humanis electionibus, ut imperia, aut dignitates pontificum.

Tertius gradus est, propagatio per imitationem. Haec est multo excellentior secundo gradu, ideo dicit: Non ex voluntate viri, consilio, studio, industria excellentium virorum. Magis erat successor Augusti Germanicus, quam Tiberius. Nam virtute et laboribus Germanici regebatur imperium. Antigonus antecellebat Arideo fratri Alexandri electo. Sic antecellunt Episcopis electis viri docti et sapientes, qui imitatione patribus succedunt, et comprehenduntur hic omnes qui sine Spiritu sancto imitantur externos ritus, exercitia, disciplinam sanctorum. Sicut honesti sacerdotes imitantur ceremonias Episcoporum, Monachi imitantur dura exercitia aliquorum patrum, Baptistae, aut Antonii, etc. Homines eruditi imitantur doctrinam sine spiritu, et miscent humanam sapientiam.

Hi tres gradus sunt modi, quibus propagantur regna et politici coetus, nec sunt alii nec plures modi.

Sed quartus gradus Ecclesiae, hoc est, populi renascentis ad perpetuam vitam proprius est, ex Deo nasci per Evangelium, sicut ait: Dedit illis potestatem filios Dei fieri, credentibus, etc.

Discamus ergo non solum Israëlitarum persuasiones refutare, sed etiam similes. Errant et hoc tempore Anabaptistae, qui contendunt natos ex Christianis non afferre peccatum originis. Errant qui contendunt ibi esse Ecclesiam, ubi est ordinaria successio Episcoporum gubernantium, quae successio vere et proprie, ut Ioannes hic loquitur: Fit voluntate carnis, id est, humano consilio, ut Caiphas non est filius Dei, etiamsi ordinaria successione est pontifex, quia non est natus ex Deo. At Zacharias est filius Dei, quia per verbum et Spiritum sanctum est renatus. Errant etiam qui putant fieri filios propter imitationem ceremoniarum aut operum moralium sine Spiritu sancto, et sine fide, hoc est, sine fiducia misericordiae, sicut hypocritae finxerunt meritum congrui. Nam haec imaginatio etiam putat filios Dei fieri, deleri peccatum, conatu et studio rationis sine fiducia Christi mediatoris, et sine Spiritu sancto. Has sententias in illis exclusivis particulis complecti Ioannem non dubito. Absoluta igitur hac praefatione de beneficiis Christi, de modo quo ea consequimur, redit Evangelista ad personae descriptionem.

Et Verbum caro factum est.

Hoc dicto refutatur Samosatenus, Servetus, et similes, qui contendunt λόγον non debere intelligi personam, sed has praestigias et calumnias

postea refellemus. Prius enim simplicem et perpetuam Ecclesiae sententiam recitabo, et adhortor pios, ut retineant phrasin veterum, qui sic locuti sunt: Verbum assumsit naturam humanam, ita ut sit una persona Iesus Christus. Nec imaginandum est humanam naturam tantum fuisse hospitium divinae naturae. Sicut habitat Spiritus sanctus in renatis, et est in eis efficax. Sed duae naturae divina et humana sunt unitae unione hypostatica, ut veteres locuti sunt, hoc est, ita ut una sit persona. Ideo Evangelista hic dicit: Verbum caro factum est, quasi dicat: Verbum non tantum adiunctum est, ut comes separabilis, sed factum est homo, lucens in tota natura humana, quae est ei unita, ita ut sit una persona. Arbitror et Paulum voluisse idem dicere, cum ait: In Christo plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, id est, personaliter. Nam ut nunc usitate dicimus personam, ita Graeci usitatissime dixerunt *σώματα*.

Secundo cum dicitur: Verbum caro factum est. Non cogitetur transmutatio seu conversio verbi in naturam humanam, ut cum dicis: Aqua est facta vinum. Cera est facta ignis. Nam supra dictum est *λόγον* esse personam divinam. Non igitur extinguitur neque convertitur in aliam rem, sed assumta humana natura manet, et in ea lucet.

Tertio caro intelligatur non tantum corpus, sed totus homo. Nam *λόγος* assumsit corpus et animam humanam. Sed cur maluit Evangelista uti appellatione carnis? Cur non dixit, *λόγος* factus est homo? Etsi hoc voluit: Nam Christus vere etiam est homo, habens corpus et animam, ut alia multa testimonia testantur, tamen phrasi scripturae pro homine dixit carnem, ut significaret imbecillitatem et mortalitatem. Talis enim natura assumta est, quae est mortalis, et quidem subiecta horrendae irae et iudicio Dei adversus peccatum humani generis. Quam iram haec imbecillis et mortalis caro in Christo sustinuit. Hanc inenarrabilem humiliationem significavit Evangelista appellatione carnis, ut Esaias inquit: Quia ponet animam suam peccatum, id est, piaculum, seu hostiam pro peccato, videbit semen longaevum. Et ad Gal. 3.: Factus pro nobis maledictum, ut nos a maledictione redimeret. Nec cogitandum est hanc esse appellationem rei levis. Humana ratio non intelligit magnitudinem irae Dei adversus peccatum. Ideo nec quid sit esse abiectum et maledictum a Deo, intelligit. Christus autem intellexit et sentiens hanc tantam iram, pro nobis eam sustinuit.

Idem docet Paulus ad Philip. 2.: Hoc sentite inter vos, quod et in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, non rapinam duxit se aequare Deo, sed seipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Etsi alii alias interpretationes addunt, tamen simplicissima est in eo Pauli loco sententia. Forma significat utroque loco similitudinem. Qui cum esset in forma Dei, id est, esset similis Deo, sapiens, iustus, fortis, superior morte, dator vitae, denique divinam habens potentiam, tamen non arrogavit sibi aequalitatem Dei, id est, non gessit se tanquam aequalem Deo, ut non posset pati et mori, sed seipsum exinanivit, id est, exuit illam Dei similitudinem, non posse pati, non posse mori, et factus est similis hominum, id est, vere homo mortalis, et habitu inventus ut homo, id est, affectibus naturalibus omnibus praeditus, esuriit, sitiit, defatigatus est, metuit, speravit, doluit, laetatus est, lacrymavit, iratus est, sensit tantam moesticiam, ut sudaret sanguinem. Cum enim esset victima pro genere humano, expertus est sensum irae Dei adversus peccatum in genere humano. Haec deinde declarantur. Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Itaque ut Evangelista usus est nomine carnis, et naturam humanam, et imbecillitatem significans. Ita Paulus et humanam naturam complectitur, et describit imbecillitatem, cum nominat formam servi, et inquit: Habitu, id est, affectibus inventus ut homo.

Caeterum et hoc dicendum est: Etsi in Christo humana natura mortalis, vere fuit humana natura, tamen fuit sine peccato, fuerunt in eo omnes appetitiones ordinatae, quales Deus condidit, fuit appetitio cibi, potus, defatigatio, dolor corporis, metus, spes, tristitia, laetitia, ira, zelus, sed haec fuerunt ordinata et sine peccato, ut 2. Corinth. 5. dicitur: Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus iusticia Dei in eo. Et ad Ebraeos 4.: Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia secundum similitudinem nostram sine peccato. Accedamus igitur cum fiducia, etc.

Et habitavit in nobis, et conspeximus gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti.

Dixerat de assumtione humanae naturae, nunc addit testimonia, et paulo post dicit, cur missus sit filius Dei, cur versatus inter homines. Dicit igitur eum habitasse inter homines, id est, palam conversatum esse cum hominibus, humano more vixisse.

Quod intelligatur, ut supra enarravi particulam Paulini dicti: Habitu inventus ut homo. Deinde sequuntur testimonia, quod hic Messias conversatus cum hominibus, quanquam induerat mortalitatem, et sit vere homo, tamen etiam sit filius Dei potens. Ideo ait: Vidimus eius gloriam, id est, miracula, vidimus eum resuscitantem mortuos, vidimus et ipsum post mortem rursus viventem, et nobiscum familiariter versantem, ut sciremus per eum tolli peccatum et mortem, et regnare eum, ac dare credentibus Spiritum sanctum, iusticiam et vitam aeternam. Haec non possunt fieri, nisi divina potentia. Ideo dicit esse gloriam unigeniti a patre.

Nominat autem Christum unigenitum, ut discernat eum a caeteris sanctis, qui sunt filii adoptione. At hic Christus est natura filius, id est, de substantia patris, ut supra diximus.

Plenum gratiae et veritatis.

Non dubium est, quin de filio loquatur: Quod enim laborant quidam hoc loco de syntaxi, supervacanea cavillatio est. Refertur enim ad superiora: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, plenum gratiae et veritatis. Gratia significat haud dubie favorem Dei, estque sententia: Hic filius primum et naturaliter a Deo diligitur, estque causa, propter quam caeteri sunt electi et diliguntur. Ephes. 1.: Dilexit nos in dilecto, id est, propter filium dilectum, per quem habemus redemtionem per sanguinem eius. Idem docet vox coelestis: Hic est filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Testatur ergo hunc filium primum amari, et propter hunc electam esse et diligi Ecclesiam, quae audit hunc filium, Ephes. 1.: Sicut elegit nos in ipso ante conditionem mundi, ut essemus sanati et immaculati coram Deo, per dilectionem praedestinans nos ad adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum; et Rom. 3.: Per redemtionem in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem. Hae sententiae omnes declarant dictum Evangelistae, quod videlicet filius Dei dicatur: Plenus gratia, id est, vere et naturaliter dilectus patri, et impetrans ne genus humanum prorsus pereat, sed ut aliqui propter ipsum sint electi et diligantur, et impertiens credentibus remissionem peccatorum, ut diligantur et ipsi.

Intelligatur igitur gratia non tantum de privata dilectione, sed etiam de communicanda caeteris electis, videlicet quod propter hunc filium genus humanum sit ereptum tyrannidi diaboli, et credentes sint electi, et diligantur. Infra rursus utranque appellationem repetet eadem significatione, ubi se clarius declarat, dicens: Accepimus gratiam pro gratia, id est, favorem erga nos, pro favore erga ipsum, sicut ante dictum est: Elegit nos in ipso, id est, propter ipsum.

Addit autem: Plenus veritate, id est, vera Dei noticia, et vera iusticia, propria et communicanda. Nam in filio vere lucet noticia Dei, sicut ait Matthaei 11.: Nemo novit filium, nisi pater, neque patrem quisquam novit, nisi filius, et cui voluerit filius revelare. Item ad Ebraeos 1.: Per filium, qui est fulgor gloriae et effigies substantiae eius. Ergo in filio est vera et integra noticia aeterni Dei, qualis in nulla creatura est, nec patefit aliis nisi per filium. Sicut ipse ait: Nemo novit patrem nisi filius, et cui volet filius revelare. Per hunc igitur edita est promissio de voluntate patris, initio post lapsum Adae, et per ipsum illucescit haec noticia mentibus credentium, cum per verbum suum dat Spiritum sanctum. Porro, veram Dei noticiam comitatur vera iusticia, ardens dilectio Dei, et vera obedientia, de qua saepe alias dicitur, ut Esaiae 6.: Spiritus domini super me, eo quod unxerit me; et Colossenses 2.: In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Quare in eo vera iusticia est, et integra legis impletio. Ut autem de noticia Dei communicanda, sic et de communicanda iusticia loquitur Evangelista. Cum Christus noticiam Dei credentibus communicat per verbum et Spiritum sanctum, etiam iusticia nova efficitur in cordibus credentium. Cum enim agnito peccato et damnatione nostri, agnovimus etiam per Evangelium misericordiam Dei remittentis peccata, liberantis nos a damnatione, recipientis, adiuvantis et salvantis nos, incipimus eum invocare, et nos ei subiicere, et eum diligere, sicut Rom. 8.

dicitur: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Item, Ierem. 31.: Dabo legem meam in corda eorum. Item Zach. 12.: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Vocat Spiritum sanctum spiritum gratiae, id est, quo confirmantur corda, ut agnoscamus, nos esse in gratia, Deum esse nobis propicium. Vocat et spiritum precum, quo corda impelluntur ad veram invocationem, quae est praecipuus cultus, et initium obedientiae.

Estque antitheeis consideranda in hoc dicto. Totum reliquum genus humanum sine Christo est sub peccato, et reum irae Dei, non est acceptum Deo, sed recipiuntur credentes propter filium. Est et plenum tenebris et mendacio, id est, est sine luce et noticia firma Dei, manet in dubitatione, ac fugit Deum aut ei irascitur, multo minus diligit Deum iudicantem et punientem, et onerantem hoc imbecille genus tantis aerumnis. Deinde etiamsi quae est externa disciplina in aliquibus, haec nondum est vera iusticia, sed hypocrisis sine noticia et conversione ad Deum. Ut quamvis Atticus est honestus vir, tamen de providentia dubitat, et voluntatem habet aversam a Deo, nec vere timet, nec diligit Deum: sed confidit humanis praesidiis, humana sapientia, non confidit Dei auxilio. Haec antithesis diligenter considerata, nonnihil illustrat vocabulum veritatis, ac paulo post repetenda erit.

Ioannes testatur de ipso et clamitat, dicens: Hic erat de quo dixi.

Aliquoties citat Ioannis Baptistae conciones, ut et testimonia eius nos confirment, et doctrina erudiat. Plurimum enim valere debet testimonium eius viri, qui de coelo vocem aeterni patris audivit, dicentis de Christo: Hic est filius meus dilectus. Vidit et Spiritum sanctum descendentem ad Christum. Hoc miraculum omnium Prophetarum miranda facta superat, quia hic tres personae divinitatis illustri discrimine se patefecerunt. Fuit igitur gravissima causa, cur testimonium Ioannis recensendum duxerit, atque utinam plures et longiores eius conciones recitasset. Complectitur autem dictum Baptistae praecipuos articulos, de persona Messiae, de beneficiis, de discrimine Mosi et Messiae.

Prima pars loquitur de persona. Is qui post me venturus est, id est, functurus officio suo. Ante me est, id est, praestantior vocatione, et gloria seu potentia, et additur ratio: Quia prior me est, id est, primus, propter quem Deus Ecclesiam et elegit, et salvare vult, et qui primus fuit adiutor et liberator omnium electorum, Adae, Noë, Abrahae, et aliorum. Hanc iudico simplicissimam esse sententiam. Alii particulam ἔμπροσθεν intellexerunt, coram me est, quam interpretationem non reprehendo, sed serie orationis moveor, ut alteram sententiam sequar. Testatur ergo Baptista Messiam antecellere vocatione et potentia. Quia vocatus est non solum ut sit doctor, ut caeteri ministri, sed ut fiat propiciator pro genere humano, et antecellit potentia, quia dat Spiritum sanctum et vitam aeternam.

Additur autem: Quia prior me est. Id recte ad aeternitatem refertur, seu initium Ecclesiae: ideo Messias antecellit, quia primus est propter quem Deus elegit Ecclesiam, ut supra dictum est, et fuit efficax inde usque ab initio in Ecclesia. Admirando consilio propter eum aeternus pater recepit lapsos primos parentes, et vocem Evangelii primam edidit, cum primi parentes oppressi essent morte, nec possent aliud cogitare, nisi iam se in aeterna ira mansuros esse. Hic cogitemus qualis dolor, quae cogitationes fuerint primorum parentum. Hos in tanta moesticia, propter filium, aeternus pater rursus erexit, hanc liberationem et reliquas mirandas liberationes significat Baptista, cum ait: Primum esse hunc dominum, scilicet, propter quem Ecclesia electa est, et salvatur. Id declarat sequentibus verbis.

Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.

Non tantum antecedit caeteris Messias, ut Moses antecelluit Samueli, aut aliis, neque tantum docet Messias caeteros, sed est propiciator et vivificator, missus est ut sit victima, et mereatur nobis reconciliationem. Item ut sit efficax, det Spiritum sanctum incoantem in credentibus novam lucem, et vitam aeternam, et resuscitet mortuos, ac donet vitam aeternam. Hanc vocat plenitudinem, id est, meritum reconciliationis, et potentiam seu efficaciam. Ex hoc merito et efficacia omnes accepimus. Nota est vis particulae universalis in excludendo in hanc sententiam. Omnes qui insticiam et vitam aeternam accipimus ab hoc uno accipimus, non ab alio. Complecti-

tur igitur universam Ecclesiam, sic Adam, Noë, Abraham, Moses et reliqui electi omnes salvati sunt, haurientes ex hoc fonte, id est, ex hoc merito, et ex potentia eius, id est, propter hanc victimam consecuti sunt reconciliationem, et ipse fuit in eis efficax, dedit eis Spiritum sanctum incoautem novam lucem, et vitam aeternam in ipsis.

Hanc ipsam esse sententiam testantur verba sequentia: Gratiam pro gratia, id est, reconciliationem nostri pro amore erga filium. Sicut ad Ephes. 1. sriptum est: Elegit nos in ipso. Item: Dilexit nos in dilecto, id est, propter filium dilectum. Sed haec non legamus et audiamus otiosis animis, sed accedat fides seu fiducia, quae sustentet nos in veris pavoribus, intuens in filium Dei, et ex eius plenitudine, merito et potentia hauriens. Et cum statuemus ab aeterno patre vere diligi, statuamus et nos propter eum vere diligi, recipi, exaudiri, et salvari, etiamsi sumus indigni. In tali exercitio fidei, et consolatione, et invocatione, dulcescent nobis haec dicta, et clarius intelligentur. Sum autem brevior in his, uberrimis dictis enarrandis, quia eaedem sententiae saepe repetentur, ut mox in collatione Mosi et Messiae.

Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.

Hic est insignis locus, tradens discrimen Legis et Evangelii, quod in Ecclesia maxime oportet existere. Ut enim Pharisaei imaginabantur se lege iustos esse, nec norant beneficia Messiae, sic multi in Ecclesia contendunt homines iustos esse operibus Decalogi et ceremoniis et Episcoporum, nec intelligunt beneficia Christi, et doctrinam fidei. Hae tenebrae multos errores complectuntur, quos necesse est refutari et explodi.

Primus error est imaginari quod homines possint legi Dei satisfacere.

Secundus, quod interior dubitatio de providentia, de ira Dei adversus peccata, de remissione, item securitas negligens iram Dei, diffidentia non assentiens promissionibus, non ardere dilectione, admirari sese, confidere propriis viribus et despicere alios, item vitiosa concupiscentia, non sint peccata, nec repugnent legi Dei.

Tertius error, quod externa disciplina sit insticia coram Deo.

Quartus, quod Christo detrahitur verus et proprius honos, iustificatoris et mediatoris.

Quintus, extinguitur tota doctrina de fide, et Deus accusatur mendacii, si confirmatur delirium, quod sit dubitandum de remissione peccatorum.

Sextus, pavidae mentes adiguntur ad desperationem, et tollitur certa consolatio, et portus conscientiarum.

Septimus, tollitur vera invocatio, quae non potest fieri, cum mens fugit Deum. Denique tota haec pharisaica imaginatio de lege, tantum est ethnica et rationalis doctrina, nec progreditur ulterius. Hos igitur tantos errores taxari oportere manifestum est, et de his Christus saepe dimicat cum Iudaeis, ut cap. 3. cum Nicodemo, cap. 8.: Si filius vos liberavit, vere liberi eritis. Et alias saepe. Idem agit Paulus ad Rom. et alibi, et Baptista haud dubie pluribus verbis haec exposuit.

Est igitur haec sententia in antithesi, dissimiles sunt personae, Moses et Messias. Moses tantum fuit doctor et politicus gubernator, non fuit propiciator, non sustulit peccatum et mortem. Messias vero non tantum est doctor, sed etiam propiciator, tollit peccatum et mortem, dat Spiritum sanctum et vitam aeternam, nec est politicus gubernator, ut vos Iudaei somniatis, sed habet longe aliud officium, est victima pro peccato, est perpetuus sacerdos et mediator inter Deum et homines, dat remissionem peccatorum, novam insticiam et vitam aeternam. Dixi de discrimine personarum.

Nunc discrimen Legis et Evangelii conspiciatur, quod ostendit textus, cum ait: Gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Verba erunt perspicua, si cogitabis Baptistam loqui de integro et consummato beneficio Christi. Gratia significat reconciliationem, qua in hac vita donatur nobis remissio peccatorum gratis propter filium Dei, non propter legem aut nostra merita. Veritas significat veram Dei noticiam, non captivam peccati, veram vitam, non captivam mortis, denique vera et aeterna bona, quae etsi incoantur in hac mortali vita, tamen post resurrectionem exhibebuntur integre. Donat igitur talem noticiam, iusticiam et vitam, quae tunc est sine errore, sine peccato, sine morte. Nominat igitur veritatem, vera et aeterna bona, ac facilius intelligi dictum Baptistae potest, cum illam consummationem aspicimus, quam si tantum de sanctis in hac mortali vita cogitemus, etsi, ut con-

stat, haec incoari necesse est in hac vita, hic gratiam apprehendimus, qua reconciliamur, et reputamur iusti, et sumus filii Dei, et haeredes vitae aeternae, etiamsi haeret adhuc in hac corrupta natura ingens moles peccatorum, incoari tamen et veram noticiam Dei, veram invocationem, veram iusticiam victricem peccati, et veram vitam victricem mortis, oportet. Fide statuimus Deum esse misericordem, nos propter mediatorem recipi, exaudiri, iuvari, salvari. Haec est nova lux ignota carni, et vincens dubitationem, et cum fides statuit de reconciliatione, iam vincit peccatum et mortem, et incipit Deum invocare vero motu, ad eum confugere, et expectare vitam aeternam.

Sed collatio est illustrior, si consummata beneficia opponantur legi. Christus donat novam lucem, qua sine ullo errore Deum intuebimur, donat iusticiam, quae sine ullo peccato erit, donat vitam aeternam prorsus liberam a morte, et fruentem aeterna laetitia in agnitione Dei. Quid simile adfert lex? Iusticia legis tantum est externa disciplina, id est, quaedam misera et immunda hypocrisis, captiva errorum ac dubitationis, peccati ac mortis. Nam si nihil audiat mens nisi legem, manet oppressa dubitatione multiplici, fugit Deum, non statuit se exaudiri, aut salvari, ut Saul fugit Deum. Ideoque nulla vera est invocatio in tali mente. Vincitur ergo in horrendo peccato, id est, quod Deum non agnoscit, nec invocat, vincitur et morte, quia dubitans ruit in desperationem et aeternam iram. Imo lex est ministerium huius irae, quia est vox ostendens iram Dei adversus peccatum, tantum clamitans, Deum irasci peccato, et nos accusans. Proinde longe alia est Evangelii vox, videlicet, annuncians gratiam et veritatem per Christum, id est, annuncians donari reconciliationem et vitam aeternam propter Christum mediatorem. Hanc vocem patefecit Christus ex sinu aeterni patris, ut mox dicet, nec attulit legem, quam voluit Deus promulgari per Mosen. Sic et Paulus inquit: Nunc iusticia Dei apparuit sine lege, id est, alia quaedam iusticia patefit, scilicet, reconciliatio gratuita, quam non docet lex, nec datur propter legem, sed propter filium mediatorem. Haec de discrimine Mosi et Christi, legis et Evangelii, diligenter observanda sunt, ne obruantur et obscurentur summa beneficia per filium Dei Ecclesiae donata, liberatio a peccato, et morte aeterna, ac donatio reconciliationis iusticiae ac vitae aeternae.

Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarravit.

Cohaeret haec particula cum proxima narratione, et magis declarat discrimen legis et Evangelii. Nam lex est doctrina insita mentibus humanis in creatione hominis, quae etiam post lapsum Adae non prorsus extincta est. Voluit enim Deus aliquam manere in nostris mentibus noticiam sui, ut maneret iudicium adversus peccatum. Hanc noticiam arguentem peccatum Paulus vocat Chirographum, quo condemnatur humana natura, rea irae Dei, et oppressa peccato. Nascitur ergo nobiscum qualecunque lumen, quod est noticia legis, hoc est, noticia praecipiens, quales nos esse oportebat, et quae sint facienda, quae omittenda, et iram Dei denuncians iis, qui non obtemperant. Haec noticia postea in Decalogo renovata est, ut vox de coelo testis esset, noticiam illam divinitus traditam, et mentibus nostris insitam fuisse, et simul eam in hac caligine nostra accenderet.

Sed ratio humana sine promissione divina prorsus ignorat voluntatem Dei de remissione peccatorum gratuita, et restitutione vitae aeternae propter filium. Haec sententia longe distat a voce legis, nec nascitur nobiscum, sed ut hic dicitur: Filius qui est in sinu patris, patefecit eam nobis. Multi, quia vident in ethnicis legibus aut scriptis multa honeste praecipi, disputant nihil interesse inter doctrinam Ecclesiae et ethnicam. Sed hi tota via errant, praecepta de moribus, seu leges congruunt, quia sunt naturaliter notae, sicut numerorum noticiae. At vox Evangelii de remissione peccatorum gratuita et restitutione vitae aeternae, fuit ignota ethnicis, et longissime distat a legibus. Haec observanda sunt, ut discernantur doctrinarum genera, quia confusio legis et Evangelii multos perniciosos errores parit.

Erit autem illustrius discrimen, si primos parentes post lapsum intueamur. Cum vocati essent in iudicium, norant legem, esse Deum, esse iudicem, et accusati senserunt pavores, quos nulla vox humana eloqui potest. Et quia de remissione peccatorum nulla promissio extabat, nihil aliud cogitare poterant, nisi se a Deo abiectos esse, ac mansuros in aeterna morte ac

aeternis poenis. Homines otiosi et securi non possunt existimare, quanta fuerit in primis parentibus haec consternatio, qui nihil audierant de remissione peccatorum, imo audierant magnam multitudinem spirituum, post lapsum, in aeternas poenas abiectam esse. Cogitemus igitur fuisse terrores longe maiores, quam qui verbis describi possint. Hic cum adesset legis noticia, deerat vox Evangelii. Quare admirando consilio decretum est, ut filius Dei missus ad homines, indueret humanam naturam, fieret victima pro genere humano, et restitueret nobis vitam aeternam. Hoc admirandum consilium aeterni patris tunc quoque filius ipse enarravit primis parentibus, ac edidit promissionem de futuro semine, ac futura liberatione a peccato et morte. Haec est prima Evangelii revelatio prorsus extra naturale iudicium posita, quae quidem et tunc a filio Dei facta est, et postea saepe repetita in colloquiis cum patribus. Et tandem sonuit per eum, cum induta carne palam promulgavit Evangelium.

Ex hac collatione discamus discrimen inter Legem et Evangelium. Deinde et gratias agamus Deo, quod hoc mirabili consilio per filium liberavit genus humanum ab aeterna ira. Et haec est sententia concionis in textu. Discrimen legis et Evangelii declarare voluit, et testari Evangelium per filium Dei nobis revelatum, nec esse doctrinam nobiscum nascentem, ut sunt doctrinae ethnicis notae, legum sapientia, aut numerorum et figurarum noticia. Sciamus igitur singulari et inenarrabili bonitate traditum hoc verbum, et missum filium, ne genus humanum periret, sicut diaboli perierunt.

Haec est summa verborum in textu. Nunc breviter verba consideremus: Deum nemo vidit unquam. Cum hoc loco textus quaerat, quomodo haec voluntas Dei agnita sit, quod voluerit Deus restituere genus humanum, et quomodo placari iram suam voluerit, non est opus disputatione de visione essentiae, sed satis est hoc constituere. Deum nemo vidit unquam, id est, hanc arcanam voluntatem de salvando humano genere, et de modo salvationis nemo vidit. Vident Deum angeli, sed hoc arcanum decretum non norant, priusquam filius protulit. Mentes humanae aliquo modo norunt Deum, norunt legem Dei, sed voluntas de salvatione prorsus est extra conspectum humanae rationis.

Haec est simplex, et quantum iudicare possum, propria interpretatio huius textus. Quod enim alii hic quaerunt, cur dicat textus, Deum nemo vidit? cum tamen Moses viderit? Non est opus hac disputatione. Nam voluntatem de salvando genere humano Moses dedicit ex promissionibus, quas acceperat a patribus, nec primus protulit eas ex aspectu, quo vidit Deum, nec disputo nunc quomodo aut quantum Moses viderit, certe illam inscrutabilem voluntatem nec angeli, nec patres, nec Moses videre potuerunt, antequam per filium voce promissionum patefacta est, et Exo. 37. clare dicitur: Faciem meam videre non poteris, sed et filius inquit, Matth. 11.: Nemo novit filium, nisi pater, nec patrem quis novit, nisi filius, et cui voluerit filius revelare.

Propria haec filii gloria est perfecte novisse patrem, quia est imago patris. Lucet ergo in filio decretum voluntatis divinae, de miranda salvatione generis humani. Nostra pectora duriora Caucasi rupibus et frigidiora glacie non possunt cogitare, qualis fuerit ira patris adversus peccatum, qualis deliberatio de victima et de remissione. Cogitamus Stoico more haec ita quasi fatali necessitate accidisse, non cogitamus veram et ardentem iram, et veras deliberationes fuisse. Sed textus hoc loco vult nos admonere, ut cogitemus veram fuisse iram, et admirandum opus misericordiae esse, quod decretum est, ut filius fieret victima et salvator.

Filius qui est in sinu patris, id est, intima patris penetrans, perfecte introspiciens patrem, sicut antea dictum est, uni filio perfecte notum esse patrem. Ipse enarravit, videlicet non primum tunc cum indutus humana natura in Iudaea docuit, sed enarravit inde usque ab initio voce filii, Adae, Evae, Abrahae, Isaac, Iacob, Mosi et aliis Prophetis sonuerunt promissiones. Unius filii legatio haec est de hac ingenti misericordia primum concionari, et hoc decretum arcanum de salvatione, de abolendo peccato, de vita aeterna, patefacere. Ergo et initio promissiones tradidit, et postea natus ex virgine, eas illustravit.

Diligenter autem observandum est ipsum vocabulum enarravit. Alligat nos ad hoc ipsum verbum, quod exhibuit filius patribus, Prophetis, Apostolis, per hoc verbum vult agnosci Deum, per hoc verbum testatur aboleri peccatum, et in-

coari vitam aeternam, sicut et postea dicitur cap. 16.: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est, Non pro eis rogo tantum, sed et pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me. Haec est propria Ecclesiae sapientia, non humanis opinionibus quaerere de Deo, aut de Dei voluntate, sed agnoscere eum per verbum, et statuere quod certo sit efficax per verbum suum, certo praestet ea, quae in verbo suo promisit. Sicut Paulus inquit: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Haec sententia uberrimam consolationem affert piis. Nam humanae mentes facile vagantur extra verbum Dei, requirunt testimonia alia de Deo, alias illuminationes, facile dubitant, an praestentur res tantae, quae in promissionibus monstrantur. Ideo necesse est erudiri eas, de usu et efficacia verbi Dei. Porro summa huius loci est, discernendam esse legem ab Evangelio, ut supra dixi. Ac legem esse naturalem noticiam, sed Evangelium esse aliud mirandum consilium ignotum humanae rationi, de salvatione generis humani, patefactum ab initio in Ecclesia per filium Dei, et mirandis testimoniis confirmatum.

Et hoc est testimonium Ioannis, cum Iudaei miserunt sacerdotes, etc.

Addit aliam narrationem de Ioanne, ut ostendat eum saepe testatum esse de Messia. Suntque testimonia Ioannis, Ioseph, Pastorum, Magorum, Simeonis, et aliorum perscripta, ut nos confirment. Etsi enim ea, quae geruntur in Ecclesia, non perinde incurrunt in oculos, ut Alexandri et Caesaris pugnae, tamen Deus vult Ecclesiam esse aliquem coetum, ac testes esse certos magnarum rerum quae geruntur. Sic inde usque ab initio certis testimoniis verbum propagatum est. Adam et Eva testati sunt de conditione, item de lapsu, et de datis promissionibus. Sic et deinceps aliqui semper spectatores, et testes fuerunt propagati verbi divini. Atque haec de testimoniis monuisse satis sit.

Nec opus est hic declamare de constantia Ioannis. Alia quaestio agitanda est, quae et occasionem legationi praebuit. Cum Ioannes articulum novum maximi momenti traderet, videlicet de tempore adventus Messiae, item mutaret genus doctrinae, reciperet gentes, secederet a templo, omitteret mactationes in lege mandatas, cum quidem esset natus genere sacerdotum, institueret et novam ceremoniam baptismi, qua fiebat schisma et distractio populi. Denique cum discederet ab ordinaria potestate, et multa contra eam diceret et faceret, magna ac gravis causa fuit pontifici et sacerdotibus interrogandi, qua autoritate Ioannes tantam mutationem in Ecclesia faceret, ut nunc disputari solet, cur ab ordinaria potestate discedamus, cur mutationem in Ecclesia, non mediocrem, faciamus. Fuit igitur novitas illa et species schismatis causa legationis.

Haec disputatio praecipua est, liceatne aliquando discedere ab ordinaria potestate, et mutare doctrinam, et ritus in Ecclesia. Unam rem omnium acerrime oderunt maximeque detestantur viri politici, videlicet mutationem legum, quae desertionem ordinariae potestatis, seditiones et discordias gignere solet, quae sunt exitio omnibus imperiis et civitatibus. Hinc sunt illae voces Platonis, ut parentum deliria, ita quaedam gubernatorum vitia toleranda esse: et in hanc sententiam a sapientissimis viris plurima gravissime disseruntur. Transferuntur hi politici sermones ad Ecclesiam, et quidem exaggerantur, magis parcendum esse dicunt Ecclesiae, quod dissidia in Ecclesia plus periculorum conscientiis afferant, et difficilius sanari possint.

Etsi autem hi politici sermones suum habent locum, tamen sciendum est, hanc gubernationem longe dissimilem esse humanis imperiis. Habemus regulam quatenus ordinariae potestati in Ecclesia parendum sit, et quando adversari necesse sit. Generalis regula est et immutabilis: Quandocunque gubernatores Ecclesiae tradunt impiam doctrinam, necesse est eis adversari, refutare impiam doctrinam, profiteri ac proponere veram. Haec regula sumitur ex primo et secundo praecepto: Non habebis deos alienos. Item: Non usurpabis nomen Dei vane. Item ad Galat. 1.: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Etsi igitur politici viri aegre ferunt turbari concordiam, tamen si ordinaria potestas dissentit a veritate, necesse est anteferri veritatem. Haec regula in genere praecipit omnibus docentibus hanc fidem, ut Paulus inquit: Hoc requiri, ut fideles simus. Quare etiamsi Ioannes tantum in communi vocatione serviisset, tamen errores synagogae taxare eum oportuisset, ut taxabant haud dubie tunc Zacharias, Simeon et alii.

Sed alia quaedam est peculiaris vocatio prophetica, qua Deus insignes mutationes efficit, ut

cum Mosen excitat, ac novam politiam Israël constituit. Item cum postea excitat Samuelem, Eliam, Elisaeum, Ieremiam, qui omnes contra ordinariam potestatem maximas res moverunt. Nam et doctrinam prius traditam renovaverunt, et certas res alias singulari mandato egerunt, vocaverunt reges, et quosdam excusserunt. Habuerunt enim singularem vocationem, singularia mandata et testimonia divina. Sic Deus subinde renovat Ecclesiam, et ostendit eam non regi tantum humanis consiliis aut ordinationibus. Ideo scriptum est: Ascendit, dedit dona hominibus, alios quidem Prophetas, alios Apostolos, etc. Ac fremant quantum volunt ordinarii gubernatores, tamen Deus sua ingenti misericordia pluris facit Ecclesiam, quam ordinariam potestatem. Mittit enim meliores gubernatores et doctores, Mosen, Eliam, Elisaeum, Ieremiam, ut Ecclesiam collapsam scelere ordinariae potestatis rursus instaurent.

Talis fuit et Ioannes, hic singularem vocationem, singulare mandatum, et singularia testimonia habuit. Huic vocationi et mandato parere necesse fuit, et quia singularia testimonia habuit, necesse fuit assentiri eius doctrinae. Erant autem testimonia, quod patri Zachariae voce angeli hic filius promissus fuit, quod natus ex sterili et effoeta matre, et quod patri ademtus est et redditus sermo, quod pater vaticinatur de adventu Messiae.

Deinde ipse Ioannes confirmatus est illustri testimonio, nec ulla describitur tantae rei revelatio, nec in Patrum aut Prophetarum visionibus, ut in visione Ioannis, de qua quidem ipse inquit: Ego vidi, et testis sum. Ostendit se Ioanni tota divinitas, ita ut personarum discrimen conspiceretur. Aeternus pater coelo aperto sese patefaciens vocem sonat, qua de filio testatur. Filius coram in Iordane aqua perfunditur, descendit Spiritus sanctus visibili speciei. Mentes, cum res tantas audiunt, imaginantur fuisse otiosum spectaculum, et curiositate quadam mirantur. Sed sciamus singulari Dei consilio hanc revelationem exhibitam esse, et magnas fuisse causas. Plurima Ioannes didicit in hac tanta revelatione, de quibus postea et caeteros erudiit. Quanquam igitur Ioannes non dicitur fecisse miracula, scilicet, ut caeteri in corporibus hominum, aut in politica gubernatione, tamen doctrinae testimonia tam miranda et illustria habuit, ut non fuerint inferiora testimoniis Mosi et Eliae.

Quanquam autem pios et Ioannem haec testimonia confirmabant, quae quidem cum publice praedicarentur, etiam adversarios flectere debebant, tamen interrogatus ab adversariis, allegat dictum Prophetae Esaiae, ut ostendat se etiam ex verbo Dei testimonia suae vocationis habere, ac divina autoritate concionari. Audiverant iam Pontifices et Levitae ex patre Zacharia, hunc Ioannem praenuncium fore Messiae, et legerant apud Malachiam de angelo praecessuro salvatorem. Ita et Esaias concionatur de voce clamante in deserto. Haec dicta prophetica congruebant cum caeteris testimoniis Ioannis. Quare oportuit Ioannem servire suae vocationi, et audire eum omnes debebant. Nec poterat obiici, quod schismatis autor esset, et quod in populo seditionem moveret, et sine autoritate divina novos cultus institueret ac legis autoritatem minuerit. De his tantis rebus cum eo expostulabant adversarii. Haec fuit legationis causa et summa, ut nunc hypocritae quaeruntur, nos discedere ab ordinaria potestate, esse schismatum et novorum dogmatum autores.

Sed nobis facilior est responsio, quam Ioanni. Quia Ioannes erat autor novi ritus baptismi, et recipiebat gentes, et sacrificia negligebat, quae tamen iure divino tradita erant. Nos vero scimus post promulgationem Evangelii non instare aliud verbum, sed simpliciter vocem Evangelii retinendam esse, donec se palam mundo rursus ostendat filius Dei. Hoc mandatum de filio: Hunc audite, prorsus immutabile est. Quare si qui pugnantia cum Evangelio docuerunt, aut docent, quocunque tempore, refutandi sunt, et pura vox Evangelii retinenda. Hoc est generale mandatum ad omnes sine ullo discrimine, pertinens. Ideo facile possumus diluere crimen schismatis, sed venio ad textum.

Cur, inquiunt, baptizas, si non es Christus, nec Elias, nec Propheta? Quasi dicant: Cur novum ritum instituis, quod nulli licet nisi Messiae, aut fortassis Eliae praecessuro Messiam, ut in Malachia scriptum est, aut alicui simili Prophetae praecessuro Messiam. Ioannes sine ambiguitate respondet, ac simul quid non sit, exponit, et commemorat in qua vocatione versetur, et quae sit suae doctrinae summa. Primum negat se esse Messiam, et saepe discernit suam personam officium, a persona Messiae, et beneficiis,

ut supra dictum est, et paulo post idem locus repetetur. Deinde negat se esse Eliam: etsi enim nomen Eliae tribuitur Ioanni in Malachia, tamen pontifices expectabant ipsum Eliam, et quidem belligerantem cum tyrannis, et depellentem Romanos, talem se Eliam esse negat.

De tertia quaestione plura disputantur, cur se negarit Prophetam esse, et dicunt quidam interrogari non in genere, an sit Propheta, sed de certo Propheta praecessuro Messiam. Nam in textu articulus additur: Es tu Propheta ille? Sed sive in genere de Propheta interrogant, sive de certo Propheta, non magnum discrimen est. Et quanquam plaerique dicunt modestiae causa non velle recipere titulum Prophetae, tamen cum de vocatione respondeat, non voluit hic miscere ironias aut occultationes. Ingenua confessio est. Pontifices Prophetam intelligebant, non solum doctorem Evangelii, sed gubernatorem politicum, quales fuerunt Samuel, Elias, Elisaeus, Ieremias, et alii. Volebant audire, an promitteret se recuperaturum libertatem regni depulsis Romanis, hic respondet se non esse Prophetam, id est, politicum gubernatorem. Christus Matth. 11. dicit, eum antecellere Prophetis, quia maius est officium vocem Evangelii tradere, per quam Iudaei et gentes salvantur, et quidem aperte gentes recipere et monstrare Christum, quam tueri politiam Israëlitarum, ut fecerant Samuel, Ieremias, et similes. Haec est simplicissima enarratio de Propheta in hoc loco: Nec sine causa haec recensentur in textu. Monemur enim ut discernatur ministerium Evangelii a vocatione prophetica. Ioannes non constituit novam politiam, non gerit gladium, non ungit reges novos, ut Samuel et Elisaeus, sed tantum vocem Evangelii affert, qua Deus Ecclesiam condit, et recipit credentes. Hoc discrimen retinere multum refert, sed legati imaginantur, nullam eum autoritatem habere, si politicam non habeat. Ideo contumeliose inquiunt: Cur baptizas? si nec es Christus, nec Elias, nec Propheta? Refutat eos Ioannes, et significat enumerationem eorum non esse integrum: Imo, inquit, habeo autoritatem, etiamsi non Propheta, sum enim minister vocis Evangelii. Habeo igitur ministerium, non politicum, sed quod servit novae et aeternae iusticiae et vitae. Addit igitur dictum Esaiae, quo simul docet, quale sit suum ministerium, et monet, ut ipsum audiant, quod sit is, quem ibi Propheta audiendum esse significaverit, tanquam testem adventus Messiae.

Ego sum vox clamantis in deserto.

Diserte ait se vocem esse, ut significet se tantum habere ministerium docendi, non esse ducem, aut politicum gubernatorem, qualis fuit Samuel et Elisaeus. Summa vero doctrinae, etsi in dicto Esaiae continetur, tamen concionibus Ioannis clarius expressa est.

Parate viam Domino.

Id est, agite poenitentiam. Nam parare viam est venienti domino sese tanquam viam exhibere, in qua excipi possit. Hi qui defendunt sua idola aut alia vitia, non parant viam domino, sed arcent venientem Messiam, contemnunt eum, non expetunt beneficia eius, sed derident remissionem peccatorum et novam iusticiam, ac vitam aeternam. Est ergo parare viam domino proprie, agere poenitentiam, agnoscere peccata, expetere venientem liberatorem, qui tollit mala nostra. Haec ita declarantur in Esaia: Omnis caro foenum, et omnis gloria eius, quasi flos agri, id est, agnoscite humanam naturam subiectam esse peccato et morti, nec posse liberari sapientia aut iusticia propria. Quare expavescamus agnitione nostrarum miseriarum, et excipiamus venientem liberatorem. Sicut ibi dicitur apud Esaiam: Ecce dominus Deus in fortitudine veniet, sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu levabit, et lactentes ipse portabit. Hanc concionem interpretatur Baptista, primum clamat, ut agamus poenitentiam. Deinde monstrat Messiam, sicut hic inquit: Medius vestrum stat, etc. Item: Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Recitavit igitur testimonium de vocatione sua, et doctrinae summam.

Ego baptizo aqua.

Antea ostendit se divinitus ad hoc munus vocatum esse, et significavit discrimen esse suae vocationis, et priorum Prophetarum. Nunc magis declarat discrimen suae personae et Messiae, et huc addenda sunt membra concionis, quae extant apud caeteros Evangelistas. Messias solus baptizat Spiritu sancto, id est, filius Dei dat Spiritum sanctum, ac novam ac perpetuam lucem, iusticiam et vitam efficit in credentibus, et ignem,

id est, iudicium ac sensum irae Dei adversus peccatum, in quo alii convertuntur, et fide erecti salvantur, alii opprimuntur aeterna morte. Et haec fiunt per vocem externam ministrorum, sed tamen fiunt potentia Messiae, qui dat Spiritum sanctum, non fiunt potentia caeterorum ministrorum. Nos vero caeteri ministri baptizamus aqua ad poenitentiam, id est, sumus ministri vocis Evangelii, et Sacramenti seu signi, quod est testimonium, quo Deus significat hanc humanam naturam per Evangelium mergi in mortem, ac agnitionem peccati, et ablui, ac donari nova iusticia et vita. Unus est Messias dator Spiritus sancti, accendentis ignem in cordibus nostris, id est, ostendentis iram Dei adversus peccatum, ac rursus in consolatione incoantis novam et perpetuam iusticiam ac vitam. Sed haec fiunt per vocem externam, quae sonat per ministerium Ioannis, Apostolorum, et omnium recte docentium in Ecclesia. Ut enim Ioannes suam personam discernit a Messia, sic ab uno Messia discernit omnes ministros vocis evangelicae, Apostolos ac caeteros recte docentes.

Hic quaeri solet, quid intersit inter baptismum Ioannis et Apostolorum, et sequentium ministrorum Evangelii. Non est difficilis responsio nobis intelligentibus officium Ioannis. Verum est, discernendam esse personam Messiae a ministris, ut iam dictum est, tamen ministerium Ioannis et sequentium doctorum novi testamenti, significationem et effectum eundem habet. Ioannes enim est incoator praedicationis Evangelii. Sub initium novi testamenti audita voce Ioannis, senserunt electi iram Dei adversus peccatum, ac expaverunt, et rursus credentes voci monstranti, acceperunt remissionem peccatorum, et incoata est in eis nova et perpetua iusticia. Eadem fiunt in concione Apostolorum, et sequentium, usque ad finem mundi. Ideo in Luca dicitur: Praedicans baptismum poenitentia ad remissionem peccatorum, quasi dicat: Ioannis concio non erat inanis sonitus, sed Deus voluit esse efficax per vocem Ioannis, quem voluit esse testem de Messia nato et incoatorem praedicationis Evangelii.

Paulo aliter scripserunt de discrimine ministerii Ioannis et Apostolorum Longobardus et eius interpretes, sed sententia quam recitavimus vera est. Nec imaginandum est, Ioannis vocem tantum fuisse testimonium humano more, qualia in foro dicuntur. Haec imaginatio nimis profana est. Sed sciendum est res magnas, et ad vitam aeternam pertinentes in Ecclesia geri. Deus voluit per Ioannis concionem monstrare Messiam, et de eo testimonia tradere, voluit et rursus colligere aliquam Ecclesiam, et voce Ioannis ei vitam aeternam impertiri. Haec plurimum differunt a forensibus testimoniis, et de his mirandis operibus Dei in Ecclesia longe aliter sentiendum est, quam de negociis profanis. Dixi breviter de quaestione communi, de qua in 4. libro Longobardi quaedam absurde dicuntur, de quibus non difficile est indicare, intelligenti vim ministerii Evangelii, sed pergo, quod in textu dicitur: Qui prior me est. Interpretor ut supra de praestantia vocationis et potentia, prior me est, id est, antecellit me vocatione et potentia. Messias primum vocatus est, et antecellit omnibus potentia, quia ipse est redemtor, salvator, et dator Spiritus sancti, et novae ac perpetuae iusticiae ac vitae. Quod additur: Cuius non sum dignus solvere lorum calceamenti, figura est, qua Ioannes significat se non esse dignum, qui sit illius minister; et usitate pedes, calcei, significant nuncios, hoc est, Evangelii praecones. Significat igitur se non esse dignum hoc tanto ministerio Evangelii, quod etsi spretum est in mundo, tamen reipsa nulla functio maior est. Nec dubitemus Deum adesse huic functioni, eamque mirabiliter gubernare, et adversus diaboli et mundi odia tueri. Multa hoc loco breviter Ioannes de magnitudine ministerii significat, quae pio lectori cogitanda sunt. Nam recitate omnia in enarratione, nimis longum esset.

In fine loci mentio fit, ubi haec gravissima disputatio cum legatis habita est. Haec facta sunt, inquit, in Bethabara, non displicet coniectura eorum, qui putant legendum esse Betharaba, id est, domus deserti, quod videtur fuisse nomen alicuius vici in deserto, et idem nomen loci est in historia Iosuae cap. 15. Significat autem quale Ioannis domicilium fuerit, et admonet Ecclesiam et pios doctores habere hospitia qualiacunque in deserto, et perpeti exilia, non tenere regias sedes aut opes. Qui retinent alteram lectionem, Bethabara, dicunt significari transitum seu traiectum, hoc enim sonat vocabulum Abara, quod Ioannes tali loco ad Iordanem baptizarit, ubi cum esse traiectus, quotidie convenire soliti sint multi, qui per flumen transvehi vellent, etc.

Ecce agnus Dei.

Diligenter conferamus omnes conciones Ioannis. Nam et doctrinam poenitentiae proponit, severissime arguens peccata, contemtum Dei, hypocrisin, et alia vitia, et clare proponens aeternas poenas omnibus qui contemnunt iram Dei, et non credunt in Messiam. Deinde addit Evangelium de officio Messiae, quem ait victimam esse pro peccato, ut haec verba docent: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Praedicat et remissionem peccatorum, et iusticiam fidei claris verbis cap. 3.: Qui credit in filium, habet vitam aeternam, qui autem non credit filio, ira Dei manet super eum. Hae conciones valde novae erant Pharisaeis, qui Messiam expectabant, non crucifigendum, sed occupaturum imperia mundi, partiturum provincias. Nec iusticiam fidei norant, sed somniabant se lege iustos. Cum igitur tantae essent in Ecclesia tenebrae, Deus lucem verae doctrinae rursus accendit per Ioannem. Fuit igitur excellens vocatio, et vere maior prophetia, quia missus est Ioannes ad ingentes errores, qui in Ecclesia grassabantur, corrigendos.

Dixi eum tradidisse doctrinam de poenitentia, de aeternis poenis impiorum, de officio Messiae, de remissione peccatorum, de iusticia fidei, et vita aeterna. Monstrat etiam ipsum Messiam natum, et iam versantem inter homines, ut Ecclesia sciret exhibitas esse promissiones, vocavit gentes ad societatem Evangelii et beneficiorum Messiae. Postremo etiam tradidit bonorum operum doctrinam, et erudiit singulos ordines hominum, milites, iudices, coniuges, et monstravit vera bona opera omissus ceremoniis hypocriticis, et tandem morte testatus est, se haec vere profiteri propter Deum, et expectare a Deo testimonium in vita aeterna. Haec recensui, ut cogitemus vocationem Ioannis ingens Dei beneficium fuisse, et videamus complexum esse totam doctrinam Ecclesiae. Addendum est et hoc, nullam tam claram revelationem traditam esse de tribus personis divinitatis, quanta haec est, quae describitur in baptismo Christi, ubi videt Ioannes aperiri coelum, audit vocem aeterni patris de filio, qui coram astabat, videt Spiritum sanctum descendere. Tantum igitur doctorem et testem audiamus, et eius conciones acerrimo studio meditemur, quae etsi breviter nobis sunt traditae, tamen universam Ecclesiae doctrinam complectuntur. Haec praefatus sum, ut studiosi admoniti coniungant, et conferant omnes Ioannis conciones, et integram doctrinam quaerant.

Nunc vero de una particula dicemus, quae et ipsa magnam partem Evangelii complectitur, et taxavit multos Pharisaeorum errores: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Particula: Ecce, monstrat personam, et discernit hunc monstratum ab omnibus aliis hominibus, quasi dicat: Hunc intuemini, hic solus est Messias et Salvator. Agnus metaphora est victimae. Hic est agnus, id est, victima. Sumit enim appellationem agni ex ceremoniis patrum, et Leviticis, in quibus fuerat usurpata mactatio agni, ad significandam hanc victimam, scilicet Messiam: quia enim Deus instituerat certas mactationes, et volebat vocari oblationes pro peccatis, intelligebant patres restare aliam victimam, cuius vera obedientia esset subitura nostras poenas, et placatura iram Dei. Nec existimetur nomen victimae rem levem significare, nihil tristius dici potest. Significat enim rem, in quam Deus exerit, seu effundit iram suam, qua ardet adversus peccatum. Est ergo res rea irae Dei, et destinata morti, seu exitio, propter iram Dei adversus peccatum. Sic apud Paulum Christus dicitur peccatum, seu maledictum. Eodem modo et Esaias loquitur cap. 53.: Quia ponet animam suam peccatum, id est, hostiam pro peccato, videbit semen longaevum.

Est ergo in appellatione agni non tantum innocentiae et patientiae metaphora, ut indocti putant, sed alia, rem maximam et arcanam significans, videlicet metaphora victimae, sustinentis veram, ingentem et ineffabilem iram Dei, qua aversatur peccatum in natura humana, et destinata ad exitium. Huius irae magnitudinem humani animi stupor non potest assequi cogitando. Sed serio irasci Deum statuamus, cum sit mens liberrime agens, et vere aversans peccatum. Quare horribiliter declarat suum iudicium, et indignationem adversus peccatum, in poenis diaboli, et humani generis infinitis. Hactenus de appellatione agni, seu victimae, breviter dixi.

Nominat autem agnum Dei. Haec descriptio etiam singulari consilio addita est. Caeteri agni mactati a patribus aut sacerdotibus etsi erant typi, tamen non erant a Deo consecrati et uncti, ut fierent victimae, nec peculiariter ad hoc donati nobis erant, ut fierent hostiae. Postremo nec sen-

tiebant, nec placabant iram Dei, nec poterant tollere peccatum et mortem. Erant igitur agni sacrificantium, id est, ab ipsis electi, typi et imaginis causa, ut alii admonerentur, non ut hac mactatione placaretur Deus: Sed solus Messias est *Dei* agnus, hoc est, inenarrabili Dei consilio constitutus, ut fieret victima, et ad hoc consecratus atque unctus, missus, ac donatus nobis, ad hanc ipsam rem, sensit iram *Dei*, et solus est placator, ac impetrat deleri peccatum et mortem, ac restitui nobis iusticiam, et vitam aeternam. Haec collatio indicat graves et magnas causas fuisse, cur Ioannes sic locutus sit, et hunc agnum a *Deo* constitutum, consecratum, unctum, sentientem iram *Dei*, et placatorem discernendum putarit a caeteris victimis, quae etsi erant typi, tamen a Deo non erant proprie ad hoc munus constitutae, consecratae, aut unctae, nec senserant iram Dei, nec placaverant.

Simile est dictum Esaiae, quod videtur expressisse Ioannes. Ait enim Esaias diserte: Dominus voluit conterere eum. Item: Vidimus eum percussum a Deo. Item: Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, id est, Deus hanc victimam constituit, et declaruit irae suae magnitudinem adversus peccatum, quod alia nulla victima placari potuit nisi morte filii, et in hunc effudit iram adversus peccatum. Hic solus revera scit, quanta res sit peccatum, et irae divinae magnitudinem perspexit. Est ergo victima Dei, id est, sentiens iram Dei et placans Deum. Haec a piis diligenter cogitanda sunt, magnitudo harum rerum verbis explicari non potest. Est in ipsis verbis Esaiae in sua lingua singularis emphasis, sed pergo ad caetera.

Qui tollit peccatum mundi.

Apud Esaiam duo verba sunt: tollere et gestare, quae haud dubie expressit Ioannes: Vere languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit. Item: Iniquitates eorum ipse portavit, et rursus: Peccata multorum tulit. Nec dubium est altero verbo significari gestationem, ut onus nobis impositum gerimus. Ita inquit Esaias, Messiam sustinere et perferre poenas, quas pro peccato genus humanum ferre debebat. Altero verbo utrunque significatur, levare et auferre, nec dubium est Graecis id verbum, quo hic utitur utrunque significare, suscipere gestandum et auferre. Complectamur et nos utrunque. Nam etsi appellatione victimae, iam antea comprehensa est gestatio, tamen expeditior est expositio: Tollit peccatum, id est, sustinet poenam peccati pro toto mundo. Etsi enim non omnes accipiunt beneficium Christi, tamen pro omnibus facta est victima sufficiens, ut alias dicitur: Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, nec vero pro nostris tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi. Deinde quia finis immolationis est placatio et liberatio, complectitur et alteram significationem. Tollit peccata mundi, id est, aufert. Sic et infra loquitur in epistola: Ille apparuit, ut peccata nostra tollat, id est, auferat. Dicit autem diserte, peccatum singulari numero. Ebraica phrasi, pro universa damnatione. Tollit peccatum, id est, universam damnationem, videlicet inobedientiam generis humani, reatum irae Dei, mortem, et aeternas poenas. Hanc totam damnationem ait deleri a Messia.

Enarravi utcunque verba huius concionis. Iam necesse est conferri victimam hanc ad typos. Si hic solus agnus abolet peccata, quid igitur valebant victimae, de quibus lex praeceperat? His mactationibus Pharisaei putabant se mereri remissionem peccatorum, et fieri haeredes vitae aeternae. Hunc errorem et hic Ioannes taxat, cum testatur peccatum non auferri, nisi per hunc agnum. Non igitur poterat auferri, per victimas caeteras, et reprehenderat eundem errorem antea Esaias inquiens: Quia ponet animam suam hostiam pro peccato, videbit semen longaevum, id est, huius unius mors vere placabit iram Dei, et hic resuscitatus, restituet nobis vitam aeternam. Quare et Esaiae et Baptistae conciones testantur, in novo testamento illas mactationes Leviticas cessuras esse, exhibita vera victima.

Sed hic etiam doctrina de fide tenenda est, quomodo fiat applicatio sacrificii Christi, scilicet fide. De hac applicatione infra Baptista concionatur cap. 3.: Qui credit in filium, habet vitam aeternam; qui non credit filio, non videbit vitam, sed manet ira Dei super eum. Est autem fides, fiducia, qua statuimus Deum nobis placatum esse propter Christum, ut dicitur Rom. 5.: Per quem accessum habemus fide in hanc gratiam. Haec fiducia non nititur nostra dignitate, seu nostris virtutibus, sed ipso mediatore filio Dei. Hanc doctrinam de applicatione per fidem, necesse est hic complecti, quia adversarii, etsi hoc dictum admittunt: hic est agnus etc., tamen postea sepeliunt filium Dei, et dicunt, dubitandum esse, an simus

in gratia, aut dicunt, hominem iustum esse propter proprias virtutes: sed infra de eadem materia rursus dicetur.

Hic est, de quo ego dixi: Post me venit vir, qui ante me est.

Repetit testimonium, quo monstrat Messiam, quia ut supra dictum est, haec est eius vocatio, ut incoët novi testamenti praedicationem, et baptismum, monstret ipsum Messiam, et taxet errores Ecclesiae eius temporis, ut vocabatur. Supra autem declaravimus haec verba: Hic est vir post me venturus, de officio loquitur; quia Messias post Baptistam absolvit suum cursum, ad quem missus erat, concionatus est, et factus victima, et resuscitatus. Ante me est, id est, praestantior gloria et vocatione; quia vocatio Messiae longe superior est vocatione Ioannis: Messias est pretium pro genere humano, et salvator, Baptista est minister vocis Evangelii, ut Apostoli et caeteri fideles ministri.

Quia prior me erat.

Additur ratio, cur antecellat vocatione, quia primus est, propter quem elegit Deus Ecclesiam, tempore etiam antecessit et adfuit patribus, Adae, Noae, Abrahae, Mosi, et caeteris sanctis.

Et ego non noram eum.

De hac particula disputatur, quomodo haec conveniant. Ante baptismum norat Ioannes Messiam, cum diceret: Mihi opus est, ut abs te baptizer. Hic vero ait, se tunc demum agnovisse eum, cum vidit de coelo Spiritum sanctum descendentem super eum. Ea revelatio facta est mox post baptismum. Haec reprehensio historiae odiosa est, et nihil habet utilitatis. Sed potest brevissime responderi, quod haud dubie verum est, Baptistam aliqua insigni revelatione Spiritus sancti agnovisse Messiam quandocunque agnovit, etiam multo ante baptismum, cum antea non novisset, et loquitur de agnitione non tantum corporis, sed de agnitione, qua didicit esse filium Dei, habentem divinam naturam et humanam, et non mundanum regem futurum esse, sed sua morte redemturum esse Ecclesiam, et regnaturum in vita aeterna. Haec Ioanni divinitus monstrata sunt, et pluribus testimoniis confirmata, ut eius voce ac testimonio Ecclesia confirmaretur, sicut mox in textu additur.

Ut manifestetur Israëli, ideo veni ego baptizans aqua.

Quasi dicat: Meum ministerium divinitus institutum est, ut sim testis, quis sit Messias, et quale sit futurum eius regnum. Haec Deus vult patefieri Ecclesiae, vult extare certa testimonia, vult late spargi vocem Evangelii sui, vult agnosci filium, ut multi salventur. Maximae res sunt omnium, quae cogitari possunt, missio filii Dei, mors et resurrectio eius, redemtio generis humani: has tantas res Deus non vult clam in mundo sine certis et illustribus testimoniis fieri, tametsi aliter haec admiranda Dei facta et beneficia conspiciuntur, quam Alexandri aut Iulii victoriae. Nos igitur Baptistae testimonia et conciones diligenter consideremus, ad fidem nostram confirmandam, et adiungamus caetera testimonia, quae in evangelica historia recitantur, ut Mariae, Ioseph, Zachariae, Simeonis, Elizabeth, Annae et Apostolorum, horum omnium mentio fit, propter hanc ipsam causam, quae hic recensetur, videlicet, ut manifestetur Messias in Israël, et agnoscatur in tota Ecclesia.

Et testatus est Ioannes, dicens: Vidi Spiritum sanctum tanquam columbam, etc.

Brevis est narratio, sed non alia revelatio illustrior describitur de tribus personis divinitatis, Ioannes videt aeternum patrem, et testificantem de filio, cum ait: Hic est filius meus dilectus, videt et filium coram astantem, egressum ex aquis, videt et Spiritum sanctum, qui amplectitur filium specie columbae. Hic ergo discernuntur personae. Si Spiritus sanctus esset tantum motio creata in animis, non appareret singulari specie, extra mentes hominum. Haec tanta revelatio non sine gravissimis causis exhibita, et descripta est. Magis movemur promulgatione legis, cum in monte Sina inter tonitrua et fulgura sonuit vox Dei, edens Decalogum, et universa multitudo fuit spectatrix flammarum in monte, et sonantem vocem in monte magno cum pavore audivit. Haec incurrunt in oculos, haec signa sentimus exhibita esse, ut de Deo, et de lege certa testimonia haberemus, et indicamus omnibus denunciari iram contemnentibus legem Dei. Sic statuamus etiam de revelatione facta Ioanni. Etsi spectaculi pompa non est similis, quia Evangelii gloria alia est, quam legis, tamen ad totam Ecclesiam has revela-

tiones pertinere sciamus. Primum docet nos non obscure de tribus personis. Secundo indicat beneficia, et veros cultus monstrat, Pater mittit Filium, et iubet hunc audiri, testaturque hunc a se diligi, et datorem esse Spiritus sancti, per quem nova et aeterna iusticia in his, qui filium audiunt, fiet. Tertio, cultus verus est agnoscere hunc vere esse Deum aeternum, rerum omnium conditorem et conservatorem, ac volentem tollere peccatum et mortem, ac donare nobis vitam aeternam, qui est pater huius Messiae hic astantis coram Baptista, et invocare Deum hac fide, quod propter hunc Messiam, qui factus est agnus Dei seu victima, nobis remittat peccata, et sit daturus vitam aeternam, et quod hic Messias vere sanctificet nos Spiritu sancto suo, qui hic ipsum amplexus est, ut sciamus ex plenitudine eius omnes accipere, ut supra dictum est.

Haec, quoties invocamus, de tribus personis cogitanda sunt, propter duas causas, ut discernamus nostram invocationem a Iudaeorum et Turcarum invocatione, qui etiamsi dicunt se invocare Deum, tamen reiiciunt filium, non invocant hunc Deum, qui est pater Iesu Christi crucifixi pro nobis, et resuscitati. Deinde ut in invocatione existat fides, quod Deus vere velit nos exaudire et recipere propter filium, et quod invocantes vere velit regere et sanctificare Spiritu sancto. Intueamur ergo animis, cum dicimus precationes, in hanc ipsam historiam baptismi Christi, et de hoc Deo cogitemus, qui se patefecit hac voce de filio clamitans: Hic est filius meus dilectus, hunc audite; et hunc patrem huius Iesu Christi conditorem omnium rerum invocemus, et credamus eum propicium nobis esse propter filium, et petamus, ut nos sanctificet Spiritu sancto suo.

Qui hoc modo confirmant suam fidem ex testimonio Baptistae, idque in invocatione intuentur, hi intelligent magna de causa Ecclesiae exhibitum esse. Ut legis vox est testimonium de Deo, et de ira Dei adversus peccatum: ita haec revelatio est testimonium de Deo patre, filio et Spiritu sancto, et de misericordia et de salvatione.

Die crastino iterum stabat Ioannes.

Repetitio est superioris concionis de agno, et allegantur testes, qui hanc ipsam concionem audiverunt. Haec repetitio et allegatio testium confirmant Ecclesiam, ut certius statuamus, hunc Iesum natum ex Maria esse Messiam. Caetera quae de agno, id est, victima credi et cogitari vult Spiritus sanctus in his narrationibus, supra utcunque recensui.

Erat Andreas Simonis.

Confirmant testimonium et discipuli, qui postea comitati sunt Christum, Andreas, Ioannes, Simon, Philippus, et Nathanaël. Hi de diversorio quaerunt ut audiant docentem, deinde palam dicunt esse Messiam. Andreas inquit: Invenimus Messiam. Nec in narrationibus, nec in ipsis factis illa pompa est, quae magnitudini rerum convenire videtur. Talis est verae Ecclesiae species, sonat verbum, ostenditur agnus Dei, narrantur beneficia Dei, ut invocetur et celebretur Deus. Harum rerum vera gloria in hac vita non conspicitur, sed in vita aeterna conspicietur. Admoneat ergo nos haec narratio, Ecclesiam non in gradibus dignitatum consistere, sed esse coetum docentium et audientium verbum Dei, et testificantium de Christo, confirmantur testimonia et miraculis, Christus agnovit Simonem et Nathanaëlem antea ignotos, cum tamen nemo indicasset, qui essent.

Simoni attribuit nomen Cephae, quod ipse textus interpretatur rupem seu lapidem: id enim significat Graece πέτρος. Idque Iudaeorum vernacula erat Cepha. Hanc rationem appellationis legimus Matth. 16. vocari rupem, ipsum totum ministerium Evangelii, quod firmum, immotum ac perpetuum erit, et ubicunque vox Evangelii sonat, ibi erit Ecclesia, quae liberabitur a peccato et morte, nec manebit in vinculis peccati, et tyrannide diaboli. Ideo dicitur: Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Nec Turcae delebunt funditus Evangelium et Ecclesiam, et ubicunque est Evangelium, ibi erit efficax adversus diabolum, et credentes liberabuntur a peccato et morte, et erunt haeredes vitae aeternae. Quare etiamsi aliqua membra Ecclesiae trucidantur a Diocletiano et aliis tyrannis, et a Turcis, tamen reviviscent, et glorificabuntur. Nec totum corpus Ecclesiae in hac vita deleri potest. Hanc doctrinam sumamus ex vocabulo Petri seu Cephae, quod rupem significat. Haec enarratio utilior est piis, quam disputatio de dignitate et primatu Romani Pontificis, quam hic assuunt, cum primatus ille manifeste prohibitus sit, Matth. 20., et nunc tantùm sit barbarica tyrannis, idolatriae et saevitiae plena: sed disputatio de primatu alias

tractanda est. Nunc ad textum redeo, in quo et hoc monendus est lector, quod insulsissime quidam interpretati sunt vocabulum κηφᾶς pro κεφαλῇ, id est, capite, cum prorsus alia vox sit, κηφᾶ, aliena a Graeca lingua, rupem significans.

Die crastino voluit Iesus egredi in Galilaeam.

Haec historia quae in primo capite narratur, continet ea quae acciderunt statim post baptismum Christi, cum iam complesset annum 30. sub initium veris, quo tempore docere coepit, ac trium annorum series ex hoc Evangelista deprehendi potest. Incoat igitur iam Christus suam scholam, et vocat discipulos, Andream, Ioannem, Petrum, Philippum et Nathanaëlem. Offenditur autem et Nathanaël humili specie Christi. Primum movetur quaestio de patria, videbatur absurdum ex pago Nazareth, ex Galilaea venire Messiam, quem sciebant ex regio genere venturum esse. Et imaginabantur parentes fore amplos et potentes, et ipsum praesertim iam adultum, habiturum esse catervas procerum adiunctas, futurum in gubernatione reipub. ut norant antea summorum virorum incrementa in Israël illustria fuisse, ut Samuelis, Davidis. Ergo Nathanaël dubitans et offensus absurditate de patria, inquit: Num ex Nazareth aliquid boni orietur? quasi dicat: Nostra vaticinia non adducunt Messiam ex Galilaea. Hoc exemplum rursus admonet, ne offendamur humili specie Ecclesiae, sed inquiramus verbum Dei, et testimonia divina. Ita hic confirmatur Nathanaël miraculo, cum intelligit se absentem conspectum esse a Christo, sub fico.

Posthac videbitis coelum apertum.

Haec est dulcis descriptio Messiae et Ecclesiae sumta ex Genes. cap. 28. de scala Iacob. Scala est ipse Christus, cacumine tangens coelum, ut in Genesi dicitur: quia est in eo natura divina. Ideo in Genesi clare dicitur, Deus innixus fuisse scalae. Consistit autem in terra, quia λόγος assumsit humanam naturam, obnoxiam doloribus et morti. Sed haec scala tamen coniungit coelum et terram, id est, Deum et Ecclesiam. Quodque coelum dicitur esse apertum, significat iam Deum propicium esse et respicere invocantes ipsum, et salvare.

Quod vero in hac scala ascendunt et descendunt angeli, significat Christum ipsum gestare Ecclesiam, et perducere ad aeternum patrem. Primum ipse gestat poenas peccatorum nostrorum, et placat patrem. Deinde cum placavit, etiam nos adducit. Sicut Rom. 5. dicitur: Per hunc habemus accessum in gratiam hanc. Sed et ipse inquit: Ego sum via, veritas et vita, nemo venit ad patrem nisi per me. Sic igitur accedimus ad Deum stantes in hac scala, videlicet in Christo, scilicet fide, hoc est, vere statuentes, quod propter hunc aeternus pater nobis velit esse propicius, nos exaudire, nobis dare vitam aeternam: hac fide accipimus remissionem peccatorum propter hunc mediatorem et pontificem, hac fide facta invocatio exauditur, hac fide consequimur vitam aeternam.

Quod vero nominat Angelos, significat totam Ecclesiam, ac praecipue doctores, et hi primum ascendunt, postea descendunt, id quoque videtur mirandum. Sed eo intelligantur primum ascendere, quia singuli prius debemus quaerere reconciliationem cum Deo, et ab eo accipere dona propter filium. Postea vero descendere, et impertiri haec dona aliis, doctrinam, gubernationem, et ministeria iuxta vocationem. Estque haec dulcissima imago Ecclesiae, quam Deus ipse proposuit, ostensa scala Iacob, et de qua Christus hic nos admonet semper in conspectu habenda. Nam de multis magnis rebus pios admonet, videlicet, quod per solum hunc Messiam sit aditus ad aeternum patrem, non per opiniones humanas, non per merita nostra. Item quod haec persona sit Deus, et homo. Item quod ascendere nos primum, et a Deo reconciliationem, et dona accipere oporteat, et deinde ea proferri et exerceri, ut Deus celebretur, et beneficia filii Dei innotescant. Sicut Petrus inquit, nos vocatos esse, ut enarremus virtutes eius, qui nos in admirandum lumen vocavit.

Exposui breviter praecipua dicta primi capitis, de quo saepe extiterunt ingentia certamina, sed sequor et retineo optima fide veterem, veram et perpetuam catholicae Ecclesiae Christi sententiam. Utile est autem moneri pios, quae de hoc loco extiterint controversiae, et quomodo sint refutandae, ne ignari earum contentionum assentiamur levibus ingeniis, quorum petulantia veteres errores renovantur.

Ac praecipua dimicatio est cum Samosateno, cuius cavillatio in speciem profanis hominibus maxime videtur concinna. Alienum enim vide-

tur a communi loquentium consuetudine, dicere λόγον personam. Ideo astute contendit Samosatenus, nihil opus esse hac peregrina interpretatione, ac retinendam esse communem loquendi consuetudinem, et λόγον intelligi voluit tantum de cogitatione, seu deliberatione, seu proposito in mente divina, quod non sit persona, seu existens ὑπόστασις, distincta a patre. Pater, inquit, ab aeterno deliberans decrevit, quod se patefacturus esset, eamque ob causam conditurus mundum, et homines, et pro hominum peccatis missurus victimam. Hoc decretum non personam, sed tantum propositum in mente patris, hic interpretatus est λόγον. Haec imaginatio plausibilis est apud profanos, et recens renovata est a Serveto. Sunt igitur monendi pii, quid semper Ecclesia Christi senserit, et firma testimonia colligenda.

Sumamus autem primum testimonium ex ipso textu Ioannis. Quod λόγος non significet cogitationem, quae est pater, nec transeuntem vocem, primum ex hoc dicto confirmatur: Et verbum caro factum est. Certum est autem patrem non factum esse carnem, λόγος igitur non est cogitatio, quae pater est, nec de voce transeunte sic dici potest, quia si transiit vox, non est coniuncta cum carne: at λόγος, de quo hic dicitur, manet coniunctus cum carne, id est, cum natura humana assumta, quod etiam confirmatur ex textu, quia Ioannes de Christo, qui iam apparuit, loquens, ait: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Constat autem mundum non per humanam naturam Christi factam esse. Manet igitur in Christo altera natura, scilicet divina. Hinc perspicuum est λόγον non esse vocem transeuntem, nec patrem, sed personam discernendam a patre.

Ad hoc argumentum adiungantur caetera dicta, quae de Christo, postquam apparuit, loquuntur, et tamen duas naturas describunt, ut ad Ebr. 1.: Locutus est nobis per filium, quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor gloriae, et imago substantiae eius, ferens omnia verbo potentiae suae. Clare dicit, per filium omnia facta esse, quod cum de natura humana dici non possit, necesse est, in Christo manere etiam alteram naturam.

Eodem modo scribitur ad Coloss. 1.: Et ipse est ante omnia, et omnia per ipsum consistunt. Manet igitur in Christo divina natura, quae est λόγος.

Ioann. 17.: Glorifica me pater ea gloria quam habui ante mundum apud te. Erat igitur λόγος persona apud patrem ante conditionem mundi. Nam si vox transiens esset, quam habuisset gloriam? aut si non discernenda esset haec persona a patre, quomodo diceret se habuisse gloriam a patre?

Confirmatur sententia Ecclesiae et caeteris testimoniis, quae loquuntur de omnipotentia, quae certe competunt naturae divinae. Ioann. 5.: Pater meus adhuc operatur, et ego operor. Item: Quaecunque ille facit, filius similiter facit. Hic aperte testatur se pariter cum patre agere et creare. Et Ioann. 10.: Ego do vitam aeternam, quod est naturae omnipotentis.

Recitavi testimonia ex ipsis concionibus Evangelii, quae satis perspicue refutant Samosatenum, et ostendunt λόγον oportere intelligi personam, et confirmati his testimoniis credimus hunc articulum, et filium Dei invocamus: sicut Psalm. 71. dicit: Orabitur coram eo semper, quotidie benedicent ei. Et cum hic articulus sit necessarius Ecclesiae, non fuit ignotus primis patribus. Hi quoque invocabant Deum fiducia venturi liberatoris, et agnoscebant iam tum se iuvari ab illo domino, et propugnari contra diabolum.

Ideo Iacob ait: Deus patris mei, et angelus qui eruit me cunctis malis, benedicat pueris istis. Hunc angelum haud dubie intellexit filium Dei. Nam hic liberat a peccato et morte. Et apud Daniëlem loquitur hic dominus: Haec testimonia consideranda sunt, ut discamus filium Dei, Ecclesiae semper affuisse, et adfuturum esse, et hac fiducia eum invocemus, sicut 1. Corinth. 10. dicitur de comitante eos petra. Continent etiam hae historiae illustre argumentum, quod λόγος sit persona.

Etsi autem hic articulus credendus est propter verbum Dei, tamen prodest etiam nosse dicta piorum, et probatorum scriptorum, qui proximi fuerunt Apostolis. Constat sic sensisse et docuisse pios in Ecclesia, qui audiverunt ipsos Apostolos interpretes suae doctrinae. Addam igitur vetera quaedam testimonia. Cum Samosatenus movisset hanc controversiam, accersitus est ad eum refutandum Gregorius Neocaesariensis Episcopus, qui doctrina et miraculis claruit. Hunc Gregorium et Basilius allegat, tanquam gravem testem, seque ait a sua nutrice accepisse doctrinam, quam illa

a Gregoria Neocaesariensi audierat. Extat autem huius Gregorii testimonium perspicuum de tribus personis divinitatis lib. 7. Ecclesiasticae historiae: Unus Deus, Pater verbi viventis, sapientiae subsistentis. Unus Filius imago patris, verbum creans. Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, per quem Deus super omnia cognoscitur, sanctificationis causa. Servetus impudenti mendacio, fucum facere indoctis conatus est, cum ait, Tertullianum et Irenaeum dicere λόγον non esse personam. Sed est manifestissimum iniuriam fieri his laudatis scriptoribus.

Tertullianus adversus Praxeam diserte movet hanc quaestionem, an λόγος sit natura subsistens, seu, ut nunc dicimus, persona. Et respondet, affirmans esse personam, seu ὑπόστασιν, et diu huic materiae immoratur, ac tandem ait: Quaecunque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam, et illi nomen filii vendico.

Irenaeus etiam aperte affirmat λόγον fuisse personam, antequam assumsit naturam humanam. Sic enim ait cap. 20. lib. 3.: Ostenso manifeste, quod in principio λόγος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat humano generi. Hunc novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a patre unitum suo plasmati, passibilem hominem factum, misit. Haec Irenaei verba et testimonium utile continent, et doctrinam piis gratam, quod videlicet filius Dei inde usque ab initio adfuerit Ecclesiae, sit eius custos et propugnator contra diabolum. Sicut etiam in concilio aeterni patris intercessor fuit post lapsum Adae, ne severitate irae divinae contra peccatum prorsus periret genus humanum.

Hactenus refutavimus Samosatenum, nunc de Ario dicemus. Is concedit λόγον esse personam, sed ait creaturam esse, etsi longe omnium praestantissimam, ex nihilo conditam. Et quia apparet aliquos minus succensere Ario, diligenter monendi sunt pii, qui fuerit praecipuus status controversiae, ut toto pectore execremur errorem Arii, et non quaeramus fucosas excusationes, sicut alii dicunt: Quorsum opus est disputare de vocabulis, genitus sit, an conditus. Imo rerum maximarum dissensio fuit, non λογομαχία. Nam Arius contendebat filium non esse de essentia patris. Ecclesia adorat filium unigenitum aeterni patris, ac filium intelligit natura filium, natum de patris aeterni essentia, seu substantia, ut loquimur. Hoc vult et symbolum, cum vocat eum ὁμοούσιον.

Recitemus igitur testimonia contra Arium. Ioann. 1.: Et Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Fatetur Arius λόγον esse personam, et hic locus affirmat esse Deum, et nomen Dei proprie sumitur de essentia intelligente, aeterna, omnipotente. Ac profecto mira res est, et suspicienda narratio, verbum est Deus. Nam ut supra dictum est, λόγος subiecti loco ponitur, propter articuli naturam, deinde in loco praedicati ponitur Deus. Iam si quis attente consideret huius dicti maiestatem: Et verbum erat Deus, non poterit non obstupescere, cogitans hic intelligi nomen Dei, non metaphorice, sed proprie, de essentia intelligente, aeterna et omnipotente. Erat igitur haec descriptio valde nova, et admiranda Iudaeis, sed sequens narratio confirmat hanc interpretationem: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Haec descriptio nulli convenit, nisi essentiae divinae creanti. Iam si filius est proprie Deus, et creator, necesse est eum de essentia patris esse. Idem efficiunt caeterae sententiae quae testantur per filium omnia condita esse et conservari, tribuunt enim ei omnipotentiam, quae est essentiae divinae.

Eodem pertinet dictum Ebr. 1.: Ubi filius dicitur fulgor gloriae, et imago substantiae eius, ferens omnia verbo potentiae suae. Non esset filius imago substantiae divinae, si alia esset substantia, sed ne sim prolixior, cum fateatur Arius λόγον esse personam, satis convinci potest ex 1. capite Ioannis, quod sit natura Deus. Quare necesse est sentire, quod filius sit de essentia patris, et non sit ex nihilo editus. Quod vero sit omnipotens, multa clarissima testimonia testantur, nec potest tribui omnipotentia naturae ulli extra divinam. Haec breviter adieci ad primum caput, ut testemur nos improbare deliria Samosateni, Arii, et similia, et lector diligenter consideret, quae fuerit perpetua verae Ecclesiae sententia, quam et nos fideliter retinere studemus. Multa alia deliria sparsa sunt contra doctrinam de Deo traditam, per Prophetas et Apostolos, ut Manichaei finxerunt duos Deos, bonum et malum, seu lumen et tenebras, dissentientes, pariter aeter-

nos, diversa condentes. Hae portentosae opiniones facile refutari possunt. Ideo eas praetereo.

Caput II.

Lucas ait Christum baptizatum esse, cum natus esset annos 30, ac narrant eam diem Ianuarii, quae vocatur ἡ ἐπιφάνεια, diem esse baptismi. Idque nomen iustissime illi diei tribuitur, quod divinitas ita se ostendit, ut distinctae personae conspicerentur a Baptista, ut supra dictum est. Post baptismum Christus secessit in desertum, ubi dies 40 commoratus, postea ad Baptistam rediit, inde tertio die venit in Galilaeam ad nuptias, circa finem mensis Februarii, brevi post recenset textus Pascha, quod primum est post baptismum Christi. Haec eo commemoro, quia temporum distinctio iucunda est lectori, et nonnihil lucis affert. Suntque initia ministerii admiranda, in baptismo editum est illustre testimonium, quo et confirmatus est ipse Christus, et commendata nobis eius autoritas hac voce: Hunc audite. Haec vocatio, haec promotio, ut vocant, haec ordinatio publica est huius doctoris. Non igitur obrepsit, non sine manifesta vocatione invasit in ministerium, sed vocationem expectavit, ut meminerimus gubernationem nullam invadendam esse sine vera vocatione, iuxta illud ad Ebr. 5.: Nemo sibi sumat honorem, sed vocetur a Deo, sicut Aaron. Nec enim felix est gubernatio, nisi Deo adiuvante, ut Baptista inquit: Nemo potest quicquam sibi sumere, nisi sit ei datum desuper.

Haec doctrina diligenter cogitanda est in magnis rebus, ne fiducia humana, sine vocatione, sine legitimis causis, res magnas moveamus, ut Levit. 10. Duo filii Aaron maximi natu, Nadab et Abihu, freti praerogativa, quod antecederent caeteros aetate, sacrificabant sine vocatione, et in Num. cap. 16. Chore, Dathan et Abiram pereunt, cum invadunt sacerdotium sine vocatione. Sic innumerabiles duces perierunt, propterea quod imperia sine vocatione invaserunt, ut Antonius, et alii. Haec ut brevissime de vocatione dicerem, ordo historiae postulabat, cumque locus sit amplissimus, multa lectori hic cogitanda sunt.

Post vocationem praeparatur Christus mirandis tentationibus, nec verbis describi illa pugna potest, in qua filius Dei tentatur, ut deficiat a vocatione, ut moliatur res gloriosas extra vocationem, ut invadat mundi imperia, ut stabiliat idolatriam. Non de parvis rebus dimicatio fuit inter Christum et diabolum: et quanquam nos in hac nostra infirmitate quale fuerit illud certamen non intelligimus, tamen propter seriem historiae aliquid breviter de tentationibus adiiciam.

Primum quoties de his et aliis tentationibus Christi dicitur, initio cogitemus certamen quod fuit in Paradiso. Quam hostili animo sit diabolus erga genus humanum, ibi declaravit, et declarant postea infinita exempla horrendae impietatis, et exitii maximae partis hominum. Quomodo etiam praelietur diabolus, ibi ostendit, primum avertit Evam a verbo Dei, ad proprias et splendidas cogitationes: Non moriemini. Item: Eritis sicut dii, etc. Cum autem vicisset diabolus in Paradiso, et rursus mirabili consilio propter filium misertus Deus generis humani, recepisset primos parentes: hic bellum inter Ecclesiam et diabolum esse coepit, ac sensit postea diabolus, se non semper vincere, ut, quanquam impulerat Cain ad scelus, tamen non sic impellere Adam, Evam, Seth, Enoch, Noë, et similes ad impietatem et desperationem potuit. Et vidit horum multas insignes victorias, et liberationes divinas. De hoc bello statim in Paradiso dictum est: Semen mulieris conteret caput serpentis, et serpens mordebit calcaneum eius. Promissus est ergo liberator, qui caput, id est, potentiam et regnum diaboli conterat, sic Ioannes inquit: Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli.

Quare principio discamus non esse inane terriculamentum nomen diaboli, sed vere esse hostem Dei, et generis humani diabolum, et horribiliter grassari, et multos perdere. Ecclesiae vero datum esse filium Dei, ut nos defendat, adiuvet, liberet represso diabolo, nosque fiducia et invocatione filii Dei debere impetus diaboli depellere, et sic vinci grassantem hostem, ut Ioseph superavit diabolum, cum vitavit adulterium. David superavit diabolum, cum pulsus in exilium non fractus est desperatione. Haec certamina aliquo modo in Ecclesia nobis nota esse debent, et simul intelligi a nobis debet praesentia Christi adiuvantis nos, qui est Emanuel, et adfuit semper Ecclesiae in talibus certaminibus. Haec primum in hac historia considerentur, quod oppugnemur atrociter, et quod fiducia filii Dei hostis reprimendus sit, et quod filius Dei ipse tentatus

sit, et vicerit, ut ostendat se affici nostris periculis, et fore victorem.

Ac tentationes ipsae pericula Ecclesiae praecipua continent. Primum est de corporali persecutione, inopia, fame, exiliis, nece. Hoc primum angit omnium animos. Si voles Deo obedire, amplecti Evangelium, erit ferenda paupertas, patienda odia potentum, subeunda saevitia principum, miserere errabis sine domo, aut interficieris. Haec humana natura per sese formidat, et diabolus obiicit occasiones, ut his cogitationibus vehementius animos concutiat. Haec est summa verborum: Si filius Dei es, dic, ut hi lapides fiant panes, id est, si es Deo curae, unde victitabis? num ex lapidibus? Estque sarcasmus diaboli irridentis Christum, scilicet egregie vobiscum agitur, si putatis vos servire Deo, vos esse filios Dei, qui, si vos curaret, non concederet tyrannis in vos exercere saevitiam, non sineret vos, vestros liberos fame necari, crudelissime interfici. Ita diabolus oppugnat et concutit mentes, obiiciens cogitationes de providentia, et adducens in dubitationem, an Deus adsit nobis, iuvet, curet nos.

Haec diaboli tela Christus excipit opposito clypeo, ac docet, quale sit hoc genus pugnae, et quomodo vincendus sit hic hostis, quomodo de voluntate Dei iudicandum sit. Non solo pane vivit homo, sed omni verbo quod procedit ex ore Dei. Ex hac responsione animadverti potest, praecipue hanc fuisse dimicationem, quam dixi, de defensione. Respondet igitur Christus, se muniens et confirmans verbo Dei. Hinc testatur se discere voluntatem Dei, qui pollicitus est se adfuturum esse Ecclesiae. Vivet igitur Ecclesia et habebit victum, defensionem, etiamsi humana ope destituimur. Mihi, inquit, satis est sequi verbum Dei, vocationem, mandatum, et promissionem, curam victus, defensionis, eventum Deo commendo, et haec si fecero, vivam. Vivimus enim mirabiliter, Deo nos sustentante. Sicut inquit Psalm. 4.: Scitote quod Deus mirificat sanctum suum, id est, mirabilibus modis regit, ac liberat.

Caeterae tentationes sunt magis arcanae, et nos crassis cupiditatibus occupati non intelligimus illa arcana certamina sapientiae et gloriae. Secunda tentatio est de sapientia et de gloria. Offundit diabolus Christo cogitationem, quomodo Deo curae sit, num sic etiam, ut adfuturus sit facienti aliquid sine vocatione, aut servienti temerariae cupiditati, non utilitati Ecclesiae, seu proximi. Deiicias te, inquit, quia scriptum est: Non offendes ad lapidem pedem tuum. Hac sapientiae tentatione duriter quassata est Ecclesia, sedent doctores in culmine templi, et quia persuasionem sapientiae, de se magnificam habent, deiiciunt se, id est, ostentant populo suas bellas imaginationes, sine verbo et sine vocatione confictas, ut quia Samosateno placet cavillatio de verbo, seu λόγῳ, quam finxit, spargit eam in populum, discedens a perpetua sententia textus, Ioan. 1. Sic commodum visum est pontificibus condere leges de cultibus et coelibatu. Nam speciosa res est ille ceremoniarum ordo, et personarum gradus. Ideo haec sine vocatione, et sine verbo instituta sunt. Placet sapientibus viris in Israël creare regem, habeant certum ducem, et defensorem, more aliarum gentium. Ita cum homines naturaliter delectentur sua sapientia, et quaerant concinnitates in verbo Dei plausibiles. Item cum omnes simus naturaliter φιλαρχικοὶ, et multa ordinare, et constituere cupiamus, multa extra vocationem, et sine verbo audacter suscipimus, hoc est, se deiicere de culmine templi.

Hic rursus opponit Christus dictum gravissimum: Non tentabis dominum Deum tuum. Est enim tentare Deum proprie certare cum Deo, fiducia propriae sapientiae, iusticiae, aut virium, et hac fiducia discedere a verbo Dei, et vocatione seu ordinatione Dei. Sic peccant omnes haeretici, sic peccant autores novorum cultuum, qui discedentes a verbo Dei, imaginati sunt Monasticen esse rem insignem, quae plus apud Deum valitura esset, quam opera communis vitae. Sic peccavit populus Israël sua sapientia, regem flagitans, cum scire deberet in populo Dei non esse constituendam formam politiae, sine claro mandato Dei, et Deum velle, ut ab eo ipso defensionem expectaret.

Tertia tentatio est magis horrenda caeteris, diabolus impudenter postulat se adorari, et pro hoc officio promittit imperia mundi. Nec cogitandum est fuisse hoc leve certamen. Offudit illi praestanti viro, quantum decus sit imperium, quantum ipse Christus ingenio et virtute antecellat omnibus regibus. Talem virum dignum esse monarchia, talem principem fore salutarem mundo. Quid, quod Messiae promissa sit mundi haereditas? Haec et alia multa obiecit dia-

bolus. Etsi autem vicit Christus, ac repulit diabolum, tamen ad extremum Ecclesiam vastavit haec tentatio. Mahometh, Papa, propter imperia excogitarunt idolatricos cultus, et videmus conspirare potentiam mundi ad defendendam idolatriam: ut olim imperatores tuebantur ethnicas idolomanias, ita nunc Pontifices et reges stabiliunt impias Missas, cultum sanctorum, coelibatum. Non quod sentiant probanda esse, sed tantum ut opes, dignitates, et voluptates retineant. Hanc conspirationem potentum, sciens diabolus, promittit Christo imperium mundi, non quod arbitraretur, se invito Deo posse imperia transferre. Scit enim politias esse Dei, sed quod eos, qui tenent imperia, plerunque impios esse animadvertit, et ingenti furore tueri idola comperit, ut autoritatem et opes retineant.

Vicit autem Christus has tentationes, et haec scribi voluit, ut Ecclesia admonita, sciat se similes tentationes, et similia certamina subituram esse. Erunt igitur aliqui, qui diabolo repugnabunt, memores victoriae Christi, qui eius exemplo dimicationem subibunt, et ab eo auxilium petent. Ideo enim filius Dei venit, ut destruat opera diaboli. Ita omnes sancti vincunt diabolum, sed alii anteferentes potentiam, opes, dignitatem, voluptates, obtemperant diabolo in colendis et retinendis idolis. Praemonet autem Christus omnes homines, hanc vocem repetens: Dominum Deum tuum adorabis, et huic soli servies. Hoc exemplo Christi, et hac victoria moniti, sciamus in omnibus tentationibus haec duo praecipue facienda esse. Intueamur verbum Dei, et inde consilium petamus, nec avelli nos a verbo Dei patiamur. Petamus item auxilium a victore Christo, et sciamus Ecclesiam talibus certaminibus exerceri, et velle certantibus adesse filium Dei. Haec breviter de tentationibus propter seriem historiae dixi.

Post tentationes exactis 40 diebus, rediit Christus ad Baptistam, et consentaneum est interim aliquoties eos una fuisse: cumque mense Februario pene medio rediret in Galilaeam, post illa mira exercitia coepit docere, et doctrinam confirmare publicis miraculis, ac primum hic narratur de vino in nuptiis facto.

Et die tertia nuptiae fiebant.

Non dubium est, legitimas nuptias esse imaginem amoris inter filium Dei sponsum, et Ecclesiam sponsam. Ideo multis locis descriptio nuptiarum in historiis sacris recte significat Ecclesiam, ut hic valde concinna est allegoria, sed nos prius historiam percurremus. Praecipui loci sunt approbatio nuptiarum, exemplum aerumnarum coniugii: testimonium praesentiae Dei opitulantis in his oeconomicis miseriis. De invocatione, ut hic mater interpellat Christum, et is duriter respondet, tamen postea opitulatur. Haec omnia continent utilem doctrinam.

De primo loco breviter admonendus est lector, quia enim adest Christus, et ornat miraculo nuptias, certe eas approbat. Et huc addendae sunt sententiae ex aliis locis multis, quae testantur legitimas nuptias Deo placere, et refutant impias opiniones omnium fanaticorum, qui damnaverunt, aut prohibuerunt legitimum coniugium. Quales fuerunt Marcion, Manichaei, Encratitae et Pontifices, qui adhuc defendunt legem de coelibatu, et Monachi, qui fingunt coelibatum esse eximium Dei cultum, et mereri remissionem peccatorum, et alia multa praemia. Haec deliria quomodo refutanda sint, alias saepe dicitur: Et hic satis illustri testimonio refutantur praesentia Christi, qui ostendit se favere nuptiis, cum et adest, et eas miraculo ornat. Et unum hoc dictum, cum ait Christus: Quos Deus coniunxit, satis clare testatur nuptias institutas esse a Deo, et placere Deo. Et quidem copiosam doctrinam complectitur haec particula, cum monet coniugium esse coniunctionem divinam, id est, societatem institutam a Deo, quam Deus non solum approbat, sed etiam adiuvat, regit, tuetur, servat in hac vita, et vult propter ipsam amari, magnifieri, et certa lege servari.

Secundus locus est exemplum aerumnarum coniugii, vulgare onus est inopia, et tamen non leve, sed alia multa incidunt duriora, morbi, infelices partus, funera natorum, delicta, aut tristes casus liberorum. Ut magno cum dolore spectarunt primi parentes necem filii Abel, sed multo maiorem et acriorem dolorem attulit eis alterius filii parricidae scelus. Humanae miseriae sunt poenae peccati, ut constat, et hae maxime premunt hanc partem generis humani, quae vivit in coniugio. Haec enim est praecipua. Caeteri qui fugiunt matrimonium, non ipsam societatem, quae per se dulcis est, fugiunt, sed illam aerumnarum molem, quae accedit, ac quaerunt otium ac

voluptates. Cum igitur hic fit mentio unius oneris, scilicet inopiae, caetera etiam cogitemus, et simul causam consideremus, quod videlicet genus humanum subiectum sit ingentibus aerumnis propter peccatum, quod Deus velit nos obedire in his perferendis; querela igitur hic anxiae matrisfamilias describitur, cum inquit mater: Vinum non habent.

Tertius locus, cum Christus sarcit inopiam, testatur Deum adesse coniugum aerumnis, easque lenire. Exemplum igitur transferamus ad omnes difficultates. Ideo enim his subiecti sumus, ut agnoscamus peccatum, vocemur ad poenitentiam, erigamus nos fide, invocemus Deum, et ab eo petamus, speremus, ac expectemus auxilium, eumque celebremus conditorem, opitulatorem, salvatorem, ut et alii eum agnoscant, timeant, et invocare discant. Ita prima Ecclesia est coniugum societas, in hac vult Deus conspici, invocari et celebrari. Hic igitur promissiones contemplemur. Psalm. 34.: Non est inopia timentibus eum. Sed proprie ad coniuges pertinet Psalm. 138. Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominum. Haec vox testatur Deum adesse piis maritis et matronis, et quidem benedicere illis, id est, favere, dare sobolem, tueri familias, adiuvare officia vocationis, tum in oeconomia, tum in politia, uxori foecunditas promittitur: Uxor tua sicut vitis abundans. Promittitur et soboles florens viribus corporis, et spiritu, sicut novellae olivarum. Promittitur felicitas in officiis vocationis: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, id est, efficiet Deus, ut fruaris laboribus tuis, habeas victum, successus in vita privata et publica. Postremo longe amplius munus promittitur, tranquillitas publica, pax et diuturnitas imperii. Haec magna res est: Vident pii coniuges, miras esse et quotidianas mutationes regnorum, facile ubique oriri bella, quibus cives excutiuntur ex possessionibus, distrahuntur coniuges, avelluntur liberi a complexu parentum, dissipantur Ecclesiae, extinguitur noticia Dei, ac vident sapientes tantam esse inconstantiam rerum humanarum, ut nusquam sit diuturna et certa tranquillitas. Consolatur ergo Psalmus pios coniuges, et tanquam muros et arcem extruens, pollicetur divinam defensionem, pii coniuges erunt tuti, posteritas eorum habebit aliquas sedes, politias, Ecclesias, ut Iechonias obtemperans Ieremiae, mansit incolumis, quanquam in exilio, habuit et filium successorem, cui reddita est patria sedes. Ideo hic inquit: Videas filios filiorum tuorum, et pacem super Israël. His promissionibus pii coniuges se consolentur, et credant se curae esse Deo, defendi et iuvari ab eo. Certe tempora nos ipsa adiuvent, ut has consolationes quaeramus. Videmus enim omnia regna ubique magnis motibus concuti, inter hos motus tamen Deus Ecclesiis aliquam sedem servabit. Servabit igitur pios coniuges et aliquas politias.

Quartus locus est de Invocatione. Matri interpellanti duriter respondet filius, imo eam quasi alienam aversari videtur. Primum haec causa est: Quia illa, quae ad vocationem Messiae pertinebant, non vult gubernari humanis affectibus matris et aliorum, sicut alibi dicit: Nesciebatis me oportere in negotiis esse mei patris. Deinde et hoc de ipsis coniugum aerumnis significatur, saepe coniuges orant levari certum genus miseriae, nec tamen subito impetrant levationem, imo interdum crescunt difficultates. Cum Abraham extrudere filium Ismaël et matrem eius cogeretur, in quanto dolore fuit? Item, quanto in luctu fuit Iacob extincta Rachel, item amisso filio Ioseph? Exaudit Deus vota et gemitus piorum coniugum, eosque mirabiliter servat, tametsi non omnia eveniunt, quae petimus aut ut petimus. Seni Iacob redditur Ioseph, anno 23. postquam fuerat amissus. Davidi omnino non servatur Absolon. Hanc varietatem pii considerent, quia Deus nos non humanis consiliis regit, sed suo, et vult, ut fide ex ipso pendeamus. Servat, sed longe aliter, quam nos somniabamus. Moses educens populum ex Aegypto, nequaquam fore cogitavit, ut tanta multitudo sine certis sedibus in deserto 40 annis vagaretur, et tamen hic mirabiliter servatur.

Haec est utilis doctrina piis in corporalibus aerumnis, ut sciant se non propterea abiectos esse, etiamsi non venit hoc, quod mallent ipsi. Deus enim etiamsi vult nos aliquo certo genere exerceri, tamen interim non deserit, et alio modo nos servat. Permittebat everti Ierosolymam, perduci pios Babylonem, et ibi eos maiore gloria ornabat, quam qualem domi habuerant. Haec doctrina pariter de obedientia, et de fide concionatur, iubet statuere quod Deo curae simus, et ab eo protegamur, et tamen perferre interim, si quae sunt

ferenda. Sicut Christus ait: Recipient centuplum in hac vita, sed cum tribulatione. Ita hic fuit aliqua matris solicitudo, praesertim passae repulsam, sed postea cumulate sarcitur mora. Nam Christus honorifice munus tribuit, quod poterat toto anno sufficere, videlicet sex amphoras, ut nos vocamus. Nam una hydria continebat duas metretas, hoc est sexaginta nostros cantharos, ut vocamus. Respondebat igitur hydria nostrae amphorae.

Hactenus historiam simplicissime percurri, quae haud dubie doctrinam et consolationem de coniugio proponit. Ut autem initio dixi, plaerunque picturae coniugii significant Ecclesiam, et hic aptissime quadrat imago ad Ecclesiam. Conflictatur Ecclesia multis et variis aerumnis, concutitur bellis, dissipatur saevitia tyrannorum, premitur odiis domesticis, laborat inopia, dilaceratur dissidiis gubernatorum et pravis opinionibus: non levi dolore, in his tantis malis excruciatur Maria, id est, pars Ecclesiae, sincera, ut magna desperatio fuit multorum, regnante Antiocho, visa est penitus interitura coelestis doctrina. Sic Diocletiani tempore magno in dolore fuerunt pii, propter tyrannorum saevitiam: Clamabat igitur Maria, id est, pars Ecclesiae melior ad Christum, et is non statim eam liberavit, quia plaerunque defessi magnitudine afflictionum, carnali affectu expetimus liberationem, ut Paulus inquit, Rom. 8.: Quid oremus, sicut oportet non scimus. Sed tamen non obliviscitur Christus suae Ecclesiae, et eam oportuno tempore liberat. Sicut dicitur Esaiae 49.: Num oblivisci potest mater infantem suum, ut non misereatur filii uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Haec de allegoria satis est novisse. Est enim vicina collatio privatarum et publicarum aerumnarum, et in utrisque lucere debet invocatio. Ad allegoriam etiam hoc accommodatius est, quod architriclinus admiratur bonum vinum postremo dari. Postremo enim post multa et longa certamina glorificatur Ecclesia.

Hoc fecit initium signorum Iesus.

Utilitas miraculorum describitur. Monet enim haec facta supra naturam, testimonia esse doctrinae, quia ostendunt Deum adesse huic doctori. Multa enim facta sunt, quae imitari nullius creaturae, nec angelorum, nec diabolorum potentia potest, ut resuscitatio mortuorum, foecundatio effoetae mulieris et sterilis. Haec propria miracula Ecclesiae diligenter consideranda sunt.

Et prope erat Pascha Iudaeorum, et ascendit, etc.

Ex ipsa serie superioris narrationis, satis apparet Evangelistam hic de primo Paschate loqui, quod fuit post baptismum et initium praedicationis Christi, et haec narratio ostendit non tantum in postremo Paschate nummularios et caupones ex templo pulsos esse a Christo, sed etiam ante, ac fortassis saepius ita incanduit. Nec enim consentaneum est talem virum sine magna indignatione potuisse spectare manifestam turpitudinem harum nundinationum. Consentaneum est igitur saepe ab eo hanc turbam cauponum dissipatam esse. Ioannes hic recenset expulsionem factam primo Paschate. Matthaeus et Lucas recensent expulsionem factam in die Palmarum. Marcus recenset aliam factam postridie festi Palmarum, tres ergo numerantur.

Hic autem disputatur, si noluit habere politicam gubernationem, quare expulit caupones e templo? Quaeritur item de exemplo: An liceat caeteris ministris Ecclesiae, corporali vi adversus impios, doctrinae propagandae causa, uti. Facilima est responsio pie institutis. Primum, hoc factum Christi non fuit opus politicae gubernationis, nec factum est vi corporali, sed impetu Spiritus S. quo exarsit tantus vir contra impios: sicut Eliae opus, qui iusserat ignem de coelo descendere, et absumere milites. Haec facta sunt vere divina et singularia, nec referenda sunt ad communes deliberationes, aut regulas. Tale est et Petri factum, cum sola voce occidit Ananiam mentientem. Tale erat factum Ecclesiae Corinthiae, cum excommunicatus incestus excruciari coepit a diabolo. Tale erat factum Ambrosii, cum Stilliconis scriba excommunicatus furere coepit. Haec exempla omnia ad ministerium Evangelii, seu spiritus pertinent, quia poenae non manu aut vi corporali irrogantur, sed voce docentis, per quam Spiritus sanctus est efficax. Ac saepe similia in Ecclesia accidunt, saepe talis est vox verae excommunicationis, sicut scriptum est: Benedicam benedicentibus tibi, maledicam maledicentibus tibi, et ut oratio sanctorum habet promissionem, iuxta illud si duo consenserint super

terram, quicquid petent, fiet eis a patre meo coelesti: ita et imprecatio adversus impios est efficax, ut Davidis vox: Infatua Deus consilia Ahitophel. Hae sententiae hortantur nos ad precationem, item ad timendam veram excommunicationem, monent etiam quae sint arma Ecclesiae, his armis depelluntur diaboli, reprimuntur tyranni, imo ex ipsis regnis exeutiuntur, profligantur exercitus Amalechiticus. Quia Deus vult Ecclesiam exercere fidem in invocatione, et exaudit has preces, ne funditus pereat Ecclesia. Item, ut testetur sibi curae esse Ecclesiam, et exaudire preces.

Nam ut Christus ardenti spiritu expulit caupones, ita semper pii doctores verbo, et excommunicatione expellere ex Ecclesia debent impios, qui sacramenta in quaestum conferunt aut cumulant ceremonias, ut lucra captent, sicut coena Domini depravata et ad quaestum collata est, et possent infinita exempla recitari. Nec vero inanis est vox illa Spiritus sancti in piis doctoribus, arguentibus illas prophanationes et nefarias nundinationes, sed mirabili opere Dei ruet, et labefiet potentia impiorum sacrificulorum, qui illis aucupiis quaestus deformaverunt donum Dei.

Caeterum quod sit officium magistratus adversus cultores idolorum, et conferentes sacramenta in quaestum, alio loco dicetur. Hic satis est admonuisse, quod magistratus, postquam error per Evangelium reiectus est, debet manu abolere externos cultus idolorum, et illa aucupia quaestuum in templis, et punire autores. Haec praecipit lex divina de puniendis blasphemis, quae etiam ad politicum magistratum pertinet.

Zelus domus tuae comedit me.

Duae sententiae citantur in hac historia: altera declarat, unde haec ira Christi orta sit, et docet hoc opus, motum esse singularem in sanctis, et hortatur, ut similis ira seu aemulatio flagret in sanctis. Est autem zelus indignatio depellens iniuriam ab amato, aut pugnans ne sibi persona amata eripiatur. Ut cum Samsoni eripitur uxor, concipit vir magnanimus ingentem dolorem, desiderio uxoris, concipit et iram, ut vel puniat Philistaeos, vel recipiat uxorem, et miscentur multi affectus. Sicut Virgilius inquit: Mixta est insania luctu. Sic Scipio tribus magnis praeliis interfuerat, quibus viderat vinci patriam, hae clades, et ingentem dolorem ei attulerunt, et accenderunt iram ad restituendam pristinam gloriam patriae, et ad reprimendum Annibalem. Sic generaliter ardere zelo bonos gubernatores oportet, ut saepe Psalmi dicunt: Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. Aurelianus imperator, cum rescisset militem vi stuprasse hospitam, discerpsit eum alligatum duabus arboribus incurvatis. Sic in gubernatione amor iusticiae, pudicitiae, veritatis, et ardens odium vitiorum, ut vera indignatione suscipiat laborem ad puniendos sceleratos, et sanciendam disciplinam. Hic affectus acerrimus fuit in Elia, Elisaeo, fuit et in Christo. Sed non saepe in puniendo Christus hunc ingentem motum exercuit, magis exercuit eum in tolerandis adversis, quae ferenda erant ad restituendam gloriam aeterni patris, et ad liberandam Ecclesiam, quam et ardenter diligebat, et sciebat aliter non posse liberari, nisi ipse fieret victima. Ideo dicitur in Psal. 68.: Zelus domus tuae comedit me, id est, absumit me, adduco vitam in discrimen ad liberandam Ecclesiam, quam diligo, et ad depellendas contumelias, quibus Deus afficitur, quae mihi ingentem dolorem afferunt, et ad iram accendunt adversus blasphemos.

Domus mea, domus orationis vocabitur.

Alterum dictum extat apud Esaiam cap. 56.: Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis gentibus. Brevis descriptio est verae Ecclesiae, ac veri et praecipui cultus. Primum ergo sententia Esaiae intelligatur de ipso populo Dei, nam de hoc loquitur Propheta: Christus autem ad locum ministerii accommodat. Porro quid sit Ecclesia, alias dictum est, nunc satis est hoc scire, quod sit populus vere invocans Deum, quod sit in agnitione eius verbi, quod ipse tradidit. Et transferant dictum singuli ad sese, sciat quisque pius, se esse domum Dei. Quare? Non quod magna munera det Deo, sed quod invocet Deum, et quod ab ipso vere petat, et expectet bona. Hoc opus, videlicet vera invocatio, discernit Ecclesiam a gentibus, ut alias saepe dicitur. Et hic ipse Propheta Esaias cap. 43. definiens Ecclesiam, inquit: Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, id est, pii soli vere me glorificant, soli sunt Ecclesiae viva membra, qui hunc cultum, videlicet invocationem praestant. Constat autem invocationem non posse fieri, nisi in agnitione verbi, quod Deus tradidit, et agnitione filii, ut Christus inquit: Quicquid

petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Complectitur ergo invocatio agnitionem verbi Dei, et fidem in Christum. Haec, ut constat, discernunt Ecclesiam a gentibus. Nec vero potest Ecclesia in hac vita existere, sine externo loco ministerii. Ergo et de loco dicit Christus: Domus mea, domus orationis est. Hic rursus oratio complectitur totum ministerium, praedicationem Evangelii, et sacramenta. Haec omnia destinata sunt ad hunc finem, scilicet ad invocationem, quae est summus cultus. Cum autem Christus ex loco templi caupones eiicit, intelligamus eos a ministerio detrudi. Sicut subinde Deus repurgans Ecclesiam, punit impios doctores, ut Leviticos Pontifices et postea haereticos delevit. Sic delebit suo tempore etiam Pontifices, qui nunc propter opes, aut dignitates retinent idolomanias.

Quadraginta et sex annis aedificatum est hoc templum.

Cum flagitassent miraculum, Christus tecte de miraculo praecipuo, et proprio personae ipsius concionatur, scilicet de sua resurrectione, sicut alias saepe, sed adversarii furentes odio et impietate, figurate dictum non intelligunt, et de aedificio templi memoriam iniiciunt alienam a proposito, allegantes rem, ut ipsis videbatur, impossibilem, cum resurrectio ex mortuis magis sit impossibilis. Sed cur dicunt hoc templum aedificatum esse annis 46? Multa admonet haec historia de mirabili reditu ex Babylone, qui continet exemplum poenarum, calamitatum, liberationis, et multarum rerum in Ecclesia. Daniel impetraverat a Cyro edicta, ut Iudaeis concederetur reditus in patriam, et templum reaedificaretur. Incoata est igitur aedificatio templi anno secundo Cyri, et bona spes erat, iam regnante pio principe Cyro, futurum, ut cito restituerentur templum et civitas, et populus frueretur tranquillitate. Sed ecce, ut fit, intervenit magna calamitas. Cyrus procul ex regno discedit, bellum gerens cum Scythis, et paulo post interficitur; domi filius Cambyses impius regnum gubernat, qui iterum prohibet aedificationem et reditum, conantur ex armis vicinae gentes impedire aedificationem. Hic quantum vulnus acceperunt Daniel et alii pii amisso pio rege, et abolito edicto Cyri? Ita Ecclesiae instauratio variis modis impeditur, et divinae liberationes non procedunt humanis consiliis. Cambyse mortuo nova bella in ipso regno Babylonico orta sunt. Darius Magos interfecit, recuperavit Babylonem. Occupatis igitur rex domesticis bellis, audire provinciarum causas non potuit. Ita differtur aedificatio, annos fere 42. Nam toto tempore Cambysis et Darii impedita est, hi sunt anni 40. Successit postea Longimanus mitior regibus prioribus, et intelligens verum cultum Dei. Nam hic audiebat Esdram et Neaemiam, et putatur fuisse filius Esther. Huius igitur Longimani anno secundo rursus concessum est, ut beneficium Cyri renovaretur, et aedificatio absolveretur. Ergo sequentibus annis 4 templi aedificatio absoluta est 5. anno Longimani, ut testatur historia in libro Esdrae. Quod ergo in textu Ioannis dicitur, aedificatio durasse annos sex et quadraginta, non de continua aedificatione intelligatur, sed interruptae sunt et impeditae operae, fere duos et quadraginta annos. Ideo praedixit Daniel cap. 9. futurum, ut aedificaretur Ierusalem in angustia, id est, ut variis difficultatibus et aerumnis impediretur aedificatio.

Haec historica recensui, non solum declarandi textus causa, sed etiam admonendi lectoris, de calamitatibus Ecclesiae: Hic enim videmus eam mirabili consilio Dei in imperiis duriter quassari, et tamen servari divinitus, sed non eo modo, quem cogitant mentes humanae. Et haec admonitio gravissimam et utilissimam doctrinam continet, videlicet, ut nos in Ecclesia nostrae vocationi fideliter pareamus, nec deterreamur metu impendentium periculorum, nec pendeamus ex humanis praesidiis, sed a Deo fide petamus, et expectemus gubernationem actionum et secundos eventus. Sicut Psal. 36. ait: Revela domino viam tuam, et ipse faciet. Gubernatio praesertim Ecclesiae proprie Dei est, et filius Dei belligeratur cum diabolo, nec potest humana sapientia prospicere mutationes rerum, politiarum, principum, et munire Ecclesiam humanis praesidiis. Ideo fides Deum intueatur, et nos nostrum officium recte faciamus, id est, pure et fideliter doceamus, exitus Deo commendemus, sicut Christus inquit: Primum quaerite regnum Dei, etc.

Ipse enim sciebat quid esset in homine.

In fine huius capitis proponitur admonitio de inconstantia humanarum voluntatum, seu perfidia humana. Iesus non credebat se eis. Scie-

bat enim quid esset in homine, id est, omnium voluntates esse infirmas, multorum etiam perfidiosas, ut alibi dicitur: Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Et vulgaris querela est in amicitiis, cum in Ecclesia, tum extra Ecclesiam, facile mutari voluntates amicorum. Hinc illud Virgilii: Nusquam tuta fides; et extant infinitae tales sententiae. Cicero ait: Nervos atque artus esse sapientiae illud Epicharmi: Memento diffidere. Primum autem hic docemur ne res iniustas, aut non necessarias moveamus confisi amicis, aut sociis. Secundo, etiam res bonas, iustas, necessarias sic agamus, ut a Deo gubernationem et successus petamus, et speremus, et sincero animo unum finem spectemus, videlicet officii, seu gloriam Dei. Nec fiducia nitatur praecipue coniunctione amicorum, aut foederibus sociorum, nec implicemus nos arctius amicitiis hominum, qui interdum invitos ac nolentes rapiunt secum in negotia iniusta et exitiosa. Vulgare est de sodalitiis: Nulli te facias nimis sodalem; Gaudebis minus, et minus dolebis.

Sed dicat aliquis, haec esse paradoxa, quia nihil in vita sine amicis geri potest. David non potest tueri suam salutem, sine amico Ionathan. Respondeo: Sint amicitiae, et nos candide diligamus omnes, maxime vero amicos, id est, officiis coniunctos, quorum etiam opera utamur, et reddamus vicissim nostras operas. Dux habeat exercitum benevolum, obedientem. Haec non pugnant cum illis dictis, quae iubent diffidere, quia dilectio et candor praestentur erga homines. Sed simul sciamus, voluntates hominum esse mutabiles, ut scimus hominem esse mortalem. Item, sciamus a Deo expectandos esse successus, hic confirmabit voluntates hominum, quoad volet: Rursus sciamus iustas causas non abiiciendas esse, etiamsi destituamur humanis praesidiis. Sic constans est Daniel in confessione, etiamsi ab amico rege Dario deseritur.

Hic rursus obiicitur: Ergo virtus est esse suspicacem? Nequaquam, hoc enim cum dilectione pugnat, hoc est, cum candore, qui est pars veritatis, id est, vere et ex animo tribuere alteri, quod re ipsa meretur, David bene sentit de Ioab, donec nullam eius fraudem deprehendit, sed tamen scit esse mutabilem, ut mortalem, et Deo confidit, etiamsi a Ioab fuerit desertus. Est ergo suspicax, qui recte facta amicorum calumniose interpretatur, et sine probabilibus argumentis de alterius animo male sentit. Hoc vitium taxat Paulus, cum ait: Dilectio omnia credit, scilicet, quae sunt homini credenda, et quatenus non apparent contraria argumenta. Non debemus amicis credere de falsa doctrina, sed quaerere verbum Dei. Non debebat Cicero credere, Octavium futurum amiciorem senatui, quam Antonio. Nam in adolescentia nec iudicium firmum, nec constantia voluntatum est. Et Octavius non habebat in potestate exercitus, qui erant aequiores Antonio, et tota res magis pendebat a voluntate militum. Rectissime autem inquit Phocylides:

Λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπος ἐστιν ὅμιλος.

Nec confide populo, quia inconstantes sunt voluntates populi. Sed haec a prudentibus facile discerni possunt quid sit tribuendum amico, quid Deo, inprimis autem in Ecclesia multum peccatur in hoc genere. Sapientes quia diffidunt Deo, applaudunt potentum erroribus. Alii peccant fiducia prava, quia quaerunt praesidia contra voluntatem Dei, ac movent tumultus, cum in bonis, tum in malis causis, ut saepe accidit. Monetarius et eius socii movebant tumultus sine vocatione, freti studiis vulgi, quae sunt mutabiliora ventis. Ad tales casus pertinet haec admonitio in hoc textu: Ne nos implicemus arctius amicitiis hominum, neve elati fiducia humanorum praesidiorum aliquid moveamus sine vocatione.

Caput III.

Hoc caput initio continet eruditissimam disputationem de iustificatione, de discrimine iusticiae legis et iusticiae fidei, de officio proprio Messiae. Deinde repetitur illustre testimonium Baptistae, cum concione eius dulcissima piis mentibus. Sed priusquam venio ad disputationem, pauca de sectis populi Iudaici dicenda sunt, ut historiae considerentur. Nam haec collatio temporum Ecclesiae admonet nos, Ecclesiam non esse alligatam titulis, gradibus dignitatum, et humanis ceremoniis, sed tantum verbo Dei, sicut Ioann. 10. dicitur: Oves meae vocem meam audiunt; et expresse negat Christus suas esse oves caeteros, qui non credunt.

Postquam Maccabaei divina ope Antiochi exercitum vicerunt, et ex Iudaea expulerunt, et

iam mediocris pax esset, et propter cognationem Graecae linguae inciperent Iudaei in otio etiam philosophiae Graecae operam dare, hic neglecta veteri Prophetarum doctrina, ceperunt varias opiniones comminisci, unde diversae sectae ortae sunt. Nominantur autem tres praecipuae.

Pharisaei, hos eruditi nominatos esse censent, ab exponendo, quasi dicas interpretes, aut enarratores, seu expositores. Nam hi etsi Mosen et omnes Prophetas amplectebantur, tamen affingebant suas expositiones, philosophiam redolentes, aut natas ex humana superstitione. Etsi recte sentiebant animas hominum immortales esse, tamen de peccato, de lege et de iusticia errabant, somniabant peccata esse tantum externa delicta, legem Dei tantum de externis factis, seu conatibus concionari, non damnare dubitationem et contumaciam interiorem. Non norant morbum originis, fingebant homines legi Dei satis facere posse, mereri remissionem peccatorum sacrificiis, et reliquis bonis operibus et lege. De Messia varie errabant, non norant esse filium Dei, non intelligebant venturum esse, ut fieret victima, non noraut iusticiam fidei, sed existimabant fore potentissimum regem, qui iuxta legem Mosi in toto orbe, et pacem civilem instauraturus esset, deletis tyrannis et abolita omni iniusta gubernatione.

Talem quandam auream aetatem imaginabantur regnum Messiae fore. Ad has falsas imaginationes de peccato, de filio Dei, de regno Messiae, addebant magnam molem traditionum humanarum. Et scribit Epiphanius, fuisse eorum exercitia admodum aspera, ieiunia, vigilias et alios labores, et accessit error, quod his humanis ceremoniis iusti essent coram Deo, et remissionem peccatorum mererentur. Ac si quis totam doctrinam Pharisaeorum attente considerabit, intelliget eam non multum differre a monastica, quae in Ecclesiam irrepsit.

Secunda secta fuit Sadducaeorum, qui arrogantissimo titulo se cognominarunt a iusticia, quasi dicas iustos, cum re ipsa essent Epicurei. Videntur autem hunc titulum aemulatione quadam sibi sumsisse, cum alii ab eruditione gloriosam appellationem haberent interpretum, hi magis gloriosam a iusticia sibi attribuerunt. Plus est enim verae laudis in iusticia, quam in doctrina. Tantum autem recipiebant Sadducaei Mosen, et repudiabant omnes Prophetas caeteros. Fingebant enim nec animas hominum esse immortales, nec futuram esse resuscitationem mortuorum. Ideoque Prophetas explodebant, ne eorum testimoniis refutari possent. Asseverabant autem iuste vivendum esse, et propter iusticiam a Deo hominibus in hac vita dari res utiles, bonam valetudinem, facultates, potentiam, felicitatem in rebus gerendis, de regno Messiae fere eadem deliramenta erant trium sectarum.

Tertia secta fuit Essaeorum, qui volebant videri utrisque antecellere, Pharisaeis et Zadducaeis. Ideo sibi nomen sumserunt ab agendo, quasi significantes caeteros verbis et disputationibus profiteri religionem, se vero actionibus. Hi differebant a Pharisaeis, quod res suas in commune conferebant, caetera fere conveniebant cum Pharisaeis.

Talis fuit species Ecclesiae seu populi Dei eo tempore, plurimi et praecipui sectas amplexi erant, alii alias, et hi inter se dissidebant. Et Pontifices, Sacerdotes, et qui videbantur esse capita Ecclesiae, et ordinariam potestatem habebant, alias erant Pharisaei, alias Sadducaei, utrique autem multa deliria defendebant. Itaque hi coetus errantes non erant Ecclesia Dei, sed interim erant in populo pauci recte sentientes et invocantes Deum in agnitione vera Messiae, et fide, ut Simeon senex, Anna, Zacharias, Elizabeth, et horum auditores, hi erant Ecclesia Dei. Fatendum est igitur pontifices et alios qui tenent gubernationem ordinariam, ut vocatur, posse errare. Ac profecto mirum est, in gente Iudaica, quae disciplinam gravissimam habuit, tam prophanam audaciam extitisse, ut palam licuerit negare resuscitationem mortuorum, et animarum humanarum immortalitatem. Ostendit hoc exemplum, amissa luce verbi Dei densissimas tenebras sequi, sicut in regno pontificio absurdissimae opiniones, de cultu sanctorum, de transsubstantiatione, de inferiis mortuorum, de Monachorum ceremoniis, magno applausu traditae sunt.

Consideremus igitur exemplum populi Iudaici eius temporis, et discamus Ecclesiam veram non alligatam esse ad illos titulos, et gradus dignitatum, aut traditiones humanas, sed ad verbum Dei: ac nos confirmemus, ne propter pontificum titulos, aut propter paucitatem recte sentientium, deficiamus a verbo Dei. Nam et in illo populo pauci erant recte sentientes, et hi dissentiebant a pontificibus et sectis illis, quas ample-

ctebatur aut certe sequebatur maior pars populi. Nunc venio ad narrationem in Ioanne.

Erat homo ex Pharisaeis.

Ideo asscripsit, ut significaret quendam ex praecipuis doctoribus et gubernatoribus, qui antecelluit eruditione et doctrina caeteris, movisse Christo quaestionem de iusticia. Ut autem inter Monachos aliqui studiosius inquisiverunt veritatem, nec pertinaciter defenderunt errores suos, sed fuerunt dociles, et alios audiverunt, quorum multi ex tenebris emerserunt: ita et Nicodemus audire Christum de hoc novo genere doctrinae cupiebat. Quia audierat, Baptistam et Christum tam duriter taxare Pharisaeorum opiniones, nec erat adeo dura et ferrea pertinacia, ut non moveretur miraculis, quae significabant hos viros a Deo missos esse. Est ergo occasio quaestionis haec: Scimus, legem Mosi a Deo datam esse, hos cultus, et haec opera Deum postulare. Cur ergo Baptista et tu clamitatis, Nos praestantes haec opera non esse iustos, non placere Deo, sed sub peccato esse? Cur damnatis exercitia nostra, quibus domare carnem studemus, ut facilius legi Dei obtemperet? Ad has ipsas interrogationes proprie et apte quadrat prima propositio.

Nisi quis renatus fuerit denuo, non poterit videre regnum Dei.

Haec generalis et nondum explicata propositio tantum est praeparatio ad sequentem explicationem, estque refutatio erroris Nicodemi. Erras Nicodeme, inquit: etsi verum est legem a Deo datam esse, et postulari haec opera, tamen lex non abolet peccatum, quod nobiscum nascitur. Haec vestra externa disciplina non satisfacit legi, corda dubitant de Deo, vacant timore Dei, fiducia, dilectione. Denique natura hominum belligeratur cum illo pulcerrimo ordine instituto in lege. Non igitur estis iusti lege, ac haeredes vitae aeternae, propter hanc vestram disciplinam, quam et ethnici multi excellentes viri praestiterunt. Alia novitate opus est, ut cognito peccato, incipiat lucere agnitio Dei, et tolli peccatum, et accendi vera fiducia, dilectio et obedientia. Denique prorsus aliud est ista vestra disciplina, aliud ista iusticia, quae est haeres vitae aeternae.

Hanc propositionem declarat his verbis: Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est. Syllogismi instituuntur, quos pertexi ambos oportet. Nati ex corrupta natura, sunt caro corrupta, captiva peccati et mortis: lex non abolet hanc captivitatem, non tollit peccatum et mortem, ergo lege non potestis consequi iusticiam, et vitam aeternam. Alter syllogismus est: Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Vita aeterna est res spiritualis, vera lux, et Dei agnitio, vera dilectio Dei. Ergo necesse est haeredes vitae aeternae renasci ex spiritu. Cum hoc modo pertexuntur syllogismi, satis apparet esse declarationem refutationis, scilicet quod lege non possit aboleri captivitas peccati et mortis in carne: item, quod oporteat haeredes vitae aeternae renasci ex spiritu. Porro haec tota refutatio est concio poenitentiae: Docet hanc disciplinam legis non esse iusticiam coram Deo, non tollere peccatum.

Obiter autem hic observa antithesin vocabulorum, certum est vocari spiritum, non partem hominis, sed Deum moventem et sanctificantem mentes, et ipsos modus a Spiritu sancto ortos, ergo econtra caro significat non tantum appetitum sensuum, ut Origenes putavit: sed totam naturam hominis non renati appetitum sensuum, intellectum et voluntatem, sic et Paulus loquitur Rom. 7. et 8.

Audita autem hac refutatione, Pharisaeus obstupescit, quia humana ratio non aliam iusticiam videt, nisi legis, quae aenigmata, inquit, dicis? Nisi quis renatus fuerit, num potest haec natura refingi? Ego iusticiam intelligo, quam haec natura praestare potest. Absurdum est requiri a nobis impossibilia, satis sudandum, et decertandum ei esse puta, qui in hoc nostro stadio nunc cursum virtutis ita urget, ne ruat sciens in vitia. Magna et difficilis res est haec ipsa iusticia, quam nos praestamus. Absurdum est aliud requiri. Hoc certe vult interrogatio Pharisaei. Quomodo possunt haec fieri? Nec obscurum est omnes politicos viros vehementissime abhorrere ab hac extenuatione iusticiae legis, seu studii virtutis, ut ipsi loquuntur, nec ullam orationem existimant magis perniciosam esse vitae, quam cum reverentia legis minuitur. Hinc tanta acerbitas odii adversus Evangelium oritur, praecipue in talibus viris, sicut Paulus dicit: Ignorantes Dei iusticiam, suam iusticiam stabilire conantur.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.

Refutatio Pharisaei primum generaliter proponitur: Nisi quis renatus fuerit. Postea repetitur eadem sententia, adiecta brevi, sed nondum integra declaratione, quae facit mentionem ministerii. Deducit enim Christus nos initio ad ministerium Evangelii, quasi dicat: Intelligo te Nicodeme offendi novis concionibus Baptistae et meis, quod dicimus vestris exercitiis et disciplina non tolli peccatum, sed hoc prorsus affirmo, teque ad hoc novum ministerium deduco. Renasci te oportet per hoc novum ministerium baptismi, qui fit aqua et spiritu. Primum igitur monstrat ministerium, sed nondum integre explicata res est. Addendum est etiam quomodo sit efficax per hoc ministerium.

Porro Nicodemus magis obstupescit, audita mentione baptismi, quid hoc rei est? Num plus valet haec nova ceremonia, quam circumcisio? plusne, quam lex Mosi, tradita tantis miraculis? quantulum est hoc mergi in aquam? Haec omnia viro sapienti, et externa opera inter sese conferenti, admodum videntur absurda, quare suam ignorantiam confitetur, et quasi stomachans, et relicturus hunc magistrum, rursus quaeritur absurda, inepta et impossibilia dici: Quomodo, inquit, possunt haec fieri? Itaque Christus priusquam integram concionem absolvit, interponit obiurgationem durissimam: Tune es magister in Israël, et haec ignoras? quasi dicat: Tu et tui similes estis gubernatores Ecclesiae Dei, et doctrinam, quae solius Ecclesiae propria est, ignoratis. Cum igitur officium vestrum nec intelligatis, nec faciatis, Deo poenas gravissimas dabitis, et ex gubernatione vestra excutiemini: Nihilne interesse inter Ethnicos et Ecclesiam Dei censes? ea quae de honestis exercitiis, et disciplina docetis, norunt et gentes, sed vobis non tantum lex tradita est, sed etiam promissiones de Messia, has depravatis et detorquetis ad mundi imperia, non peccatum, non iusticiam, non Messiae officium novistis, et tamen in Ecclesia iactatis vos doctores verae iusticiae, et cohaeredes regni Messiae.

Nos vero quod scimus loquimur, etc.

Hic antithesis consideranda est. Taxantur enim Pharisaei, qui omissa vera doctrina de coelo tradita, lege Dei, et promissionibus, proponebant incertas opiniones et traditiones confictas humana autoritate, seu audacia potius. At in Ecclesia vox Dei sonare debet, non incertae et commentitiae opiniones, ut fuerunt ad gentes, Numae Pompilii religiones, et similes. Ideo Petrus inquit 1. Petri 3.: Qui loquitur (videlicet in Ecclesia) loquatur sermones Dei. Nam Petrus ibi de ministerio Ecclesiae praecipit.

Deinde Christus incipit de Messia concionari, propter quem baptismus est efficax, et illam superiorem propositionem integre declarat. Deduxit nos ad ministerium, ad baptismum. Cur hic est institutus, et quomodo est efficax? Propter Messiam. Hac de re iam concionatur, et sententias Pharisaeo iam proponit magis novas et mirandas, quam fuerunt superiores. Nam Pharisaeus de Messia cogitans, tantum expectat imperium mundi, florens iusticia, pace, et aliis virtutibus, tanquam auream aetatem poëticam. Hos errores Christus taxat, et ostendit, Messiam non solum non habiturum imperia mundana, sed etiam fore victimam mactandam pro humano genere, estque prima propositio.

Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo.

Refutatur error Pharisaeorum, qui putabant tolli peccatum, et placari iram Dei, illis suis exercitiis. *Christus* detrahit hanc laudem omnibus hominibus, Noae, Abrahae, Mosi, et omnibus sanctis. Nemo ascendit in coelum, videlicet, placans iram *Dei.* Nemo ascendit sine mediatore placante iram Dei, nisi ego; et adiicitur ratio: Quia ego descendi de coelo, ego sum ille, quem Deus pollicitus est, se missurum esse, ut tollat peccatum et mortem, de coelo venturus erat hic liberator, ut alio loco dicit: Glorifica me pater apud te ea gloria, quam habui ante mundum apud te. Haec sententia Pharisaeo nova erat, qui ignorabat filium Dei fuisse ab initio. Ac sequens sententia plus habet obscuritatis, cum ait: Qui est in coelo. Quomodo et descendit, et est in coelo? Descendit filius Dei, quia et induit naturam humanam, et humiliatur infra omnem captum humanum, dum fit victima pro peccatis generis humani, et tamen est in coelo, id est, cernit patrem, et retinet potentiam divinam, sicut cap. 5. dicitur: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Omittantur hic cogitationes de loco, in descensu fit mentio humiliationis et

mortalitatis. Dum ait, se esse in coelo, facit mentionem aeternae societatis cum Deo, qua patrem videt, et cum eo est efficax, tametsi, ut inquit Irenaeus, potentiam cohibuit, cum caro pateretur, verba Irenaei haec sunt: Christum passum esse requiescente verbo, ut crucifigi ac mori posset.

Sicut Moses exaltavit serpentem.

Prior propositio dixit: Per solum Messiam placari iram Dei, solum Messiam ascendere in coelum, hoc est, esse mediatorem et placatorem irae Dei. Sequitur secunda propositio, quae concionatur de morte Messiae, et de modo, quo beneficium eius apprehendimus. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, id est, ut mortuus serpens in deserto proponebatur vobis conspiciendus, et sanabantur illi, qui eum aspiciebant: ita vester Messias pendebit mortuus, sed haec mors erit vobis salutaris, si aspicietis, id est, si cognoscetis Messiam, et fiducia ipsius credetis vos recipi a Deo, ac sanari. Hanc concionem Pharisaeus magis miratus est. Is enim somniat aureum seculum, non cogitat Messiae foedissimum supplicium, nec scit mitti eum, ut fiat victima ad placandam iram Dei. Nulla creatura magnitudinem irae divinae adversus peccatum comprehendere potest. Ideo humanae mentes secure de Deo, tanquam de oblivioso rege cogitant, sed veram et horribilem iram esse magnitudo calamitatum humanarum significat, verum multo magis id declarat filii oblatio, quae testatur tantam vim irae Dei esse, ut nisi deprecatione, obedientia et morte filii, flecti Deus non voluerit. Haec non intellexit Pharisaeus, non cernens peccati deformitatem, et de ira frigide cogitans, et suam iusticiam immodice admirans. Nos igitur audiamus Christum, qui reprehendit has tenebras humanae hypocrisis, ac testatur non placari iram Dei, nisi per filium deprecantem pro nobis, et derivantem iram in sese.

Haec significat et typus, quem Christus huc accommodat, ex 21. cap. Num. Icti a serpentibus igneis, cum aspiciebant aeneum serpentem, ad hoc ordinatum mandato Dei, sanabantur. Facilis est enarratio, natura humana horribiliter icta est a serpente in lapsu parentum. Ignea et acerrima fuit vis veneni, quod afflavit ille serpens, id est, persuasionis seu deceptionis, quae impulit mentes ad inobedientiam, quam secuta est bonorum coelestium spoliatio et mors. Sed haec quia communia sunt omnium, leviora ducimus. Non quiescit hic serpens, sed novis morsibus accendit vetus venenum in singulis, nec quisquam est, qui non saucietur aliquo in signi vulnere, ut raperet amici coniugem, interficeret maritum. Hoc vulnus cum fecisset serpens in corde Davidis, quae postea secutae sunt caedes filiorum, seditio, stupratae coniuges? His tantis malis vulnus Davidis crudelissime laceratum est. Hic sensit se non esse iustum sua munditie, hic sensit magnitudinem miseriae humanae, et vim maledictionis, et opposuit promissionem ac didicit intelligere benedictionem promissam propter Messiam, quod a saevitia diaboli et regno peccati nos liberaturus sit. Sicut postea in Ioanne scriptum est: Filius Dei apparuit, ut destruat opera diaboli. Hac fide misericordiae Dei promissae propter Messiam deprecatorem et liberatorem, David se sustentabat.

Ut autem in deserto aeneus serpens erigitur mandato divino, ita et Messias mandato aeterni patris mittitur, et fit victima. Ut igitur mortuus serpens, pendet in cruce Christus mortuus, qui et ipse figuram gerit serpentis, quia induit similem naturam carnis peccati, ac sustinentem poenas peccati, sensum irae Dei et mortem: sed ut sanabantur aspicientes figuram illam, ita vult Deus aspici Messiam, id est, agnosci et credi, quod ipso deprecante et liberante sanemur. Haec ita declarentur in ipso textu, sequitur enim.

Sic oportet filium hominis exaltari, ut omnis qui credit in eum, non pereat.

Iam haec pars concionis superiori additur, cum de ministerio diceretur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu. Quomodo fit haec regeneratio? quomodo est efficax Spiritus sanctus? quomodo illucescit in homine nova et aeterna iusticia et vita? Respondet intuendo in Christum crucifixum, hoc est, fide seu fiducia apprehendente misericordiam. Cum in poenitentia et veris terroribus fide sustentamur et erigimur, certum est fieri reconciliationem, remitti peccata, et donari Spiritum sanctum. Simul enim, cum hac ipsa fide sustentamur, accipitur Spiritus sanctus, ut ad Gal. 3. dicitur: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Ideo et Hab. 2. ait: Iustus fide sua vivet, id est, fide utrunque

consequimur, iusti, hoc est, accepti Deo reputamur, et vivificamur, hoc est, nova vita et luce induimur, quae est incoatio vitae aeternae. Et Zach. 12.: Effundam super domum David et super habitatorem Israël spiritum gratiae et precum. Est et haec luculenta descriptio reconciliationis et regenerationis. Spiritus gratiae, id est, qui testificatur in nobis, nos Deo gratos et acceptos esse, id fit, cum fide erigimur, ac statuimus nobis remitti peccata propter Christum. Deinde agnita misericordia Dei, incipimus eum invocare, et nos ei subiicere, sicut Paulus inquit, Rom. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Quare Zacharias aptissime nominat spiritum precum, quia invocatio proprius cultus est solius Ecclesiae, ac deinde reliquam obedientiam complectitur.

Sic enim Deus dilexit mundum, etc.

De fide et iustificatione iam satis perspicue concionatus est Christus, tamen eandem sententiam iam rursus inculcat, addita brevi commemoratione causae. Sic Deus dilexit mundum. Haec pars concionis etiam magis superat captum humanum, quam superiora. Non cernit ratio diligi homines a Deo, cum tantis aerumnis et calamitatibus humana natura oppressa sit, deinde accedit vox legis, quae magis etiam denunciat iram, accedit et iudicium conscientiae, quod est ut Paulus inquit: Chirographum scriptum contra nos, id testatur nos contumaces esse legi Dei. Unde igitur constat nos diligi a Deo? Hic Christus sua voce profert hoc Evangelium, ex sinu aeterni patris. Imo, inquit, Deus diligit homines, et testimonium evidens addit, quia filium suum unigenitum dedit, fecit victimam pro genere humano.

Mirum est consilium, et longe superans omnium angelorum atque hominum captum, et cuius cogitatione omnes homines contremiscere oportebat, sicut tota natura contremuit, cum filius Dei in cruce penderet. Nec ullum est illustrius testimonium in utranque partem, irae Dei et misericordiae, quam mors filii. Multa sunt alia signa irae Dei adversus peccatum, ut mors totius generis humani, et singulares poenae supra naturam, ut diluvium commune toti orbi, Sodomorum conflagratio, Pharaonis interitus in aqua, cum Israël in eadem via non interiisset, denique infinitae omnium hominum calamitates, sed hae poenae omnes inferiores sunt morte filii Dei. Necesse est igitur veram et ingentem iram esse, quae placari alio modo non potuit, non nece Abel, non morte, et aliis miseriis omnium sanctorum. Iam cogitemus quanta sit impietas, propositis tantis exemplis irae, tamen secure, vel negligere, vel contemnere iudicium Dei.

Sed ut peccatum cumulatur in his, qui mortem filii Dei contemnunt, ita rursus his qui expavescunt, est testimonium summum misericordiae Dei, hoc discrimen Christus infra tradit: Qui mala agit, odit lucem. Securi, ferrei, non agentes poenitentiam, contemnunt mortem filii Dei, sed alii, qui veritatem faciunt, qui non sunt securi Epicurei, vel hypocritae, sed agnoscunt iudicium Dei, et veritati cedunt, fatentur se esse reos, expavescunt et confugiunt ad Deum iuxta promissiones, his mors filii Dei erit pignus misericordiae, et de his dicitur: Ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Monet autem hic locus: Quid sit fides, scilicet credere quod diligamur a Deo propter filium, seu, quod idem est, dictum aliis verbis, fiducia misericordiae propter filium. Et ad has explicandas, oportet addi ex Paulo particulam gratis, hoc est, quod propter filium recipiamur, quanquam indigni. Nam omnes has conciones de fide passim in historiis Evangelii obruunt et depravant Monachi affingentes falsam interpretationem: Sic diligeris, sic prodest credere in filium, si satis habeas meritorum. Haec interpretatio transformat Evangelium in legem, et extinguit fidem. Nam Evangelium ideo monstrat Christum, quia non habemus merita, et legi non satisfacimus. Quare diligenter observanda est particula Gratis, ut vere intelligatur, quid hic fidem nominet Christus, videlicet fiduciam, quod a Deo diligamur et recipiamur propter filium mediatorem gratis, cum quidem simus indigni et rei, observanda est autem particula, quod filius nominatur unigenitus, nam hic discernitur a filiis adoptatis. Nam cum Christus vocetur proprie genitus a patre, necesse est eum esse de substantia patris, ut supra dictum est.

Non enim misit Deus filium suum, ut iudicet, etc.

Repetit eandem concionem multo dulcius, etsi filius iudicat mundum, ut alias dicitur, Ioann. 9.: In iudicium veni in hunc mundum etc., ta-

men hic loquitur de principali causa suae missionis, et mox occurrit obiectioni: Qui non credit, iam iudicatus est. Iam est lata sententia de omnibus contemnentibus hunc salvatorem, sed tamen erunt aliqui non contemnentes, non peribit totum genus humanum, erit aliquis coetus, qui audiet unc filium, et credet ei, ac salvabitur.

Qui credit in ipsum, non iudicatur.

Haeret peccatum in omnibus hominibus, propter quod omnes sunt rei, et accedit alterum peccatum in multis, contemtu filii Dei, sicut infra dicetur: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Ubi igitur non est agnitio misericordiae, et reconciliationis propter filium promissae, necesse est sequi aeternam iram: quia peccatum non est remissum, sed cumulatum. Econtra, ubi agnitione filii Dei, et fide accipitur remissio peccatorum, liberantur mentes ab ira Dei. Dictum Christi nihil habet obscuritatis, sed antithesis consideranda est. Pharisaeus putabat tolli peccatum, et iram Dei, et dari vitam aeternam propter legem, de Messia nihil tale cogitabat, sed somniabat gubernaturum esse mundi imperium. At econtra Christus ait: ita tolli peccatum et iram Dei, ac dari vitam aeternam, si credamus in hunc Filium, Messiam et Salvatorem.

Qui autem non credit, iam iudicatus est, etc.

Sententia damnationis non habet opus nova promulgatione, quia statim post lapsum primorum parentum, oppressa est peccato et morte universa posteritas, propter sententiam ante latam in Paradiso: Morte morieris. Iam igitur iudicati, hoc est, damnati sunt omnes homines. Sicut Paulus inquit, Rom. 3.: Omnes peccaverunt, id est, rei sunt, et carent gloria Dei. Et ad Ephes. 2.: Eramus natura filii irae. Sic autem fit liberatio, cum fide agnoscimus filium, et accipimus reconciliationem, et ex regno tenebrarum traducimur in regnum filii Dei, et per vocem Evangelii nova luce, et vita aeterna donamur. Cum igitur praecesserit damnatio complexa totum genus humanum, et hi qui non liberantur, maneant in ea damnatione, recte hic dicitur: Qui non credit, iam iudicatus est. Porro haec ipsa damnatio, seu ira Dei, etsi ex morte et caeteris calamitatibus intelligi debebat, tamen etiam verbo Dei per Patres, Prophetas, Christum et Apostolos declarata est, et semper haec vox ostendens iram Dei, in Ecclesia sonare debet. Ideo Paulus sic orditur suam concionem: Revelatur ira Dei de coelo super omnem iniquitatem et iniusticiam hominum. Item Psal. 13.: Deus de coelo respexit super filios hominum, etc. Omnes declinaverunt etc. Hae conciones sunt sententiae iam latae de omnibus, sed ab hac condemnatione eripiuntur hi, qui agnitione verbi Dei, seu fide accipiunt reconciliationem. Diligenter autem considerandum est, quod causam damnationis ait esse, non credere in filium Dei. Etsi enim peccatum haerens in natura etiam causa est in non credente, tamen quia hoc peccatum regitur fide in his qui credunt, etiamsi maneat reipsa, tamen non damnat, sed gratia exuberat supra peccatum.

Haec omnia videbantur Pharisaeo nova et absurda, et in universum aliena sunt a iudiciis humanis, quae tantum intelligunt iusticiam legis. Mirum est tibi ipsi quoque agnoscenti tuam imbecillitatem, quod Deus affirmet se tibi velle vitam aeternam dare, propter filium, cum adeo sis vitiosus, magis consentaneum tibi videretur, fieri haeredem vitae aeternae, si in te deprehenderes mirificas virtutes, flammas amoris Dei, excellentem lucem divinam. Haec quia non deprehendis in te, dubitas, at hanc ipsam dubitationem reprehendit vox Evangelii, quae iubet credere, quod Deus propter filium mediatorem vere velit te recipere, et exaudire. Haec exercitia piis nota esse debent.

Hoc est autem iudicium, quod lux venit in mundum.

Discernit, ut supra dixi, homines, alii accipiunt filium, alii non accipiunt. Soli autem accipientes filium, fiunt salvi, caeteri pereunt. Accipiunt autem hi qui Evangelium audiunt, agnoscunt se reos esse, et afferri vitam per filium, hoc vocat iudicium, id est, praedicationem Evangelii de poenitentia et remissione peccatorum. Lumen venit in mundum, id est, Christus ipse praedicans hoc Evangelium de poenitentia et remissione peccatorum, quod etiam propter Christum semper in Ecclesia sonat. Sed maxima pars mundi hunc Christum et hoc Evangelium contemnunt, diligunt homines tenebras, non agnoscunt peccatum, nec iram Dei, nec invocant Deum, nec quaerunt mediatorem, et verbum, in quo Deus patefecit suam volunta-

tem de futuro iudicio, de remissione peccatorum, de vita aeterna, u constat maximam partem hominum, aut esse Epicuream, aut hypocriticam, et utrique diligunt tenebras. De Epicureis non est dubium, quia, qui verbum Dei fabulosum esse existimant, manent in tenebris et in ignoratione Dei, et aeterna ira opprimuntur. Sic pereunt et hypocritae, ut Saul, Iudas, et alii, etsi non volunt videri ἄθεοι, sed iactitant se agnoscere et timere Deum, tamen suas quasdam vel opiniones, vel cupiditates anteferunt verbo Dei, et in aliis alii sunt errores, aliae cupiditates. Pharisaeis adeo infixa erat persuasio de regno mundano, et admiratio legis, ut vehementissime abhorrerent a Christo, quem videbant non esse mundanum regem, et audiebant extenuare iusticiam humanam. His opinionibus fascinati, oderant verbum Dei, nec invocabant Deum in vera fide, imo varie irritabant blasphemiis et tyrannide. Ideo manserunt in tenebris, et oppressi sunt poenis et aeterna ira Dei.

Haec est mundi historia omnibus temporibus, maxima pars hominum nunc quoque est Epicurea, alii sunt hypocritae, ut sapientes viri inter adversarios Evangelii, in his acerrima odia Evangelii existunt, propter duas causas, cum praesentem formam politiae, seu Ecclesiae, ut vocant, labefieri et concuti videant, non possunt non indignari, et multas habent humanas causas huius sui doloris. Deinde cum audiunt in doctrina quaedam parum plausibilia, confirmatur eorum furor, ut nunc, cum audiunt adversarii has sententias: Quod fide iusti reputemur propter Christum, non propter nostras virtutes, quod sit idolatrica invocatio mortuorum, et Missae papisticae, mirabiliter accenditur rabies. Manent igitur in tenebris, ut de aliis supra dictum est.

Econtra faciens veritatem venit ad lucem.

Id est, agnoscens peccatum et iram Dei, et anteferens verbum Dei propriis opinionibus et cupiditatibus. Is audit Evangelium, et credens fit filius Dei. Ita fiunt eius opera in Deo, id est, Deo iam gubernante.

Post haec venit Iesus et discipuli eius, etc.

Adhuc agitur primus annus post baptismum Christi, et redierat Christus post Pascha in Galilaeam, nunc fortassis ad Pentecosten redit in Iudaeam. nondum coniectus erat Baptista in carcerem, quia iam propius Galilaeam accesserat, versabaturque in loco vicino Tyberiadis ad lacum Genezareth. Nam non procul ab eo lacu erant Aenon et Salem, cuius hic fit mentio. Nam Hieronymus ait etiam sua aetate vicum fuisse, cui nomen fuit Salimias, non procul a Scythopoli, distans a Ierosolymis circiter 10 miliaria nostratia.

Quaestio autem hic repetitur de baptismo, a quo sit institutus. An liceat huic Iesu et eius discipulis baptizare, aut quid intersit inter utrunque baptismum, quid etiam intersit inter personas, Ioannem et Iesum. Hic recitatur gravissima concio, in qua Ioannes personas discernit, et plenissime tradit summam Evangelii, et simul docet se fungi ministerio, quod illi serviat, se non sibi quaerere aut adiungere populum, sed ad illum deducere, et efficax esse ministerium propter ipsum. Orditur autem a generali sententia maxime memorabili, etsi de Ecclesia proprie loquitur, tamen etiam politicum praeceptum est, et quia politica exempla facilius intelliguntur, ab his ordiar interpretationem.

Non potest sibi homo sumere quicquam, etc.

De eventibus et profectu concionatur. Homo non potest gerere res magnas, et salutares sibi et Reipublicae, potiri imperiis, constituere durabilem et mansurum statum, retinere autoritatem, nisi adiuvetur divinitus. Antonius, Cassius, Dolabella, et multi alii appetebant eum locum in imperio Romano, quem Iulius tenuerat, viderant illius exemplum, et existimabant se suis consiliis ac apparatibus posse consequi eadem, quae ille adeptus fuisset. Haec κακοζηλία semper in mundo innumerabiles homines fallit. Quia vero Deus non adiuvat Antonium et caeteros, non solum frustrantur sua spe, sed etiam sibi ipsis exitium accersunt, et implicant Rempublicam perniciosis bellis. Interim Deus excitat adolescentem imbecillem Augustum, hunc evehit, munit, custodit, adiuvat, huic Rempublicam tradit, caeteris depulsis. Hunc tot illustria exempla admonuerunt, ut agnosceret frustra homines appetere imperia et gubernationes, nisi divinitus adiuventur.

Similium exemplorum plenae sunt omnes aetates, et omnes historiae. Lentulus invidet gloriae Scipionis, et cupit ad se transferri laudem finiti belli Punici, sed non videt ineptus, se ne-

quaquam similem esse Scipioni. Debebat igitur agnoscere suam mediocritatem, et nequaquam se conferre superiori. Quid est usitatius, quam quod multi conantur leges ferre, reformare suas civitates, ut vocant, sed nihil salutare, aut durabile constituitur, nisi Deo adiuvante, ut Solonis, Augusti, et similium quorundam leges fuerunt utiles civibus, et duraverunt: interim quam multorum futiles emendationes turbaverunt Atticam civitatem et Romanam.

In talibus vitae negotiis cogitemus hanc sententiam: Non potest homo sibi quicquam sumere, nisi sit ei datum de coelo. Haec sententia doceat nos, gubernationem esse opus Dei, moneat, ne sine vocatione res magnas suscipiamus, haec modestia utilis est paci et concordiae publicae.

Quanquam igitur et politicum praeceptum est, tamen quia Baptista de Ecclesia loquitur, dicamus de ministeriis Ecclesiae. Ministeria, gubernationes, cultus, nec placent Deo, nec sunt efficaces, nec durabiles, nisi Deus sit autor et adiutor. Ioannes minister fuit baptismi, ad quem divinitus certis testimoniis vocatus fuit. Hoc igitur ministerium placuit Deo, fuit efficax et durabile. Idem Ioannes agnovit modum suae vocationis, ac toties profitetur se non esse Messiam. Si sibi sumeret alienum honorem, abiiceretur a Deo, et cito dissiparetur eius gubernatio. Ideo sic praefatus est: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum de coelo. Fuit infelix gubernatio regis Achas, etsi multa molitus, multa conatus est, et praesidiis vicinorum regum diligenter se communiit. Econtra Ezechiae gubernatio fuit felix et salutaris, quia divinitus adiuvabatur. Ieremias servavit populum, novo et inusitato consilio, cui reges, sacerdotes, et omnes sapientes adversabantur. Huiusmodi exempla innumera sciamus pertinere ad hanc sententiam, et nos ipsi discamus nihil tentandum esse sine vocatione, nec confidamus humanis consiliis, aut viribus, sed sciamus gubernationes vere esse opera Dei, et non esse felices, nisi Deo iuvante. Quare necessaria tantum, quae postulat vocatio, faciamus, et auxilium Dei imploremus, sicut Psal. 36. praecipit: Commenda domino viam tuam, et ipse faciet. Item: Subditus esto Deo et spera in eum, id est, suscipe opera vocationis necessaria, et sustine eas aerumnas, et ea pericula, quae affert vocatio, et confide Deum tibi affuturum esse, sicut 2. Paral. 19. dicitur: Sitis fortes, et facite, quia erit dominus cum bono.

Ipsi vos testes estis quod dixerim.

Apte cohaeret oratio, ante, ut in syllogismo, maiorem proposuit, nunc minorem attexit. Memini meae vocationis, clare profiteor me non esse Messiam, sed ministerium eius, et testem missum ante eum, id est, ut annunciem ipsum mox affuturum esse. Plurimum refert in Ecclesia discrimen intelligi, inter personam Christi et Prophetas, Apostolos ac omnes doctores. Solus filius Dei est victima pro nobis et mediator, propter hunc solum recipimur a patre fiducia ipsius, solus hic dat Spiritum sanctum et vitam aeternam: sed Prophetae, Apostoli et caeteri doctores proponunt Evangelium, testantur de salvatore illo, nec habent autoritatem excogitandi novam doctrinam et novos cultus, nec invocandi sunt, nec fiducia in ipsos collocanda est. Hoc discrimen etsi se multi intelligere putant, qui verba utcunque sequuntur, et recitant, tamen re vera non intelligunt isti, qui iusticiam fidei ignorant, seu qui somniant se iustos esse, id est, placere Deo, et acceptos esse ad vitam aeternam, propter suas virtutes, aut impletionem legis. Hi tantum imaginantur Christum doctorem esse, aut monstratorem, qualis fuit Moses, aut alii Prophetae. Saepe igitur Baptista de hoc discrimine concionatur, et hanc concionem hic gravissimis verbis repetit.

Qui habet sponsam, sponsus est.

Similitudine declarat discrimen, ut sponsus perpetuo foedere et amore sibi sponsam iungit, ac corpus ei, ac omnes fortunas addicit. Amici vero invitati sunt testes, et sponso gratulantur honorem. Ita Christus est sponsus Ecclesiae, iungit hanc sibi aeterno foedere et amore, et omnia sua bona ei donat, sapientiam, id est, Evangelium seu agnitionem veram, Dei et misericordiae, iusticiam, defensionem admirabilem, resuscitationem ex morte, et vitam aeternam. Ac mirum est, quod scriptura aliquoties monet, amorem sponsi et sponsae. Item, perpetuam coniunctionem sponsi et sponsae esse imaginem amoris et foederis Christi et Ecclesiae. Haec si possemus re vera aspicere, ut sunt ordinata a Deo, collatio doceret et consolaretur nos uberrime, ideo sequitur:

Gaudium meum impletum est, etc.

Baptista agnoscit hunc sponsum, videt quo amore Ecclesiam complectatur, scit aeternum et indissolubile foedus esse inter filium Dei, et Ecclesiam, cuius se quoque membrum esse statuit, scit hunc sponsum impertire nobis iusticiam, defensionem, et liberationem a morte, et vitam aeternam.

Illum oportet crescere, me autem minui.

Repetit concionem de persona Christi, quem, ut saepe dictum est, diligenter et multis verbis discernit a Prophetis, Apostolis et omnibus doctoribus. Etsi gero magnum munus, doceo, repurgo Ecclesiam, habeo discipulos, tamen minister sum Messiae, ad hunc deduco auditores. Nos ministri sciamus nos tantum nuncios esse huius domini, et dominum ipsum nobis anteferamus, non mutemus mandata, non existimemus humanis consiliis regi aut conservari Ecclesiam, sed sciamus ipsum dominum efficacem esse in hoc ministerio, et mirabili modo regere et servare Ecclesiam. Me oportet minui. Nolo me aliud dici, nisi huius domini ministrum, ad ipsum vero accedat Ecclesia, ab ipso petat liberationem a peccatis et a morte, non a me, aut caeteris ministris.

Qui de supernis venit, super omnia est.

Hic discrimen clarius indicat, quare omnibus antecellat Messias, quia de coelo venit.

Hic significat in Christo esse duas naturas, ut et supra significavit, et testatur filium Dei ante assumtionem humanae naturae apud aeternum patrem fuisse, et se pro Ecclesia voluntati patris subiecisse, statim post lapsum. Ideoque missum esse de coelo, ut indueret naturam humanam. Est igitur supra omnes, quia est natura filius Dei, natus de substantia aeterni patris. Eodem pertinet quod sequitur.

Quod vidit et audivit testatur.

Id est, filius patefecit arcanam voluntatem Dei, ignotam omnibus creaturis de remissione peccatorum, de restituenda vita aeterna, sicut supra dixit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Et Matth. 21.: Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit, nisi filius, et cui voluerit filius revelare.

Qui ex terra est, terrena loquitur.

His dictis opponit alia. Qui est ex terra, ex terca est, et terrena loquitur. Generale dictum est ad naturam humanam pertinens, qui est ex terra, id est, mortalis est, non habens lucem spiritualem, sapientiam cernentem et glorificantem Deum, et iusticiam, quae legi Dei satisfacit. Ex terra loquitur, id est, intelligit ac loquitur de rebus rationi subiectis, non cernit voluntatem Dei, ut Plato, Cicero, et similes, intelligunt bona, quaenam? Honestum civile, commoda vitae, bonam valetudinem, vires corporis, potentiam, facultates, opes, et haec appetunt, eaque cum sunt adepti, nihil vident maius. Haec cum amittunt voluntatem Dei ignorant, non statuunt se respici, et exaudiri a Deo, imo oppressi calamitate, maxime incipiunt dubitare de providentia. Tota ergo sapientia humana, et tota philosophia hic comprehensa est. De terra loquitur, id est, de perituris bonis, non de Deo, non de voluntate Dei, non de luce, sapientia et iusticia aeterna. Talis est sapientia omnium sine verbo et luce, quam affert Messias dato Spiritu sancto, sed quatenus accenditur Evangelio Dei nova lux, eatenus incipiunt renati, non tantum terrena, sed etiam divina intelligere, et loqui. Sic accipienda est in textu antithesis, ut hoc dictum de natura humana non renata verbo et Spiritu sancto, intelligatur. Qui ex terra est, terrenus est, id est, mortalis, et terrena loquitur, altera pars antithesis est.

Et testimonium eius nemo accipit.

Videlicet, nisi quem pater traxerit. Caeteri rebelles etiam trahenti Deo repugnant. Item eos admonet de specie Ecclesiae. Iudaei expectabant Messiam, qui domitis gentibus gloriose regnaturus esset, et cuius potentia omnium gentium oculis conspicienda esset. Denique regem cogitabant Alexandri similem, sed potentiorem et iustiorem. Sed longe aliam speciem ducis et populi describit Baptista. Hic Messias concionabitur, trucidabitur, ut victima, erit sine armis, sine humana potentia, hunc ducem pauci sequentur. Quia testimonium, id est, doctrinam eius testificantem de voluntate Dei, nemo accipit, videlicet, nisi qui trahitur a Deo. Rursus ergo et haec pars antithesis intelligatur de natura humana,

non adiuta a Spiritu sancto. Hanc mitigationem probat sequens dictum.

Qui autem accipiet.

Hic testatur aliquos sequi hunc ducem, sed paucos. Erit igitur Ecclesia exigua, sine potentia et praesidiis humanis, dissimilis imperiis mundi, dissipata, etc. Qui accipit testimonium eius, is signat (id est, testificatur certo), quod Deus sit verax. Brevitas auget obscuritatem, quare si conferatur antithesis, fortassis aliquid accedet lucis. Qui non credunt Evangelio, hi nec intelligunt, nec iudicant veram esse doctrinam, sed aspernantur, tanquam portentosam fabulam, ut omnes impii de Evangelio semper iudicarunt. Sed econtra, credentes agnoscunt vere coelestem doctrinam esse, de voluntate Dei. Unde autem oritur haec certitudo, seu πληροφορία? Olim Enthusiastae et multi postea Fanatici, neglecto verbo Dei, certis praeparationibus et ieiuniis, quaesierunt singulares motus Spiritus sancti, et singulare lumen, et revelationes, sed haec deliria repudianda sunt, et tenenda regula infallibilis: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Item: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item 2. Petr. 1.: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui, recte facitis, attendentes, tanquam lychno lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, et oriatur lucifer in cordibus vestris. Hae sententiae testantur, non esse revelationes extra verbum Dei, aut sine verbo Dei quaerendas. Ergo ad certitudinem conscientiae, seu πληροφορίαν primum opus est tenere certum et planum verbum Dei.

Sed cur assentitur David, Saul non assentitur? Cur David iudicat doctrinam populi Israël a Deo esse, et se consequi promissiones, quas offert doctrina? Saul cogitat se nihilo magis Deo curae esse, quam vicinos reges, nec magis a Deo esse huius gentis opiniones, quam aliarum. Hic discrimen fit hoc modo, quia David assentitur verbo Dei, Spiritus sanctus simul efficax est, et convenientes motus in corde exuscitat. Doctrina poenitentiae de ira Dei adversus peccatum incutit eis veros terrores, in his agnoscit vere Deum irasci peccato, et in suo exemplo intelligit etiam alios, non casu in poenas incidere, sed Dei iudicio et voluntate, Saul existimabat casu, et sine gubernatione et providentia Dei, nunc Philistaeos, nunc Israëlitas succumbere. Rursus, cum David audita consolatione de remissione peccatorum assentitur illi voci, simul est efficax Spiritus sanctus, et vere pacem in corde eius, et tranquillitatem efficit. Ibi sentit se acquiescere David in agnitione et fide misericordiae Dei. Haec consolatio ostendit verbum Dei esse efficax, et accendit novam lucem, qua iam sentit David vere se a Deo recipi et curari, vere ab eo petit et expectat praemia, defensionem, gubernationem, victorias, et vitam aeternam.

Ideo dicitur ad Rom. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Idem hic spiritus testificatur cum spiritu nostro, quod sumus filii. Et 2. Corinth. 3.: Cum redierint ad dominum, auferetur velum. Hic dicit, auferri caliginem et dubitationem, cum fit conversio ad Christum. Aliquanto post addit: Nos autem omnes retecta facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a domini spiritu.

Haec est insignis sententia, et vere pertinens ad hunc locum Baptistae, quo dicitur: Qui testimonium eius accipit, signat seu testificatur, quod Deus sit verax. Significat autem Paulus, cum in veris terroribus et agnitione irae Dei adversus peccatum confugimus ad Christum, et statuimus vere nos recipi a Deo propter filium mediatorem, et hac fiducia nos sustentamus, exoriri in nobis firmiorem noticiam misericordiae Dei erga nos, quae etiam alias virtutes parit.

Hinc igitur est certitudo, cum assentientes Evangelio, confirmamur per Spiritum sanctum, ac firmiorem noticiam providentiae, irae Dei adversus peccata, et misericordiae Dei erga nos concipimus. Ideo et Baptista dicit: Qui testimonium eius accipit, id est, qui assentitur voci Christi, testificatur, confirmatur a Spiritu sancto, et concipit firmam noticiam, qua statuit Deum veracem esse, Evangelium non esse commentitiam fabulam, ut Epicurei et similes imaginantur. Quid magis ridiculum senatui Romano videri potuit, quam quod Paulus narrabat: Senatum Romanum non esse coetum Deo placentem, sed se et suos auditores, miseros errones, Deo placere, et habituros regnum aeternum in coelo. Paulus enim assentiens Evangelio, conceperat firmam noticiam, senserat iram Dei adversus peccatum, senserat consolationes ex fide, seu fiducia filii Dei ortas. Iuxta illud: Spiritus sanctus testificatur cum spi-

ritu nostro, quod simus filii Dei. Hos terrores et has consolationes nesciebat senatus Romanus. Quare? Quia non assentiebatur Evangelio. Denique Spiritus sanctus non est efficax in his, qui Evangelio non assentiuntur. In his vero, qui in vera poenitentia assentiuntur voci Evangelii, haud dubie est efficax. Haec est testificatio et σφραγίς, seu sigillum, de quo hic loquitur, et unctio, quae alias sic dicitur in Epistola Ioannis.

Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.

De Christo loquitur, ut et supra aliquoties testificatus est: Hunc Iesum esse Messiam a Deo missum, et audiendum esse, imo etiam arcanam sententiam addidit: Qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Quo dicto testificatur, hunc longe supra omnes Prophetas esse, imo Peophetas ab ipso accepisse doctrinam de arcano consilio Dei, videlicet, de redemtione generis humani, de abolendo peccato, de restituenda vita aeterna, de remissione peccatorum, hanc voluntatem patris solus filius, qui novit patrem, primum revelavit. Ita supra de eo Baptista concionatus est, et nunc eandem sententiam fere repetit: Quem misit Deus, verba Dei loquitur, iubet hunc audiri, et testatur a Deo missum esse, et loquitur de missione Messiae. Nam de eo erat quaestio: An hic Iesus esset Messias, et an ut Messias audiendus esset, et proxima dicta loquuntur de Messia, de filio Dei, ut verba satis perspicue ostendunt.

Non ad mensuram dat Deus Spiritum.

Scilicet filio, quem misit, ut enim supra dixit: Ex plenitudine eius omnes accipimus, ita nunc ait: donatum esse Messiam plenitudine Spiritus sancti, perfecta sapientia et iusticia, et quidem potentia sanctificante et vivificante caeteros sanctos. Moses habuit gloriosam vocationem, eduxit populum ex Aegypto, et rexit in deserto, sed tamen haec vocatio non liberabat populum a morte aeterna. Deinde etiam in hac praesente iusticia multum habebat confusionum. Ipse etiam Moses tantum habebat incoatam lucem et agnitionem Dei, et incoatam insticiam, et adhuc haerebat in eo ingens dubitatio, quae se ostendit, cum bis percuteret petram. Sic de singulorum Prophetarum vocatione, luce, iusticia, dici potest: et in summa, Prophetae rexerant illam politiam, et fuerant ministri verbi, sonabant promissionem patribus traditam, et declarabant. Erat igitur is datus Spiritus sanctus ad certam mensuram, ad certam vocationem, Samuel gessit res magnas, sed tamen certa mensura, alias gessit David, alias Elias, alias Ieremias, magna horum dissimilitudo fuit. Et prudentia est, unumquemque intelligere suam mensuram, nec conari aut moliri res supra vocationem, sicut Saul conabatur. Quare et ad Rom. 12. praecipitur: Ut unusquisque agnoscat modum, seu mensuram sibi datam, nec supra eam mensuram, res maiores conetur. Haec moderatio difficilis est magnis viris. Hic Gedeon impegit, constituto cultu, Saul multo tristiore lapsu peccavit. David etiam nonnihil offendit, cum numeraret populum, cogitans fortasse de regni constitutione non mandata.

Sed Christus longe supra omnes Prophetas est, plenitudine spiritus et vocatione. Habitat in eo divinitas corporaliter, sicut inquit Paulus ad Coloss. Abundat igitur noticia Dei, et insticia, habet et vocationem maiorem, liberat a morte, a peccato, reddit perpetuam iusticiam et vitam, et ut hoc efficiat, ita abundat Spiritu sancto, ut impertiat aliis spiritum, accendentem hanc lucem in eis, noticiam Dei, iusticiam et vitam perpetuam.

Haec magis declarat Baptista sequenti dicto.

Pater diligit filium, et omnia dedit in manus eius.

Differunt dilectio, qua Deus diligit unigenitum filium, et dilectio, qua nos diligit. Nos diligit propter filium, et placatus eius morte. Sed filium diligit non propter aliquem mediatorem, sed sua inenarribili στοργῇ, quia ex ipso natus est, quae quidem tanta est, ut propter ipsum et nos recipiat. Si possemus hic stoicas opiniones de Deo abiicere, et cogitare verum, et ardentem amorem esse in patre aeterno, quo filium diligit, et propter filium alios, uberrimam consolationem haec agnitio divini amoris erga filium nobis afferret: sed haec verbis explicari non possunt, pietate mentis utcunque ea meditemur. Baptista declarat vim amoris, et addit: Quia vere diligit pater filium, ideo omnia tradidit in manus eius, id est, hunc constituit datorem sapientiae, iusticiae, vitae aeternae. Huic tradidit potentiam destruendi opera diaboli, peccatum et mortem, tradidit et potentiam regendae et servandae Ecclesiae,

etiam in hac vita, et reprimendi grassantem diabolum, ideo illustribus operibus glorificat Ecclesiam etiam in hac vita, sic ut mirabilibus operibus semper servavit, ut in diluvio, in Aegypto, in deserto, et postea tempore Iudicum et Regum Iuda et Israël, omnia plena sunt mirabilium operum. Et quanquam non eodem modo hae servationes incurrunt in oculos, tamen semper usque ad finem mundi fient mirabiles quaedam liberationes, sicut in Osea dicit: Salvabo eos, sed non in arcu, neque in gladio. Hanc doctrinam nos in Ecclesia tueri necesse est, cum terribilis mundi potentia in oculos incurrit, et videtur Ecclesiam obruitura esse, ut nunc Turcica potentia, item aliorum regum saevitia.

Qui credit in filium, habebit vitam aeternam, etc.

Dixit de persona Messiae: Hunc Iesum esse Messiam, filium Dei, habere plenitudinem spiritus, ac potentiam dandae novae ac perpetuae lucis, sapientiae, iusticiae et vitae. Nunc de applicatione concionatur, quomodo haec beneficia consequamur, quomodo excipiendus, aut colendus sit Messias. Vehementer autem abhorrebant ab hac concione Pharisaei, qui intelligebant his verbis tribui Messiae honorem divinum, intelligebant item Messiam dici a Baptista, non instauratorem regni politici, sed datorem vitae aeternae. Hanc non sic expetit mundus, ut non malit praesens imperium florere gloria victoriarum, tranquillitate, bono ordine, opibus etc. Has magnificas spes omnes de imperio mundi iubet Baptista abiicere, et concionatur de rebus aeternis, iusticia et vita aeterna, et de ira Dei aeterna.

Diligenter observandus est consensus doctrinae de iusticia et fide. Prorsus eodem modo loquitur de fide, sicut Christus, Apostoli in Actis, et Paulus loquuntur, sic Christus supra inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis credens in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Sic et Apostoli in Actis dicunt: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes credentes in eum; et Paulus: Iustificati fide pacem habemus. Ita hic plane inquit Baptista: Qui credit in filium, habet vitam aeternam, qui autem non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum. Verba congruere manifestum est. Quid autem vult hic tantus consensus? Retineamus proprietatem verborum, nec fingamus peregrinas opiniones, simus discipuli tantorum doctorum, non gignamus in Ecclesia aliud doctrinae genus: verba clare iubent, ut credas tibi remitti peccata, et te recipi a Deo, et fieri haeredem vitae aeternae, propter filium Dei, non propter legem, non propter virtutes proprias.

Sed hanc simplicissimam enarrationem oppugnant Monachi, qui fingunt dari remissionem peccatorum propter nostra merita, deinde contendunt fide tantum significari noticiam historiae, qualis et in diabolis est, negant esse fiduciam misericordiae propter Christum promissae, imo ut illam fiduciam extinguant, iubent dubitare an habeas remissionem peccatorum, seu an Deus sit tibi propicius. Est ergo in omnibus his concionibus, Baptistae, Christi, Pauli, Apostolorum, praecipua quaestio. Quid significet fides: An vere significet confidere Christo. Si non significat confidere Christo, sed tantum nosse, et profiteri historiam, haec dicta nihil significant, et valde sunt impropria, fide iustificamur. Item: Qui credit in filium, habet vitam aeternam. Sed nos retineamus, ut dixi, proprietatem verborum, sciamus veram esse orationem, fide iustificamur, id est, fiducia filii Dei reconciliamur, non propter legem, aut nostras virtutes. Hanc esse sententiam ex Paulo satis apparet, qui fidem et promissionem inter se confert, et iubet fide promissionem accipi. Item hanc ob causam contendit de particula gratis, ut doceat fiduciam transferendam esse in filium Dei, qui est victima pro nobis, nec esse confidendum nostra dignitate, nec nostram dignitatem esse pretium, seu meritum seu causam remissionis peccatorum.

Caput IV.

Ut igitur cognovit Iesus quod audissent.

Continet et hoc caput utilem disputationem de regno Messiae, de discrimine novi et veteris Testamenti, de vero cultu, de quo mulier Samaritana disserit cum Christo. Sed prius series historiae consideretur. Adhuc agitur primus annus post baptismum Christi, et iam primum post Pascha redit in Galilaeam, cum interim aliquandiu moratus esset in Iudaea, et ibi iussisset discipulos fungi ministerio baptizandi, de quo supra dispu-

tatum est. Dixi baptismum ceremoniam esse novi Testamenti a Deo institutam per Ioannem, qui primus incoat ritum, postea praecipit Christus Apostolis eundem ritum administrare. Estque idem baptismus Ioannis et Apostolorum, ac prodest eodem modo, monstrat reconciliationem per filium Dei promissam: et postulat, ut baptizati credant huic promissioni, et credentes vere consequuntur remissionem peccatorum, et sanctificantur Spiritu sancto, et fiunt haeredes vitae aeternae, propter Christum. Haec brevis repetitio sufficiat de baptismo Ioannis et Apostolorum.

Discedit autem Christus, quia intelligit sibi Pharisaeos insidiari. Etsi Christus et Prophetae habent suos peculiares impetus, tamen hoc loco Christus obtemperat communi regulae: Si eiecerint vos ex uno loco, ite in alium. Tunc enim placet Deo obedientia et constantia in afflictione, cum necesse est pati, ut Petrus inquit: Non cum ipsi nobis sine necessitate, aut sine vocatione accersimus exitium. Haec enim temeritas non est obedientia, sed ἐθελοθρησκεία, ut cum se foderent sacerdotes Baal.

Oportebat autem ipsum transire per Samariam.

Samaria et urbis et regionis vicinae nomen est in finibus tribus Ephraim, videlicet fere in media via inter Ierusalem et Galilaeam, fuit et Sichem seu Salem in confinio Manasse et Ephraim. Nec dubium est ex cap. 48. Genes. ibi locum fuisse donatum Ioseph, aiunt et sepulcrum Ioseph eo loco fuisse. Gen. 33. scribitur, Iacob emisse agrum prope Salem seu Sichem, in quo altare condidit. Hanc Sichem plerique arbitrantur hic nonnihil corrupta voce dici Sychar, et vel eandem, vel vicinam esse consentaneum, siquidem vicina fuit praedio, quod Iacob donavit Ioseph.

Videtur autem Evangelista non sine causa inseruisse loci descriptionem. Quia cum ibi domicilium fuerit Melchisedec, et Iacob ibi altare condiderit, loci conspectus excitavit ingentes motus in Christo, cogitante de veteri Ecclesia, et de patrum vocatione, de promissionibus, de reiectione populi, et alia multa: apparet enim eius animum non fuisse otiosum, quia cibo allato postea frui non potuit. Hos affectus utile est in Christo considerare, ut vere nos ab eo diligi, et vere eum affici nostris malis statuamus, sicut saepe in historiis Evangelii dicitur affici misericordia, quam interdum et lacrymis declarat. Et in Epistola ad Hebr. dicitur: Habemus pontificem, qui potest compati nostris infirmitatibus, id est, qui vere nos diligit et vere sustinuit ingentes dolores nostra causa.

Erat autem defatigatus ex itinere.

Annotatur hic de fatigatione, qui affectus et quae infirmitates fuerint in natura humana Christi, de hac quaestione supra dictum est in loco: Et Verbum caro factum est. Ut in Christo natura vere humana fuit, sed non contaminata peccato, ita fuerunt membra convenientia naturae humanae, organa, appetitiones, affectus, motus, sed haec fuerunt ordinata, iusta et congruentia legi Dei. Et sicut naturaliter consumto nutrimento, venae famem et sitim excitant, ita naturaliter motu vehementiore nervi et caetera motus instrumenta delassantur. Ita fiebant eadem in Christo, esuriebat, sitiebat, defatigabatur, quia natura erat vere humana, et quidem etiam obnoxia morti et laesioni, sed non contaminata peccato. Habebat et alios affectus, qui proprie sunt in corde, laetatus est, doluit, misertus est, dilexit pios, excanduit ira, odit diabolum, sed hi motus et στοργαὶ fuerunt ordinatae. Est et in caeteris hominibus discernenda natura condita a concupiscentia, id est, a depravatione et ἀταξίᾳ, quae accessit. Haec est expedita responsio ad hanc quaestionem, qui affectus in Christo fuerint, de qua multae perplexae sunt disputationes apud sententiarios.

Dicit ei Iesus: Da mihi bibere.

Hic colloquium instituitur Christi et mulieris, in quo Christus tradit doctrinam Evangelii, et concionatur de vocatione gentium, et discernit vetus et novum Testamentum, item cultus veros et falsos. Est autem peculiare testimonium misericordiae, quod miserae adulterae suum Evangelium offert, et huic expresse dicit, sese esse Messiam, et postea cum ea pergit in oppidum, et ibi biduum commoratur, ut discipulam confirmet, et alios vocet ad Evangelii lucem. Hoc testimonio et nos confirmemus, sciamus vere recipi peccatores, et Ecclesiam esse coetum humilem et despectum, sed agentem poenitentiam et credentem Evangelio, nec alligandam esse Ecclesiam ad Pontifices, Reges, Principes etc.

Prima autem quaestio oritur ex traditione humana, non sunt commercia Iudaeis et Samaritanis. Etsi enim Deus interdixerat Israëlitis vicinarum gentium impiarum connubiis et idolis, tamen non interdixerat contractibus, emtionibus, venditionibus, aut officiis communicandi cibi et potus. Addiderant autem Pharisaei superstitiosas traditiones, ut cumularent opera opinione iusticiae, et fingebant se propter legem, et suas traditiones iustos esse. Porro Samaritani, etsi receperant doctrinam de uno Deo creatore, quem profitebantur hunc esse, qui se patribus, Abrahae, Isaac, et Iacob revelaverat, tamen promissiones et doctrinam de fide non norant, et retinebant multas superstitiones ethnicas, ut ostendit liber 4. Reg. 17. Christus omissa traditione, pergit suum officium facere, incipit dicere quis sit, et quid doceat, sed habet initio rudem discipulam, nondum capacem Evangelii. Ideo postquam pauca praefatus est, concionatur mulieri de poenitentia. Dixit obscure: Si agnosceres donum Dei, et quis sit, qui dicit tibi etc. Postea clarius narrat, se esse Messiam, vitae aeternae datorem. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Nondum intelligit mulier, quid sibi velit haec miranda concio, et miscet humanas ineptias de aquatione. Hic Christus proponit ei concionem poenitentiae, ut agnito peccato, agnita ira Dei, possit erudiri de Messia, de remissione peccatorum. Obiurgat eam propter adulteria. Hic illa expavescens, incipit iam de doctrina, et de cultu Dei quaerere. Iudaei recte sentiebant non aliud templum esse debere populi Israël, ubi fierent sacrificia, nisi Ierosolymis, sed Samaritani opponebant exempla patrum. Imitari Abrahae, Isaac, Iacob exempla in cultu Dei, maxime pium est. Hic sacrificavit Iacob, ergo et nos pie facimus, quod hic sacrificamus. Haec haud dubie sacerdotes impii exaggerabant, qui cupiebant abducere populum a doctrina Mosi, Christus diiudicat quaestionem: Ubicunque verbum Dei est, ibi recte fit adoratio. Patres qui hic adoraverunt, id est, sacrificaverunt, erant custodes et doctores verbi, a Deo ipsis commendati et traditi. Hoc proponebant aliis, et docebant veram invocationem, et invocabant ipsi, fide accensi per hoc verbum. Postea hoc idem verbum Dei commendatum est tribui Levi, ut ad tabernaculum, seu templum docerent, ibi Deus quaeri verbum suum voluit, ut vera invocatio fieri posset. Sed vos Samaritani iam hic facitis adorationem et sacrificia, sine verbo Dei. Ideo vestra adoratio reiecta est. Nos Iudaei retinemus verbum. Erant enim aliqui, ut Simeon, Zacharias, retinuerant. Ideo ad templum, et in hac Ecclesia, in qua sonat verbum Dei, placet adoratio eorum, qui verbum Dei audiunt, et fide accensi invocant. Haec est pars responsionis, in qua dicit, quae res discernat loca, scilicet, verbum Dei, et haec pars taxat adhuc tantum Samaritanos, qui alligabant adorationem loco, in quo non sonabat verbum Dei. Hunc errorem taxari necesse fuit.

Postea addit amplius. Verbum Dei non esse alligatum ad certum locum, et discernit externam adorationem alligatam locis a vera, et taxat utriusque populi errorem, Samaritanorum et Iudaeorum. Samaritani fingebant Ecclesiam sine verbo Dei, Iudaei habebant verbum Dei, sed fingebant adorationem esse sua sacrificia, nec intelligebant invocationem, quae facienda est fide. Dicamus igitur ordine de singulis partibus concionis.

Venit hora, quando neque in monte, etc.

Loquitur de propagatione Evangelii in toto orbe terrarum, nec tantum intelligatur Ecclesia in hac vita, sed etiam Ecclesia resuscitata et fruens iam aeterna beatitudine, et sine ulla imbecillitate iam celebrans Deum, et ei gratias agens, quasi dicat: Messias regnum aeternum constituit collectum ex omnibus gentibus, in quo Deus perpetuo celebrabitur, nec erit cultus externus, alligatus ad templum Iudaicum, aut ad hunc montem. Non in hoc monte, nec Ierosolymis, id est, non in ceremoniis alligatis loco, coletis Deum. Est igitur praedictio de aeterno regno, quod incoatur in praedicatione Evangelii, sparsa per totum orbem, ut Oseae 1. dicitur: Et erit in loco ubi dicetur eis: Non populus meus vos, ibi dicetur eis, filii Dei viventis. Prima igitur sententia hic admonet mulierem de alio cultu, scilicet, spirituali et aeterno, et reiicit ceremoniam alligatam loco. Haec sententia clarius exponetur in dictis, quae sequuntur.

Vos adoratis quod nescitis.

Hic tantum discernit Ethnicos et Ecclesiam, in qua sonat verbum Dei traditum per Prophetas

et Apostolos, nondum vituperat cultus Iudaicos. Omnes gentes et coetus, ut Mahometistae et aliae invocantes Deum, sine verbo tradito per Prophetas et Apostolos, invocant quod nesciunt. Etsi autem breve dictum est, tamen copiosissimam doctrinam continet, et coecitatem totius mundi arguit. Maxima pars hominum religiones in speciem colit, propter consuetudinem, sic Alexander, Iulius, Augustus, et similes, sentiebant moribus communibus obtemperandum esse. Tales omnes fatentur se nescire quid adorent, fatentur se nescire, an Deus curet, iudicet, et exaudiat homines. Alii sunt, ut Plato, Cicero, qui moventur ratione, ut sentiant Deum esse aliquam mentem aeternam, sicut Plato dicit, causam boni. Sed tamen quae sit, quomodo velit invocari, et exaudire, ignorant. Ergo cum clamant ad Deum, mox obstrepunt eis dubitationes, quae res sit Deus, an singulos respiciat, an te invocantem exaudiat. Similis est coecitas in Mahometistis, imo et omnibus ignaris Evangelii. Ut in Creta insula dicitur fuisse Iovis statua sine auribus: ita omnes gentes ignarae Evangelii in invocatione dubitant, quam rem alloquantur, surdamne, an intelligentem, curantem, audientem, vere efficacem et salvantem homines. Etsi autem haec in humanis mentibus dubitatio non obscura est, nec latet morbus, tamen stupor tantus est, ut non cogitemus, quid et quantum sit mali. Discamus ergo agnoscere, deplorare et fugere hanc pestem, et confugiamus ad lucem, in qua se Deus aeternus patefecit, ad verbum traditum per Prophetas, Christum et Apostolos, ut vere invocemus Deum, sequitur ergo.

Nos adoramus quod scimus.

Id est, nos scimus voluntatem Dei non conspici sine ipsius revelatione, sicut supra dictum est: Deum nemo vidit unquam, sed filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Scimus item, nolle eum, ut nos ipsi fingamus de eo opiniones nostro iudicio, aut excogitemus cultus. Ideo accipimus id verbum in quo se patefecit, et hunc Deum aeternum, sapientem, bonum, iustum, iudicem, et patrem Iesu Christi invocamus, qui et pollicitus est nobis salutem propter filium, quem mirabili et inenarrabili consilio pro nobis victimam fecit. Propter hunc scimus certo nos respici, exaudiri, et salvari, scimus hanc vocem Evangelii primam unam et perpetuam esse in Ecclesia, traditam certis testimoniis per Prophetas, Christum et Apostolos.

Haec quae nunc recito, et quae certe hic Christus dicit, quotidie in invocatione animo intuenda sunt. Discernenda est tua invocatio ab Ethnicorum, Iudaeorum, Mahometistarum clamore, qui interrogati, omnes faterentur se invocare surdum Deum, ac dubitare quae res sit Deus, et quae sit eius voluntas, et an audiat hominum vota, an afficiatur nostris miseriis, faterentur item se nulla habere certa testimonia suae doctrinae, nec unde aut quomodo propagata sit, nec scire an promiserit Deus se exauditurum esse, aut quomodo velit esse placatus. Ergo ab horum invocatione te seiungas, et te ad totam Ecclesiam Patrum Prophetarum, et Apostolorum adiungito, per hos cogita verbum certo testimonio traditum esse, et hunc esse Deum, qui se patefecit per suum verbum, agnoscas et fatearis. Hic Deus nec mutus est, nec surdus, locutus est initio cum Patribus et Prophetis, exhibuit et alia certa et evidentia testimonia, ut resuscitatis mortuis, et clara voce nobis omnibus de filio praecepit: Hunc audite. Deinde nec surdus est, sed vere vult propter filium exaudire, et salvare, et credentes sciunt se non falli. Haec omnia quotidie in invocatione cogitanda sunt, intuenda testimonia Ecclesiae tradita inde usque ab initio.

Hoc ipsum docet patrum precatio, Deus Abraham, id est, te Deum invoco, qui Abrahae tradidisti certo testimonio verbum tuum, quo et testatus es te exauditurum esse, huius verbi fide te invoco, et credo me audiri, respici, nec invoco ut caeteri, ignorantes verbum Abrahae, ut Aegyptii, aut alii, nescientes quid sit Deus, quomodo velit agnosci et coli, an promiserit aliquid de sua voluntate. Addidit igitur Deus et in primo praecepto testimonium, quo vult agnosci, cum ait: Ego sum Deus, qui eduxit te de terra Aegypti, sic semper aliquod certum testimonium proposuit. Sed omnia referantur ad summam, id est, ad filium, hunc nos intueamur, sicut dixit: Qui videt me, videt et patrem. Hunc igitur Deum invoca, qui se, et per filium patefecit, et promissionem misericordiae, et salutis per ipsum edidit, et propter eum praestat, ideo sequitur.

Quia salus ex Iudaeis est.

Salus significat promissiones, seu verbum certis testimoniis traditum, et ipsum Mediatorem. Haec sunt tantum nota Iudaeis, id est, populo tenenti verbum Dei, videlicet verae Ecclesiae Dei, et tunc in illa Ecclesia Iudaica non solum erat noticia promissionum et mediatoris, sed etiam ipse mediator in eo populo natus erat, iuxta promissiones.

Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem spiritu et veritate.

Supra distinxit Ecclesiam a caeteris gentibus, et reiecit invocationem, quae fit extra Ecclesiam. Nunc addit doctrinam de vera invocatione, taxans etiam Iudaeorum cultus, quasi dicat: Nec in Ecclesia externa sacrificia sunt veri cultus. Pharisaei putabant antecellere sua sacrificia, quia fiebant loco constituto a Deo, sed locus nihil ad rem facit, Deus voluit certo loco servari eos ritus, ut certo sciretur, cui populo traditum esset verbum Dei, sed alios maiores cultus, quam illa externa sacrificia doceri voluit. Quosnam? Ut pater adoretur in spiritu et veritate. Spiritus opponitur externo operi seu ceremoniae, et significat spiritualem motum incensum a Spiritu sancto, quo cor ad Deum convertitur, et Deum intuetur, videlicet timorem Dei et fidem. Veritas opponitur duabus rebus, dubitationi, et moriturae iusticiae. Nam cultus novi Testamenti non solum est motus cordis, sed etiam talis motus, cum quo est vera fiducia, certo statuens, quod Deus sit tibi propicius, quod exaudiat te, quod velit te salvare. Haec fiducia est incoatio vitae aeternae et perpetuae, non moriturae lucis de Deo et iusticiae. Econtra vero hypocrisis aut versatur in ceremoniis, aut in philosophicis operibus. Interim vero retinet dubitationem, ut Achas perpetuo manet in hac dubitatione, an habeat Deum propicium, an exaudiatur. Ezechias vero non dubitat se habere Deum propicium, hac fide in summo periculo se erigit, petit, et expectat auxilium a Deo, et accendit haec ipsa fides lucem de Deo, et iusticiam, quae est incoatio vitae aeternae, sicut Ioann. 17. dicitur: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum esse Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.

Describuntur et hoc dicto cultus novi Testamenti, qui afferunt vitam aeternam, et sunt res perpetuae in anima, non sunt externae ceremoniae, nec opera philosophica, cum quibus est coniuncta dubitatio de voluntate Dei, de ira et de misericordia, sed sunt lux in corde, qua agnoscimus Deum vere irasci peccato, vere expavescimus, et sentimus Deum non esse otiosum, ut ratio cogitat. Deinde qua rursus statuimus, confugientibus ad mediatorem remitti peccata, et nos vere recipi, non negligi in adversis et in morte, et subiicimus nos Deo, fatemur nos ei debere obedientiam in omnibus operibus, certaminibus et afflictionibus, ad quas vocat nos, et non superbimus admiratione nostrae sapientiae, aut iusticiae, non fremimus adversus Deum in poenis, sed illi aeternae maiestati obtemperamus, et sentimus propter filium nos placere, etiamsi sumus indigni.

Hos cultus interiores complectuntur haec dicta Ioannis 4. et 17. quae tanquam communes regulae teneri debent, ut nos de propriis Ecclesiae cultibus admoneant, et ut habeamus in promtu perspicua testimonia, ad refutandas pharisaicas et ethnicas opiniones de ceremoniis ex opere operato sparsas in Ecclesia. Nam et Christus prorsus illi ipsi delirio opponit has sententias, sic sentiebat mulier, sacrificia, quae fiebant vel Ierosolymis, vel in illo monte Garizim, ubi templum Samaritani condiderant, mereri hominibus remissionem peccatorum ex opere operato, id est, esse iusticiam et merita, etiamsi in corde facientis maneat dubitatio de ira et de misericordia Dei. Eadem deliria docuerunt, et adhuc defendunt Papistae, cum de sacrificio Missae et de ceremoniis aliis multis loquuntur, quas fingunt esse iusticiam et merita, etiamsi in corde facientis maneat dubitatio de ira Dei, et de remissione peccatorum.

Caeterum rursus monendus est lector: Cum dicitur de noticia Dei in hoc dicto, item de spiritu et veritate, id est, veris motibus cordis, et vera fide, semper intelligendum est, hic requiri Evangelium, in quo se patefecit Deus. Nulla est noticia sine verbo praelucente, nulla fides sine promissione. Imo sciamus hanc lucem accendi in cordibus a Spiritu sancto per Evangelium, et non aliter. Quare ubi nullum est verbum Dei, ibi non possunt esse cultus Dei, sicut supra dixit: Vos adoratis quod nescitis, sine verbo Dei fingitis voluntatem Dei et cultus, cum non sciatis, neque quae sit voluntas Dei erga vos, neque quales cultus approbet. Tales sunt ethnici cultus, et omnes

qui tantum nituntur traditionibus humanis. Ideo dictum est: Frustra colunt me mandatis hominum.

Deus spiritus est, et adorantes ipsum, in spiritu et veritate oportet adorare.

Fuerunt qui Deo figuram corporis humani tribuerunt, sed id delirium refutatur hoc dicto Christi: Deus est spiritus, id est, essentia spiritualis, sine mole corporea. Sed id declarandum est, cum nominat spiritum, intelligit essentiam quandam intelligentem, ac volentem, liberam, sapientem, bonam, iustam, fortem, vivificatricem, iudicantem, etc. Hi effectus utcunque indicant et describunt naturam spiritualem, sicut humanam mentem, quae est effigies Dei, utcunque indicant nostra ratiocinatio, voluntas, electio libera, discrimen honestorum et turpium, seu virtutum et vitiorum, vitia et motus. Cogitatione ergo utcunque aestimanda est natura spiritus, non fingenda est moles corporis.

Considerandum est autem argumentum Christi. Deus est spiritus, ergo spiritu et veritate adorandus est. Cur hoc sequitur? Quia omnis adoratio seu invocatio vere est agnitio voluntatis Dei. Spiritus non potest agnosci, nisi accensa spirituali luce, et veritate in corde. Necesse est igitur Deum invocari in spiritu et veritate. Non est invocatio sine agnitione, ut magna hominum pars ethnicam invocationem exercet, nihil cogitat in mente de voluntate Dei, dubitat an exaudiatur. His Deus aut nihil est, aut res surda est, sicut in Creta erat statua Iovis sine auribus. Tales autem sunt omnes cultus ceremoniarum apud omnes impios, quocunque nomine vocentur. Talis est Iudaeorum, Mahometistarum et Papistarum invocatio, qui fingunt suos cultus valere ex opere operato, sine bono motu facientis, id est, etiamsi non cogites Dei voluntatem, vel irascentem peccato, vel recipientem confugientes ad eum.

Primum igitur hoc teneatur, in invocatione oportere esse agnitionem voluntatis Dei, videlicet irae et misericordiae. Idem praecipit Paulus, cum ait: Offerte cultum rationalem, id est, cultum mentis, in quo mens vere aliquid cum Deo agit, agnoscens iram et misericordiam. Et in praecepto primo, ubi veri et summi cultus traduntur, dicitur: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde; et Esaias 29. damnatur cultus externus, sine invocatione cordis: Populus hic labiis me honorat, cor autem procul est a me. Sed non satis est esse motus cordis, quales homo sine verbo Dei, et sine Spiritu sancto meditatur. Manet enim in tali corde dubitatio, sed per verbum Dei oportet accendi lucem a Spiritu sancto, in qua vere cernatur ira et misericordia Dei. Sic cum David obiurgaretur, accensa est in corde eius nova lux, qua agnovit Deum non esse otiosum, negligentem humana scelera, sed vere irasci peccatis. Rursus autem audita absolutione, agnovit vere esse misericordem, vivificantem et liberantem ab aeterna ira. Tales motus sunt spiritus et veritas, id est, spirituales motus et vera Dei noticia, tribuens Deo sapientiam, iusticiam, bonitatem, quare talibus motibus Deus vero honore afficitur. Summa vero huius concionis est reiectio pharisaicae opinionis, quae fingit ceremonias et externa opera placere Deo ex opere operato, ut vocant. Haec ethnica persuasio et illius temporis Ecclesiam oppresserat, et semper vagatur in mundo. Ideo hanc concionem memineris, ut in promtu refutationem habeas.

Scio quod Messias venit.

Audivit mulier concionem de poenitentia, cum obiurgata est propter adulteria, postea audivit reprehensionem falsorum cultuum, sed hanc nondum intelligit, quare velut dubitans iam incipit desiderare illustriorem doctrinam. Cum veniet, inquit Messias, haec nos docebit, ut nunc multi expectant synodos et novas diiudicationes controversiarum, nec acquiescunt in verbo Dei. Ita haec mulier adhuc fluctuat animo, nec illa magnifica voce movetur, quam audierat: Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons vitae salientis in vitam aeternam. Sed tamen, quia docilis est, non reiicitur, sed liberatur ab errore, et vere ad agnitionem Dei, et Messiae traducitur, ut deinceps Deo serviat. Audit igitur expressam vocem testificantem de Messia: Ego, inquit, qui loquor tecum, sum Messias: vide insigne exemplum. Revelatur Evangelium spretis, et non tumentibus fiducia suae sapientiae, sicut inquit Christus: Revelasti parvulis, et abscondisti a sapientibus. Haec misera mulier audit hanc tam claram vocem de Messia, et quanquam idem significavit Christus multis testimoniis publice, tamen non accedit privatim ullum pontificem, aut Pharisaeum, nec tam placide, tam perspicue sapientes illos docet.

Sed quae causa est, cur sapientes minus perveniant ad lucem Evangelii? Hanc esse dicit Paulus: Quia humana sapientia sibi placet, et ludit opinionibus de Deo infinitis: ideo plerunque contemnit verbum Dei, ut 1. Corinth. 1. dicitur: Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis scandalum, Graecis vero stultitiam. Item: Perdam sapientiam sapientum. Et 2. Corinth. 10. hortatur, ut captivemus intellectum ad obedientiam Christo. Non existimemus haec esse frivola praecepta, sed res ostendit, gravissimos lapsus semper fuisse humanae sapientiae, vel doctrinam, vel alia magna negotia iudicantis sine verbo Dei. Erat sapiens consilium populi Israël, postulantis regem, sed Deo displicuit haec sapientia, quia voluit hunc populum regi verbo, et expectare a Deo defensionem. Erat sapiens consilium Ierobeam, instituentis peculiarem cultum, ne decem tribus rursus se adiungerent civitati Ierosolymae, sed hinc infinita εἰδωλομανία orta est, et secutae poenae et excidium totius regni. Sic post Apostolos, quantum haeresium peperit humana sapientia? Cur nunc manifesta idola defenduntur, nisi propter humanae sapientiae rationes? disputant salutarem esse concordiam Ecclesiae, defectionem ab ordinaria potestate gignere infinitas dissipationes, tumultus, bella. Ideo iubent usitatos errores boni consulere, excusare, mitigare, etc. Sed dicere de lapsibus, qui proprie ab humana sapientia oriuntur, infinitum est, tantum monere lectorem volui, ut cogitet frenandam esse mentem, et regendam verbo Dei, et non ludendum fingendis opinionibus. Sciamus hanc audaciam Deo displicere, et exitiosam esse, sicut dictum est: Perdam sapientiam sapientum. Ostendunt etiam ethnica exempla, sapientissimos homines, et sibi et imperiis saepe accersivisse exitiosas calamitates, ut Themistoclem, Theramenem, Periclem, Ciceronem, et alios multos. Quia Deus odit fiduciam humanae sapientiae, et vult nos regi suo verbo, quod retinet nos in vocatione, et vetat tentare Deum, id est, suscipere res non mandatas.

Inter haec venerunt discipuli eius, etc. Item: Reliquit hydriam suam, etc.

Singulae partes huius narrationis habent suas significationes. Haec mulier audita concione Christi, fit et ipsa Evangelii annunciatrix. Ita mirabili modo spargitur lux Evangelii. Sed relinquit ad fontem hydriam, omissis rerum corporalium curis, seu relicto veteri fonte, hoc est, doctrina priore, suscepit novum ministerium. Orditur autem a miraculo, quod arcana ipsius recitaverit hic hospes ignotus, et eam ad poenitentiam vocaverit, et de vero cultu Dei docuerit, de quo sententiae, quae sunt in textu, haud dubie copiosius enarratae sunt.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui me misit.

Hoc colloquium Christi et Apostolorum subobscurum est, sed in summa significat Christus tectis verbis tres sententias. Prima est de suo dolore. Secunda de Prophetis, et veteri Ecclesia. Tertia de Apostolis. Prima sententia de suo dolore, significatur: quia etsi labore itineris defatigatus erat, et cibum expetiverat, tamen nunc non fruitur allato cibo, non superstitione aliqua, sed quia animus nova aliqua moestitia seu cura occupatus est, quae affert fastidia cibi, vel potius ita languefacit ventriculum, ut ne quidem admittat cibum, hic languor notissimus est his, qui acres animi dolores sentiunt. Unde autem extitit haec subita moestitia in Christo? Haud dubie ex multis causis concurrentibus, cogitans caecitatem vicinae gentis Samaritanae, afficitur dolore propter ipsam, et cupit aliquos liberare, ac pro ea orat. Haec in isto viro fiebant, non sine magnis motibus. Ardet animus dolore propter totius generis humani miserias, propter exitium maximae partis hominum, precatur vehementi motu, cogitat etiam de sua morte et de redemtione: Repetit animo Patrum et Prophetarum aerumnas. Haec est prima pars huius colloquii: Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris, et perficiam opus eius, id est: Iam sum occupatus cura, et cogitatione meae vocationis, excrucior acerrimo quodam dolore, et precor pro hoc populo. Haec negotia vocationis sunt anteferenda cibo. Imo pius et sedulus minister, cum exercetur his curis, ne potest quidem admittere cibum. Iam confert ad hanc imaginem eos, qui propter ventrem appetunt ministeria, et propter otium ac opes assentiuntur falsis opinionibus.

Omnes hi damnantur hac voce Christi: Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.

Secunda pars colloquii est de Patribus et Prophetis, et collationem facit Patrum ac Propheta-

rum, cum Apostolis. Quia enim repetit animo Ecclesiam omnium temporum, significat difficiliorem fuisse gubernationem Prophetarum, quam futura sit Apostolorum. Nam Prophetae duas res sustinuerunt, politicam gubernationem, et propagationem doctrinae, de promissionibus, de Messia, et de vita aeterna. Samuelis, Eliae, Elisaei, Ieremiae, Danielis, multo difficilior fuit administratio, quam Apostolorum. Et ut de caeteris non dicam, quam difficilis fuit gubernatio Ieremiae? qui annos 40 continuos rixatus est cum regibus, pontificibus et principibus. Et suasit deditionem contra omnium Prophetarum exempla, qui ante eum fuerant, et hoc inusitato consilio servavit populum. Hic quas tulit contumelias, quoties inclusus est carceri, quoties abiectus in fossas profundas, ubi in coeno periturus erat, nisi divinitus liberatus fuisset? Et quanquam non est leve onus ferre contumelias et cruciatus corporis, tamen gubernatorem multo durius exercent animi dolores, agnoscebat Ieremias iram Dei adversus populi peccata, et horribilibus terroribus concutiebatur, lugebat populi interitum, pugnabat oratione pro populo, rixabatur cum impiis doctoribus, perturbabatur exorientibus subinde scandalis. Denique nulla mens humana prospicere aut enumerare omnes difficultates potest, quas affert gubernatio, praesertim in republica inquieta, seditiosa, et iam ruente, ut sunt imperia horum temporum pleraque. Fuit igitur Ieremiae cursus multo difficilior, quam Apostolorum, qui liberi a gubernatione politica, tantum circumtulerunt Evangelium. Ideo inquit Christus: instare messem, sed fuisse alios, qui prius sementem fecerunt, id est, Patres, Prophetas, et sese. Haec est, ut mihi videtur, secunda pars colloquii, nec difficilis est similitudo. Ait instare messem, sumta occasione a conspectu segetum. Et quia hoc iter factum est aliquanto post Pascha, primum quod in Ioanne describitur, videlicet in fine Martii, aut initio Aprilis, ait: Post 4 menses fore messem, et iam flavescere segetes. Instat igitur messis, ite inquit, et vobis instat Apostolis messis multo facilior, quam Patribus, Prophetis et mihi. Magna fuit gloria Apostolorum, quod brevi tempore multas gentes converterunt ad veram agnitionem et invocationem Dei, et quod non fuerunt onerati politica gubernatione, sed ipsi interim habuerunt suas aerumnas, quarum haec est maxima, quod soli et privati homines sine specie imperii, coacti sunt contradicere omnibus potestatibus in toto orbe terrarum. Haec res quam sit difficilis bonis et moderatis, non potest ulla ratione explicari. Habuerunt et infinita pericula corporum, et arcana certamina cum diaboli spectris et insidiis, et contentiones sine fine cum fanaticis doctoribus. Sed in his aerumnis lucet gloria et praesentia Dei, qui mirandis liberationibus testatur, se curare hunc despectum et infirmum gregem, sicut inquit Christus: Confide, quia ego vici mundum. Item: Maior est, qui in vobis est, quam qui est in mundo. Item: Non relinquam vos orphanos, etc.

Ipsi enim audivimus, et scimus quod hic est salvator mundi.

Statim initio in Paradiso post lapsum Adae institutum est ministerium Evangelii, videlicet, et poenitentiae praedicandae, et promissionis. Hoc unum et idem ministerium perpetuum est, et erit usque ad resuscitationem mortuorum. Vult igitur Deus voce Evangelii vocare Ecclesiam, sed vult hoc quoque, ut audientes credant, et credant non autoritati humanae, sed verbo et testimoniis Dei. Haec monemur in hac historia: Primum mulier fungitur munere apostolico, vocat populum ad Messiam, nihil ad Evangelium pertinet disputatio de ordinaria potestate. Quisquis affert vocem Dei, audiendus est, sive sit ordinarius Episcopus, sive privatus homo. Nam Evangelii Dei necessario parendum est, quisquis est, per quem sonat. Ita nato Christo erant Apostoli, pastores: cum Christus in cruce penderet, erant Apostoli, latro, et centurio. In hanc sententiam inquit Paulus: Deus personam hominis non accipit.

Non igitur valet argumentum: Haec Episcopi decreverunt, quare pro certis, veris, necessariis recipienda sunt. In Synodo Antiochena adversabatur Paulo Samosateno praecipue Diaconus Malchion, et recte praeferebatur sententia Malchionis, quia retinebat Ioannis Apostoli scriptum, quod Samosatenus corrumpebat. Haec de autoritate ordinaria breviter monere satis est, videlicet, quod oporteat anteferri verbum Dei.

Secundo monet exemplum, oportere singulos per sese iudices esse doctrinae, etsi hoc videtur arroganter et absurde dici, non satis esse sequi synodorum ac doctorum iudicia, sed debere acce-

dere proprium cuiusque iudicium, ut hoc loco dicitur: Ipsi audivimus et scimus. Ita fides in singulis nitatur non autoritate humana, sed Dei verbo et testimoniis. Credis synodo Nicenae non propter huius multitudinis iudicium, quae ibi convenit, sed quia intelligis congruere decretum cum certis testimoniis verbi Dei. Hunc ordinem invertunt humana et politica iudicia, non volunt in disputationem vocari ea, quae semel iudicata sunt, ut non licet rursus vocare in disputationem ea, quae in aliquo regno re deliberata a rege et principibus decreta sunt. Sed nos sciamus fidem non pendere ex ulla humana autoritate, non posset conscientia invocare filium Dei, et tribuere ei omnipotentiam, si nullum haberet testimonium, nisi synodi, sed quia verba ipsa Christi et Apostolorum hoc docent, accenditur fides et vere invocat.

Sed quaeras, an non satis est audire ministros Evangelii? Respondeo: Satis est, sicut infra cap. 17. clare dicitur: Rogo non pro eis tantum, sed etiam pro omnibus credituris per verbum eorum, sed cum audimus ministros, scire debemus unde acceperint doctrinam, id est, an afferant doctrinam filii Dei, sicut hic inquisiverunt Samaritani, unde mulier acceperit doctrinam. Fides intueatur fontes, verbum et testimonia etc.

Et erat Regulus, cuius filius, etc.

Nunc post primum Pascha redit in Galilaeam, ubi statim novo miraculo vocat ad Evangelium familiam hominis potentis, servientis regi Herodi. Est autem illustre exemplum infirmae fidei, taxat Christus infirmitatem. Sed tamen recipit habentem fidei initium et scintillam, sicut alibi Marci 9.: Credo domine, opitulare diffidentiae meae. Ita et Paulus Rom. 14. dicit de infirmo: Deus eum recipit. Sic aliquoties obiurgantur Apostoli, vos parum fidentes, quid dubitastis? Haec exempla diligenter consideremus, et ut fidei nostrae imbecillitatem agnoscamus, et petamus incrementum, et tamen hac nos consolatione sustentemus, quod non abiiciantur, qui aliquam scintillam fidei habent. Sicut apud Esaiam dicitur: Linum fumigans non extinguet.

Reprehenditur autem fidei imbecillitas in his verbis: Nisi signa videtis, non creditis. Introspicit Christus illius petentis haesitationem, et simul de caeteris iudicat, qui aderant. Hi nondum credebant eius verbo, et laborabant multiplici dubitatione. Debet autem totum genus humanum voci divinae credere, praesertim cum nunquam sit sine testimoniis certis. De Christo iam olim testificati erant Simeon, Ioseph, Anna, Zacharias, Ioannes Baptista, et vox de coelo audita erat: Hic est filius meus dilectus. Haec paucos adhuc moverant, ut Messiam agnoscerent. Est igitur his verbis taxata, et huius petentis haesitatio, et caeterorum durities.

Sed hic petens, etsi est infirmus, tamen recipitur et exauditur, haesitatio seu trepidatio apparet, quia veretur, nisi viventi adhuc filio coram opituletur, post mortem nihil esse spei: nec intelligit hunc Messiam non solum aegrotis, sed etiam mortuis posse vitam reddere. Imo non intelligit ille coecus aulicus, hanc ipsam vitam post peccatum, mortis iter esse, et Messiam autorem vitae, daturum esse vitam, quae sit extra huius mortis tyrannidem. Potest igitur pariter et aegrotum et mortuum restituere. Quanquam autem sunt errores et haesitationes in hoc auditore, tamen quia initium est fidei, recipitur et adiuvatur. Haec exempla nos confirment, ne deterriti imbecillitate nostra, fugiamus Christum, sed potius accedamus invitati dulcissima voce ipsius, qua inquit: Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, ego reficiam vos. Item: Petite, et accipietis.

Sed humana mens non intelligit hos cultus, Dei petitionem et invocationem, sed impedita et oppressa opinionibus legis, cogitat tantum cultus esse, cum nos egregia facta Deo offerimus, impedita est et naturali dubitatione, ut non potest statuere, Deum vere velle nobis adesse, et opitulari in tam multis negotiis, cogitat ratio miserrimas esse occupationes Dei, si huic in febribus, illi in naufragio, aliis in acie, aliis in custodia domus, familiae, liberorum adsit. Sed has epicureas cogitationes eiiciamus ex animo, et cogitemus omnia humana pericula magna esse, et in omnibus metuendas esse insidias diaboli, et nos praeceptis et promissionibus ad invocationem accendamus. Non possumus mortem, pericula corporis et animae, insidias diaboli, sine auxilio Dei vincere. Ideo Christus inquit: Sine me nihil potestis facere. Discamus autem hunc esse praecipuum cultum Dei, auxilium ab eo fiducia mediatoris petere, sicut Psal. 49. ait: Invoca me in die tribulationis, etc.

Et credidit ipse, et domus eius.

Prior locus est exemplum infirmae fidei, quae tamen impetrat, quod petit. Alter locus est confirmatio secuta eventum, et multorum conversio. Post victoriam fides fit ardentior, sicut Paulus inquit: Probatio spem efficit, cum dimicamus et vincimus, confirmatur fides et spes, ut deinceps alacrius expectemus auxilium Dei, et 2. Corinth. 1.: Responsum mortis in nobis habuimus, ut non simus confidentes in nobis, sed in Deo, qui exsuscitat mortuos, qui ex tanta morte liberavit nos, et liberat, in quem speramus, quod et iterum nos liberaturus sit, adiuvantibus vestris precibus. Utrunque docet quod Deus sinat nos obrui procellis afflictionum, ut discamus timorem Dei, emendemus securitatem, deponamus fiduciam nostri, sicut Deus regem Nabuchodonosor punivit, ut deponeret fiduciam sui: rursus etiam docet, quod liberet nos, ut testimonia habeamus praesentiae et misericordiae eius, quod vere opituletur. Sicut Agar adiuta in exilio monstrato fonte, postea fit firmior in fide, et maiore constantia expectat auxilium Dei, sicut et in dicto Paulino dicitur: Qui et iterum liberabit nos, etc. Ita crescit et confirmatur fides in hoc aulico, cum comperit non fuisse irritam petitionem, et movetur familia testimonio miraculi, ut iam credat autorem beneficii esse Messiam. Tales sunt liberationes, tales sunt victoriae, tales triumphi Christi, quos intelligemus tunc, cum glorificabitur Ecclesia, quomodo in talibus actionibus praeliatus sit cum diabolo, ut plures a laqueis eius liberaret.

Caput V.

Postea erat festum Iudaeorum.

Ex serie historiae apparet adhuc agi primum annum a baptismo Christi, et festum, cuius hic fit mentio, scribitur a Cyrillo esse Pentecoste, qui addit, eo die solitum angelum de coelo descendere, et hanc piscinam agitare, ut sanaretur primus, qui inferebatur. Diximus autem de miraculis Christi ubique eadem in genere, quae et hic breviter repeto. Primum: Miracula tot et congruentia sunt testimonia, hoc verbum, quod hic doctor spargit, vere divinum esse, et doctorem a Deo missum esse, quia res ostendit, eum iuvari a Deo. Secundo, haec miracula testimonia sunt potentiae divinae in hoc doctore. Sicut hic clare affirmat: Pater meus etiamnum operatur, et ego operor, quae ille facit, et filius similiter facit. Hic affirmat Christus haec facta, et ab aeterno patre, et a sese fieri. Estque insigne testimonium, ut postea dicetur, de divina natura filii. Tertio, miracula sunt exempla promissionum, quae nos ad petendum et expetendum auxilium movere debent, perinde ut ipsae promissiones et omnia referantur ad hanc sententiam: Apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Ut certum sit destrui a filio Dei peccatum et mortem, saepe tollit morbos, et resuscitat mortuos, ergo et nos vel peccato, vel peccati poenis obruti, confugiamus ad Christum, et petamus et expectemus liberationem. Hi sunt cultus, qui praecipuo honore hunc Messiam afficiunt, et non intelliguntur ab humana ratione, sine luce Evangelii. Nam humanae mentes sunt occupatae opinionibus legis, et semper afferunt ad Deum hanc philosophiam, sic vere coles Deum, si eximias virtutes ad ipsum afferes, has quia non affers, non es dignus eius muneribus. Praeterea absurdum est a Deo petere, ut accurrat ad tuam febrim, ad tuam inopiam, et ad domandam aliquam stultam cupiditatem, cur ipse eam non reprimis? Hae imaginationes duriter exercent mentes humanas, sed discamus ideo missum esse filium Dei, ideo editam vocem Evangelii, ut illam philosophiam rationis humanae emendemus, et sciamus vere cultus Dei esse, petere auxilium, sicut Christus inquit: Sine me nihil potestis facere. Haec de miraculis in genere dixisse satis sit.

Angelus stato tempore descendebat in piscinam.

Multa fuerunt miracula in hoc populo, quibus Deus testimonium dedit verbo suo, inter quae et hoc numerandum est, quod in ipsa Pentecoste, quotannis compererunt aquam ab angelo moveri, et primum, qui post motam aquam inferebatur, sanari, nec dubium est, quin hunc diem datae legis ornare hoc testimonio peculiariter Deus voluerit. Angelus conturbans aquam, significat vocem legis, conturbantem conscientias, agnoscentes horribilem iram Dei adversus peccata. Sed id fit, non ut pereant conturbatae mentes, sed ut primitiae salventur, ideo tantum primus sanabatur. Nam vox legis conturbat universum genus humanum, sed salvantur primitiae, id est, electi, qui agnoscunt filium Dei, haec sit brevis signi-

ficationis enarratio. Certum est enim hac conturbatione aquarum significatum esse ministerium legis, ut admoneretur populus, ad quem usum data lex esset, et quare illa Pentecoste instituta esset, videlicet, ut omnes agnoscerent iram Dei adversus peccata.

Arbitror et hoc ad significationem pertinere, quod haec fiebant in piscina probatica, id est, ovilla, in qua lavabantur hostiae. Nam voce legis hostiae in mortem merguntur, id est, lex testatur nos destinatos esse morti, propter peccatum, et reos irae Dei. Non enim levis aut exigua res significatur, cum fit mentio hostiarum. Nam hostia significat quiddam reum, et destinatum morti, propter iram Dei. Caeterum et hoc considerandum est, ut caeteris beneficiis Dei abutuntur homines, ita et hoc abusos esse, pauperes arcebantur, nec curari possent, sed divites prius inferebantur, et haud dubie haec res quaestuosa fuit sacerdotibus. Tecte igitur reprehenditur crudelitas adversus pauperes. Vocabulum *Βηθεσδὰ* videtur significare domum beneficii, seu eleemosynae, et tota res mirifica imago est Ecclesiae, quae proprie est domus eleemosynae, in qua aegroti curantur ministerio coelesti.

Quod haec fecisset in Sabbato.

Insigne exemplum est calumniarum, praetexunt Iudaei odio Christi hanc causam, quod sabbatum violet. Quaerendum est igitur, an legem violarit sanando, item an sanatus violarit legem, gestando grabbatum. Respondeo, neutrum violasse. Primum de Christo plana et perspicua defensio est, et quae maxime declarat legem de sabbato. Lex non praecipit otium simpliciter, sed praecipit sancta opera, quae ministerio verbi Dei conducunt, et prohibet alia externa opera corporis, quae impediunt ministerium: haec simplicissima est huius legis principalis sententia. Iam hoc opus Christi erat testimonium ministerii et verbi Christi, sicut aliae curationes in sabbato factae, et confirmabat fidem in multis, et excitabat eos ad veram invocationem, haec omnia erat propriissime opera sabbati. Quare et haec sanatio vere fuit sabbati opus. Secundo, lex homini lata est, et non Deo, et est disciplina prohibens certa opera huius carnalis et infirmae naturae, quae serviunt ventri. Sed haec sanatio facta a Christo proprie erat opus Dei, sanctificans istum curatum, et novam in eo vitam incoans.

De sanato gestante grabbatum, etiam respondeo, eum non fecisse contra legem. Quia lex non prohibet opera testificantia de ministerio. Haec publica gestatio in ipsa Pentecoste erat opus testificans de Christo, non igitur erat lege prohibitum. Secundo: Dominus est filius hominis etiam sabbati, inquit Christus, et testatur se supra sacerdotium, et politiam legis esse, mandat igitur tanquam sacerdos novi sabbati et novae Pentecostes aliud, quam sacerdos Leviticus, igitur sanatus, superiori domino obtemperare debuit, et quidem finis legis et politiae, hoc ipso spectaculo significatus est. Sanatus in sabbato, seu Pentecoste, id est, in incoatione novi et aeterni Testamenti; non iam iacet in lecto suo, id est, in politia Israël, sed hanc ipsam politiam et legem, libertate spiritus secum aufert, non quaerit iusticiam ceremoniis, vel operibus legis, sed habet iam sanitatem, hoc est, veram et coelestem lucem et iusticiam in anima. Foris autem, donec est in corpore, utitur politiis quibuscunque, tanquam hospes mox iturus in vitam aeternam.

Ne amplius pecces.

Christus testatur morbos esse poenas peccatorum, et hortatur sanatum, ut caveat, ne lapsus denuo accersat sibi novas poenas. Ita Paulus inquit ad Corinthios: Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur a domino. Item Psal. 38.: Propter iniquitatem corripis hominem. Et quidem discamus poenas huius vitae, quae est brevis et momentanea, nondum satisfacere irae Dei, sed signa esse irae Dei aeternae. Caligula, Nero, etiamsi interfecti sunt, tamen hoc brevi supplicio nondum satisfecerunt irae Dei, sed harum praesentium poenarum duo sunt fines. Alter est, ut sanabiles admoniti et suis et alienis poenis, vocentur ad poenitentiam. Hi enim intelligunt haec supplicia esse signa aeternae irae adversus eos, qui non emendantur. Ideo scriptum est: Cum iudicamur, a domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Item Apocal. 3.: Ego quos diligo, arguo et castigo. Alter finis est, ut insanabiles coërceantur, reprimantur et tollantur. Ideo in Psal. 32. dicitur: In chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non accedunt ad te, id est, humana natura est onerata ingentibus aerumnis, ut contumacia coërceatur. Et Salo-

mon inquit in Ecclesiaste capite octavo: Qui custodit praeceptum, non afficietur poenis, sed impio non erit auxilium in die mortis, nec erit liberatio in bello, nec evasio. Blasphemi, ut Rabsaces, Iudas, Arius; periuri, ut Metius; homicidae, ut Cain, et tyranni, ut Alexander, Caligula, Nero; adulteri, ut Paris, Tereus, et alii innumerabiles puniuntur, ut desinant furere, et exemplum poenarum deterret alios. Haec satis est monuisse de hoc loco: Ne deinceps pecces, ne quid deterius tibi accidat. Hanc concionem nobis omnibus proponi sciamus, et exempla huius concionis esse maximam partem calamitatum humanarum, quae nos de ira Dei admoneant, deterreant a contumacia, et hortentur nos ad poenitentiam.

Pater meus huc usque operatur.

Haec est defensio, quam Christus opponit crimini de violata lege sabbati. Estque secunda ratio ex his, quas supra recensui, sed multo uberior. Nam Christus tres sententias complectitur, quarum una est, hanc sanationem, de qua tunc disserebatur, opus Dei esse. Secunda, se cum aeterno patre eadem opera inde usque ab initio fecisse, et nunc facere. Tertia, patrem non esse otiosum, aut desiisse agere, postquam fabricavit creaturam, sicut Iudaei iuxta somnium humanae rationis fingebant, Deum conditis rebus postea eas reliquisse, sicut faber navim fabricatam relinquit. De his tribus sententiis uberrimis ordine dicendum est, quae etiam continent illustre testimonium de filio, quod sit substantiae divinae.

Primum ergo de tertia sententia dicatur: Pater meus usque hodie operatur. Haec est refutatio argumenti Iudaici de sabbato, quasi dicat: Erratis, nec recte intelligitis legem, cum ait Exod. 20.: Sex diebus fecit Deus coelum et terram, et requievit die septimo: hinc ratiocinamini, Deum nunc otiosum esse, et certe in sabbato nihil agere. Quare sanationem a me factam negatis esse Dei opus. Huic vestrae imaginationi oppono hoc dictum. Patrem post conditam naturam rerum non desiisse agere, sed deinceps semper affuisse suo operi, et id sustentasse, et conservasse, foecundare terram quotannis, impertire vim procreationis, et vitam animantibus. Item in Ecclesia subinde mirandas liberationes facere. Non erat otiosus Deus, cum viam populo patefaceret per mare rubrum, cum sisteret cursum Solis praeliante Iosua, haec et similia complectitur dictum Christi, quod quidem diligenter meminisse debemus, et adiungere caeteris testimoniis, quae docent nos de generali actione Dei conservantis naturam, ne fingamus res nunc suo impetu ferri, sine Deo, nec a Deo petendam esse vitam, terrae foecunditatem, et alia naturae opera, huic delirio humanae rationis opponamus haec dicta: In Deo sumus, vivimus, et movemur. Ad Heb. 1.: Ferens omnia verbo potentiae suae. Coloss. 1.: Omnia in eo consistunt. Matth. 10.: Duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. Item Psalm. 103.: Omnia a te expectant, ut des eis escam in tempore oportuno.

Praeter hanc generalem actionem Dei, etiam fiunt quotidianae peculiares liberationes in Ecclesia, de quibus loquuntur alia multa testimonia, ut petite et accipietis. Psal. 33.: Multae tribulationes iustorum, sed de his omnibus liberabit eos dominus. Et utrunque genus actionum fide intelligendum est, ut vere statuamus Deum adesse naturae rerum, et petamus ab ipso, ut vitam nostram tueatur, ut foecundet terram, ut defendat nos. Haec fides est credere articulum de creatione. Nam qui sic tantum fingit a Deo conditas esse res, et postea relictas, ut cum faber navim factam, postea relinquit, et tradit nautis, hic non recte cogitat de creatione. Cum autem humana mens sine fide non aliter iudicet, discenda est vera sententia de conservatione rerum, et assiduis Dei operibus ex testimoniis, ut fides accensa agnoscat Dei praesentiam, et recte invocet eum.

Sed cur dictum est in lege cessasse, seu quievisse Deum? Respondeo: Non dubium est arcanam doctrinam contineri in hac sabbati descriptione et conditione. Evolvere autem res tantas difficile est. Primum ideo dicitur quievisse Deus, quia nullam novam speciem in natura condit, et facit mentionem cessationis Deus, ut clare testetur, se non aliam speciem abiecto homine conditurum esse, sed hominem esse extremum et summum opus, quo delectetur, et in quo quiescere velit, ac significatur ingens dignitas hominis, et amor Dei erga hominem, in hoc ipso testimonio, quod Deus pronunciat hunc esse extremum opus, ad quod fuerit directa totius opificis deliberatio et appetitio. Hoc opus voluit sibi Deus quidem esse, quo ipse proprie delectaretur, et in quo perpetuo et sine fine celebraretur.

Est et numerus dierum certo conscriptus, ut significaretur discrimen vitae in hac natura ψυχικῇ, ut vocatur, et alterius vitae, in qua vere sabbatum celebrabimus, cum haec natura sine cibo et potu et generatione vivet novo modo, coram fruens aspectu Dei. Nam illa nova, et illustris noticia et glorificatio Dei, erit vera sabbati celebratio, et consentaneum est ex hoc numero dierum dictum Eliae sumtum esse: Sex millia mundus, et postea erit destructio. Hinc existimant confectis sex millibus annorum, deinceps in septenario initium fore illius novae et aeternae vitae, in qua Ecclesia Dei in vita perpetua vere, sine caligine et peccato, sanctificabit sabbatum, faciet sancta opera, coram cernet Deum, et eius immensa sapientia fruetur. Hanc esse principalem significationem sabbati omnes sentiunt, et testatur Epistola ad Ebraeos.

Sed ut nobis in creatione paratum est illud sabbatum, ita postquam natura hominis lapsa est, Deus prius sabbatum alio modo consecravit, ut nobis restitueret amissum festum. Nam filius Dei morte sua egit sabbatum, cum quievit toto septimo die in sepulcro, hic Deus inenarrabili modo quievit, et quia filius fuit in sepulcro, et quia pater quiescere eum toto illo die, tanquam desertum, permisit. Hoc sabbatum multo minus declarari potest, quam futurum illud, sed ut filius ante sabbati futuri honorem, prius in morte quievit, ita sabbati honorem tota Ecclesia incoat a simili quiete, seu cessatione, id est, a morte, in qua etsi deserti videmur, tamen certo resuscitabimur ad honorem aeterni sabbati. Harum rerum magnitudo non satis declarari verbis potest, sed pia meditatione cogitanda est, ut in cruce discamus hoc esse initium sabbati.

Discernantur igitur sabbata. Primum est paedagogicum, videlicet ceremonia instituta et docendi causa, et ut admoneat homines de futuro sabbato, in quo Deum perfecte agnoscemus, et sine ullo peccato celebrabimus, haec tacite significat lex futura esse et haec paedagogia non est tradita, ut Christum regat, qui non habet opus disciplina, sed reliqua sunt sabbata, quae proprie ad Christum pertinent. Alterum in quo ipse quiescit in morte seu sepulcro, tanquam desertus a Deo. Alterum in quo celebrat patrem aeterno honore. Haec sabbata eodem modo etiam sunt Ecclesiae, inde usque ab initio. Ut Abel sustinet crucem, et iacet in morte velut desertus a Deo, sed postea resuscitatus habebit gloriosum sabbatum. Hactenus dixi de una particula: Pater meus usque modo operatur; et recitavi doctrinam Ecclesiae, de generali actione seu perpetua conservatione totius naturae, et de mirandis operibus Dei in Ecclesia. Venio ad secundam partem.

Et ego operor.

Hoc dictum postea pluribus verbis declaratur: Quod pater facit, facit filius similiter. Item: Omnia ostendit filio, quae facit pater, etc. Haec dicta recensentur inter clarissima testimonia de filio, quod sit de substantia patris, et simul cum pater condiderit, et sustentet res, sicut supra dictum est: Omnia per ipsum facta sunt; et ad Heb. 1.: Ferens omnia verbo virtutis suae. Has sententias in invocatione nobis proponamus, ut invocantes Deum aeternum patrem Iesu Christi conditorem et conservatorem rerum, cogitemus simul cum patre filium et Spiritum sanctum omnia condidisse et conservare, et simul invocemus, et dirigentes invocationem ad Christum mediatorem, ut pro nobis intercedat, vere statuamus eum esse omnipotentem, et nos exaudire, et patrem prorsus idem velle, quod vult filius, et quod testatus est se velle. Cogitanda est igitur haec sententia inter precandum: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Haec breviter monuisse satis sit, ut lector hoc testimonium de divinitate filii observet, et secum pie expendat. Nec volo recensere Samosateni et Arii cavillationes, quibus eludere hunc locum conati sunt. Nam perspicuitas dicti tanta est, ut labefactari speciose non possit. Nam Iudaei agnoscebant Christum se aequare Deo.

Eodem pertinet dictum: Pater omnia monstrat filio, ergo aequalis est sapientia patris et filii, sic et potentiam aequat, imo facit se socium actionis Dei, quae ille facit, filius similiter facit. Postea et honorem aequat, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Haec sententia repetit superiores, nam hic est honos verus, de quo supra dixit: Tribuere immensam sapientiam, et potentiam pariter patri et filio.

Venio ad tertiam sententiam, videlicet ad conclusionem refutantem Iudaeos: Pater non est otiosus, nec tenetur carnali paedagogia. Ego ago cum patre, et nihil facio, nisi quod video

patrem facientem, ergo haec sanatio a me facta, divina est, et non subiecta vestrae legi de sabbato, quae est paedagogia huius infirmae et miserae naturae humanae, significans longe aliud sabbatum, scilicet futuram et aeternam quietem, in qua cessantibus officiis corporis, generatione, nutritione et similibus, tantum opera sabbati faciemus. Intuebimur et celebrabimus Deum, et ipse nobis impertiet societatem suae lucis, et vitae aeternae. Nam hanc futuram quietem adumbrat typus in lege sabbati, ut supra dictum est.

Amen dico vobis, qui audit sermonem meum, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam.

Dixi supra observanda esse hoc loco testimonia de divina natura in Christo, quae meditationi piorum commendo. Sunt enim satis perspicua, etiam sine longa enarratione. Videmus aequari sapientiam, potentiam et honorem, tribuitur ergo et filio omnipotentia. Caeterum et hoc fulmen observemus, quo damnatur omnium iusticia, qui filio Dei non tribuunt honorem, quales sunt Iudaei, Ethnici, Haeretici, et omnes hostes Evangelii. Sit licet excellens virtus Fabii, Ebionis, Arii, Pelagii, Iudaeorum aliquorum, qui sunt inimici Evangelii, item Monachorum et aliorum sapientum, qui nunc Evangelio adversantur, tamen quia filio Dei non tribuunt honorem, hic clare damnantur: Qui non honorat filium, non honorat patrem; ac rursus nobis, qui agnoscimus mediatorem filium, et ipso ducente accedimus ad patrem, ingens consolatio in hac sententia proponitur. Scimus certo nos recipi a patre, quia filio tribuimus honorem, de quo docet Evangelium, quod narrat quis sit filius, et quare sit missus. Nam tribuere honorem filio est credere Evangelio de omnibus articulis de Christo, et fiducia eius accedere ad Deum, et eum invocare. Ideo statim sequitur sententia, quae interpretatur hunc honorem his verbis: Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam. Hic docet quomodo tribuatur honos filio, scilicet audiendo verbum eius, et credendo tum ipsi filio, tum patri qui misit eum, et pro hoc opere promittit vitam aeternam. Has conciones Iudaei tanquam tetras blasphemias execrabantur, quod tribui postulabat honorem parem filio et patri, item quod pro hoc opere promittit vitam aeternam. Cur igitur data est lex? An hoc vile opus, credere in hunc crucifixum Messiam, tanti est, ut pro eo detur vita aeterna? Videntur haec absurda humanae sapientiae, et praesertim, his qui fascinati sunt admiratione suae iusticiae. Sed vera Ecclesia Dei intelligit haec dicta, et recte intelligit promissiones de Messia, et legem. Scit cur data sit lex, scilicet, ut sit vox ostendens iudicium et iram Dei adversus peccatum, non quod homines sint lege iusti. Scit cur promissus sit Messias, scilicet, ut fieret victima pro peccatis nostris, et incoët in credentibus vitam aeternam. Hic igitur repetantur ea, quae supra de iusticia fidei in cap. 3. et alias dicta sunt. Sed cur ait?

Non veniet in iudicium, sed transivit ex morte in vitam.

An non iudicabuntur credentes? Respondeo: de proprio et principali effectu fidei loquitur, ut omnes homines praeter Christum habent peccata, sic omnes indicat et accusat Deus, sicut Paulus inquit: Omnes sunt sub peccato; sed postquam illuxit fides, seu fiducia Christi in corde, qua agnoscimus nos vere a Deo recipi, exaudiri, regi, defendi, sequitur pax et laetitia, quae est incoatio vitae aeternae, et tegit peccata, quae adhuc in imbecillitate nostra haerent. Ideo dicitur: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Sic credens ne quidem venit in iudicium, id est, etsi habet peccata, tamen haec tecta sunt, postquam illuxit fides, sed sine fide, et ante fidem dominantur terrores et mors, sicut inquit Paulus: Aculeus mortis peccatum est: Potentia peccati lex, sed Deo sit gratia, qui dat nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum.

Quia venit hora quando mortui audient vocem filii Dei.

Vide seriem universae concionis. Initio dixit quis sit, videlicet filius Dei, postea quod beneficium afferat, scilicet vitam aeternam. Nunc addit quomodo daturus sit vitam aeternam, scilicet, resuscitatis mortuis, et affirmat seipsum fore resuscitatorem mortuorum. Suntque hic expressa testimonia duo proposita, alterum de resuscitatione mortuorum, alterum de filii omnipotentia, sed tamen ita, ut a patre sit communicata. Ideo ait:

Dedit filio vitam habere in sese.

Et est emphasis in hoc dicto, vitam habere in sese, id est, alio modo, quam creaturae, angeli et homines. Habet enim Deus vitam in sese, videlicet aeternam, et quae nullo modo extingui potest, imo sic, ut aliis etiam impertiat, Angelus et homo non potest rei mortuae vitam impertire. Haec tantum sunt naturae omnipotentis: cum igitur filius sit resuscitator, necesse est omnipotentem esse. Haec satis sit annotasse de tam sublimibus dictis, de quibus praecipue hoc memineris, quod sint testimonia divinitatis filii.

Postea in fine addit obiurgationem, quod Baptistae testificanti de ipso non crediderint. Et ut Ecclesiam abunde confirmet, allegat non solum Baptistae testimonia, sed etiam aeterni patris dicta et miracula, quae nos certos reddunt hunc Iesum filium Dei et Messiam esse, sed durissima obiurgatio sequitur his verbis:

Neque vocem eius audistis, neque speciem eius vidistis.

Verum est, Deum se solis patribus huius populi patefecisse clara voce, et certa specie, sicut de Mose scriptum est, quod viderit Deum facie ad faciem. Certum est etiam vocem sonantem in Sina ad universum populum fuisse testimonium, quo Deus testatus est, hoc verbum quod Mosi tradiderat, suum esse verbum, sed tamen infinita differentia est inter noticiam, qua filius novit essentiam aeterni patris, et inter illas revelatas voces, sicut Christus aliquoties Matth. 11.: Nemo novit patrem, nisi filius; et in hoc cap. Ioan. 5.: Quicquid videt filius patrem facientem, quae ille facit, similiter et filius facit. Quare de noticia essentiae non est dubium, quin vocem et speciem non norint creaturae, sicut filius novit. Nec vero dicendum puto de hac arcana noticia hoc loco: Nam Iudaei non gloriabantur de hac noticia, sed de revelatione, qua Deus certo testatus erat, se recepisse hunc populum. Haec praerogativa sine ulla dubitatione superabat omnium gentium gloriam, et de hac praerogativa disputat Christus, quasi dicat: Verissimum est, et certissimum vos Dei voce vocatos esse, sed vos eam non audistis, videlicet, corde non accepistis, verba audistis, sed non vivificantia, non accepta corde. Ideo clamastis Exod. 22. Non loquatur nobis dominus, ne moriamur, audit vocem Dei Abraham, sed fide eam accipit, et sentit se hac voce lucem et vitam concipere. Audit vocem et populus, sed fugit, et sustinere eam non potest. Iure igitur gloriatio Iudaeorum taxatur, qui se propter hanc praerogativam contendebant esse Ecclesiam Dei, quod vocem audissent. Refutat eos Christus etiamsi vocati estis, tamen non auscultastis, audire nec potuistis, nec voluistis: Audire sonum illum, non facit vos populum Dei, sicut infra dicet cap. 8.: Qui est ex Deo, verba Dei audit. Ideo vos non auditis, quia ex Deo non estis: Si essetis populus Dei, tunc ad montem Sina audivissetis Deum loquentem, sed ut tunc fugiebatis, ita nunc fugitis, non igitur estis populus Dei, nec vocem Dei curatis. Sic igitur intelligatur hic totus locus, quod damnetur opinio Pontificum et Principum, qui gloriabantur se esse Ecclesiam Dei, propter hanc praerogativam vocationis, cum tamen non crederent voci Dei, et quod audire vocem Dei sit corde credere, et fide novam lucem et vitam concipere, sicut supra dictum est.

Qui verba Dei, et credit ei qui misit me, habebit vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transibit ex morte in vitam.

Similis est disputatio de Ecclesia omnibus aetatibus. Ita nunc quoque disputant Episcopi et gubernatores, se esse praecipua membra Ecclesiae Dei, propter successionem ordinariam, quia illi, quibus humano more successerunt, audierunt vocem Christi, ideo promissiones ad se detorquent, sed eodem modo refutandi sunt. Soli hi sunt viva membra Ecclesiae, qui vocem Dei fide accipiunt, et in corde novam lucem et vitam concipiunt. Certe hi non sunt membra populi Dei, qui Evangelio adversantur, ut Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit; sed de Ecclesia postea saepe dicetur, redeo ad textum.

Scrutamini scripturas.

Antea citavit testimonia miraculorum, sed si miracula dissentiant a verbo Dei, iubet lex Deut. 13. anteferri verbum Dei, et detrahit autoritatem miraculis. Ideo Christus ita citat miracula, ut simul testetur congruere ea cum Prophetarum dictis: Impia pertinacia est non assentiri congruentibus testimoniis Prophetarum et miraculorum. Testantur autem et Prophetae et miracula, me a Deo missum esse, et vera docere. Oportuit igitur omnes meae voci credere, sed

quas scripturas citat? Post resurrectionem erant illustriora testimonia, quia de Christo utrunque scribitur et passurum esse, et tamen non mansurum in morte, sed regnaturum. Quare oportuit eum reviviscere. Et manifestum fuit, hunc sine voce ullius hominis alterius ex morte in vitam revocatum esse. Fuit igitur Messias, sicut de morte et resurrectione praedixerunt, cap. 53. Esaiae, et Psal. 16.: Non relinques animam meam in inferno, nec sines sanctum tuum videre corruptionem.

Deinde post eversam Ierosolymam, ruinae templi, et eversio totius huius politiae testabantur venisse Messiam. Quia irrefragabile argumentum est, cum oporteat Messiam venire, stante secundo templo, et adhuc durante politia Mosaica, necesse est venisse eum, cum secundum templum funditus deletum erat, et eversa tota politia. Ac prodest hoc argumentum meminisse adversus amentiam Iudaeorum, qui adhuc expectant Messiam. Estque perspicue traditum hoc argumentum in Daniele et Haggaeo.

Sed etiam de praedicante Christo habebant testimonia Iudaei in Prophetis, videlicet de tempore, de miraculis eius, et quod non esset regio more dominaturus, sed sparsurus Evangelium, et postea passurus et resurrecturus ex morte. Tempus conveniebat, quia iam Danielis hebdomades decurrebant ad finem, et peregrini reges praeerant. De miraculis etiam dixerant Prophetae. Messiam talibus testimoniis declaraturum esse suam potentiam, ut in Esaia dicitur.

Sed quia Iudaeis infixa erat persuasio de regia dominatione Messiae, haec species maxime deterrebat eos, ne huic viro Nazareno crederent, quia videbant eum non dominari regio more. Hunc errorem maxime poterant ex Prophetarum dictis et omnibus exemplis sanctorum corrigere, quae ostendunt Ecclesiam subiectam esse cruci, et Prophetae clarissime vaticinantur de morte, et regno aeterno Messiae. Quare Christus revocat Iudaeos a Pharisaeorum deliramentis ad Prophetas. Nam Pharisaei falsam illam persuasionem in populo de regia dominatione confirmabant.

Repetit autem hanc sententiam in fine, est qui accusat vos Moses: Quia ille de me scripsit. Haec est insignis interpretatio totius Moysi. Quod omnes illae primae revelationes et promissiones factae sunt, ut sciret Ecclesia inde usque ab initio se recipi a Deo, propter venturum liberatorem. Hoc continet promissio prima: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Haec promissio postea repetita est Abrahae: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Deinde rursus Iacob inquit: Donec veniet salvator, cui adhaerebunt gentes. Postea clare dicitur Deut. 18.: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, sicut te, etc. Hunc praecipit Deus audiri post Mosen. Praeterea tota lex et tota politia typus est rerum aeternarum. Agnus significavit venturum agnum, et politia illa nequaquam est aeternum regnum, promissum populo, nec benedictio illa, de qua dicunt promissiones, quae significat per Messiam tolli peccatum et mortem, et reddidit vitam aeternam, haec nondum sunt exhibita per legem. Quare Moses certus testis est de Messia, allaturo benedictionem, id est, iusticiam et vitam aeternam.

Ne existimetis quod ego accusaturus sim vos.

Postquam allegavit Mosi, et aliorum Prophetarum testimonium contra Iudaeos, addit conclusionem, Mosen fore accusatorem, non se. Cum autem putarent se maxime tueri Mosen, nequaquam existimabant hunc fore accusatorem. Esset autem longa enarratio, si quis omnia persequi vellet, cur Moses sit accusator, primum quia Deus per traditum verbum redarguit et convincit populum, nec opus est alio accusatore. Iam in eo verbo utraque pars accusat populum. Data est lex, et manifestum est, populum non satisfacere legi. Erit igitur accusator Moses. Secundo, traditae sunt promissiones de Messia, has detorquent ad regnum mundanum, et depravant, non amplectuntur ut debebant, nec recipiunt caeterorum Prophetarum interpretationem. Contradicunt igitur Deo, et horrendis blasphemiis se polluunt, violant legem, et non solum abiiciunt, sed etiam corrumpunt promissiones. Haec peccata ostendet eis Deus, et convincet eos testimoniis Mosi et Prophetarum. Deus dedit verbum suum Prophetis et Apostolis, et addidit manifesta testimonia, ut omnia miracula facta ab initio in Ecclesia, servationem Noae in diluvio, eductionem populi ex Aegypto, defensionem regni per Samuëlem, Davidem, Eliam, Elisaeum, Esaiam, resurrectionem Christi, resuscitationem mortuorum factâm per Apostolos. Haec omnia simul erunt terribilia testimonia contra omnes impios,

Iudaeos et gentes. Ideo dicit Christus Ioan. 12.: Sermo, quem locutus sum, iudicabit eum novissimo die. Complectitur enim Christus et verbum, et omnia testimonia edita de verbo, quae convincunt omnes impios, Iudaeos et gentes.

Quomodo potestis vos credere, qui gloriam alius ab alio accipitis?

Duo in fine addit, causam, quare non credant, et comminationem. Causa est, quia gloriam humanam quaerunt. Magnum impedimentum est fidei et confessionis, solicitudo de victu et de vita, sed multo maius est de gloria et opinione. Praestantes viri nolunt videri seditiosi et perturbatores publicae pacis, et constituti status in imperiis, iudicant honestum esse sentire cum praecipuis, qui autoritate antecellunt, et defensores esse concordiae communis, et est plausibilis mentio studii pacis et concordiae. Nam revera honestum est, pacem et concordiam suo ordine tueri, sed cum taxantur potentum idola et errores, sciunt sapientes sequi magnas rerum mutationes et perturbationes. Ideo fugiunt professionem veritatis, aut etiam oderunt, nec possibile est sapientibus sine luce divina hunc affectum vincere, imo durius est morte, venire in odium sapientum, et dici seditiosum, et eversorem Ecclesiae, et boni status. Adversus hanc tentationem consolatur nos Esaias cap. 51.: Nolite timere probra hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Et Paulus huic affectui opponit multas sententias, et in his quoque: Non pudet me Evangelii Christi. Comminatio est. Alius veniet in nomine suo, illum accipietis. Poena est contemti Evangelii maior caecitas et amentia, ad Rom. 11.: Oculis ne videant, etc. 2. Thes. 2.: Quia dilectionem veritatis non receperunt; ideo mittit eis Deus efficacem deceptionem, ut eventus ostendit, in Iudaeis ita creverunt pertinacia et furor, ut tandem prorsus perderent totam gentem. Punitae sunt et gentes propter neglectionem Evangelii, venerunt primum haeretici, postea Mahometus, et errores Pontificum et Monachorum, qui Ecclesiam horribiliter vastarunt.

Caput VI.

Initio huius capitis aliquid de serie historiae, et ordine annorum praedicationis Christi dicendum est. Quia enim hic fit mentio Paschae, et historia miraculi hoc tempore facti, etiam a reliquis tribus evangelicae historiae scriptoribus, prorsus eodem modo narratur: certum est tempus congruere, quod factum fuerit initio veris, et sub festum illius Paschae, cum non multo ante interfectus esset Ioannes, sicut clare scribunt caeteri, sed quoti anni id Pascha fuit? Nam de primo Paschate supra satis perspicue dictum est, Christum a primo miraculo facto in nuptiis in Cana, ascendisse Ierosolymam ad festum, ac iudico describi continuam historiam eiusdem, primo anno, in prioribus quinque capitibus, de reditu Christi in Galilaeam et transitu per Samariam et reditu ad festum Pentecostes: sed in hoc capite nova series instituitur, et apparet omissum esse annum integrum, in quo et Christus coepit passim praedicare, praesertim in Galilaea, postquam Ioannes captus, et postea interfectus est, cum hactenus primo suo anno fere in Iudaea et Ierosolymis esset concionatus, et Ioanni Galilaeam cesserit.

Quod vero ab hoc capite tertium Pascha numerandum sit eius temporis, quo Christus praedicavit, reliquorum Evangelistarum narrationes indicant, ex quibus colligi potest, Ioannem circiter biennium concionatum esse. Nam cum is principio in loco maxime vicino Iudaeae ad Iordanem incoasset suum baptismum, quo magnam multitudinem ex urbe Ierosolyma egressam esse, scribit Marcus, postea secessit in Galilaeam, circumiens ripas Iordanis, et reliquas oras accessit, donec Christus etiam ex Nazareth, cum in vicinia esset ad Betharabam (seu Bethabaram) accederet, ut ab eo baptizaretur, deinde aliquantisper commoratus in Galilaea, ad Salim urbem, ut supra cap. 3. narravit Ioannes, et baptizasset, antequam ab Herode caperetur, et aliquandiu postea concionatus est Herodi, et saepe ab eo auditus, sed tandem in carcerem coniectus, et in eo aliquandiu detentus priusquam interficeretur, quia Christo ex carcere mittit discipulos. Hic cursus Ioannis non subito perfici potuit, sed intercessit tempus amplius anno, cum Christus interim in Iudaea incoasset ministerium, et nunc primum tradito Ioanne in carcerem, in Galilaea concionaretur, et eam circumiret, quoad etiam Herodi innotuit, sicut Marcus cap. 1. ait, Christum postquam Ioannes traditus est, venisse in Galilaeam. Hinc iam sequitur Pascha, quod fuit initium tertii anni a praedicatione Ioannis, cuius hic fit mentio, cum et Christus iam fere sesquiannum praedicas-

set, et iam Galilaeam passim obiret, et quidem nec sub hoc Pascha ascenderet Ierosolymam, nec etiam postea usque ad festum tabernaculorum, ut in sequentis capitis historia dicitur.

Ex reliquis narrationibus historiae evangelicae apparet paulo ante hoc Pascha, Ioannem Baptistam interfectum esse, et Herodem cum audiret miracula Christi, consternatum etiam Christo insidias instruxisse, sicut significant verba Lucae 11. Dictum est autem supra, Baptistam postremo tempore antequam in carcerem raperetur versatum esse prope Salim, quae cum sit in Galilaea, paruit Ioannes Herodi, videturque eo secessisse metu Pontificum et Pharisaeorum. Ideo ab Herode captus, et interfectus est. Secessit autem Christus ex Galilaea traiiciens lacum Genezareth in desertum, versus Trachonitidem regionem. Nam in oppidis Galilaeae magis vagabantur milites Herodis, qui obvium citius invasuri erant: quare ex conspectu illorum discedit, sed venio ad miraculi recitationem, quae continet utilem doctrinam, quam distribuam in locos.

Primus locus, consolatio proponitur contra tentationem de victu et defensione, et congruit factum cum regula: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

Admonemur enim Ecclesiam vagari in deserto, passim a tyrannis excuti, duriter affligi, sed in his aerumnis Deum tamen servare aliquem coetum, mirabili modo, etiamsi membra aliqua, ut in acie interficiuntur.

Secundus locus, quod Apostoli distribuunt, admonentur hi praecipue, qui praesunt, ut fungantur ministerio suo, pascant populum Evangelio, imo etiam reliquis officiis iuvent pauperes, quantum possunt, et in hac ipsa re praeluceant eis fide, cum incidunt pericula victus, aut corporis, confirment auditores, ut expectent defensionem. Sicut Moses confirmabat populum in littore maris rubri: et Esaias cum urbs cincta esset obsidione a Senacherib.

Tertius, quod supersunt fragmenta, insigne testimonium est, augeri bona, non minui, largiendis eleemosynis, ut testatur vox Christi: Date et dabitur vobis.

Quartus, quod iubet colligi fragmenta, et asservari reliquias: Praeceptum est dignum observatione de Parsimonia. Vult enim Deus nos reverenter uti donis suis, hoc est, vult, ut agnoscamus dari victum divinitus, vult exerceri fidem, et invocationem petendis, et expectandis a Deo rebus necessariis ad tuendam vitam, et vult collocari eas ad usus ab ipso ordinatos, vult et gratitudinem nostram conspici, praedicandis Dei beneficiis, sicut Psalmus docet: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Et discant hic prodigi se violare hoc mandatum Christi, qui diserte ait: Colligite reliquias ne quid pereat. Nam immodici sumtus, et profusiones, quid sunt, nisi inanis perditio facultatum, ac munerum divinorum? Et quia profusiones nemo tolerare diu potest, sequuntur postea mala aucupia pecuniae et rapacitates. Ita vitia ex vitiis, seu peccata ex peccatis oriuntur.

Quintus locus. Hactenus historiam sine allegoria accommodavi ad locos quosdam doctrinae Evangelii. Nam talia facta sunt exempla proposita, ut nos de fide et de praeceptis admoneamur. Praecipuus est igitur locus, ut discamus fide petendum et expectandum esse victum, et defensionem a Deo. Caeterum panis et corporalis distributio sunt imagines etiam ministerii evangelici, estque dulcis allegoria. Apostolis mandatur distributio, praecipue Evangelii, et cum sunt fideles in munere suo ac studio, crescunt in ipsis dona spiritualia, lux doctrinae, fides, prudentia, fortitudo, castitas, successus in gubernatione. Et hic fragmenta asservari magna cura debent, id est, doctrina ipsis patefacta, ut Augustini reliquias asservamus, hoc est, libros quibus refutavit Pelagium, Manichaeos, Donatistas, Arium: et nunc asservandae sunt reliquiae, id est, pia scripta eorum, qui rursus accenderunt lucem Evangelii, de poenitentia, de remissione peccatorum gratuita, quae donatur propter Christum fide, de discrimine operum a Deo mandatorum, et traditionum humanarum, de fugiendis idolis Missarum, et invocationis mortuorum.

Postremo et cophini significant studia literarum, et disciplinam, seu gubernationem externam. Nam his rebus continentur fragmenta, id est, retinetur memoria, et propagatur, et coniungi literas, disciplinam, seu externam gubernationem oportet, quia sine disciplina etiam ea, quae sunt mandata literis, legi non possunt, ut quamvis multi sunt docti in aliis artibus, tamen quia Episcopi non assuefecerunt iuventutem ad studia doctrinae Evangelii quadam utili disciplina, venit in oblivionem pura doctrina. Et nunc me-

tuendum est, quia superiores non curant studia et disciplinam, rursus secuturas esse tenebras, quare hos cophinos, id est, studia et disciplinam curare Apostolos, id est, gubernatores oportebat.

Secessit in montem ipse solus.

Gratum est miraculum multitudini, pasci sine suo sumtu aliquo, et hic vir hac arte videbatur maximos exercitus posse contrahere et ducere. Ideo sperabant iam initia fore eius imperii Messiae, quod somniabant: ideo concurrunt, et hunc Nazarenum regem renunciaturi sunt, et coacturi, ut imperium accipiat, et regio nomine exercitum in Iudaeam ducat, nec dubium est in hac deliberatione, multas Prophetarum sententias de regno Messiae allegatas esse, cuius existimabant aliquando talia initia fore, sed Christus novum periculum fugit nova ratione. Antea secesserat ex urbibus, fugiens Herodem, nunc fugit ex deserto in urbes, ubi sciebat populo non concedi tales concursus, aut ullos sermones de novo rege.

Cur autem recusat recipere regnum? Deponantur illae insulsae cogitationes, quod sit virtus vivere in miseriis, fugere opes et potentiam, sicut Monachi fingunt suas latebras et sordes esse magnam virtutem, et cultum Dei, sed vocatio spectetur. Missus est Christus, tantum ut doceat Evangelium, et fiat victima pro humano genere, non ut occupet imperium mundanum. Huic suae vocationi obtemperat, et propter hanc non permittit se renunciari regem. Interim profitetur se multo maius officium gerere, quam regium, videlicet se esse datorem iusticiae et vitae aeternae, ut toties ante dixi. Haec erat multo maior gloriatio, quam si regem se professus esset, aut etiam regnum administrasset. Discamus igitur quid sit virtus, quae vocatur humilitas, et rursus quid sit gloria, et quomodo sit fugienda, aut appetenda.

Humilitas est vere timere Deum, et agnoscere propriam infirmitatem, et tamen in fide obedire vocationi Dei, et expectare ab ipso auxilium et gubernationem, nec appetere ea, ad quae Deus non vocat, nec fieri audaciorem, quasi nostra sapientia, nostris viribus, res magnas et salutares geramus, sed vere statuere, quod Deo adiuvante res utiles geramus, agnoscere et modum nostri doni, nec despicere alia membra, per quae Deus est efficax, sed potius petere, ut Deus etiam caeteros adiuvet, et illos honore afficere, tanquam Dei organa, et existimare, quod Deus etiam utiliora per eos gerere possit. Tales sunt Moses, David, et similes, qui agnoscebant suam infirmitatem, intelligebant se nequaquam pares esse oneri gubernationis, et tamen propter vocationem non recusant subire tantam molem, et hanc fide sustinent, expectant auxilium a Deo, non indicant se suis consiliis et viribus res tam periculosas regere posse. Sed si quid feliciter gerunt, sciunt se Dei auxilio gerere, nec despiciunt alia organa Dei. Moses non despicit Iosue, David non despicit Ionathan, imo venerantur eos, quos vident socios esse tanti laboris. Humilis est Ionathas, non appetit regnum, cum videt se non esse vocatum, sed servit fideliter in sua vocatione, nec invidet Davidi, quem videt antecellere, et ad regnum vocatum esse, se quanquam filio regis excluso. Haec fuit magna et excellens virtus in Ionatha, obsequi voluntati Dei, et volentem de haereditate regni, quae ipsi debita videbatur, alteri cedere. Hanc veram humilitatem ignorat mundus, quae nec appetit alia extra vocationem, et vocationi obtemperat fide. Est igitur virtus media inter haec extrema, inter ignaviam, et arrogantiam seu superbiam.

Ignavia est desertio vocationis, aut ex simulatioe et superstitione appetere sordes, ut Monachi faciunt. Econtra Arrogantia est maiora vocatione sibi sumere, item confidere propriis viribus, et alia organa Dei despicere, vel eis invidere, ut Cain, Goliath, Saul, Antonius, et maxima pars hominum.

Gloria est vera approbatio conscientiae nostrae, et testimonium aliorum recte iudicantium, de honestis factis. Multa autem complectitur vera approbatio nostrae conscientiae. Tunc enim conscientia vere indicat, cum agnoscit suam infirmitatem, timet Deum, et tamen vocationi obtemperat fide, et gerit ea, quae postulat vocatio, non appetit alia, et agnoscit se iuvari a Deo, sic gloriantur Samuël, David, Paulus, id est, vera testimonia habent conscientiae, sciunt se non rapuisse dominationes, sed vocationi obedivisse, et non miscuisse privatas cupiditates, et quae feliciter gesserunt, a Deo gubernata esse. Haec gloria, id est, hoc testimonium conscientiae est appetendum. Quia Deus vult nos vivere bona conscientia. Imo polluta conscientia non potest eum invocare. Sed tamen non confidamus nos habere reconciliationem apud Deum, propter hoc testi-

monium conscientiae, hoc alias declaratur. Rursus glorio, id est, gloriosae functiones, sine vocatione, non sunt appetendae. Nec imaginemur nos nostris viribus res salutares gerere, sed sciamus verum esse, quod ait Christus: Sine me nihil potestis facere. Est igitur superbia appetere functiones sine vocatione, item confidere propriis viribus.

Hinc iudicari potest, cognatas virtutes esse, humilitatem, et gloriae appetitionem, sicut cognatae sunt parsimonia et liberalitas, et utranque inter haec extrema versari, inter ignaviam et superbiam. Dicitur autem humilitas, quatenus non appetit functiones sine vocatione, et agnoscit suam infirmitatem, et non confidit suis viribus. Gloria vero dicitur quatenus obtemperat vocationi. Ergo Christus recte et sine arrogantia de se praedicat: Ego sum lux et vita, quia oportuit eum declarare suam vocationem, quae longe superabat omnia regna mundana. Longe maior gloria erat dici autorem iusticiae, et vitae aeternae, quam dici Augustum Imperatorem populi Romani. Rursus recte, et sine simulatione de se praedicat, cum ait: Ego sum humilis corde, et revera excelluit Christus hac virtute, quae vocatur humilitas, omnes angelos et omnes homines, quia ipse perfecte novit aeternum patrem, quare perfecte se ei subiicit, et longius se infra eum abiicit, intelligit magis deberi ei obedientiam, quam intelligunt omnes angeli et omnes homines, nec despicit alia organa Dei, sed ingenti amore complectitur, adiuvat et tuetur.

Haec satis sit breviter attigisse, ut veras causas cogitemus, cur fugerit Christus, scilicet, quia vocatio eius non sinebat eum regio more dominari: ideo singuli discant, quid propria vocatio postulet. Hanc regulam iam olim neglexerunt Episcopi, et primae vocationis obliti, et neglecto ministerio Evangelii, iam tantum regunt imperia mundana, et postquam doctrina propter occupationis imperiorum neglecta est, magni errores in Ecclesiam irrepserunt, et multa mala accesserunt. Quorum magnitudinem et poenas ostendet dies novissimus, et haec peccata alias saepe et iuste taxantur.

Postquam autem sero factum est, descenderunt discipuli, etc.

Historica considerentur, reliquerat totam multitudinem Christus, et secesserat aliquo, ne in vulgi concursu Rex appellaretur, eaque ex re perniciosi tumultus orirentur. Discipuli vero se ad naves recipiunt, ut ibi cubarent, et dominum expectarent, tandem quia is non adest, cum iam tenebrae intenderentur, Apostoli flumen traiicere incipiunt, redituri in oppidum Capernaum, situm in ripa meridiana. Vident autem advenire Christum supra flumen ingredientem, cum iam navis provecta esset stadia triginta, id est, fere miliare germanicum. Cogita ergo quam multae magnae virtutes concurrunt, docuit, sanavit aegrotos, pavit populum sine aliqua rerum copia, secessit, ne Rex appellaretur, nunc incedit supra flumen.

Postridie mane venit populus ad suam ripam Arctoam, cumque scirent Christum non avectum esse cum Apostolis, nec aliam ibi navem fuisse praeter unam, qua erant usi Apostoli, mirantur quo Christus discesserit, cumque dubitant, videtur commodissimum sequi Apostolos, et casu aliae naves ad eam ripam applicant, quae ex Tyberiade venerant.

Cumque veniunt ad Christum, primum obiurgantur, quod non quaerant gloriam Dei et bona aeterna, sed praesentia commoda, sicut usitatum est huic miserae et infirmae naturae hominum, magis angi de victu, de tranquillitate corporis, quam de gloria Dei et de bonis aeternis, sicut Esau praetulit offam iuri primogeniturae, hoc est, sacerdotii, quod erat ministerium divinum.

Proponit igitur propositionem, quae continet obiurgationem et doctrinam. Parate cibum non periturum, sed manentem in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc enim pater signavit Deus. Primum de persona dicit, quis sit. Deinde exponit qualem cibum daturus sit, et testatur se esse Messiam datorem vitae aeternae, ac clare refutat persuasionem Iudaeorum, qui expectabant imperium mundi, nec intelligebant, nec expetebant remissionem peccatorum, iusticiam, vitam aeternam. Dixi autem principio descriptionem personae observandam esse. Ait se obsignatum a patre, omnino singularis descriptio est, significans duo, videlicet, hanc personam destinatam esse ad certum munus prae omnibus hominibus, et ornatam singularibus donis, quibus antecellat omnes homines.

Quod enim hic dicitur: Obsignatus, id in Psalmo et apud Esaiam et Danielem, dicitur

unctus. Esaiae 61.: Spiritus Domini Dei super me, eo quod unxerit me. Est autem sumtum verbum a ritu ungendi sacerdotes et reges. Est ergo ungi, seu obsignari, destinari ad munus sacerdotis et regis. Et quidem cum de hac persona dicitur, intelligendus est sacerdos vere placans iram Dei, et rex qui prorsus deleat regnum diaboli, peccati et mortis, et det regnum aeternum. Nec vero tantum significat vocabulum ungere talem ordinationem ad fungendum hoc munere, sed significat etiam impartire dona, sicut ait Esaias: Spiritus Domini Dei super me. Ut autem Baptista supra dixit: Non ad mensuram ei dat pater spiritum: ita hic significatur hanc personam antecellere omnibus peculiari modo, qui in aliis locis copiosius exponitur, quia Christus cumulatus est donis Spiritus sancti supra omnes homines, imo quia in eo divinitas habitat corporaliter, id est, quia natura est filius Dei, est pari potentia cum patre, ut supra dixit: Pater meus usque modo operatur, et ego operor, sanctificat igitur, et vivificat, dat novam lucem, iusticiam, et vitam aeternam. Sic est obsignatus et unctus Christus, ut ungat credentes, sicut supra dictum est: Ex plenitudine eius omnes accipimus.

Graeci urgent vocabulum obsignatus est, et accommodant ad imaginem Dei, Christus est *σφραγὶς*, id est, imago patris aeterni, sicut ad Heb. 1. dicitur: Filius est *χαρακτὴρ* substantiae patris. Nec mihi displicet haec interpretatio, sed ita verbum *σφραγίζω* tribuitur soli et uni Christo, quo tamen et alias utuntur Ioannes et Paulus, de caeteris sanctis, ut 2. Corinth. 1.: Deus qui obsignavit nos, id est, ordinavit, donavit, et munivit Spiritu sancto. Item: In quo obsignati estis in diem redemtionis. In summa vero Christus in hac concione sexti capitis dicit, se esse obsignatum, id est, se unum esse Messiam certo modo ordinatum, et donatum pro omnibus hominibus ad hoc munus, ut det vitam aeternam. Haec erat nova concio, et ignota populo, fascinato persuasionibus de imperio mundi.

Quid faciemus, ut operemur opera Dei?

Initio capitis miracula recitavit aliquot, quae sunt testimonia doctrinae: postea sequitur narratio constantiae Christi fugientis regium nomen. Tertio, describitur obiurgatio populi, quaerentis Christum, non propter Evangelium et gloriam Dei, sed propter proprias utilitates, victum, libertatem, excussionem tributorum, regnum. Quarto additur doctrina: Si peccamus, quid igitur faciendum est, ut Deo placeamus? Quinto renovatur certamen: quia voce Evangelii offenduntur Iudaei, et fit collatio Mosi et Messiae. Sexto, rursus interponitur doctrina de discrimine humanae sapientiae, et Evangelii, quod humana ratio non amplectatur Evangelium, nisi adiuvetur a Spiritu sancto, et hic locus refutat Pelagianos, discernit etiam Ecclesiam a populo legis. Septimo, adduntur conciones de manducando Messia, quae opponuntur esui sibi dati in deserto. Octavo, novae et maiores offensiones oriuntur, cum audiunt de manducatione Messiae, nec dubium est omnes sapientia humana antecellentes, cum legunt hanc concionem de manducatione, obstupefieri et mirari, quorsum haec tam obscura ratio, et in speciem absurda pertineat. Nono, abrumpit totam altercationem, et causam repetit harum offensionum, quam supra dixit, videlicet, quod mens humana sit oppressa tenebris, nec amplectatur Evangelium, nisi Deo iuvante. Decimo, tentatur confessio Apostolorum, qui expresse affirmant, hunc suum dominum esse Messiam filium Dei. Recitavi seriem locorum, qui in hac longa et obscura concione praecipui sunt, ut lector magis videat, quomodo membra congruant.

Redeo igitur ad quartum locum de doctrina, quae in hoc capite praecipua est. Cum Iudaei stomachantes obiurgati essent, interrogant, quod opus fieri velit? Ipse proponit hoc opus, de quo proprie concionatur Evangelium, videlicet, ut credant in Christum, et aliquanto post affirmat, se esse datorem vitae aeternae, et hanc ita consequi homines, si credant in Messiam. Haec est principalis doctrina in hac tota disputatione, quae quidem est summa Evangelii, ut saepe dictum est supra, et est sententia opposita legi, et inani fiducia populi huius, qui propter legem existimabat se habere remissionem peccatorum et haereditatem vitae aeternae. Ideo ironice interrogant: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? quasi dicant: Cur nos obiurgas? cur iubes aeternum cibum quaeri, cum simus iusti lege, quidnam requiris amplius? Respondet Christus, imo aliud requiro: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit. Vocat hanc fidem opus Dei, non solum quia a Deo mandatum est, nam hoc modo et lex est opus Dei, sed etiam quia placet Deo, et

est illud opus, quod recipit homines, et dat eis vitam aeternam. Haec est simplex sententia dicti. Exercitia legis non sunt hoc opus, quo salvat Deus, sed sunt disciplina et politica iusticia, quae etiamsi in hac corporali vita necessaria est, tamen non meretur remissionem peccatorum, ut constat, et ad Gal. 3. dicitur: Qui ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt, id est, qui arbitrantur se legi satisfacere, et hac disciplina coram Deo iustos esse, nec norunt propter Messiam donari reconciliationem, hi prorsus errant, et pereunt. Iam haec doctrina novas offensiones et novum certamen excitat.

Quod igitur facis signum?

Venio igitur ad quintum locum, in quo est dura altercatio. Offensi Iudaei, quod Christus ait se esse Messiam, et postulat sibi credi, incipiunt de collatione Mosi et Messiae disputare, et redeunt ad suum inveteratum morbum atque errorem de regno mundano. Et sic argumentantur, Christus erit maior Mose, Moses eduxit populum ex Aegypto, delevit hostes, pavit populum in deserto, denique res tantas gessit, ergo cum Messiam maiora et gloriosiora gerere oporteat, et tu nihil geras, sed relinquas nos in servitute et miseriis, non est existimandum te esse Messiam. Speciosum argumentum erat, et quod fascinati parsuasione de regno mundano, nequaquam possunt explicare. Refutat autem Christus argumentum eorum. Messias maiora geret, quia dabit aeterna bona: Panis Dei est, qui de coelo descendit, et vitam dat mundo. Refutat et alteram partem. Moses dedit Manna, imo inquit, Moses non dedit, sed pater meus, quasi dicat: Moses tantum minister est, nihilo magis poterat dare sua potentia vitam, quam alius quilibet homo miserrimus. Discerni volo Mosen ministrum a Messia domino et autore vitae, hic autor vitae de coelo descendit, filius est aeterni patris, cum eo operans, ut supra dixit: Quae ille facit, et filius similiter facit. Hic filius tollit mortem, et reddit vitam aeternam.

Diligenter autem observetur hic locus adversus eos, qui de Christo tantum fingunt eum esse doctorem, ut fuerunt Moses, vel Phocylides, vel alii, qui praecepta morum tradiderunt, et qui Evangelium in legem transformant. Hic perniciosus error saepe taxatus est supra, et discrimen semper in conspectu esse piis debet. Est et testimonium observandum de divina natura in Christo, quod etsi obscurius est, tamen adiunctum caeteris fit clarius. Hic qui de coelo descendit est panis, dans vitam, affirmat se de coelo descendisse, nec tantum circumferre humanam naturam. Caeterum hoc perspicuum est, hic panem metaphorice dici rem vivificam. Sumta est enim occasio a verbis Iudaeorum, qui citaverunt historiam de Manna, et postea Christus pluribus verbis repetet eandem sententiam, et dicet sic vivificari homines per ipsum, cum credunt in eum. Interpellatur autem Christus ironiis auditorum: Da nobis, inquiunt, cibum illum, quo gustato, postea victuri sumus sine fame, sine cibo, et sine sumtu.

Omne quod dat mihi pater ad me veniet.

Hic sequitur sextus locus, de discrimine Evangelii et humanae sapientiae et Ecclesiae, ac populi legis. Et primum tristis obiurgatio interponitur de reiectione populi. Dixi vobis, inquit: Vos me visuros esse, et tamen non credituros. Haec vox alludit ad Prophetarum praedictiones de reiectione populi. Sunt enim notae sententiae: Si fuerit populus, ut arena maris, tamen reliquiae tantum salvae erunt. Nos vero sciamus concionem hanc non solum minari Iudaeis, sed etiam reliquis gentibus, ex toto genere humano, exigua pars servabitur, quare prophanae imaginationes corrigendae sunt, quae fingunt Ecclesiam esse maiorem multitudinem et potentiorem. Populus legis erat universa multitudo circumcisa, et coniuncta in politia Mosaica, sed vera Ecclesia est alius coetus, scilicet electus ex Iudaeis et gentibus, qui trahitur a patre, ut veniat ad filium, et in eum credat.

Haec postea latius declarantur, citato loco Esaiae 54.: Dabo universos filios tuos doctos a domino. Haec est brevis et compendiaria descriptio Ecclesiae. sed tamen summam rei complectens, videlicet, quod Ecclesia sit coetus, non alligatus ad politiam Mosi, sed ad Evangelium, et vere credens Christo, Deo docente corda per Evangelium.

Porro ex his sententiis extruuntur longae et intricatae disputationes de praedestinatione, quas admiscere nihil opus est, et Christus hic praecidit ipse, cum ait: Venientem ad me non eiiciam foras. Nos teneamus promissionem Evangelii haud

dubie universalem et gratuitam esse, et nos in illam universalem includamus, et ad Christum accedamus. Scimus item mandatum Dei immutabile esse, quod praecipit, ut credamus. Cum hac doctrina vera et firma nos confirmavimus, sciamus haec dicta in Ioanne et alibi, quae de praedestinatione citantur, non eo dici, ut labefaciant fidem, et evertant promissionem, sed doctrinam continent commonefacientem nos, qualis sit Ecclesia, ne offensi exigua et humili specie ab ea aberremus. Ac de effectu praedestinationis magis quam de causa loquuntur. Impossibile est non obstupescere rationem humanam, si conferat Ecclesiam ad imperia mundi. Cum Romae regnabat Augustus sapiens princeps, et salutaris orbi terrarum, et magnos labores sustineret in regendo imperio, et tuenda pace, et senatus esset magnus coetus virorum honestorum et prudentum, qui magnas res gerebant, et molem gubernationis in toto orbe sustinebant, quis diceret hunc coetum non esse Ecclesiam Dei, sed paucos quosdam, et miseros homines in Iudaea, Zachariam, Elizabeth, Simeonem, Annam, Mariam, Ioseph et aliquot similes esse Ecclesiam, et Deo curae esse, et tantum hunc exiguum et miserum coetum socium fore aeterni regni Dei? Cum igitur hac specie ratio moveatur, necesse est nobis tradi commonefactionem, seu consolationem, quae confirmet nos, ut Ecclesiam sciamus alligatam esse ad Evangelium, non ad genus, non multitudinem, non potentiam, imperia, sapientiam, et iusticiam legis.

Haec est haud dubie sententia dictorum in Ioanne et Paulo. Interim tamen verum est Deum velle omnes salvos fieri, et promissionem universalem esse, quod nemo negare potest. Causam igitur damnationis oriri a nostro peccato. De salute vero sic sentiendum, vocari nos per Evangelium, et assentiri nos debere, et cum assentimur, haud dubie nos trahi et consequi reconciliationem promissam.

Concutitur humana ratio multis offensionibus, quoties videt eos, qui non sunt Ecclesia, antecellere multitudine, potentia, imperiis, sapientia, fortitudine, et multis virtutibus. Hic primum disputat mens, an sit providentia, an Deus curet homines? Ratiocinatur enim ex lege, debere melius esse iustis, iustos debere imperiis et dignitate florere. At in mundo tenent imperia impii, et pugnantes cum ea doctrina, quam Ecclesia affirmat a Deo traditam esse. Hac igitur specie multi offensi a Deo deficiunt, et difficile est eluctari ex hac tentatione, sed opponi ei oportet miranda testimonia, quibus verbum Dei traditum et propagatum est inde usque ab initio, et exempla primorum patrum. Deus manifestis testimoniis miraculorum ostendit se adesse exiguo coetui amplectenti eius verbum.

Postquam magno certamine vicit mens epicureas illas cogitationes, exoritur secundum certamen etiam a lege ortum, si qui sunt curae Deo, consentaneum est a Deo eligi dignos, bene merentes, praestantes ingeniis, sapientia, iusticia, et aliis virtutibus. Ego me sentio longe inferiorem esse Saule, Aristide, Platone, Scipione, Augusto, quomodo consentaneum est me magis electum esse, quam hos summos viros? Hoc certamen multo difficilius est superiore, et hic iam opponenda est cogitationi dignitatis, vox Evangelii de Christo, et particula Gratis. Ego nihil sum collatus ad Saulem, Aristidem, Scipionem, Platonem, Augustum, sed filii Dei dignitas maior est, quam omnes omnium summorum hominum virtutes. Aspernantur haec homines prophani, sed nos in Ecclesia non aspernemur filium Dei. Hunc unum sciamus constitutum esse propiciatorem, nec ullam esse sapientiam, et iusticiam humanam anteferendam huic mediatori. Haec est causa particulae Gratis, cur toties repetita sit a Paulo, quia vult nos avellere et abstrahere a collatione meritorum et dignitatis hominum, ad conspectum unius Christi mediatoris. Tertia tentatio est de particularitate. Cum audivimus reiici argumentum legis de dignitate et meritis, hic vero novi tumultus in mente existunt. Quia a lege et collatione meritorum disceditur, disputat mens Deum esse personarum acceptorem, ex toto genere humano quosdam excerpere, quos sibi adiungat, caeteros pares reiicere. Talis electio sine causis videtur tyrannica. Huic tentationi opponatur universalis promissio, quae testatur Deum offerre omnibus salutem, nec dubium est mandatum esse Dei, ut huic promissioni omnes credant, item ut omnes audiant filium Dei. Quos igitur elegit? Respondeo: Eligit eos, qui se sustentant promissione, quae propter filium proposita est. Quanquam igitur non propter hominum merita eligit, tamen discrimen est inter eos qui recipiuntur, et caeteros. Nam hi qui recipiuntur, retinent vo-

cem Evangelii, huic assentiuntur, et se sustentant agnitione Christi.

Quarto novum hic certamen oritur, an hoc sit tanti, quod credo Evangelio. Cur hoc opus tanti fit? cur antefertur omnibus egregiis factis Saulis, vel Scipionis? Agnosco offendi rationem, quae iudicat hoc opus esse leve et inferius caeteris, sed est magnum non propter suam dignitatem, sed propter mediatorem Christum, quem apprehendit. Ideo hic dicitur:

Hoc opus Dei, ut credatis in eum, quem misit.

Id est, opus quod approbat Deus, et quo salvat vos. Haec est sapientia singularis Ecclesiae, quam in hac concione fatetur Christus non intelligi a mundo. Ideo inquit, mentes a patre trahi, item, doceri a Spiritu sancto. Nec propterea voluntas humana est otiosa, imo qui in tanto certamine putat otium esse voluntati, non degustavit has difficilimas luctas. Potest humana voluntas effundere fidem in his tentationibus, et effundunt multi, qui habuerunt initia pia et laeta, sicut Saul, et quidem volentes effundunt, alii retinent, ut David, Petrus, et sentiunt magnam infirmitatem voluntatis, sed tamen non ita franguntur, ut volentes abiiciant, non sua sponte accersunt desperationem, et contumelias adversus Deum, sed adiuvantur interim a Spiritu sancto, sicut inquit Paulus: Spiritus opitulatur infirmitati nostrae. Haec illo ipso loco ad Rom. 8. et in hoc 6. capite traduntur in hanc sententiam ut dixi: Ut pii erudiantur de Ecclesia, et has consolationes opponant offensionibus rationis, et multis saevis tentationibus. In his experientia docet, non esse otium voluntati, sed in magno certamine iungi has causas, verbum Dei, Spiritum sanctum, et humanam voluntatem.

Haec est voluntas eius, qui misit me, ut omnis qui videt filium, etc.

Ut in proximis versibus dixit de discrimine Mosi et Messiae, ita nunc repetit eandem sententiam. Prius dixit figurate: Qui credit in me, non sitiet unquam; nunc simpliciter sine figura dicit: Haec est voluntas patris, qui misit me, ut omnis qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam; et additur declaratio de vita aeterna: Et ego resuscitabo eum in extremo die. Simul occurrit multis quaestionibus, docet se maiora beneficia dare, quam dedit Moses, scilicet iusticiam, resuscitationem ex morte, et vitam aeternam: proponit et modum, quo illud inenarrabile beneficium consecuturi sunt homines, scilicet non lege, sed fide in Christum. Tertio, addit particulam universalem, quae refutat Iudaeos, qui ad se tantum pertinere beneficia Messiae putabant, refutat et in genere humanas cogitationes de electione, quae labefactant fidem et offundunt imaginationes, ne promissionem gratiae ad nos ipsos pertinere statuamus.

Etsi autem haec verba retinent Monachi: Omnis qui credit in filium, habebit vitam aeternam, tamen ut supra aliquoties admonui, affingunt corruptelas, credere intelligunt tantum nosse historiam. Postea addunt: Qui credit, id est, novit historiam et legi satisfacit, meretur reconciliationem, sed tamen quia nescis quando satis operum habeas, iubent dubitare. Hos errores saepe refutavimus supra, sed ad retinendam lucem Evangelii subinde, cum similes loci recurrunt, lector admonendus est, ut proprietatem verborum retineat. Cum iubet nos credere, vult non tantum historiam sciri, sed vult nos promissioni assentiri, quae est addita historiae, recipit nos Deus propter filium gratis, non propter legem, vel propter nostram dignitatem, hoc vult te credere, hanc fiduciam vult te concipere, sicut saepe dicitur: Qui credit in eum, non confundetur. Item: Iustificati fide pacem habemus. Praeterea in hac sententia Christi: Qui credit in filium, etc. Et in similibus semper respiciat mens ad particulam exclusivam, Gratis, quam toties inculcat Paulus, quae testatur nos recipi propter filium, non propter impletionem legis. Hac luce, simplicitate et proprietate verborum retenta, tum vero dulcescent nobis tales sententiae Evangelii, et veras ac gratas consolationes ostendent, et hanc unam, quam toties iam repetivimus, nativam esse harum sententiarum interpretationem, nihil dubium est.

Constituta autem hac sententia etiam praefationem considera. Haec est voluntas patris, qui misit me. Antithesis consideretur, lex denunciat vobis voluntatem Dei, puniëntem peccata generis humani, aeterna morte. At ego ex sinu patris affero aliam vocem, quae testatur vere hanc esse voluntatem patris aeternam, immotam et immutabilem: Quod vere recipiat eos, qui con-

fidunt se propter filium recipi, et in his vere tollat peccatum et mortem. Toties hanc eandem sententiam tanta perspicuitate repetit Christus, ut Iudaei quaeri non potuerint, non satis explicate dici de beneficiis Messiae, et iure reprehenditur perversitas eorum, qui his tam perspicuis dictis offuderunt caliginem postea in doctrina ecclesiastica.

Murmurabant autem Iudaei de eo etc.

Adhuc versamur in sexto loco, iuxta seriem, quam instituimus. Repetita enim Evangelii summa prius, cum dixit hanc esse voluntatem patris, ut qui credit in filium habeat vitam aeternam: Nunc crescente offensione rursus confert humanam sapientiam et Evangelium, et populum legis et Ecclesiam, ut Pharao non flectebatur, sed quo diutius audiebat Mosen, eo magis inflammabatur odium adversus eius doctrinam. Ita hic procedente disputatione hypocritae magis fremebant. Cur, inquiunt, dicit se de coelo descendisse? Quia Iudaei cogitabant suum Messiam non aliam naturam habiturum esse, nisi humanam, et regnaturum in hac mortali vita, more aliorum monarcharum. Istas igitur voces execrabantur tanquam blasphemas et contumeliosas adversus Deum, in quibus Christus dicebat se esse filium Dei, et de coelo descendisse. Interrumpit igitur Christus concionem, et monet de causa erroris. Quia videlicet mens humana sine luce divina, et sine motu divino non assentitur verbo Dei, hoc vult, cum ait: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Et citatur testimonium ex Esaiae 54.: Dabo universos filios tuos doctos a domino. Hic locus peculiarem Ecclesiae doctrinam continet, videlicet de caligine et contumacia naturae humanae, quae est peccatum originis. Haec caligo est non solum ignorare Deum et eius Evangelium, sed etiam sine luce et motu Spiritus sancti non assentiri Evangelio. Refutat ergo hic locus Pelagianas tenebras, quae prorsus congruunt cum pharisaicis opinionibus, et sunt quaedam diluta philosophia. Quia enim homo naturali iudicio utcunque legem intelligit, et sine Spiritu sancto externam disciplinam praestare potest. Ideo finxerunt Pharisaei et Pelagiani, et hodie sic sentiunt plurimi, hominem illa disciplina iustum esse, nec aliud esse doctrinam de iusticia, nisi illam philosophiam. Sed Christus hic testatur eos, qui ad Deum convertuntur, trahi motu divino. Trahitur mens Spiritu sancto per verbum Dei, et est efficax Spiritus sanctus in his, qui non repugnant verbo Dei, sicut veteres dixerunt: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Trahit autem volentem, sicut et supra dixi: Voluntatem in hac difficili lucta non esse otiosam.

Et quomodo fiat hic tractus, sequentia indicant, scilicet: Dabo universos filios tuos doctos a domino. Item: Qui audivit et didicit a patre, venit ad me. Fit autem illud docere et discere per verbum seu vocem Evangelii, quae est, ut ita dicam, instrumentum, quo Spiritus sanctus in mente novam lucem et in corde novos motus accendit, ut ad Romanos 8. dicitur: Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei. Eadem sententia discernit populum legis, et eos qui in populo sunt viva membra Ecclesiae. Populus legis est, qui coërcetur externa disciplina, sed viva membra Ecclesiae sunt hi, de quibus hic dicit Christus: Omnes erunt docti a Deo, et Zachar. 12.: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum, id est, Spiritum sanctum, quo renati statuant se esse in gratia, et placere Deo, et quo impellantur ad veram invocationem et obedientiam. Nam appellatione precum, seu invocationis, complectitur veros cultus omnes novi testamenti.

Non quod patrem quis viderit, nisi qui est ex Deo.

Insigne dictum est, et oppositum revelationi Mosi, de quo dicitur Exo. 33.: Loquebatur autem dominus ad Mosen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Et Iudaei propter hanc praerogativam valde efferebant se supra caeteras gentes, et haec carnalis fiducia securitatem in eis pariebat, et confirmabat pertinaciam retinendae legis, persuasionem iusticiae propter qualemcunque disciplinam, quam imitatione legis praestabant. Huic falsae gloriationi opponuntur haec verba, non quod Deum viderit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit patrem. Item: Nemo Deum vidit unquam, filius unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Et Lucae 10.: Nemo novit quis sit filius, nisi pater, et quis sit pater, nisi filius, et cui voluerit filius revelare.

Sed dicas quomodo haec ad locum Exodi conveniant? Respondeo, in eodem cap. 33. diserte dicitur: Non poteris videre faciem meam, quia non videbit me homo, et vivet. Quare ipse

Moses testatur se non vidisse faciem, sed loquentem coram audivisse. Textus enim ait: Loquebatur facie ad faciem, id est, coram et clara voce, non obscura specie, vel somnio, sicut eadem sententia repetita est in Num. cap. 12. ubi his verbis utitur: Ore ad os ei loquar. Porro infinitum discrimen est inter vocem patefactam, et inter noticiam, quae intuetur substantiam Dei. Non igitur dissentiunt verba Christi a Mose, sed testantur Christum longe supra Mosen esse. Moses audivit vocem patefactam, sed filius, qui est in sinu patris, divinitus introspicit substantiam patris. Testatur ergo et hic locus, in Christo non tantum esse humanam naturam seu carnalem. Quia inquit, se esse a Deo, et se vidisse patrem, quod Graece significantius dicitur, ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ. Etsi autem breve dictum est, tamen adiunctum caeteris, confirmat sententiam de divina natura in filio.

Quid autem significat illa admiranda historia, Exod. 33. Non est enim alia abstrusior historia in toto Mose. Prima sententia utcunque intelligi potest. Petit Moses, ut Deus ipse adsit suae gubernationi, quia certe gubernatio sine Deo infelix est. Ait igitur, si non tu ipse praecedas nos, ne educas nos de loco isto. Haec utcunque intelligi possunt, sed addit Moses: Ostende mihi faciem tuam. Item: Ostende mihi gloriam tuam. Quidam sic exponunt, petere Mosen, ut Deus praemonstret cursum totius huius gubernationis populi, Deum vero respondere, nolle se cerni faciem, id est, consilia sua ante finem consummatae Ecclesiae. Sed videre nos posteriora, id est, in consummatione visuros esse gloriam. Interim latet populus in foramine petrae, id est, in praesenti Ecclesia subiecta cruci, et tamen tegi eam manu Dei. Haec sententia gratissimam consolationem nobis proponit, quia testatur Ecclesiam nunc tegi manu Dei, et postea glorificandam esse. Latere autem in foramine petrae, id est, in praesenti statu innixam petrae Christo. Sed si intelligimus peti inspectionem Dei, petitur vita aeterna et summa glorificatio, et congruet interpretatio cum ea, quam nunc recitavi. Nondum potest Ecclesia videre Deum, seu habere gloriam, quae promissa est, sed adhuc stans super petram, id est, Christum fide, et in hoc foramine subiecta cruci, expectat gloriam, donec Deus transierit, id est, totam Ecclesiam consummaverit. Interim autem tegit nos manu sua, et nos videmus posteriora, id est, in verbo agnoscimus eum visuri faciem tunc, cum glorificabimur in fine.

Amen Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam.

Repetit principalem propositionem huius longae concionis et disputationis, ac rursus inculcat, ut saepe, se dare vitam aeternam, quam Moses non potuerit dare, et quidem dare eam non propter legem, sed his qui credent sibi eam propter hunc filium donari. Hanc propositionem propriis verbis positam, postea exaggerat collatione et allegoriis, enarrans, videlicet typos Mosaicos: Patres comederunt Manna, et mortui sunt, nunc datur vobis alius panis coelestis, quo vescens habebit vitam aeternam. Hunc supra dixi septimum esse locum huius cap. de manducatione: Panem ipse affirmat sese esse, item, suam carnem esse, et addit dandam pro mundi vita, id est, passuram esse. Hic existimo respici alium typum, scilicet Pascha, ut corporales cibi fuerunt Manna et Pascha, et tamen significantes aliud: ita scitote nunc non corporalem cibum, non umbram proponi, sed ipsum vivificatorem me, inquam, et quidem carnem meam passuram pro mundi vita, ita sese cibum vocat.

Sed quid est haec manducatio, aut quomodo manducandus erit hic cibus? Multi accommodarunt textum ad coenam Domini, quia hic dicitur: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere potus, et in coena Domini dicitur de distributione carnis et sanguinis. Et Gerson disputat de his, qui contenderunt infantibus dandam esse coenam Domini, et dixerunt se moveri his verbis, significantibus necessitatem: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis sanguinem eius, non habetis vitam in vobis. Sed si qui sentiunt coenam Domini opus esse, quod sine vero motu fidei efficit hominem iustum, id est, acceptum coram Deo, et meretur vitam aeternam, hi errant, ignari doctrinae de iusticia fidei. Nam usus coenae Domini sine exercitio fidei, qua et beneficia Christi agnoscimus, et vera invocatio excitatur, otiosa ceremonia est. Praeterea certum est coenam Domini institutam esse, ut sit ceremonia publici congressus, coniuncta cum praedicatione Evangelii, et Paulus inquit: Probet seipsum homo, et sic de illo pane manducet. Haec conveniunt non infantibus, sed iis quorum aetas iam

utcunque intelligit doctrinam, et explorare conscientiam suam potest, et textus dicit: Quoties panem hunc manducabitis etc., mortem domini praedicate. Hic non alia necessitas imponitur, nisi ut simul fiat commemoratio de morte Christi, cum sumitur sacramentum. Quanquam igitur aetas illa, quae iam intelligit doctrinam, aliquando debet uti sacramento, ut publice profiteatur suam fidem coram Ecclesia, tamen necessitas non imponitur his, qui professionem nondum intelligunt, et satis est infantes insertos esse Ecclesiae per baptismum. Haec obiter dixi de his, qui locum Ioannis ad ceremoniam coenae Domini accommodarunt, et durius contenderunt de necessitate, quam opus est.

Ego hanc concionem huius sexti capitis, nec de ceremonia coenae Domini, nec de manducatione ceremoniali intelligo, sed sicut supra Christus praefatus est de fide, qua credimus placatam esse iram Dei morte filii, corpus suum offerentis pro nobis, et sanguinem suum fundentis, et nos propter hanc victimam recipi a Deo in gratiam, et donari vita aeterna. Ita caetera de eadem fide intelligo, qua vivificantur credentes, quia nituntur Christo, qui pro nobis corpus suum obtulit, et sanguinem suum fudit. Hanc doctrinam de passione sua, et de fide nostra significatam, ante in manducatione agni inculcat Iudaeis, qui prorsus alias habebant opiniones de Christo, non cogitabant eum passurum esse, non sciebant donari reconciliationem propter ipsum, denique nihil norant de fiducia huius victimae, sed tantum habebant sua somnia de imperio mundano.

Ostendit autem Christus discrimen inter Prophetas caeteros et sese. Caeterorum Prophetarum caro et sanguis non manducatur, sed doctrina tantum auditur: aliud est carnem huius Messiae manducare et bibere sanguinem. Hic enim fit victima pro nobis, et sentiendum est fiducia huius sacrificii nobis Deum placatum esse. Interfecti sunt et alii sancti, ut Abel, et multi Prophetae, Esaias, Ieremias, et alii, sed horum caro non est cibus, nec sanguis est potus, id est, non est sentiendum hos fuisse victimas placantes iram Dei, sed solus Christus est illa victima, qua niti nos oportet, et de qua statuendum est, quod propter eam Deus nobis remittat peccata. Haec fides est necessaria, ideo cum de manducatione necessaria loquatur, non ceremonialem, sed hanc fidem intelligamus: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis, id est, nisi fides vestra nitatur mei corporis oblatione, et sanguinis effusione. Multum lucis accedit textui, cum cogitabis his verbis discrimen ostendi inter caeteros Prophetas, et inter Messiam, qui solus est agnus manducandus, id est, solius huius personae oblatione nititur fides. Caeteri Prophetae non sunt manducandi, nec nititur fides ipsorum personis. Et caeteri, quanquam sonant vocem Evangelii, tamen non sunt personae dantes vitam aeternam. Haec una persona, quae est Messias, filius Dei, dat lucem, iusticiam, et vitam aeternam. Hanc iudico simplicem et nativam sententiam esse huius dicti.

Haec dixit in synagoga, etc. Item: Durus est hic sermo.

Octavus locus. Audita concione de esu veri agni, magis offenduntur Iudaei, cum tamen eos admonere ceremonia agni, de hac doctrina debuerit. Certe non frustra fuit instituta haec manducatio. Agnus significabat Christum, mactatio passionem, seu mortem, manducatio fidem nitentem hac ipsa persona, et consociationem, qua efficimur fratres et cohaeredes Christi, ac participes spiritus ipsius, et sicut Petrus loquitur, divinae naturae. Haec intelligebant Moses, Iosue, et similes, cum vescerentur agno paschatis, et de hac consociatione fratrum et cohaeredum Christus hic concionatur, sed Iudaei fascinati persuasione de imperio mundano, nec suum typum de agno, nec Christi concionem intelligebant. Ideo errorem eorum refutat Christus, opposita forma sui regni: Absurda vobis concio de manducatione videtur, magis mira res erit resurrectio a morte et forma regni, cum potentia divina regnabo. Hoc sentit cum ait: Videbitis filium hominis ascendentem, ubi erat prius, id est, ascendet ad patrem, regnaturus divina potentia, daturus Spiritum sanctum et vitam aeternam, defensurus Ecclesiam. Vos expectatis Messiam, qui det vobis imperium mundi, ego me ipsum daturus sum, quod plus est, et societatem aeternae gloriae: regnabo enim divina potentia, etc.

Caro non prodest vobis quicquam, spiritus est, qui vivificat.

Hic nonus locus est, in quo abrumpit disputationem, ac redit ad locum supra tractatum, vi-

delicet ad collationem Evangelii, et humanae sapientiae. Caro non prodest quicquam, id est, carnalis imaginatio de manducatione, carnales opiniones de Messia non prosunt quicquam. Haec est simplicissima sententia, sicut alias dicitur: Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Econtra spiritus vivificat, id est, lumen et motus Spiritus sancti, qui per Evangelium est efficax, sunt incoatio vitae, sicut et alias dicitur: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Item: Sensus spiritus vita est et pax. Diligentissime observanda est sequens sententia, quae connectit Evangelium et Spiritum sanctum.

Verba quae ego loquor vobis, sunt spiritus et vita, sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Hic connectit haec tria, Evangelium, Spiritum sanctum, et fidem. Docet igitur sine Evangelio non esse efficacem Spiritum sanctum, docet item, quomodo sit efficax, scilicet, cum nos assentimur Evangelio, nec repugnamus. Exempli causa: Cum audisset hanc vocem David: Dominus abstulit peccatum tuum, multae contrariae rationes huic voci refragabantur, sensit poenas David, parricidia filiorum, exilium, seditionem, stupra coniugum: hic videbat ex uno adulterio et una caede Uriae orta esse innumerabilia peccata. Cum haec nova peccata videret, quomodo potuit statuere suum peccatum deletum esse, aut se non esse reum? Sed adversus hanc ingentem molem se sustentabat hac voce: Dominus abstulit peccatum tuum. Quod cum faceret, sensit haec verba esse spiritum et vitam, id est, spirituale lumen, quo et agnoscebat vere misericordiam Dei, et consolationem concipiebat, qua incoatur vita aeterna. Ita poterit recte et simpliciter intelligi dictum Christi, cum ad usum transferetur.

Est ergo haec summa, dissentit ab Evangelio humana sapientia, et repugnat Spiritu sancto, sed cum audimus Evangelium, et assentimur, Spiritus sanctus est efficax, et tenebras humanae mentis illustrat. Eodem pertinet, quod sequitur: Nemo potest venire ad me, nisi datum ei sit a patre meo. Iungamus haec, ut ante dictum est, Evangelium, Spiritum sanctum, et voluntatem assentientem. Nemo venit ad Christum, nisi trahatur a patre. Trahit autem pater volentes. Ideo hic inquit Christus: Sunt quidam inter vos, qui non credunt, id est, vestra voluntate repugnatis Evangelio, et pertinaciter retinetis falsam persuasionem, non vultis credere voci meae, hae sunt causae, cur non trahimini a patre meo, his remotis, trahit pater eos, qui assentiuntur, quia certe vult omnes salvos fieri, et mandat, ut omnes sua promissione sustentemur, et in promissionem universalem nos includamus. Haec simplicia et plana sunt, et non est opus hic longioribus disputationibus de electione, seu de praedestinatione, teneatur haec summa: quod humana voluntas perseverans in peccatis, sit causa reiectionis, econtra vero misericordia Dei propter Christum recipientis nos, causa est electionis, sed quia propter Christum recipimur, necesse est fide agnosci et apprehendi Christum. Illi ergo sunt electi, qui credunt se propter Christum receptos esse, et hanc fidem non abiiciunt.

Et nos credidimus et cognovimus, quod tu es Christus filius Dei viventis.

Decimus locus est confessio Apostolorum insignis et perspicua, sicut et altera similis huius, facta ad Caesaream, cuius fit mentio Matth. 16. Hactenus initia praedicationis Christi laetiora et gratiora fuerant. Magnitudo miraculorum et emendatio doctrinae Pharisaeorum multos attraxerant, qui dulcissimas spes habebant novae libertatis et regni illius, quod sibi somniabant. Sed quia saepius iam ostendit Christus Pharisaeos, et paulatim concionatur minus grata de cruce, de fide, et damnat illa dulcia somnia de regno, ideo deseritur prorsus, ut nostra aetas vidit exemplum simile, initio quantus ardor erat animorum? quantum lumen iudicabant homines ostensum esse? cum multi errores taxarentur, et doctrina purior proponeretur, sed quia paulatim magis erant offendendi Episcoporum et potentum animi, reprehensione Messiae et quarundam aliarum opinionum, quae sunt nervi impietatis, deficiebant multi potentes et docti. Harum defectionum exemplo non leviter perturbantur alii imbecilles, sicut nunc videmus. Interrogat igitur Christus Apostolos, ut audiat eorum confessionem, et eos confirmet.

Monet igitur hoc exemplum, ne moveamur, nec perturbemur defectione aliorum. De hac offensione tristes querelae sunt, et in Psalmis, ut Psalm. 40.: Homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, auxit saevitiam inimicorum adversus me. Quandocunque sunt in Republ. partes et dissidia, accidunt multae defe-

ctiones. Quia magna pars sequitur fortunam, et inclinat ad navis latus felicius. Maxime vero in Ecclesia sunt defectiones, quia non solum hostium odia, acerbitates, saevitia subeunda est, sed etiam sociorum scandala, aliquorum animos languefaciunt: ut Davidis adulterium multos ab eo alienavit. Discant igitur pii se confirmare cognitione doctrinae, et hanc teneant, etiamsi in personis sunt naevi. Rursus etiam singuli eo simus diligentiores in cavendis scandalis, ne deterreamus infirmos. Christus inquit Petro: Et tu conversus confirma fratres tuos. Hoc praeceptum semper nobis sit in conspectu, ac hortetur nos ut simus cautiores, ut omnia nostra dicta et facta prosint aliis.

Iam de confessione Apostolorum dicamus, clare affirmant se approbare doctrinam Christi, nec ab eo discessuros esse. Alii enim discedebant novitate doctrinae offensi, hi contra respondent: Verba vitae aeternae habes. Affirmant Christum vera docere, et quia credunt eius doctrinae, ideo agnoscunt eam salutarem esse, et clare profitentur: Tu es Christus filius Dei viventis. Hic est articulus praecipuus Ecclesiae, sicut alio loco dicitur: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. De eo articulo tunc certamen erat Ecclesiae cum populo Iudaeorum. Populus Iudaeorum negabat hunc Iesum natum ex Maria esse Messiam promissum, negabat item esse filium Dei, sed Apostoli utrunque profitentur, et hac professione constituunt Ecclesiam, et sese ab impiis seiungunt.

Iam considerandum est, quam multa complectatur hic articulus: Tu es Messias promissus, ut auferas peccatum et mortem, et reddas iusticiam, ac vitam perpetuam. Filius Dei imago aeterni patris, genita a patre, coaeterna, intelligens patrem, cum eo creans, dans Spiritum sanctum et vitam aeternam. Haec revera comprehendi in hac confessione constat ex declarationibus passim sparsis in doctrina Apostolorum, et cum hoc breve dictum audimus, colligamus animo declarationes illas in aliis locis traditas, et discamus nos agnitione et invocatione huius domini confirmari.

Postquam autem Christus confessionem eorum audivit, rursus praemonet nondum finem esse defectionum, hoc ideo significatur, ut singuli sint vigilantes, nec negligentia aut curiositate invitent diabolum, sicut ingenia curiosa, dum nimium sibi indulgent, et delectantur suis argutiis et inventis, implicant se laqueis diaboli, postea prodest etiam praemonitio, ut cum deficiunt aliqui, caeteri non desperent, sed sciant tamen Ecclesiam non interituram esse.

Caput VII.

Erat autem prope festum Iudaeorum.

Ioannes post Paschatis mentionem, omissa magna parte historiae, iam attexit hiemem postremi anni praedicationis Christi, et orditur a festo tabernaculorum, quod incoabatur die 15. Septembris, et celebratur toto octiduo, ut scribitur Levit. 23. et significatio festi adscripta est: Quod in tabernaculis fecerim habitare filios Israël, cum educerem eos de terra Aegypti. Est ergo memoria eductionis ex Aegypto, et defensionis in deserto, quae ingentia miracula complectitur, imo est omnium historiarum, omnium aetatum a principio mundi usque ad finem, excepta ipsa Christi passione et resurrectione, longe maxima. Nec solum est imago Ecclesiae omnium temporum, sed pars praecipua, quae caeteris temporibus exempla insignia monstrat, quae testantur Ecclesiam servari et regi a Deo sine praesidiis humanis, et variis calamitatibus exerceri, magnam partem populi, quae gerit nomen Ecclesiae Dei, corrumpi et puniri, sed aliquas populi reliquias manere incorruptas, et retinere doctrinae puritatem, fidem, et veram invocationem, et experiri mirandas liberationes, sicut ordine historia indicat, datum est Manna, datae carnes, percussa rupes virga Mosi effudit largos fontes, tecta est multitudo nube interdiu, et noctu praelucentibus flammis, lapsa et polluta est multitudo magno scelere, cum absente Mose colunt vitulum. Magna igitur multitudo interficitur, fiunt seditiones Chorae et aliorum, et rursus quatuordecim millia hominum et septingenti perierunt coelesti flamma, populus scortatione, et idolis novas poenas accersit, fiunt et interim varia praelia, et exhibentur illustria testimonia praesentiae Dei. Denique in deserto maior fuit gloria huius populi, quam unquam florente regno in terra Canaan.

Docemur igitur mentione huius solennitatis, de miranda gubernatione et conservatione Ecclesiae, quod videlicet coeperit Deus a principio

mundi post Adae lapsum, Ecclesiam ex regno peccati et mortis educere, et in deserto eam in hoc mundo mirabiliter regat et servet, etsi interim magna multitudo deficit, et ruit in aeternam iram et aeternas poenas. Cum igitur videmus potentissimos reges orbis terrarum, et maximam hominum multitudinem contemnere doctrinam per Prophetas et Apostolos traditam, et exiguum coetum esse profitentium eam doctrinam, orbatum praesidiis, et conflictantem variis aerumnis, illam imaginem Ecclesiae in deserto intueamur, et non deficiamus a Deo, sed sciamus duci Ecclesiam nunc quoque per desertum, et tegi nube et flammis coelestibus, et adesse ducem Christum, sicut illis adfuit. Prorsus eadem res geritur, et geretur usque ad finem mundi, cum in aeterna tabernacula et consuetudinem Dei introducetur Ecclesia.

Neque enim fratres eius credebant.

Initium capitis recitat pericula Christi, et narrat eum contemtum et derisum esse a suis cognatis. Proponitur ergo imago Ecclesiae, et monemur Evangelii professionem non esse relinquendam, etiamsi odia summorum et amicorum subeunda sint. Hic locus communis saepe se in tota historia Evangelii offert, et nihil habet obscuritatis. Videmus enim quotidiana exempla. Ideo non indiget longa declaratione, sed illud meminerimus, his et similibus Christi concionibus confirmemus nos, ne fracti odiis et persecutione, deficiamus a Deo et a doctrina divinitus tradita.

Si quis vult voluntatem ipsius facere, cognoscat de doctrina.

Hic orditur utilem concionem, ac primum affirmat de doctrina, quod sit divina. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Postea docet quomodo percipi haec doctrina possit. De humanis doctrinis prius cernimus experientiam, postea assentimur, ut prius experimur igne uri manum, postea statuimus ignem esse calidum. De voce Evangelii contrarius est ordo. Prius requirit Deus assensum, postea sequitur efficacia et experientia. Ut prius credit Moses Deo iubenti ipsum educere populum, postea cernit auxilium Dei, et mirandam defensionem. Valde igitur prodest hanc regulam meminisse. Impii aspernantur Evangelium Dei, qui vim et efficaciam experiri prius volunt, et postea assentiri. Ideo manent in tenebris, nec intelligunt Evangelium, nec beneficia eius accipiunt, sed credentes, ideo quia fide accipiunt, et se sustentant voce *Dei*, experiuntur efficaciam, et donantur Spiritu sancto et nova luce.

Semper igitur nobis in invocatione nostra sit in conspectu haec sententia Christi. Nam in omnibus hominibus ratio humana naturaliter quaerit primum experientiam. Omnes sic cogitamus libenter, nos Deum invocaturos esse, si videremus nobis prodesse invocationem. Sed Deus vult nos prius credere profuturam esse invocationem, postea cernemus efficaciam. Si quis vult voluntatem eius facere, id est, fide accipere hoc verbum quod propono, hic postea experietur efficaciam, sentiet revera ex Deo esse. Sicut et alibi Paulus inquit: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Ipse spiritus testificatur spiritui nostro, quod simus filii Dei. Itaque credentes intelligunt Evangelium, et nova luce donantur, ut 2. Corinth. 3. dicitur: Cum conversus fueris ad dominum, auferetur velamen. Item: Transformamur tanquam a domini spiritu, a gloria in gloriam, id est, a luce divina in lucem splendentem in nobis. Qui vero non credunt, horum corda magis excaecantur. Ideo quo magis refutantur, eo maiores odii flammas contra Evangelium concipiunt, sicut Roman. 2. dicitur: Obscurentur oculi eorum. Et 2. Corinth. 4.: Si est velatum Evangelium nostrum, in pereuntibus est velatum, in quibus excaecata est mens incredula, id est, quia mens non vult credere, fit magis caeca, nec videt qualis sit doctrina Evangelii.

Qui quaerit gloriam eius qui misit se, hic verax est. Nonne Moses dedit vobis legem?

Asseveratio est, qua iterum, ut saepe alias, testatur se doctorem veracem esse, a Deo missum et iustum esse. Estque praefatio sequentis altercationis. Iudaei enim, cum nihil possent in moribus et factis Christi culpare, calumniari violationem sabbati solebant: Multae enim fiebant in sabbatis curationes. Hic Christus facit initio antithesin, affirmat se veracem doctorem, et iustum esse, illos vero iniustos. Et quanquam Philosophus aliquis, ut Socrates putaret haec gloriosius dici, quam homini conveniat, cum ait, nullam

in se iniusticiam esse, et verum est de caeteris hominibus non posse dici: tamen de Christo necessaria haec doctrina est, qui se talibus descriptionibus discernit ab omnibus hominibus.

Diligenter autem consideranda est antithesis, Ego sum iustus: Nemo vestrum facit legem Mosi. Nec disputabo subtilius de hac universali propositione, etsi verum est, omnes praeter Christum habere peccata, sed tamen hic fit collatio Christi et hostium: Nemo ex vobis, inquit, facit legem. Et damnat haec vox omnes cultus, disciplinam, exercitia virtutis in hostibus Christi, sicut et Psalm. 15. dicitur: Non sumam nomina eorum in labia mea. Item: Fiat oratio eorum peccatum, Psalm. 109. Damnatae sunt omnes sectae, Iudaica, Mahometica, Haeretici, defensores idolorum, denique omnes pugnantes cum Evangelio, et tribuitur hoc crimen omnibus: Quaeritis me interficere, id est, omnes ardent odio Christi et membrorum eius, et cupiunt explere odia caede sanctorum. Miretur fortassis aliquis hoc dictum, et existimet non tantam esse crudelitatem in hominibus.

Sed Christus vult nos commonefactos esse, vult nos scire, quam saevum hostem habeamus diabolum, ut simus vigilantiores in omnibus negotiis, quae nobis futura sunt cum Evangelii hostibus, et sciamus eos non consulere utilitati Ecclesiae, etiam cum hoc simulant. Postquam vero Christus eos arguit homicidii, ipsi addunt peccatum maius, scilicet blasphemiam, cum aiunt: Daemonium habes, haec blasphemia indicio est, quo spiritu agantur.

In sabbato circumciditis hominem.

Multa gravissima argumenta complectitur Ioannes, quae consentaneum est a Christo copiosius explicata esse. Etsi autem supra cap. 5. refutatur eadem calumnia, tamen solutio ex abstrusiore doctrina de creatione, et de continuis Dei operibus sumta est, videlicet a distinctione operum Dei et humanorum. Sabbatum prohibet opera hominum impedientia ministerium, non prohibet Dei opera: Pater usque modo operatur, et ego operor. Ergo lex de sabbato non impedit haec mea opera divina, sanationem, et donationem vitae aeternae, sic supra respondit. Nunc ex alio fonte sumitur refutatio, videlicet ab exemplo patrum et circumcisionis. Sunt autem multae argutae consequentiae, quas quantum potero explicabo.

Prima haec est: Circumcisio est opus patrum, et tamen servatur, non obstante lege de sabbato, ergo lex de sabbato non prorsus omnia opera prohibet. Secunda consequentia, patrum opus antefertur legi de sabbato, ergo multo magis meum opus anteferendum est, quia Messias praestantior est patribus, et opus Messiae, quod est non solum sanatio, sed simul donatio vitae aeternae est praestantius, quam circumcisio. Tertia haec est: Lex ipsa cogit quaedam opera in sabbato facere, ut circumcisio facienda est in sabbato, ne lex solvatur, videlicet, quae praecipit de circumcisione, sic lex de sanando et salvando proximo facienda est in sabbato, ne lex solvatur, scilicet, quae docet officia necessaria dilectionis.

Cum concurrunt duae leges, altera de ceremonia, altera de necessario officio dilectionis, cedit ceremonia dilectioni, extra casum confessionis. Hanc regulam tradunt Prophetae, et dicunt: Misericordiam volo, non sacrificium. Cum exercitus Antiochi in sabbato invaderet Iudaeos, erat officium defensionis necessarium. Ideo recte fecit Maccabaeus, cum eo die repressit hostes. Sed in casu confessionis praefertur dilectioni ceremonia: ut potius debet Eleazarus mortem oppetere, quam vesci carne suilla, tunc, cum Ethnici ideo postulant, ut vescatur, ut testimonium ostendat, se legem Dei abiicere, et contemnere Deum huius legis autorem.

Sed haec disputatio de sabbato supra copiosius tractata est, et quid post reiectam politiam Mosaicam, et reiectos cultus Leviticos sentiendum sit de sabbato, constat. Genus tertii praecepti retinere debemus, videlicet, ut ministerium publicum conservetur, fiant congressus aliquo tempore, sicut Paulus inquit: Quotiescunque conveneritis. Etsi enim Ecclesia dissimilis est imperiis, tamen Deus non vult eam ignotam et abditam esse in latebris, sed ut innotescat doctrina, et late celebretur nomen Christi, vult esse honestos et publicos congressus, in quibus conspici et audiri Ecclesia possit, ut ait Psalmus: In omnem terram exivit sonus eorum. Haec sententia est genus operum tertii praecepti, quae ad omnia tempora pertinent. Caeterum species de certo die, et de modo otii cessat post politiam Iudaicam. Etsi igitur allegat Christus et alias causas, cur licuerit illum modum otii violare, tamen

haec est causa. His exemplis ostendit se, ut ipse inquit: Dominum esse sabbati, id est, se supra legem esse, dare remissionem peccatorum, et aliam iusticiam aeternam, quae erit vera sabbati aeterni celebratio. Haec breviter de sabbato attigisse satis sit.

Cyrillus transponit particulam, ne lex solvatur, quia cum circumcisio videatur solvere legem sabbati, putat haec male cohaerere. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ne lex solvatur. Sed simplicius est non mutare ordinem, et intelligantur haec verba sic: Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ne lex (scilicet tradita patribus de circumcisione) solvatur, et caetera.

Non iudicate secundum speciem, sed iustum iudicium iudicate.

Accusat Iudaeos, quod male iudicent: quia calumniae sunt, bonum et sanctum opus vituperare, et impium opus laudare. Ait ergo: Ne iudicate secundum faciem, id est, non tantum externam operis speciem spectate, sed veras causas, ut Davidis opus comedentis panes propositionis, reprehendi in speciem poterat. Sic supra in speciem reprehendi poterat gestatio lecti in sabbato, sed causae operis spectandae sunt, iubet Christus, qui est supra sabbatum, et gestatio illa celebrat miraculum, quod praebet testimonium Evangelio, et Christus curans, curat divino opere, quod non est subiectum legi sabbati, imo vere est ipsa observatio sabbati. Quia est testimonium de eius verbo, et aeternum sabbatum erit aeterna celebratio Dei vivificantis et operantis in resuscitatis. Ergo cum ait: Verum iudicium iudicate, iubet vere considerare, quale opus sit prohibitum lege, videlicet operae impedientes ministerium Evangelii, non actio divina, aut testificans de Evangelio, aut necessarium officium dilectionis.

Dicebat ergo quidam: Nunquid hic est, quem quaerunt occidere?

Recitat diversa iudicia de Christo, et structas insidias et frustratas. Haec narratio nihil habet obscuri, sed ideo consideranda est, quia est imago Ecclesiae omnium temporum, varia sunt iudicia hominum, multae insidiae, et mirandae liberationes. Confirmemus igitur nos exemplis omnium temporum, ut sciamus non fugienda esse haec pericula, et tamen speremus inter haec ipsa certamina defensionem divinam, ut Daniel servatur inter leones; David eripitur toties Sauli; universus populus servatur in medio mari rubro: et certum est, semper et omnibus aetatibus Ecclesiam mirabiliter protegi, etiamsi talia Dei opera non incurrunt in hominum oculos, sicut iter per mare rubrum.

In extremo die festi stabat Iesus, et clamabat.

Supra dixit has conciones habitas esse in festo tabernaculorum, quod praecessit postremam hiemem praedicationis Christi. Erat autem octavus dies festi celeberrimus, quo maxima frequentia populi ad sacrificium conveniebat, audiebat conciones, et conferebat pecunias ad templum, seu usus pauperum, quia, ut supra dixi, Deus vult publicos esse congressus, et vocem Evangelii sui in publicis congressibus sonare. Hic Christus in maxima frequentia populi concionatur, quae ex omnibus vicinis locis in his festis solebat convenire, sicut Iosephus scribit, sub festum Paschae convenisse Ierosolymis amplius vicies centena millia hominum: ideo textus inquit eum clamasse. Vide autem quam multae offensiones occurrant, seditiosa species erat, quod in tanta multitudine vociferatur, et quasi ducem fore se multitudinis ostendit. Item, quod docet, cum non sit ex Levitica tribu. Deinde et ipsa sententia quantum habet absurditatis iudicio humano: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, etc. Cum igitur tam variae offensiones extiterint. Pharisaei valde tumultuantur, sed nos discamus veras et necessarias causas huius totius facti et dicti. Concionatur in tanta frequentia. Quia Deus vult ministerium esse publicum, et voluit esse testatum, universis exhibitum esse Messiam. Quod vero docet, quanquam non sit ex Levitica tribu, usitatum erat mitti Prophetas ex aliis tribubus. Et Christus est praecipuus sacerdos, propter quem solum caeterorum ministerium est efficax ab initio mundi usque ad finem. Ipsa vero sententia est summa Evangelii, quae etsi est nova et ignota iudiciis humanis, quae tamen legem norunt, tamen Ecclesiae discernenti legem et Evangelium, est nota et acceptissima. Quid enim dulcius piae menti in poenitentia dici potest, quam quod ait Christus hic? Si quis sitit, veniat ad me; et alibi: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Est enim eadem utrobique sententia, et hic paucis verbis pro-

ponitur summa concionis, quae haud dubie a Christo copiose explicata est.

Ac vide occasionem, intuetur Christus multitudinem in populo Dei errantem, sine doctoribus, sectantem cultus Mosaicos sine noticia Evangelii. Sicut totum genus humanum sine Christo erat in densa caligine, carens vera noticia Dei, et quia habet aliquam legis noticiam, quaerit cultus et opera, quibus placet Deum, et tamen manet in dubitatione, non invenit consolationem, qua eluctetur ex terroribus, et vincat peccatum et mortem. Ita cum videt populum sine doctrina coelesti, et sicut alibi dicitur: tanquam gregem sine pastore errare, afficitur misericordia, et ardens ingenti motu incipit concionari de suis beneficiis, revocat populum ab illis cultibus legis ad sese, docet apud sese quaerendam esse consolationem, non in lege, quare hic etiam admonemur de discrimine legis et Evangelii, ut saepe alias doctrina legis non liberat a terroribus.

Sed quia ostendit, et damnat peccatum, quod haeret in natura, quae nunquam satisfacit legi, adigit mentes ad desperationem, qua oppressae, ruunt in aeternam mortem. Econtra haec est propria Evangelii vox, quam sonat Christus: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Vocat hos ipsos, qui perterrefacti lege luctantur cum pavoribus, his promittit et ostendit consolationem, qua vincant terrores peccati, et mortis aeternae.

Ut autem alibi admonemur, in talibus dictis semper respiciendum esse ad particulam exclusivam, Gratis, quam praecipue in doctrina iustificationis urget Paulus, quia hac proprie facit discrimen legis et Evangelii: ita et haec concio tum demum dulcescet, si consideremus Christum velle, ut certo hanc consolationem teneamus, nobis remitti peccata, ac donari vitam aeternam, Gratis, propter ipsum filium Dei, fide, non propter legem, seu propriam dignitatem, et hanc esse Dei voluntatem, ut statuamus certo nos recipi, exaudiri et salvari propter mediatorem Christum, etiamsi sumus indigni. Nunquam enim acquiesceret mens, nec posset vincere dubitationem, si sentiendum esset, tum demum nos consequi haec beneficia, si haberemus satis meritorum.

Addit autem Christus ipse et alteram partem doctrinae, quomodo consequamur ipsius beneficium, cum inquit: Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent. Ac ex ipso contextu concionis facile intelligi potest, quid vocet fidem. Clare significat requiri fidem, quae audiens vocem Evangelii de gratuita remissione, assentitur, et accipit condonationem, et vincit dubitationem et terrores, et paulo post additur, hac fide Christum efficacem esse in his, qui credunt, et dare Spiritum sanctum, cum ait textus, Christum locutum esse de Spiritu sancto, quem accepturi essent credentes. Non igitur fides significat tantum noticiam historiae, aut professionem doctrinae, sed talem motum, quem efficit Spiritus sanctus in his, qui assentiuntur Evangelio, quo vivificantur corda, et vincuntur pavores, sicut de hac fide Paulus ait: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Consideranda est etiam universalis, quia Christus omnes vocat, nec facit discrimen. Ideo enim tollitur conditio legis, ut omnes statuant sese recipi, modo ipsi non repugnent, et sciant universale mandatum Dei esse, ut omnes credant huic voci Evangelii, quam sonat filius Dei.

Quod ait: Flumina de ventre eius fluent oquae vivae, usitata metaphora scripturae est, quae hic non tantum significat vivificationem et consolationem, sed complectitur omnia beneficia Christi, qui est efficax in credentibus, sanctificat eos dato Spiritu sancto, et impertit Ecclesiae novam lucem, et alia ingentia dona, quibus propagatur noticia Dei, defendit et servat Ecclesiam, usque ad finem mundi, adversus potentiam et insidias diaboli, mirandis liberationibus. De his beneficiis multo ante vaticinati sunt Prophetae, ad quorum dicta alludit Christus, et ait de his ipsis beneficiis locutos esse Prophetas concionantes de regno Christi. Sicut passim extant promissiones traditae hac ipsa figura sermonis, qua hic utitur Christus, ut Esaiae 44.: Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam, effundam spiritum meum super semen tuum, etc. Et 41.: Egeni et pauperes quaerunt aquas, et non sunt: Ego dominus exaudiam eos, aperiam in collibus flumina. Et quidem Ioannes ipse addit interpretationem dicti Christi, ait eum locutum esse de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in ipsum.

Miranda fuit haec concio Christi, nec ab ipsis, qui audierunt, intellecta sunt talia dicta prophetica. Prorsus enim fascinatus erat populus Iudaicus imaginatione de regno Messiae corporali,

qui esset liberaturus populum a servitute alienae dominationis, excussurus tyrannos e regnis, et occupaturus imperia mundi. Itaque legentes aut audientes talia vaticinia, imaginabantur dici de ingenti ubertate bonorum corporalium, somniabant auream aetatem, in qua Messias allaturus esset eis libertatem et imperia, ut fruerentur opibus, voluptatibus, etc.

Haec imaginatio hoc loco refutatur, et additur interpretatio, haec dicta prophetica non esse intelligenda de politia aut regno mundano, sed de aliis spiritualibus, et aeternis beneficiis,' quae consequuntur hi, qui credunt voci Evangelii, per quam efficax est Spiritus sanctus in mentibus eorum, qui oppressi terroribus irae Dei, ac mortis aeternae, propter peccatum, fide assentientes promissionibus, rursus eriguntur, et accipiunt consolationem, et donantur nova luce, iusticia et vita aeterna. Haec ait Christus se efficere in Ecclesia in his, qui credunt, et haec beneficia afferunt etiam ingentes fructus, non tantum in ipsis credentibus existunt novi motus, timor Dei, vera fides, vera invocatio, et similes motus spirituales, sed etiam ipsorum ministerio propagatur doctrina Evangelii, instituuntur rudes ipsorum confessione, et exemplis invitantur alii. De his omnibus beneficiis ait Psalmus: Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, accepisti dona hominibus, et de iisdem vaticinatur dictum Ioëlis: Effundam de spiritu meo super omnem carnem.

Docent igitur nos hae sententiae, quale sit regnum Christi, videlicet, non esse iusticiam legis, aut qualemcunque corporalem seu politicam disciplinam: sed res aeternas, quae efficiuntur in cordibus credentium, dato Spiritu sancto, ut significatur in his verbis: Flumina de ventre seu de visceribus eius fluent, sicut alibi dicitur: Regnum Dei intra vos est. Docemur item, Christum non esse otiosum, aut sibi tantum regnare, sed esse efficacem divina potentia in Ecclesia, et quidem impertire aeterna beneficia, iustificare credentes, sanctificare dato Spiritu sancto, defendere et servare Ecclesiam adversus potestatem diaboli, incoare novam et aeternam vitam in credentibus. Discamus ergo agnoscere haec beneficia, ac in poenitentia exercere fidem, statuamus Christum in nobis quoque efficacem fore, cum hac fide invocabimus eum iuxta promissionem: Dabit Spiritum sanctum petentibus se.

Quod addit: Spiritus sanctus nondum erat, quia Christus nondum erat glorificatus. Palam est non hoc dici, quod non extiterit persona Spiritus sancti, aut quod Spiritus sanctus non fuerit efficax in Ecclesia ante Christum glorificatum. Nam supra in historia Evangelii clare recitata est admiranda revelatio, facta Baptistae, qua manifeste discernuntur personae Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et constat inde usque ab initio semper Ecclesiam regi et sanctificari Spiritu sancto, sicut Petrus de Prophetis ait, eos exquisivisse de revelanda salute, scrutantes, quod tempus significaret spiritus Christi, qui in eis erat, et 2. Pet. 1. dicitur: Spiritu sancto inspiratos locutos esse Prophetas, etc. Quare necesse est intelligi hoc dictum de manifesta ostensione Spiritus sancti, seu de ministerio palam et publice promulgato per Spiritum sanctum, sicut praecedentia verba. Haec autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes, clare significant eum locutum esse de hoc publico ministerio, per quod Spiritus sanctus efficax est in credentibus.

Intelligatur ergo hic opponi ministeria. Erat tunc quidem in populo Israël publicum ministerium doctrinae legis, et ceremoniarum Leviticarum multo ante editum, manifesta revelatione et miraculis, hoc tantum norat et mirabatur populus: ideo de Messia nihil aliud imaginabatur, quam eum fore talem gubernatorem, qui propagaturus esset hanc politiam Mosaicam, divinitus constitutam, in totum orbem terrarum, non existimabant eum allaturum esse aliud genus doctrinae, nec intelligebant eius regnum fore non externam politiam, sed collecturum ac gubernaturum Ecclesiam, sine armis et potentia corporali, solo ministerio Evangelii, dato Spiritu sancto. Quare postquam apparuit Christus, necesse fuit divinitus edi publicum testimonium huius novae doctrinae, seu ministerii spargendi in omnes gentes. Id factum est misso Spiritu sancto manifesta specie, et miraculis post Christi resuscitationem, cum assumtus est in coelum, ut constaret ipsius regnum non esse corporale, nec doctrinam legis, aut politiam Iudaici populi, sed ministerium de beneficiis filii Dei, dantis Spiritum sanctum, et incoantis novam et aeternam iusticiam et vitam in credentibus.

Sic clarius intelligetur hoc dictum, si consideretur discrimen inter ministerium veteris ac novi testamenti, de quo alibi copiosius dicitur.

Vetus testamentum tantum est ministerium doctrinae legis, et in illo populo politiae Mosaicae, quae habebat promissiones corporales, nec concionatur de remissione peccatorum gratuita, nec promittit aut adfert Spiritum sanctum, econtra novi testamenti ministerium affert et exhibet promissionem de remissione peccatorum, et donatione aeternae iusticiae et vitae, quae offertur omnibus qui credunt, non propter legem, sed propter filium Dei, et per hoc ministerium datur, et efficax est Spiritus sanctus in his, qui credunt Evangelio, accendens in mentibus novam lucem, sanctificans corda, et incoans novam et aeternam iusticiam. Hoc ministerium seu haec efficacia Spiritus sancti non potuit cognosci palam, priusquam resuscitatus est Christus. Etsi enim ante editae erant promissiones in Prophetis, et Christus ipse incoarat doctrinam Evangelii, tamen oportuit accedere manifestam revelationem, misso Spiritu sancto, ut extaret testimonium, quo Deus testaretur hunc Messiam esse filium Dei, et se velle, ut omnes huic ministerio credant, ac sciant per hoc dari Spiritum sanctum, et salvari credentes, non per legem.

Est ergo sententia huius dicti: Nondum erat Spiritus sanctus, id est, nondum coelesti ac manifesta revelatione, seu ostensione Spiritus sancti, promulgatum erat hoc ministerium, per quod datur Spiritus sanctus, sicut post resurrectionem Christi, manifesta specie sese ostendit Spiritus sanctus, ac apparet usitate Spiritus sancti appellationem initio in Ecclesia simpliciter usurpatam esse pro manifesta ostensione, seu testimonio exhibiti Spiritus sancti, sicut fiebat initio Ecclesiae, ubi primum spargebatur Evangelium ab Apostolis, sic in Actis loquuntur quidam discipuli: Ne quidem quod sit Spiritus sanctus audivimus.

Multi igitur de plebe qui audierant concionem, etc.

Renovatum certamen et dissensiones iudiciorum de Christo, indicant vehementem et mirificam concionem fuisse, quae moverit animos audientium, ut longe aliter sentirent de hoc doctore, quam de aliis, audiebant enim novo et mirando modo concionari de rebus maximis, de aeternis beneficiis Messiae, de donatione Spiritus sancti. Non enim dubium est, quin has sententias, quae hic brevissime notantur, copiose interpretatus sit. Hac magnifica promissione movetur populus, ut non possit contemnere hunc doctorem, etiamsi videbat eum in odio esse apud Pontifices et Pharisaeos, sed diversa sunt iudicia, alii sentiunt esse quidem excellentem doctorem, non inferiorem Prophetis, sed non assentiuntur, ut credant esse Messiam, offensi humili specie, quod erat ortus non ex celebri aliqua familia potentum aut nobilium, sed ex ignotis parentibus, de media plebe, idque in extremis finibus gentis Iudaicae, item, quod vagatur passim errans sine certa sede, nec est in aliqua parte gubernationis, nec habet studia aut suffragationes potentum, sed spretus ab his, qui sunt in gubernatione, negligitur etiam a reliquo populo. Hac forma offensi, resiliunt etiam hi, qui doctrinam non improbabant.

Haec semper est in mundo facies Ecclesiae. Manent certamina et dissensiones, et mundus etsi non quaerit veritatem, tamen sibi iudicium sumit de doctrina, nec movetur, ut credat, etiamsi convincitur manifestis testimoniis. Multi etiam initio approbant doctrinae emendationem, et applaudunt, sed postea, quia non respondet eventus humanis iudiciis, et expectationi, facile deficiunt, cum vident sententiis aliorum, qui praestant sapientia et autoritate, damnari doctrinam. Ita Ecclesia semper est exiguus coetus quorundam, qui retinent constantiam in confessione, et propter eam etiam ipsi incurrunt in contemtum et odia aliorum. Verum adversus haec iudicia tamen *Deus* vult extare testimonia doctrinae, quare oportet esse aliquos, qui retineant confessionem, oportet publice sonare hanc vocem, quod hic sit Christus filius *Dei.* Item oportet testimonium dari doctrinae, etiam ab aliquibus eorum, qui sunt addicti hostibus. Sicut hic ministri pontificum missi ad prehendendum Christum, iam audent illorum iudiciis et autoritati suam sententiam opponere, non solum pronunciant ipsum iniuste appeti ad necem, sed addunt egregium testimonium, hunc doctorem antecellere omnibus, nec posse eius doctrinam reprehendi etc. Sed nec horum testimonio refutati ac convicti assentiuntur Pharisaei et Pontifices.

Ac cum in hoc capite sint varia certamina, et disputationes de Christo, praecipue duo argumenta agitantur, quae maxime retinent animos obstinatos, ne assentiantur doctrinae eius. Alterum est sumtum ab autoritate ordinariae potestatis, quod in illo populo plurimum valebat, et

omnibus temporibus solet opponi doctrinae Evangelii, sicut nunc Episcopi negant discedendum esse ab eo, quod semel publico consensu receptum est, et allegant successionem ordinariam. Hunc coetum vocant Ecclesiam, qui autoritate perpetuae successionis iam multis seculis tenet possessionem doctrinae et gubernationis, hunc contendunt non posse errare, et sine dubitatione detestandos esse eos, qui ab hoc coetu discedunt, ita hic ratiocinantur ab autoritate eorum, qui sunt praecipui in populo Dei, et tenent gubernationem institutam divinitus. Quare contra horum autoritatem et iudicium, non esse assentiendum doctrinae unius hominis privati et ignoti.

Hoc est, quod aiunt: Nunquis ex principibus credit in ipsum, aut ex Pharisaeis? Quia in hoc populo Pharisaeorum erat praecipua autoritas, tanquam praestantium sapientia, doctrina, et studio religionis, ac inter eos multi praeerant in gubernatione, ex talium iudicio affirmant potius statuendum esse de doctrina, quam stultae et imperitae multitudinis, quae cum sese opponat autoritati ordinariae potestatis, secure pronunciant eam a Deo damnatam et maledictam esse.

Alterum argumentum ex testimonio scripturae, de genere et loco natali Messiae sumtum, magis est speciosum. Maxime urgetur in his altercationibus, quod scriptura testatur Messiam promissum, oriturum esse ex regio genere, et familia Davidis in Bethlehem, quae erat in tribu Iuda, sicut clare ait Michaeas cap. 5.: Ex te egredietur dux populi mei, etc. Hinc argumentantur contra Christum, huius doctoris nec familiam esse notam, et parentes esse obscuros, et ortum esse loco ignobili, procul dissito in extrema ora finitima gentibus, unde non solum Messias non sit sperandus, sed ne quidem Propheta aliquis extiterit, sed hoc argumentum, etsi praetexit testimonium scripturae, tamen revera ratiocinatur ex humano iudicio, seu imaginatione humana, quam habebant Iudaei de Christo, videlicet, quod esset habiturus imperium mundanum. Ideo cogitant eum proditurum ex nobilissima familia, et regnatorum, septum et munitum agminibus potentum et nobilium, et tali loco, ubi esset omnibus conspicuus, ornatus honore et gloria regia. Haec quia non conveniunt in personam huius doctoris, ideo confidenter negant hunc esse Christum.

Sed has imaginationes saepe refutat scriptura, quae clare affirmat regnum Messiae non futurum esse talem mundanam dominationem, nec personam ipsius futuram esse conspicuam in mundo, iuxta hominum expectationem. Haec sine obscuritate praedicta erant in Prophetis, ut cap. Esaiae 53. testatur, in quo clare dicitur de Messia: Non est species ei neque decor, cum aspiceremus eum, non erat species, quae placeret, etc. Quare haec testimonia debebant Iudaei considerare, nec ex suis imaginationibus et externa specie de persona ratiocinari, praesertim cum accederent testimonia de tempore, quod iam natus esset Messias, et de persona miracula testarentur. Interim etiam de familia et loco facile poterat constare, si voluissent inquirere. Nam et publice extabant indices, qui continebant seriem et nomenclaturas personarum in singulis familiis, et erant adhuc vivi testes, qui meminerant hunc Iesum natum in Bethlehem, etsi eius parentes et cognatio non habebant ibi domicilium. Quia cum populus iam longo tempore oppressus esset aliena dominatione, posteritas familiae Davidis, quae propter regium nomen, maxime erat obnoxia iniuriae, cum nusquam esset ei locus in Iudaea, coacta est secedere in ultimam oram Galileae, sed tamen praedictum et hoc erat, eo ipso tempore Christum nasciturum esse, cum populus et regia familia oppressa esset tristi servitute alienae dominationis, sicut in Genesi dicitur: Non auferetur sceptrum a Iuda, donec veniat Messias, etc.

Haec dixi, ut considerentur, et refutari possint hae calumniae, quibus adversarii Evangelii magna specie detrahunt doctrinae Christi. Nam eadem sunt certamina omnibus aetatibus, ut hic disputant Iudaei, ne assentiantur Christo, ita semper haec duo obiiciunt sapientes, primum de potestate ordinaria, hanc esse audiendam, nec dissentiendum ab eius iudicio et autoritate. Deinde aiunt afferri novam doctrinam ab hominibus ignotis, obscuris, sine testimonio, aut approbatione gubernatorum. Nam humana sapientia, sicut de regno Christi seu Ecclesia, ita de doctrina semper eodem modo iudicat, quaerit Ecclesiam, quae habeat testimonia et comprobationem principum, potentum, sapientum, etc. Contra, cum videt exiguum coetum sine autoritate et potentia, contemtum et spretum in mundo, offenditur, nec iudicat hunc esse populum Dei, quare nec doctri-

nae assentitur: ita nunc plurimi repudiant doctrinam Evangelii, moti similibus argumentis, quod non sit dissentiendum a publico consensu, et iudicio tot aetatum. Item quod haec doctrina non prodierit ab his, qui tenent gubernationem in Ecclesia, et sunt in potestate ordinaria, ideo non esse recipiendam.

Sed nos sciamus de doctrina coelesti non esse iudicandum ex humanis imaginationibus aut sapientia politica, de ordinaria potestate, aut consensu maioris partis multis seculis recepto, sed quaerenda esse vera testimonia verbi divinitus traditi. Teneamus hanc doctrinam, quam constat certo traditam esse a Prophetis, Christo et Apostolis, et confirmatam testimoniis miraculorum, nec moveamur diversis iudiciis aut conspiratione potentum et sapientum, quantumvis diuturna. Videmus semper in mundo fuisse exiguum coetum verae Ecclesiae, in quo mansit puritas doctrinae. Nec novum est maiorem partem errare, et defendi εἰδωλομανίας et impiam doctrinam ab his, qui sunt in ordinaria potestate, sicut in populo Israël Prophetae, Elias, Elisaeus, et alii coacti sunt sese palam opponere regibus et sacerdotibus defendentibus idololatriam. Et Ieremias solus obstitit coetui Pontificum et Prophetarum in tribu Iuda etc.

Caput VIII.

Iesus autem perrexit in montem Olivarum.

Pergit Christus docere in templo: etsi enim festum iam praeterierat, et intelligit se peti insidiis Pharisaeorum, tamen manet aliquandiu, ut et plures doceat, et confirmet eos, qui ipsum audierant, videt populum, velut gregem errantem sine pastore, opus habere doctrina, quare postridie mane redit in templum, non deterritus periculo ac insidiis. Sed priusquam reliquae conciones et novae altercationes Iudaeorum cum Christo describuntur, initio recitatur historia de muliere adultera adducta ad Christum, quam etsi veteres, praesertim Graeci, non sunt interpretati, tamen apparet semper habitam esse inter receptas et approbatas. Nam et Eusebius eius meminit, sed citans ex Evangelio secundum Ebraeos. Certe huic loco nec temere inserta videtur, nec aliqua contextus perturbatio apparet, et in genere sermonis nihil discrepat. Itaque a posterioribus sine dubitatione recepta est.

Exponit autem novas fraudes Pharisaeorum, qui cum vident non successisse insidias, nec inveniunt causam, ut Christum palam adoriantur, nunc aliud captant, et cupide arripiunt occasionem forte oblatam, adulteram manifesto deprehensam, et convictam producunt, hanc sistunt Christo, ipsum facturi iudicem, quaerunt quid respondeat, damnare ne velit, et iubere ut lapidetur, quod ne ipsi quidem hoc loco, et in hac multitudine ausi essent facere, an absolvere, contra legem, quae iubebat interfici moechos et adulteras. Sed isti non hoc agunt, ut legitimo iudicio, sicut debebat, puniretur adulterium. Non enim producunt ad iudices, quibus erant mandata iudicia capitalia, sed ex composito insidiantur Christo, ut quicquid respondeat, in utramque partem habeant quod accusent. Audierant eius concionem, quae non more legis damnabat et repellebat peccatores et indignos, sed consolabatur perterrefactos et miseros, et promittebat condonationem, quare si hanc adulteram absolvat, et pronunciet non esse puniendam, iudicant se habere iustissimam causam atrocis calumniae, videlicet hunc multo digniorem esse qui lapidetur, quam misera muliercula, quia palam aboleat legem Mosaicam, concedat licentiam impune peccandi. Si vero mulierem condemnet, futurum esse ut multitudinem a sese prorsus abalienet. Quia hoc ipso facto contra eat suae doctrinae, nec existimant ex his angustiis evasurum esse.

Hae sunt usitatae insidiae pharisaicae, sicut et alibi similes describuntur. Sed Christus arte repellit insidias, et prorsus mirifica est historia, quae et doctrinam utilem tradit et pingit: et in gestu, et in responso Christi mirandum, et singulare consilium, sicut passim in historia evangelica, in factis et oratione Christi, praesertim cum hypocritarum insidiis petitur, singulares quidam et acres motus et mirifice cogitata responsa cernuntur.

Sed doctrinam huius loci ipsa historiae series aperit. Initio cum accusatur mulier, nihil respondet Christus, tanquam in aliam rem intentus, videlicet prorsus a sese reiiciens hanc quaestionem, pertinentem ad cognitionem magistratus politici. Postea cum urgetur, respondet, non de muliere, sed de illorum peccatis, qui ipsam

accusabant, sed mirabilius est, quod sedens in templo, et inclinans sese digito scribit in terram, et in hoc gestu perseverat tantisper, dum illi omnes egrediuntur e templo, tandem ad mulierem conversus, negat se esse iudicem qui condemnet, sed dimittit eam, addita voce condonationis, seu remissionis peccati.

In hac tota historia praecipuus locus est, qui docet de discrimine ministeriorum, videlicet ministerii legis, quod sancit disciplinam et poenas corporales, et ministerii, quod est proprium Evangelii, sed de hoc discrimine paulo post dicam, prius enim hoc consideretur, quod Christus hoc exemplo docet, non esse suum munus ferre sententias de poenis delictorum, more politici magistratus, nec vult eos, qui sunt in ministerio docendi Evangelii sumere sibi potestatem seu ius cognoscendi actiones capitales, aut alia forensia seu iudicialia negotia, quae pertinent ad iurisdictionem politicam, vult enim esse distincta ministeria, ne obrepat carnalis imaginatio, quasi regnum Christi sit externa seu corporalis dominatio, seu politia, quae aut ferat novas leges de imperiis, de divisione rerum, de contractibus, de poenis, et disciplina civili, aut permittat libertatem Christianis exsolvendi se vinculis publicarum legum.

Hanc regulam multis de causis prodest tenere, quod regnum Christi non condat aut mutet ordinationes seu leges politicas. Quia Christus non apparuit, ut esset legislator, sed affert alia aeterna beneficia, doctrinam coelestem de voluntate Dei, de remissione peccatorum, donationem Spiritus sancti, et incoationem novae et aeternae iusticiae in cordibus credentium. Interim tamen concedit piis in hac vita corporali uti legitimis ordinationibus politicis, sicut hac luce, aëre, cibo et potu, et similibus rebus necessariis ad vitam corporalem. Modo sciant pii, in his non esse situm regnum Christi, sed discernendam esse administrationem politicarum rerum, a ministerio Evangelii, nec confundenda esse haec ministeria, sicut Anabaptistae et similes, praetextu ministerii, reprehendunt, aut mutant legitimas ordinationes de decimis, contractibus, aut novas leges sanciunt de communione rerum, de iudiciis, etc. Aut ut Pontifices Romani, praetextu potestatis ecclesiasticae, sibi sumserunt regiam dominationem, arrogarunt sibi ius adimendi regna, quibus vellent, et ad alios transferendi, etc. His erroribus opponendum est hoc exemplum Christi, et similia dicta et facta, quibus Christus clare refutat tales imaginationes, ac ostendit discrimina et fines ministeriorum, videlicet ministerii spiritualis, seu doctrinae Evangelii, et gubernationis politicae, ut simile exemplum Lucae 12. scribitur, cum Christus cuidam petenti, ut fratrem iubeat sibi tradere partem haereditatis, respondet: Quis me constituit iudicem aut divisorem inter vos?

Secundo, quod Christus scribit in terram, et instantibus Pharisaeis respondet: Qui ex vobis sine peccato est, primus iaciat lapidem in mulierem. Haud dubie hoc toto gestu notat Pharisaeorum hypocrisin, quod falso prae se ferant singularem zelum, quasi valde detestentur et oderint peccatum, ac iuxta legem velint esse punitum, cum tamen ipsi non minus sint rei coram Deo et damnati iudicio legis, quam qui palam et manifesto sint peccatores, videlicet, quia sunt sine poenitentia et metu iudicii divini, item pleni interiori immunditia, vitiosis affectibus et contumacia contra legem: igitur Christus omissa muliere ipsis concionatur. Cumque illi ex lege pronuncient, adulteram plectendam esse, vicissim significat ipsos lege damnari. Quare inquit: Si quis vestrum sine peccato est, quasi dicat: Quia legem allegatis, et meam sententiam requiritis, ego de poena corporali nihil statuo, quia hoc non pertinet ad meum munus, sit sane mulier secundum legem lapidanda, sed quia meum ministerium spirituale est, iubeo vos legem audire, quae ex aequo iudicat omnes, qui non agunt poenitentiam, et pronunciat reos irae et mortis aeternae. Hoc prius agnoscatis, et legem de vobis iudicantem audiatis, quam miseram hanc mulierem condemnetis.

Hoc et ipso gestu, cum scribit in terram, velut signo indicat, videlicet admonens eos legis iudicantis interiorem hypocrisin, et immunditiem cordis, quam tacite significat a Deo cerni et iudicari, etiamsi homines non iudicant, sicut alibi concionatur talibus: Vos estis qui iustificatis vosmetipsos coram hominibus. Deus autem novit corda vestra. Quod autem in terram scribit, simplicissime significari existimo, quod simili phrasi Ieremiae decimo septimo dicitur: Recedentes abs te, in terra scribentur, etc. Quae phrasis opposita est illi, qua alibi dicitur: Nomina vestra scripta sunt in coelis, videlicet ut in terram scribi, significet tales coram Deo non ha-

beri pro populo Dei, etiamsi habeant titulum et nomen, ac prae se ferant singularem zelum, aut studium iusticiae, sed esse reos et damnatos ipsa sententia et iudicio legis. Sic ergo Christus dicto et gestu velut interpretatur legem, et docet damnari omnes homines, qui sunt sine poenitentia, nec quaerunt aut accipiunt remissionem peccatorum a Christo fide, etc.

Si quis quaerat, cum Christus respondeat Pharisaeis: Qui ex vobis sine peccato est, primus iaciat lapidem in illam. An non licet condemnari aut puniri sontes, nisi ab his qui sunt iusti et sine peccato? Qui ergo erunt legis ministri? Simplex et facilis responsio est: Magistratus, aut iudex non privato, seu suo ipsius nomine dicit ius, aut irrogat poenas, sed Dei minister est, sicut Paulus inquit, Rom. 13.: Hoc est, mandato et autoritate divina exercet officium, sicut et 2. Paral. 19. dicitur: Non hominis iudicium exercetis, sed Dei, ideo recte facit magistratus, cum legitimo iudicio punit adulteros, aut nocentes, etiamsi is, qui est in officio, nec pius est, nec alioqui caret reprehensione. Nam personae vitium nihil derogat ministerio.

Quare igitur Christus postulat, ut sint sine peccato? Respondeo: Christus non hoc agit, ut magistratui leges ferat de poenis malefactorum, sed utitur ministerio spirituali adversus hypocritas, ex lege ostendit eos coram Deo non minus esse reos et damnandos, quam hanc adulteram, hoc vult illos agnoscere, ne putent sese iustos esse, aut non damnari lege Dei, etiamsi non possint accusari manifestorum criminum, sed sciant se propter hoc ipsum iudicio Dei damnari, quod sibi videntur sine peccato esse. Ideo hanc sententiam legis pronunciat Christus, qua iudicantur omnes, qui sese existimant iustos esse qualicunque observatione disciplinae legis, sicut ad Rom. 2. Paulus ostendit: ne eos quidem, qui gloriantur lege, seu disciplina, servare legem.

Ubi sunt accusatores tui? Nemo te condemnavit? etc.

Praecipue in hoc loco observanda est sententia, cum Christus ait mulieri: Nec ego te condemno, et quidem addit vocem absolutionis: Vade in pace. Nam haec dicta perspicue docent de proprio officio Christi, et discernunt ministerium legis et Evangelii, clare negat Christus pertinere ad suum officium accusare, aut deposcere, seu infligere poenas, more legis, aut magistratus politici, ac ne eos quidem damnare, qui sententia legis damnati sunt. Quare Christus non est minister legis, quae pronunciat sententiam damnationis adversus omnes, qui peccarunt, et denunciat poenas aeternas et corporales. Et quidem partem huius ministerii gerit magistratus, puniens manifesta delicta corporalibus poenis, sicut dicitur Rom. 13.: Dei minister est vindex in iram ei, qui male agit. Sed proprium ministerium condemnationis est ipsa vox legis, cum accusat, et perterrefacit corda, ostendens aeternam iram Dei, et poenam mortis aeternae: ideo vocatur a Paulo ministerium mortis.

Econtra Christus clare pronunciat, se non esse ministrum condemnationis adversus hos, qui iuxta legem meriti sunt iram Dei, aut aeternas et corporales poenas. Sed contra, manifesta voce testatur se afferre sententiam condonationis, seu remissionis peccatorum his, qui lege damnati sunt, cum sentiunt terrores irae divinae et poenarum. Proponitur ergo in hoc exemplo peculiare testimonium misericordiae, seu condonationis gratuitae. Testatur enim se gratis remittere peccata miserae mulieri, et quidem significat externo ministerio vocis Evangelii dari remissionem peccatorum, et hanc accipi ab his, qui fide sibi hanc vocem applicant. Haec est dulcissima consolatio perterrefactis conscientiis, quae luctantur cum sensu irae Dei, et mortis aeternae. Interim tamen admonentur hi, qui consecuti sunt remissionem peccatorum, deinceps requiri obedientiam, videlicet, ut caveant ne pergant ruere contra voluntatem Dei, quia his, qui iustificantur fide, simul datur Spiritus sanctus, qui est efficax in non repugnantibus, et incoat novam obedientiam. Quare necesse est, eos qui sunt conversi, obsequi spiritui, ut retineant fidem, nec amittant condonationem, et excutiant Spiritum sanctum, ut saepe alias dicitur.

Ego sum lux mundi.

Brevissime recitatur summa novae concionis, quae haud dubie copiose explicata est a Christo, ut solent Evangelistae prolixas conciones saepe paucis verbis complecti. Rursus autem concionatur de suo beneficio, ostendit quod sit suum munus, ad quod vocatus et missus erat, et quid afferat, ut invitet populum ad accipiendam du-

ctrinam Evangelii, sicut necesse fuit hanc concionem saepe repeti et inculcari, quia hic populus, cum haberet doctrinam legis et cultus Mosaicos, non existimabat se opus habere alia doctrina, putabant se ita Deo acceptos et iustos fore, si conarentur legem praestare et illos cultus divinitus traditos servare, non cogitabant Messiam allaturum aliud doctrinae genus. Ideo cum audierunt has voces: Ego sum lux mundi, si quis sitit, veniat ad me, et similes, necesse fuit valde offendi eos, qui erant praecipui doctores populi, et sapientes gubernatores ex sublimi deriserunt et hunc doctorem, et stultitiam populi, qui eum audiret tam absurda, ut ipsi iudicabant, de sese praedicantem, sicut postea Evangelista narrat obiici Christo a Pharisaeis, quod eius testimonium non sit verum, quia testimonium perhibeat de se ipso.

Sed haec iudicia Christus non moratur, scit hanc doctrinam, quam ipse affert, non congruere cum opinionibus humanae sapientiae, quae tantum legem aliquo modo intelligit, nec tamen videt se eam non praestare, sed ab ea accusari et damnari omnes homines. Hac densa caligine demersos et obrutos sub ira Dei, et morte aeterna, miseratur Christus. Ideo has voces inculcat: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, etc. Dixi autem supra in his concionibus cum Christus vocatur lux, longe discerni hunc a reliquis doctoribus et ministris, ut clare in 1. cap. discernitur Baptistae munus a persona et officio Christi. Moses, Patres, Prophetae, Apostoli, etsi sunt praecipua membra et lumina Ecclesiae, tamen tantum sunt ministri doctrinae coelestis, non efficiunt ipsi novam lucem et vitam in mentibus hominis. Sed hic Messias est illuminator, qui non solum doctrinam affert a patre coelesti, sed simul est efficax in mentibus eorum, qui assentiuntur Evangelio, dato Spiritu sancto, accendens novam lucem, ut certo statuamus propter ipsum nobis placari patrem, et nos recipi, et dans novam et aeternam iusticiam et pacem. Haec de nemine alio, quam de filio Dei dici possunt, quare solus recte vocatur lux mundi, hoc est, non tantum minister, ut alii, et ne quidem doctor legis, ut Moses et Levitae, sed qui ipse efficit novam lucem et perpetuam vitam in his, qui credunt.

De hoc effectu loquitur, cum addit: Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitae, id est, donabitur vera luce et agnitione Dei, quae afferet veram consolationem, qua vincet terrores, liberabitur a morte aeterna. Haec dicta ut clarius intelligantur, rursus consideranda est antithesis, conferantur haec ambo, et doctrina legis ac Evangelii, et utriusque effectus, etsi homines naturaliter habent aliquam noticiam legis, et populo Israël singulari revelatione et testimonio coelesti tradita erat lex, tamen haec noticia non affert lucem, non liberat a caligine et tenebris, quibus immersum est genus humanum. Mentes humanae, cum audierunt legem, et praestant disciplinam externam et corporalem, et addunt aliquos cultus operum, putant hoc qualecunque studium et imitationem legis, esse insticiam coram Deo, non vident nec agnoscunt, sese et hanc totam naturam esse immersam peccato, pollutam interiore et exteriore immunditia, ream irae Dei et mortis aeternae, his prorsus velata est facies Mosi, et versantur in crassissimis tenebris et erroribus, prorsus non intelligunt nec sentiunt vim legis, sine agnitione voluntatis Dei, sine poenitentia, caeci et securi ruunt manifesto contemtu Dei, et impietate. In aliis quibusdam, etsi lex exercet suam vim, cum ostendit et arguit peccatum, tamen hic etiam nihil efficit, nisi terrores irae Dei, et mortis aeternae: non ostendit, quomodo vincatur dubitatio et pavores. Denique si non accedit alia lux, quae monstrat liberationem, adiguntur mentes ad desperationem, et ruunt in aeternam mortem, etc.

Hanc miseriam generis humani videt et intelligit Christus filius Dei. Ideo ab initio edidit promissionem Evangelii, ignotam rationi, et eam postea ipse sua voce tradidit, et mandavit in Ecclesia, quae docet perterrefactos lege et agentes poenitentiam, recipi a Deo, et consequi remissionem peccatorum fide, Gratis, propter hunc ipsum filium Dei propiciatorem, et hac fide seu fiducia filii Dei pronunciari iustos, hoc est, acceptos et placentes Deo, et fieri haeredes vitae aeternae, et quidem ministerio huius vocis, quam iussit spargi in Ecclesia, ipse est efficax, dato Spiritu sancto, qui movet corda, ut assentiantur Evangelio, et cum fide accipiunt promissionem, eriguntur corda et vivificantur, ut vincant terrores, ac statuant se iam vere receptos esse a Deo. Quare Spiritus sanctus iam efficit in eis novos motus, qui sunt incoatio novae et aeternae vitae.

Accenditur nova lux, et augetur agnitio misericordiae et beneficiorum Dei, crescit et exercetur fides in invocatione, in confessione, et obedientia in cruce et afflictionibus, et cum fide simul etiam dilectio, et caeterae virtutes existunt. Ita iam in his incoatur lex, sed interim fide statuunt se iustos pronunciari, et certo esse haeredes vitae aeternae, non propter has incoatas virtutes, sed propter *Christum*, quia hae virtutes adhuc procul absunt ab hac perfectione, quam lex requirit: haec tantum fiunt ministerio Evangelii, et efficacia seu potentia huius Messiae filii Dei. Quare hic solus est lux mundi, vere efficiens in credentibus novam lucem, quae liberat mentes a dubitatione et terroribus, et consolatur ac vivificat corda, ut vere incoëtur in ipsis perpetua iusticia et vita. Refutat ergo Christus hoc dicto opinionem pharisaicam de lege et iusticia legis, docet citra agnitionem Evangelii totum genus humanum iacere oppressum aeternis tenebris, sine vera agnitione Dei, sine consolatione, nec liberari nisi agnitione huius Messiae, de quo editae erant promissiones, quod esset allaturus novum verbum, et per illud futurus efficax, daturus Spiritum sanctum, novam lucem ac vitam, sicut saepe Prophetae hac ipsa voce lucis de regno Messiae utuntur, et significant Christum novo ministerio vocis coelestis fore efficacem, ut liberentur mentes a caligine et tenebris, hoc est, a dubitatione et desperatione, a qua non possunt liberari lege.

Haec beneficia Christus significat sese nobis applicare, et accipi fide, cum ait: Qui sequitur me. Nam sicut lux dicitur, non quia tantum sit doctor, sed quia dator et effector est novae lucis et vitae. Ita cum se sequi iubet, non tantum loquitur de imitatione, qualis est doctrinae legis seu virtutum, quarum exempla lucent in doctore, sed loquitur de fide, quae apprehendit hoc beneficium, quod affert Christus, hoc est, statuit sibi potentia Christi, et propter ipsum donari lucem, iusticiam et vitam aeternam.

Dicebant igitur Iudaei: Tu de teipso, etc.

Rursus describuntur certamina Pharisaeorum cum Christo, quae quidem magis, ac magis intenduntur usque ad finem huius capitis, et pingunt formam Ecclesiae, quam necesse est semper conflictari odiis et calumniis impiorum, et confirmant, ac consolantur pios, ne propter talia iudicia, et calumnias frangantur animis, sed sciant doctrinam coelestem traditam a Christo inter haec certamina magis elucescere, et manere invictam.

Primum autem Pharisaei offensi tam magnifica, et ut videbatur, arroganti concione, conantur refutare Christum, opposito gravi argumento in speciem, de autoritate testimonii, quod certe valet in iudiciis humanis: Nemini creditur de seipso praedicanti, sine aliorum testimoniis, et elevat autoritatem docentis, omnis arrogantiae species, quare gravis est obiectio Pharisaeorum, cum aiunt: Tu de teipso testimonium dicis, igitur testimonium dicis, igitur testimonium tuum non est verum: ac certe ita se res habet, doctrina Evangelii non congruit cum iudicio rationis, non habet testimonia aut suffragationes sapientum, potentum, multitudinis. Quare magna specie detrahitur ei autoritas et fides, clamant sapientes, non esse audiendam doctrinam recens ab uno et altero prolatam, sine probatis autoribus, dissentientem a recepto, et multis seculis approbato consensu. Sic Pharisaei opponunt doctrinam et ritus traditos a Mose ingentibus miraculis divinis, et testimonio totius populi, qui fuit spectator, cum lex promulgaretur, quae cum habeat tam illustria testimonia, non esse audiendum alium doctorem, qui sibi arroget autoritatem parem Mosi, cum nulla appareant similia testimonia.

Huic obiectioni necesse erat respondere, et Christus eam dupliciter refutat. Primum de sua vocatione dicit, quod haec sit vere divina, deinde addit de testimoniis, videlicet verbi Dei et miraculorum. Prius enim respondet ad consequentiam propositi argumenti. Negat ideo suum testimonium seu doctrinam falsam esse, etiamsi non nitatur testimoniis aut iudiciis humanis, deinde ad antecedens respondebat, se habere testimonia divina. In priori membro refutationis allegat vocationem, quod sit missus a Deo, et habeat mandatum aeterni patris, quod passim in his concionibus inculcat, ut supra capite 7.: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me; et infra dicet: A meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, sic loquor.

Ita et hic ait: Etsi testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est, quia scio unde veni, et quo vado, quasi dicat: Non ago meum negotium, sed affero mandatum coeleste, et gero munus mihi commissum a Deo, videlicet,

ut tradam hoc verbum, quod vere patefacit voluntatem Dei, quomodo velit agnosci, quomodo perveniatur ad ipsum. Hoc verbum certo scio esse ipsius mandatum, quare vere et recte doceo, nec moror mundi aut vestra iudicia, qui de me non potestis testari, quia ignota est vobis mea vocatio, nec agnoscitis mandatum aeterni patris. Itaque non valet vestra argumentatio de testimoniis humanis, nec estis audiendi, cum sumitis vobis iudicium de doctrina. Ita simul et tuetur autoritatem doctrinae seu muneris sibi mandati, et refutat obiectionem quaerentium humana testimonia, et detrahit eis ius iudicandi de doctrina ignota.

Potest igitur haec refutatio includi duobus syllogismis, quorum alter diluit obiectionem de testimonio, hoc modo. Verum est testimonium eius, qui habet vocationem et mandatum sui muneris seu doctrinae. Ergo scio unde missus sim, et affero coeleste mandatum, ergo falso meum testimonium damnatis. Alter syllogismus est exceptio contra hos iudices. Nemo sumat sibi iudicium de re ignota. Vos non nostis eum a quo missus sum, et cuius affero mandatum, ergo non est vestrum iudicare de doctrina.

Haec refutatio ideo consideranda est, quia tradit utiles regulas. Prima est quod iudicium de doctrina Ecclesiae non pendeat ab autoritate vel approbatione humana. Altera de vocatione. Necesse est Ecclesiam habere testimonium vocationis et mandati coelestis de doctrina, videlicet, ut certi simus, hanc doctrinam vere esse verbum Dei. Ignota est, ut saepe iam dictum est, doctrina Evangelii sapientiae mundi, et discrepat a iudicio rationis. Quare de ea non potest decerni humanis iudiciis, nec valet diiudicatio, quae fit (ut in aliis controversiis de rebus subiectis iudicio rationis) ex suffragatione aut consensu maioris partis eorum, qui existimantur praestare sapientia, autoritate, iudicio, etc.

Necesse est igitur aliunde peti certitudinem doctrinae, videlicet, ut constet de vocatione, quod doctrina sit tradita mandato Deo, et habeat vera testimonia, inde usque ab initio Ecclesiae, quibus Deus testetur hanc esse doctrinam coelestem, etiamsi non accedant testimonia aut autoritas hominum.

Ideo etsi videtur inepta et indigna sapiente gloriatio, et alibi suum locum habet illud, quod praecipitur, praedicet te os alienum etc., tamen ministerio Evangelii necessaria est gloriatio vocationis divinae, ut constet doctrinam, quae traditur, certo habere mandatum Dei, sicut Petrus inquit: Qui loquitur, loquatur tanquam sermones Dei, propter hanc causam, et Christus passim in Evangelio sonat has voces: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui me misit. Item: Ego non ex me ipso sum locutus, sed qui misit me, pater, is mihi mandatum dedit etc. Et Paulus allegat vocationem coelestem, ut constet eum afferre doctrinam traditam a Deo, et esse mandatum Dei, ut illi assentiamur.

Altera pars refutationis sumta est ex sententia legis, et respondet ad antecedens obiectionis Pharisaeorum. Lex ait, duorum testimonium valere. Sic enim inquit textus, Deut. 19.: In ore duorum aut trium testium stabiliatur omne verbum: ego testimonium perhibeo de doctrina, et accedit testimonium patris, ergo his testimoniis credendum est. Arguta ratiocinatio est, et minor, etsi ante eludi poterat, tamen nunc valet, postquam in priore membro refutationis ostendit suam doctrinam esse veram, allatam e coelo, etc. Quod autem ait: Patrem testari de sese, intelligatur utrunque complecti, videlicet testimonium verbi Dei et miraculorum.

De priore saepe allegantur Prophetarum dicta, et Ioan. 5. dictum est: Scrutamini scripturas, ipsae enim sunt, quae testimonium perhibent de me. Item: Si crederetis Mosi, crederetis etiam mihi, de me enim ille scripsit. Allegatur etiam testimonium Ioannis, cui ostensa est illa admiranda revelatio, in qua se visibili specie exhibuit tota divinitas, et palam sonuit de coelo vox aeterni patris, testantis de filio: Hic est filius meus dilectus, etc. Ad haec testimonia scripturae, et vocis divinae, respicit et hic et alibi, cum ait, se missum esse a patre. Sunt enim ante in scripturis et voce Prophetarum et Baptistae, editae promissiones de Christo. Deinde cum his testimoniis congruunt etiam miracula, quae et edita sunt, et allegantur a Christo, ideo ut confirment fidem piorum, hunc esse Messiam filium Dei, missum a patre iuxta promissiones. Quia haec miracula constat fieri tantum divina potentia, sicut ipse ait: Quae pater facit, similiter et filius facit. Sed de his testimoniis et alibi, ut supra cap. 5. dictum est.

Ego non iudico quenquam.

Quod ait Christus, reiiciens iudicium Pharisaeorum, Ego non iudico quenquam, et si iudico, iudicium meum verum est, loquitur eo modo, quo saepe alias de propria et principali causa suae missionis, negat se missum esse, ut iudicet, quia affert non verbum legis, quod iudicat corda, accusat et damnat omnes homines, sed habet aliud ministerium, quod ostendit quomodo liberentur homines ab ira et a damnatione, et salvi fiant, videlicet, si fide accipiant reconciliationem promissam propter ipsum filium Dei, et tamen addit, si iudicet, suum iudicium verum esse. Quia sicut iam revelato Evangelio, hi qui credunt salvantur, nec lex habet ius eos condemnandi, ita contra lata est, et manet irrevocabilis sententia: neminem salvari non credentem, et iam iure condemnari omnes qui contemnunt filium Dei. Ideo alibi ait: In iudicium in hunc mundum veni, etc.

Dicebant ei Iudaei: Ubi est pater tuus?

Iudaei ut eludant responsionem de testimonio, quaerunt de patre ubi sit, quasi dicant: Praeclare vero testimonium patris allegas, qui et abest, et ignotus est, age vero, si tibi credi postulas, coram sistas nobis patrem, ut ipsum de te testantem audiamus. Haec est calumniosa et virulenta irrisio, quales sunt impiorum voces, qui odio veritatis impulsi a diabolo, audacter exerunt blasphemas linguas adversus aperta testimonia miraculorum, sed Christus de patre graviter respondet: Si me novissetis, nossetis et patrem meum. Simplicissima sententia haec est, tum demum intellecturos esse de patre, quod vere testetur de hoc Messia, si credunt voci ipsius et miraculis, quibus ostendit ac probat se missum esse a patre aeterno, quare hoc dicto revocat eos ad testimonium verbi Dei et miraculorum: docet ad hoc, ut agnoscatur Deus, requiri fidem, seu assensum doctrinae traditae divinitus voce Patrum et Prophetarum de hoc Messia, nec posse recte iudicari de voluntate Dei, nisi quis prius assentiatur huic verbo, propemodum, ut supra dixit: Si quis volet facere voluntatem patris mei, cognoscet de doctrina.

Sed hoc dictum complectitur etiam ampliorem doctrinam de agnitione arcanae voluntatis Dei, de qua et alias dicitur, et infra saepe repetetur. Sicut enim supra dixit Baptista: Deum nemo vidit unquam, filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis: ita hic negat eos patrem novisse, quia ipsum Messiam non norint. Etsi enim mentes humanae aliquo modo norunt Deum, quia legis noticiam habent divinitus insitam, et Iudaei gloriabantur de singularibus revelationibus, et mirandis operibus Dei, editis in hoc populo, tamen nondum potest existere vera noticia Dei, ubi tantum lex cognoscitur, quae est iudicium de voluntate Dei arguente et damnante peccatum, non ostendit illam arcanam voluntatem de salvando genere humano, quae tantum patefacta est in Evangelio. Nam etiamsi et lex ait, Deum esse bonum, clementem etc., et habet promissiones bonorum corporalium et aeternorum, tamen semper addit conditionem, promittit iustis et servantibus legem, econtra testatur Deum irasci, et damnare velle hos, qui non satisfaciunt legi, nihil ostendit de gratuita misericordia, quod Deus velit remittere peccata indignis, meritis iram et mortem.

Haec arcana voluntas, seu decretum aeterni patris, nusquam ostensum aut prolatum est, nisi ab ipso filio Dei, primum in promissionibus, quae factae sunt Adae et patribus, et postea sua ipsius voce, palam promulgato Evangelio. Etsi autem in Prophetis erant repetitae et enarratae promissiones de Messia, quod esset victima futurus pro genere humano, propter quam Deus vellet remittere peccata, et salvare credentes: tamen Pharisaei, et maxima pars populi ne curabant quidem intelligere Prophetarum testimonia, sed carnali imaginatione somniabant Messiam habiturum imperium corporale, futurum regem florentem potentia, opibus, gloria mundana, de arcano consilio Dei, quod missus esset ad abolendum peccatum et mortem, ut restitueret aeternam iusticiam et vitam, nihil prorsus norant, Quare recte ait Christus: Neque me nostis, neque patrem meum, et si me nossetis, novissetis et patrem. Negat se cognosci, quia promissiones editas de Messia non norint, nec moveantur testimoniis miraculorum, ut credant voci ipsius. Ideo neque patrem ab ipsis posse agnosci, quia per hunc solum Messiam prolata et patefacta est voluntas patris, de recipiendo et salvando genere humano, quae cum non agnoscitur, necesse est mentes manere in aeternis tenebris et morte aeterna.

Econtra, qui Christum novit, hoc est, qui audita voce Evangelii, fide statuit se propter hunc filium propiciatorem recipi a Deo, et donari vita aeterna, is iam vere novit patrem, hoc est, vere statuit utrunque, et Deum iuste irasci peccato, adeo, ut nulla alia hostia, praeterquam unigeniti filii morte, placari potuerit, et vere esse infinitam et ineffabilem bonitatem et misericordiam Dei, quod gratis propter filium remittat peccata, et reddat vitam aeternam, meritis iram et mortem. Hoc demum est vere novisse Deum, certa fiducia apprehendere misericordiam et bonitatem, quae erigit cor, ut desinat fugere Deum, nec irascatur Deo, et oderit eum, sicut necesse est fieri, cum per legem incipit innotescere menti magnitudo peccati et irae Dei, sub qua opprimuntur mentes desperatione, et ruunt in mortem aeternam, nisi revocentur voce Evangelii, quae iubet confidere, quod certo propter filium Deus ignoscat, et velit salvare credentes, hac voce efficax est Spiritus sanctus in credentibus. Nam concepta hac fiducia, liberantur a terroribus, et oritur in eis nova lux, apprehendens Deum, quae est ipsa incoatio vitae aeternae. Ideo de hac agnitione ait Christus Ioan. 17.: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum, et hunc quem misisti Iesum esse Christum.

Haec verba locutus est eis in gazophylacio.

Supra dictum est de insidiis structis Christo a Pharisaeis, quae tametsi erant frustratae, tamen non ideo desinebant insidiari, praesertim cum iam augeret offensiones, quia pergit docere, et palam refutat Pharisaeorum opiniones. Significatur igitur illos iam magis irritatos, prorsus constituisse Christum prehendere, et ad hanc rem accessisse occasionem ex commoditate loci, ubi facile potuit prehendi, cum doceret ad gazophylacium, qui locus, ut scribit Iosephus, erat non in interiore seu sacratiore templo, sed in ipso ingressu, sub porticibus, ac licebat promiscue ab omni multitudine adiri. Et tamen frustra est Pharisaeorum conatus, et defenditur Christus, sine ullo humano praesidio, nec datur illis potestas nocendi, cum volunt, et additur ratio: Quia nondum venit hora eius, quae docet, divinitus defendi pios facientes suum officium, et esse mirandas liberationes, quibus irrita fiunt consilia adversariorum, et quantumvis certae ac paratae insidiae, frustrantur tam diu, dum Deus vult pios fungi suo munere. Sicut mirabiliter servavit Danielem obiectum leonibus, et David aliquoties eripitur Sauli, tanquam ex faucibus. Haec exempla confirment et nos, ne deterreamur metu hostium a confessione, aut aliis certaminibus, nec defugiamus similia pericula, sed et ipsi a Deo expectemus defensionem, ut Christus docens non prehenditur, ita sciamus Deum et nos defensurum esse facientes officium, donec absolvamus cursum nostrae vocationis, nec successuros esse conatus adversariorum, quamdiu Deus vult nos fungi munere vocationis.

Dixit igitur iterum Iesus: Ego vado.

Tristis et horrenda comminatio est de poena neglecti et contemti Evangelii, quales multae passim leguntur. Dixit de suo beneficio, hortatus est populum, ut accipiant hanc lucem, quae liberat eos ab erroribus et morte aeterna, et affert perpetuam vitam et felicitatem, allegavit et testimonia de vocatione et munere suo, quod sit missus a patre, sed cum videt haec contemni et rideri a Pharisaeis, tumentibus persuasione sapientiae et iusticiae, addit praedictionem de poenis, videdelicet, quia contemnant doctrinam et beneficium coeleste, secuturas esse maiores tenebras et exitium sempiternum, ait se abire, quia nolint ipsum audire et accipere oblatam liberationem: hic primus gradus est poenarum, amittere vocem Evangelii, quae una est salutaris et vivifica, postea destitutos hac luce seu agnitione Christi, ait hacsuros esse in tenebris et erroribus, et frustra quaesituros consolationem, et tandem secuturas esse poenas, quae demergant ipsos in exitium. Nihil potest dici horribilius hac voce: Quaeritis me, et in peccato vestro moriemini. Significat enim praecipue hoc peccatum, videlicet neglectionem Evangelii et contemtum beneficiorum, quae affert filius Dei, trahere secum caecitatem et extremum exitium, sicut in Prophetis tristissimis verbis hae poenae describuntur, Psalm. 109.: Obscurentur oculi eorum, ne videant, et funde super eos iram tuam, fiat domus eorum deserta, deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur. Et experientia testatur omnibus aetatibus iisdem modis punitum esse contemtum Evangelii extrema vastitate et exitio, sicut Iudaeorum furor et pertinacia contra Christum totam gentem miserrime perdidit. Postea etiam in Ecclesia neglectio purae doctrinae et εἰδωλομανίαι punitae

sunt horribili vastatione immanitatis et furoris Mahometici.

Discamus ergo agnoscere, quantum sit beneficium habere doctrinam Evangelii et noticiam Christi, ac caveamus, ne nostro vitio hanc lucem amittamus, et accersamus nobis poenas, sed oremus Deum, ut servet hoc munus coeleste. Nam hae sententiae testantur non posse vitare tenebras et errores, nec liberari a poenis, nisi hos, qui fide retinent noticiam Christi, quam tradit doctrina Evangelii.

Nunquid interficiet seipsum? etc.

Vide, quid faciat obstinata impietas? tam tristem comminationem larrymis et vera poenitentia deprecandam, excipiunt sannis, et amarulento sarcasmo. Nunquid interficiet seipsum etc., quasi dicant: Quas praestigias parat, cum ita se occultare vult, ut non possimus eum sequi, videlicet, seipsum interfecturus est, ne usquam appareat? Hae sunt venenatae voces hostium Christi, ut per ludibrium etiam insultent pendenti in cruce pro genere humano: Si filius Dei est, salvet semetipsum, descendat de cruce. Ita hic hortantem ad poenitentiam et fidem, irrident virulentis dictis: Eat sane, quo vult, interficiat seipsum, pereat, videat nunquis ipsum quaesiturus sit. Sic respondet Messiae misso a Deo grex Pontificum et Pharisaeorum, qui non ferunt se exui gloria propriae iusticiae, nolunt accusari caecitatis, quod ignorent quomodo perveniatur ad Deum, vident sibi deferri titulum Ecclesiae et populi Dei, hac gloria superbientes secure irrident vocem Evangelii, quae arguit ipsorum incredulitatem, et praedicit de iudicio Dei ac poenis.

Praecipua odii causa est adversus Evangelium, ac semper acerrimas offensiones peperit haec vox Christi: Quo ego vado, vos non potestis venire. Derogat enim gloriam sapientiae et iusticiae, his, qui habent doctrinam legis, habent cultus et gubernationem in Ecclesia seu populo Dei, cum negat homines iustos esse, et placere Deo, propter legem, sicut nunc coetus pontificius fremit sibi detrahi existimationem iusticiae propter cultus traditionum, adimi potestatem condendi leges et traditiones. Ideo cum audiunt tales voces, quod non iustificemur lege, quod traditiones non sint cultus placentes Deo, furenter, persequuntur pios, et maledicunt Evangelio. Sed Christi exemplum admonet pios, ne talibus conviciis, maledictis, sannis, deterreantur a confessione sanae doctrinae, iuxta illud Esaiae 52.: Convicia hominum nolite metuere.

Vos deorsum estis, ego de supernis sum.

Addit rationem sui dicti. Recte dixi: quo ego abeo, vos non posse sequi, nec mirum est, vos non flecti ad poenitentiam et fidem, sed magis indurari, cum auditis meas conciones, ingens discrimen est inter vos et me, vos de infernis estis, seu ut ipse interpretatur, de hoc mundo, hoc est, ea tantum nostis, probatis, sectamini, quae mundus et ratio iudicat esse sapientiam, iusticiam, et cum praestatis aliquam disciplinam, aut cultus operum, quae ratio intelligit, et efficere potest, putatis vos praeclare defunctos esse, et iam esse iustos coram Deo, non nostis voluntatem Dei, de magnitudine peccati, quod haeret in natura humana, propter quod subiecta est irae Dei et poenis aeternis, nec de misericordia, quomodo velit salvare genus humanum.

Econtra ego de supernis sum missus a Deo, affero doctrinam coelestem, patefacio arcanam voluntatem Dei, ignotam rationi, de remissione peccatorum, de restitutione vitae aeternae etc. Hanc quia non accipitis, recte iudico vos non esse de supernis, sed esse de mundo, hoc est, sine luce spirituali, sine agnitione Dei, seu sapientia cernente et glorificante Deum, sine iusticia, denique manere in tenebris et in morte. Nam etsi ratio habet aliquam noticiam legis, et praestat aliquas virtutes politicas, tamen haec ipsa qualiscunque sapientia et iusticia carnalis, est subiecta irae Dei et morti aeternae, nec liberantur homines, nisi credant huic voci, quam affert filius Dei e coelo, quae testatur ipsum esse missum a patre, et induisse humanam naturam, ut fieret victima pro peccato, quae placaret iram Dei, et aboleret mortem aeternam. Hac fide renati etiam ipsi iam non sunt de hoc mundo, quia per Christum liberati sunt. Reliqui, quia non credunt Evangelio, non liberantur a peccato et a morte, sed manent rei et damnati coram Deo. Ideo Christus repetit superiorem conclusionem.

Nisi credideritis, quod ego sum, moriemini in peccato vestro.

Clare pronunciat, nullam esse viam, nullum remedium emergendi ex morte aeterna, nisi fidem,

quae statuit nos propter hunc propiciatorem missum a Deo, recipi et salvari, non lex, non cultus operum, non virtutes humanae liberant a peccato et a poenis externis, etiamsi aliqui excellentes et heroici viri habent egregia decora, etiamsi Pharisaeus praestat multis aliis, tamen, quia est sine fide, non placet Deo, non liberatur a morte aeterna, econtra misera mulier peccatrix, aut latro pendens in cruce, etsi non afferunt merita, tamen quia in poenitentia fide confugiunt ad hunc dominum, vere consequuntur remissionem peccatorum et vitam aeternam. In aliis, ubi non est agnitio seu fides reconciliationis promissae propter hunc mediatorem, necesse est sequi aeternam iram, quia et alioqui universum genus humanum oppressum est peccato, et reum coram Deo, sicut Paulus inquit: Eramus natura filii irae. Item: Omnes peccaverunt, seu rei sunt, et praeterea accedit incredulitas, quae cumulat peccatum, et impedit, quo minus reconciliatio, seu remissio accipi possit. Nam in his, qui credunt, peccatum iam remissum est, et quod reliquum haeret in natura, regitur fide, ut non damnet, sicut supra dictum est: Qui credit in filium, non iudicatur. Econtra, ut illic dicitur: Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in filium Dei. Ita hic ait: Si non credideritis, quod ego sum, moriemini in peccato vestro.

Dicebant igitur: Tu quis es?

Intelligunt Pharisaei Christum magnifice de sese loqui, audierant quod dixit, se missum a patre. Item, esse de supernis, denique cum inquit: Nisi credideritis, quod ego sum, moriemini in peccato vestro. Hanc vero iudicant non ferendam esse arrogantiam, quia sese palam anteferat omnibus reliquis doctoribus, Prophetis, imo ipsi Mosi et patribus. Etsi autem iudicant vocem esse blasphemam, tamen potius ducunt risu et cachinnis esse explodendam. Quare ad eius gravissimam concionem, quasi indignum responso nihil aliud subiiciunt, quam hanc vocem: Quis es tu? Estque haec ipsa vox nihil aliud, nisi significatio per ludibrium irridentium, quasi dicant: Ecquid tibi sumis? non pudet te arrogantiae? an vero audes postulare, ut tibi credatur tam absurda dicenti? Hi sunt cachinni non dissimiles illorum, qui conspuentes Christum, postea salutant regem.

Principio, quod et loquor vobis.

Aliena est hoc loco interpretatio vocabuli principium, de divinitate Christi, orta ex non satis erudita versione. Nam textus non hoc vult, quod Christus se vocet principium, sed Graece est usitata phrasis in voce τὴν ἀρχὴν, quae solet pro adverbio usurpari, ut nos dicimus: principio aut inprimis, seu ante omnia, seu prorsus, ita hic quoque accipiatur principio, hoc ipsum sum quod loquor, quasi dicat: Rideatis sane, ego tamen affirmo vobis me esse hunc ipsum, quem dixi: Hoc ante omnia vobis agendum est, ut me agnoscatis esse doctorem missum a patre, afferentem verbum et mandatum patris, ut mihi credatis. Hoc verbum primum audiendum est, et accipiendum fide, ita demum cognoscetis quis sim.

Haec est meo iudicio simplicissima sententia huius dicti, prorsus sum, quod loquor, id est, sum persona loquens, afferens verbum aeterni Dei, quod quidem tradit utilem doctrinam. Revocat nos Christus ad verbum, et docet ita se cognosci, si huic voci credamus, quae est allata a filio Dei, et propagatur per ministerium Evangelii. Non vult nos sequi humanas imaginationes, aut iudicium sapientiae rationalis, de voluntate et operibus Dei, nec quaerere alias revelationes, aut illuminationes extra verbum, sed alligat nos ad vocem Evangelii de Christo, quae habet certa et firma testimonia universae Ecclesiae, inde usque ab initio mundi, Patrum, Prophetarum, Christi et Apostolorum. Denique confirmata est testimoniis miraculorum missi Spiritus sancti etc. Ad haec testimonia vult Deus respicere pios, et ita demum apprehenditur et agnoscitur, cum credimus huic verbo, quod affert filius Dei, per quod efficax est Spiritus sanctus in mentibus, accendit novam lucem, et erudit pias mentes de utraque re, videlicet, de ira Dei adversus peccatum, et rursus de immensa misericordia, cum intuentur admirandum consilium Dei, quod filium voluit victimam fieri pro peccatis generis humani. Haec est vera et spiritualis noticia Dei, et haec fides in veris certaminibus affert firmam consolationem, et erigit mentes, ut excutiant dubitationem, et vincant terrores, et corda, concepta hac luce et consolatione, iam incipiunt vere invocare Deum, et praestant veros cultus spirituales.

Econtra ubi mentes neglecta hac voce Evangelii vagantur suis imaginationibus, et vel ex

ratione, vel ex doctrina legis iudicant de Deo, necesse est multipliciter implicari tenebris et erroribus. Aut enim securae ruunt in manifestam profanitatem et furores epicureos, aut si retinent doctrinam legis, somniant se iustos qualicunque simulatione obedientiae erga legem. Postea cum incidunt in terrores, non possunt eluctari, sed opprimuntur dubitatione, quae affert alia horribilia peccata, desperationem, odium Dei, blasphemias. Denique extra hoc verbum non potest existere vera lux et noticia Dei, nec unquam intelligunt, aut experiuntur veram consolationem in terroribus, et veros motus spirituales, nisi hi, qui hanc vocem Evangelii prolatam a filio Dei fide accipiunt. Quare passim monet scriptura, ne sinamus nos abduci a verbo insidiis diaboli, aut aliis praestigiis, quae obiici possunt, ut confidamus humana sapientia aut quaeramus alias arcanas revelationes extra verbum, sicut in Deut. praecipitur: Ne dicas, quis ascendit in coelum, prope est verbum in ore tuo. Item, Esai. 8.: Ad legem et ad testimonium, quod si non dixerint, iuxta verbum hoc: Non erit eis matutina lux. Et Psalmus: Lucerna pedibus meis verbum tuum, etc.

Multa habeo de vobis loqui, et iudicare.

Brevi responsione refutavit contumeliosas percontationes Pharisaeorum. Fassus est se esse filium Dei, missum a patre, iuxta promissiones, et afferre doctrinam coelestem, et verbum traditum a patre, adeoque patefacere hanc voluntatem Dei, quod non propter legem, sed tantum propter hunc filium velit salvare credentes, nec aliter liberari homines a morte aeterna, nisi fide huius domini, missi ab aeterno patre, ut per ipsum colligatur, et salvetur Ecclesia, nunc repetit comminationem: Multa habeo de vobis loqui et iudicare, quasi dicat: Etsi convincimini manifestis testimoniis meae vocationis, et mea ipsius voce, qua probo me missum esse a patre, et afferre ipsius verbum, tamen scientes repugnatis veritati, nec vultis credere, et pergitis me odisse, et contumelia afficitis. Verum haec obstinatio non deterrebit me, quo minus pergam facere meum officium. Imo quo magis vos adversabimini, eo magis pergam tueri munus mihi traditum a patre coelesti, videlicet, propagare vocem Evangelii, et accusare et damnare incredulitatem vestram. Nec ipse sumo mihi hoc iudicium, sicut vos iuste et sine causa me damnatis, imo contra manifesta testimonia divina, sed mandato et autoritate patris fungor hoc munere, ut verbo arguam et iudicem omnes, qui non credunt Evangelio, huic verbo necesse est subiici omnes homines, sicut alibi ait: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Quare nolite cogitare, vos impune laturos esse hunc contemtum, aut meas conciones irritas fore, iam lata est sententia, et meo ministerio promulgabitur in universum orbem, quae pronunciat iudicari et damnari a Deo omnes, qui non credunt huic meae voci, nec proderit vobis gloriatio, cuius fiducia me persequimini, quod sitis populus Dei, quod sitis donati praecipuis beneficiis miraculorum, datae legis, promissionum, sacerdotii, templi, etc. Imo quia pergitis contra Evangelium furere, futurum est, ut ne haec quidem retineatis, sed amittatis, et hanc politiam vestram et aeterna bona.

Hoc modo respondet contemtoribus de suo officio, addita comminatione de effectu, dixit se esse personam loquentem, afferentem verbum aeterni patris, et hoc verbum ait efficax fore adversus contemtores, videlicet, ut eo iudicentur, seu damnentur et puniantur non credentes Evangelio. Significat enim non vi humana seu corporali, sed divina potentia se propagaturum esse verbum et facturum, ut sit efficax contra potentiam et furores hostium Evangelii. Huic dicto addit occupationem.

Sed qui me misit, verax est, et quae audivi ex eo, loquor, etc.

Quasi dicat: Etsi iam rideor a vobis, nec audior de patre loquens, tamen ipse testabitur me vera dixisse, erit efficax mea voce, et ad salvandos credentes, et damnandos contemtores. Hunc non facietis mendacem, etiamsi pergitis contemnere meam vocem, quia scio me afferre ipsius verbum, et eius mandato fungi hoc munere, quare experiemini non fuisse irritam vocem, cum arguo et iudico vestram incredulitatem, quia non mea, sed patris sententia et mandato profertur. Hoc dicto non solum sese solatur adversus hos, qui superbe et secure contemnunt Evangelium, sed etiam confirmat pios, ut sciant Deum certo per ministerium huius vocis efficacem fore, quia mandato aeterni patris ab ipso filio Dei prodita et prolata est.

Non cognoverunt, quod de patre diceret.

Nihil potuit dici clarius, quam quod iam inculcavit, se missum a patre, esse hunc ipsum filium Dei, propter quem Deus ab initio elegit Ecclesiam, et vult salvare credentes, item, se a patre afferre vocem Evangelii, et eius mandato loqui et iudicare. In his verbis cum nihil insit obscuri, et toties nominatim allegetur pater, tanquam res mira additur, illos non cognovisse, quod patrem eis diceret: Non accusatur ingenii tarditas et stupor, intelligebant has voces, cum dixit, se non esse ex hoc mundo, sed ex supernis missum a patre etc., sed tantus est contemtus huius doctoris, quem induerunt fascinati persuasione iusticiae legis et illius gloriae, quod hic esset populus Dei, habens legem, politiam, cultum a Deo traditum, ut nihil minus subeat ipsorum animos, quam hunc esse verum doctorem missum a Deo, nedum Messiam aut filium Dei, cum afferat novum genus doctrinae, et sine mentione legis et cultuum Mosaicorum de sese arroganter videatur concionari. Haec erat per sese magna offensio, ut aversarentur hunc doctorem, et accedebat personae contemtus, quod homo ignotus, egens, sine studiis et suffragatione potentum, sapientum, etc. sumeret sibi munus docendi in populo Dei, contra autoritatem summi ordinis, qui tenebat gubernationem, quare nihil minus cogitabant, quam hunc esse missum a Deo, et quidem filium Dei, etiamsi millies has voces de patre iterasset.

Deinde de Messia longe aliae erant Pharisaeorum imaginationes, nihil aliud somniabant, quam venturum ex nobili et potente familia aliquem principem, stipatum catervis procerum, munitum armis, potentia, qui excussa aliena dominatione, restitueret populo libertatem, et late propagaret imperium in alias nationes. Nihil horum recipiebant, quod venturus esset filius Dei, qui indueret naturam humanam, ut fieret victima pro genere humano, qui esset allaturus novam et perpetuam iusticiam et vitam. Haec etsi erant etiam in scripturis satis clare praedicta, tamen prorsus alienis animis et auribus audiebant, nec sinebant se persuaderi, ut assentirentur. Docet igitur exemplum: Non esse mirandum, non intelligi doctrinam Evangelii a multis, qui iudicantur excellere sapientia, ingeniis, etc. Imo ne posse quidem adduci, ut velint eam cognoscere. Semper sic sunt impii dementati persuasione propriae sapientiae aut iusticiae, ita procul totis animis abhorrent a doctrina Evangelii, ut nec patiantur se doceri, nec possint intelligere, sicut de his in Prophetis praedicitur: Incrassatum est cor populi huius, et auribus graviter audierunt, ne forte intelligant et convertantur.

Cum exaltaveritis filium hominis.

Non intelligunt nec accipiunt quod dixit, se esse missum ab aeterno patre, et iudicaturum divina potentia non credentes. Hoc dicto etsi nihil moventur, nec curant cognoscere aut ipsum aut patrem, tamen pergit dicere, quomodo velit agnosci. Estque haec prorsus inaudita, et absurda concio Pharisaeis, nec magis intellecta, quam ea quam hactenus dixit: Ita demum ait fore, ut agnoscatur esse filius Dei, cum exaltatus fuerit, hoc est, sublatus in crucem et teterrimo supplicio affectus, quasi dicat: Non auditis nec agnoscitis me nunc loquentem, et afferentem testimonium coeleste, quod missus sim a patre, ut credatis meae voci, sed offensi genere doctrinae alieno a vestro iudicio, et ista humili specie mea, ne dignum quidem existimatis, quem audiatis. Sed non satis est nunc me contemtum et spretum a vobis explodi, verum hoc restat, ut etiam me tollatis in crucem, tum vero statuetis me tanquam blasphemum et maledictum a Deo, iam tacere turpissime oppressum, et prorsus vana ac falsa fuisse, quae nunc de me dixi: At tunc demum fiet, ut palam agnoscar in mundo, cum factus victima pro genere humano, et resuscitatus ex morte regnabo divina potentia, et spargam ac propagabo hoc verbum, quod testabitur me esse filium Dei, et per hoc ipsum ero efficax dato Spiritu sancto, tunc primum audietis me publice et palam praedicari et agnosci filium Dei, et experiemini esse efficacem, salvaturum credentes verbo, et puniturum non obtemperantes.

Haec est gravis concio, complectens arcanam doctrinam, ignotam rationi et sapientiae carnali, de illo admirando consilio Dei, quod et voluit filium fieri victimam induta carne, et quod hoc arcano modo vult se agnosci, quem patefecit Evangelium, quod ostendit et iram Dei adversus peccatum humani generis, quod nulla alia hostia potuerit placari, nisi morte unigeniti filii, et rursus monstrat misericordiam inenarrabilem, quod aeternus pater voluerit filium sustinere totam molem peccati, hoc est, universam damnationem

luendam generi humano, ut salvaret credentes. Hoc arcanum consilium Dei ait se patefacturum esse, sed tum primum, cum fuerit exaltatus, hoc est, factus victima et maledictum, pendens in cruce, et ita demum fore, ut innotescat, quomodo Deus velit agnosci, videlicet cum palam sonabit vox Evangelii, quod non propter legem aut cultus leviticos, sed propter hunc filium Deus velit recipere et salvare credentes.

Haec summa est huius dicti: Offensioni Pharisaeorum de persona Christi et genere doctrinae, quod iudicant palam absurdum, opponit hoc ipsum, quod Deus non aliter velit agnosci, quam sub hac ipsa forma crucis, quod filius Dei sustinens iram Dei et mortem, propter peccatum generis humani, et rursus resuscitatus sparget hoc verbum, quod propter hunc filium crucifixum, Deus vere recipiat credentes. Ad hanc sententiam congruit dictum Pauli de efficacia Evangelii, 1. Cor. 1. cum ait: Quia per sapientiam mundus non cognovit Deum in sapientia, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvare credentes. Docet Evangelio praeferri immutabile decretum aeterni patris, quod velit salvare genus humanum, non illo modo, quo iudicat sapientia rationis, videlicet iusticia legis, aut efficiendis novis et prodigiosis factis seu virtutibus in aliquibus praestantibus viris, qui praecipue excellunt inter homines, sed fide huius verbi salvatos esse omnes, qui credunt Evangelio, quod ideo ridetur a sapientibus, quia docet haec absurda rationi et iudicio humano, filium Dei factum esse victimam, seu piaculum, seu maledictum, et homines iustos pronunciari a Deo, non propter studium faciendae legis, et quantumvis excellentes virtutes, sed propter obedientiam filii Dei, qui sustinuit iram Dei et mortem, si tamen credant sibi propter hunc ignosci.

Haec doctrina non potest non videri absurda sapientibus, qui aliquo modo intelligunt legem, et recte iudicant nihil esse pulcrius in hac tota natura rerum, quam studium virtutis, et diligentiam faciendae legis. Sed pii credant verbo Dei, quod arguit immunditiem cordis, ostendit iram Dei adversus peccatum totius generis humani, ac iudicat nequaquam satisfieri legi illa qualicunque diligentia, quam praestat ratio, et sciant, revera esse aeternum, et immutabile decretum sapientiae Dei, quae iudicavit, oportere filium Dei mitti in carnem, et in cruce fieri victimam, quae placeret et tolleret aeternam iram, et propter quam recepti a Deo donaremur iusticia et vita aeterna.

Est autem hoc loco observandum testimonium de persona Christi, utrunque enim dicit: Ait, se esse filium hominis, hoc est, vere habentem naturam humanam, et quidem destinatum a Deo, ut fiat victima, hoc est, sustineat mortem et iram Dei propter peccatum humani generis, sed addit de divina natura et potentia: Tunc cognoscetis quod ego sum, plane ut supra dixit: Si non credideritis quod ego sum, moriemini in peccatis vestris. Nam his verbis non tantum hoc significat, se esse vocatum aut missum a Deo, sicut alii Prophetae et doctores, Moses, Baptista, sed vult discerni personam ab omnibus aliis gubernatoribus et ministris, vult se agnosci, esse illum ipsum dominum, qui ab aeterno extiterit, et inde usque ab initio sese patefecerit, edito verbo seu promissionibus, qui semper affuerit Ecclesiae, et ediderit miranda opera et liberationes, et semper conservet Ecclesiam, sicut Ioann. 1. dicitur, Omnia per ipsum facta esse. Item, ut Baptista ait: Qui prior me fuit, et ante me factus est, hoc est, is propter quem Deus ab initio elegit Ecclesiam, et eam vult salvare, et qui non tantum est doctor et minister ut caeteri, sed ipse est dominus et conditor et servator Ecclesiae, ipse edit miracula, dat Spiritum sanctum et vitam aeternam. Haec omnia significantur hoc dicto, cum inquit: Cognoscetis quod ego sim, clare facit discrimen, multo aliter vult agnosci sese, quam Mosen aut Prophetas, qui quidem erant ministri missi a Deo, et habebant testimonia vocationis. Sed hic Messias postulat credi, quod ipse sit dominus, propter quem Deus recipiat et servet Ecclesiam, non propter legem, aut merita ullorum hominum, quia propter hunc solum datae sunt promissiones, et hic solus est propiciator, qui abolet peccatum et mortem, et restituit vitam aeternam.

Ideo addit metuendas minas: Nisi credideritis, quod ego sum, moriemini in peccatis vestris. Vult nos scire, propter ipsum salvari et conservari Ecclesiam, et praedicit Iudaeis, hanc totam politiam Mosaicam, quantumvis florentem, et quidem divinitus constitutam, ideo interituram esse, quia non agnoscant et recipiant hunc dominum, ideoque significat se non missum esse a Deo, ut constituat politicam seu mundanam dominationem, sed afferre hoc mandatum coeleste,

ut omnes ipsius verbo credant, et sciant Deum velle propter ipsum salvare credentes, et sumturum poenas de non credentibus, ut damnentur et pereant, eversa tota politia huius populi, quae tantum propter hunc Messiam a Deo constituta erat, ut in hoc populo extarent promissiones de Christo, et ipse agnosceretur dominus et propiciator.

Idem et his verbis significatur: Cum exaltaveritis filium hominis, cognoscetis quod ego sum, hoc est, cum praestitero hoc opus, propter quod missus sum, videlicet ut fiam victima, tunc colligam Ecclesiam, dato Spiritu sancto, et editis mirandis operibus, quae testabuntur, me regnare divina potentia, hanc experiemini vos ita, ut aut credentes Evangelio salvemini, aut si non voletis obedire, et ipsi pereatis, et haec tota politia vestra evertatur, quam vos somniatis perpetuam fore, et Messiam ubi venerit, muniturum esse eam, et amplificaturum longe maiore gloria et potentia corporali. Hoc tum primum fiet, cum me exaltatum in crucem et mortuum iam, existimabitis prorsus oppressum esse, imo etiam abiectum et damnatum a Deo, sed statim post hanc mortem et infirmitatem apparebit, me esse victorem peccati, et mortis dominum, et datorem vitae aeternae. Sic cognoscetis quod ego sum, et a meipso facio nihil, id est, cognoscetis me non humana, sed divina potentia regnare, et edere vere divina opera, dare Spiritum sanctum exaudire, et salvare invocantes, punire non obedientes Evangelio.

Et sicut me docuit pater, ita loquor.

Id est, iuxta hoc ipsum verbum, quod affero, et spargam in Ecclesiam, ut appareat, hoc vere esse immutabile decretum et mandatum aeterni patris.

Et addit rationem: Qui me misit, mecum est, et non relinquit, quasi dicat: Scio hoc velle patrem, et per me effecturum esse haec miranda opera in Ecclesia, adversus potentiam Satanae et mundi, et hoc tantum ei placere, sic celebrari voce Evangelii, et agnosci ipsum, quod propter me velit servare credentes, quod velit me audire, et mihi credi, quod propter me elegerit et recipiat Ecclesiam, sicut testatus est sua voce: Hic est filius meus dilectus, quo delector: hunc audite, ut et Baptista ait: Pater diligit filium, et omnia dedit in manu eius.

Haec eo loquente, multi crediderunt.

Etsi maior multitudo contemnit Evangelium, praesertim Pharisaeorum, tamen parit aliquem fructum, nec prorsus frustra praedicatur, sed in his certaminibus aliqui assentiuntur veritati, moti dictis Christi toties allegantis testimonium coeleste. Hoc exemplum monet pios doctores, ne propter adversariorum venenatas calumnias absterreantur a tradenda doctrina Evangelii, aut a confessione, sed sciant Dei mandatum esse, ut edant confessionem verae doctrinae, et ipsum adesse verbo, ut sit efficax in aliquibus, iuxta illud Esaiae 55.: Verbum, quo egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, etc.

Sed Christus ad hos, qui coeperant credere, instituit novam concionem, hortatur eos, ut perseverent in fide, et studeant veritatem cognoscere, ne deterriti carnalibus iudiciis, aut scandalis, relabantur. Videt enim non satis firmos esse hos auditores, ut paulo post eventus ostendit, cum obiiciuntur novae offensiones ex dictis Christi. Graviter igitur monet, sic vere discipulos fore suae doctrinae, si manserint in sermone eius, hoc est, si fides perseveret simpliciter assentiens ipsius verbo, nec sinat se everti carnalibus iudiciis et opinionibus, quales erant Pharisaeorum et multitudinis in hoc populo de Messia, quod esset futurus rex mundanus, florens gloria, potentia, opibus liberaturus populum ab aliena dominatione, conservaturus et propagaturus hanc politiam Mosaicam et hos cultus. Has opiniones vult abiici, et de sese iudicari ex suo verbo, videlicet, quod sit missus a patre, non ut constituat aut instauret regnum mundanum in hoc populo, sed ut liberet credentes a peccato et morte aeterna, sicut supra dixit: Nisi credideritis, quod ego sum, moriemini in peccatis vestris.

Discernit igitur auditores, seu discipulos, non agnoscit hos, qui quaerunt talem doctorem, qui propter legem et cultus Mosaicos promittat aut afferat eis libertatem corporalem, et imperium orbis terrarum, sed tales discipulos requirit, qui fide assentiantur verbo ipsius, quod testatur hunc esse Messiam filium Dei missum a patre, ut fiat victima pro peccatis omnium hominum, propter quam Deus velit recipere credentes, et donare vitam aeternam. His promittit haec bona, videlicet cognitionem veritatis, quae est nova lux, accensa in mentibus a Spiritu sancto, vere agno-

scens ac apprehendens Deum, recte iudicans de voluntate Dei. Deinde promittit veram libertatem, quae est liberari a peccato et a morte aeterna, vere recipi a Deo, et donari perpetua iusticia et vita, sicut paulo post de libertate dicetur. Haec non contingunt his, qui tantum legem norunt, et somniant se iustos esse illa disciplina carnali, seu observatione Mosaicorum rituum, et se propter legem habituros regnum et libertatem corporalem, qua excutiant alienos dominos, et ipsi fruantur imperiis mundi.

Semen Abrahae sumus.

Prorsus alienum responsum subiiciunt gravissimae sententiae Christi, quod testatur illos, quorum quidam coeperant credere, ut assentirentur hunc esse Messiam, tamen adhuc tenere infixam animis imaginationem de regno corporali, adhuc somniant, siquidem hic sit Messias, futurum esse potentem regem, florentem opibus, stipatum agminibus procerum et multitudinis, et in his se quoque beatos fore. Hac spe adducti, facilius assentiebantur. Nunc cum incipit concionari de agnitione veritatis et fide, et ait: Ita demum felices fore, et habituros libertatem, si fide teneant eius verbum, et in ea perseverent, offensi resiliunt, et contra disputant, negant se esse servos, subditos alienae potestati, quod ad professionem, seu doctrinam religionis attinet, sed esse semen Abrahae, semper usque ab initio fuisse populum Dei, nunquam fuisse idolatras, gentium more, sed tenuisse doctrinam religionis, legem, circumcisionem et alios ritus traditos quidem a Mose, sed acceptos per manus a patribus inde usque ad Abraham. Ita hic novum certamen oritur Christo, et quidem multo durius superiore.

Ac ut rectius intelligi possint totius huius capitis altercationes, capita controversiarum intueamur. De tribus rebus praecipue certamen est in his quaestionibus, quae agitantur de Messia. Primum de politia disputatur, secundo de cultibus, tertio de persona Messiae.

De primo loco hactenus dixit: Ideo offenduntur Iudaei doctrina Christi, quia iudicant ex ea sequi dissolutionem istius politiae divinitus constitutae, quam ipsi existimabant debere esse perpetuam, et Messiam venturum, ut eam instauraret, et longe florentiorem redderet, auctam imperio mundi, et ingenti gloria corporali. Sed Christus negat se venisse, ut constituat politiam aut regnum corporale: ait se non esse ex hoc mundo, sed missum esse, ut fiat victima, et ita demum salvos fore, si credant ipsius voci, quia vero nolint assentiri, futurum ut evertatur tota illa politia. Haec fuit prima offensio. Altera est non levior in quaestione, quae hic agitatur de religione, seu cultibus, hic pugnant, ne religio et cultus labefactentur, de quibus praecipue gloriabantur sibi divinitus traditam esse legem et ritus Mosaicos, hanc religionem inde usque a Mose et patribus in hoc populo singulari Dei beneficio conservatam esse. Gravius ergo offenduntur, quod Christus ait: Non propter legem et illos cultus liberari homines a peccato, et placere Deo, sed affirmat eos esse sub peccato et ira Dei. Hic ergo oritur longum et atrox certamen. Sed priusquam hoc dirimitur, accedit tertia conflictatio, quae est omnium durissima de persona Messiae, cum se dicit esse Filium Dei, qui extiterit ab aeterno, hanc iudicant esse blasphemiam, non argumentis, sed saxis revincendam.

Recitavi breviter summam locorum, quae in hac tota concione usque ad finem capitis agitantur, nunc redeo ad textum, cum Christus iubet eos perseverare in fide, et ita promittit libertatem, si credant ipsius verbo. Iudaei opponunt responsionem de lege, et doctrina religionis, accepta a patribus, et huc usque conservata in populo Dei. Argumentantur se esse semen Abrahae et patrum, quibus datae erant promissiones de posteritate et populo, in quo nasceretur Messias.

Has promissiones semper ratas fuisse, et oportere et hanc politiam conservari, et doctrinam religionis, ac cultus traditos a Mose, propter venturum Messiam, qui futurus sit dominus huius populi, et allaturus regnum perpetuum. Hanc libertatem hactenus ipsis mansisse integram, quia nunquam vi aut imperio alieno coacti sint abiicere religionem, et suas leges, ne quidem in exilio Babylonico, imo etiam tum, cum cogebantur ferre Romanum imperium, tamen retinebant *αὐτονομίαν*, tuebantur religionem, et vivebant suis legibus, et haec ipsa fiducia libertatis concepta ex promissionibus de Messia, animabat eos, ut sperarent se excussuros hoc frenum Romani imperii.

Quare confidenter explodunt Christi vocem, cum inquit: Veritas liberabit vos, non patiuntur

se dici servos, quia teneant religionem, cultus, politiam traditam divinitus, et ratiocinantur Deum hoc ipso beneficio defensae et conservatae libertatis testari, quod hic sit populus Dei, Deo placens. Haec est sententia huius responsionis, quae gloriatur de posteritate Abrahae, et libertate, ostensa in promissionibus, quae erant factae patribus, prorsus ut nunc coetus pontificius gloriatur de praescriptione tituli Ecclesiae, semper penes ipsos fuisse professionem religionis, et ordinariam potestatem seu gubernationem Ecclesiae, ideo non esse dissentiendum ab ipsorum sententiis et dogmatis.

Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.

Gravissima refutatio est carnalis gloriationis de libertate, quae continet egregiam doctrinam, quae sit vera libertas populi Dei, seu piorum, et concionatur de modo, quomodo contingat, et ostendit discrimen verae et falsae Ecclesiae. Distinguantur igitur sententiae. Prima est definitio libertatis, quae, ut sit illustrior, per antithesin proponitur. Estque syllogismus negativus. Nemo faciens peccatum, habet libertatem coram Deo, vos servitis peccato, ergo non estis liberi. Hic syllogismus clare refutat gloriationem Iudaeorum de defensa et conservata libertate doctrinae legis ac politiae. Simpliciter negat ipsos propter legem seu professionem doctrinae et rituum Mosaicorum habere libertatem coram Deo, seu gloriam, quod sint populus Dei, quod placeant Deo, estque sententia congruens cum dicto Ioannis 1.: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Sicut enim illic negat filios Dei esse propter propagationem generationis carnalis, ut Iudaei imaginabantur: ita hic negat esse populum Dei propter illam praerogativam, quod retineant titulum, ac professionem legis, ac rituum acceptorum a patribus. Haec est summa conclusionis, quae negat eos esse liberos, videlicet coram Deo, hoc est, populum Dei, acceptum Deo, haeredem vitae aeternae.

Sed observanda est maior syllogismi, ex qua sumitur definitio libertatis, videlicet, quod libertas coram Deo sit, non habere titulum populi Dei, aut professionem doctrinae legis et politiae Mosaicae, sed liberum esse a peccatis, hoc est, habere remissionem peccatorum, et iustum reputari a Deo, seu esse acceptum Deo. Sed ut haec definitio declaretur, necesse est adhibere explicationem de modo. Ideo additur altera sententia, quomodo homines consequantur hanc libertatem, quia dictum Christi: Qui facit peccatum, servus est peccati, omnibus detrahit gloriam libertatis seu iusticiae coram Deo, dicit etiam hos, qui gloriantur lege, esse servos peccati, hoc est, reos et subiectos irae Dei, et damnationi, nec propter legem fieri acceptos Deo.

Addit ergo necessariam doctrinam de causa et modo liberationis. Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis, quasi dicat: Cum servi sitis peccati, nec lex tollat peccatum et iram Dei, necesse est vos alieno beneficio liberari, et quidem filii Dei, qui est sine peccato, dominus et dator iusticiae et vitae aeternae, missus a Deo, ut afferat et impertiat reconciliationem credentibus voci ipsius, sicut paulo ante dixit: Si manseritis in sermone meo, veritas liberabit vos. Ita ergo continget vobis libertas, si audita voce Evangelii credetis vobis remitti peccata, vos recipi a Deo propter hunc propiciatorem. Breve dictum est: Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis, sed diligenter considerandum est pondus verborum. Est enim gravissima sententia, simpliciter removens a causa seu merito reconciliationis omnem fiduciam illius propriae dignitatis aut meritorum, quasi dicat: Scio vos habere multas praerogativas, propagationem generis ab Abraham et patribus, legem et politiam divinitus traditam, sacerdotium, cultus, etc. Scio esse aliquos in hoc populo viros excellentes, praeditos virtute, sed non ideo liberi estis a peccato, manent rei irae et mortis aeternae omnes homines. Nec ulla res est, propter quam contingit liberatio seu reconciliatio, nisi ipse filius Dei, missus a Deo, ut fiat victima. In hoc utrunque Deus vult conspici, et magnitudinem irae adversus peccatum, quod nulla alia hostia potuerit placari, nisi morte filii, et rursus ingentem misericordiam, quod voluit filium fieri victimam, ne periret genus humanum, quod propter ipsum vult recipere credentes. Hoc arcanum consilium aeterni patris protulit ipse filius Dei. Vult igitur Deus, ut credamus voci huius, et ita statuamus vere nobis contingere liberationem a peccato, et a morte propter filium. Hanc fidem necesse est accedere. Quia hoc beneficium, seu liberatio non potest aliter apprehendi seu accipi. Ideo de ea Christus supra concionatus est.

Servus non manet in domo perpetuo.

Generale dictum est, servum non manere in familia, id est, non esse haeredem, et tamen multo plus est, esse servum peccati, ut antea dixit: Servus peccati est reus aeternae irae Dei et mortis aeternae, nec quicquam dici atrocius aut tristius de natura humana potest, quam esse servum peccati. Omnia haec insunt in hoc dicto, naturam humanam esse aversam a Deo, contumacem adversus Deum, abiectam a Deo, destinatam ad aeternas et horribiles poenas, subiectam tyrannidi diaboli, non posse liberari ab ira Dei, et poenis aeternis, propria iusticia. Horum malorum magnitudo non comprehenditur ab ulla creatura, sed aliqua ex parte agnoscit has tantas aerumnas, inter tot horrenda signa irae Dei, et inter poenas quotidianas, Ecclesia, quae agit poenitentiam, et scit se subiectam illi ingenti moli aerumnarum propter peccatum. Plus est igitur dicere servum peccati, quam generaliter dici servum. Nam servus generaliter seu civili more est captivus heri sui, servatus ad aliquas operas, et demensum accipiens. Talis erat et populus legis, meliore conditione, quam Ethnici. Omnes pariter, posteri Abrahae et Ethnici, sunt servi peccati secundum naturam, sed tamen Deus delegit semen Abrahae, ut serviret ipsi in hac politia, in qua se patefacere voluit, et promulgare verbum, et mittere filium huius hospitii, quasi atriensem seu villicum, hunc populum natum ex Abraham, in quo tamen voluit simul esse aliquos participes promissae haereditatis, sed non propter politiam, sicut etiam ex Ethnicis vocavit aliquos ad promissam haereditatem. Sed Iudaei contendebant se propter politiam et legis opera esse haeredes iusticiae et gloriae aeternae, id refutat Christus duobus modis: Primum atroci condemnatione: Qui facit peccatum, servus est peccati. Deinde generali exemplo, unde nascitur argumentum, quod vocant a maiore: Nullus servus est haeres facultatum heri, ergo multo minus vos, qui estis servi peccati. Et quanquam delecti estis ad certam politiam, tamen propter hanc non estis haeredes. Postea addit antithesin.

Sed si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.

Ut supra nihil tristius dici potuit hac voce: Qui peccatum facit, servus est peccati. Complectitur enim universaliter omnia mala generis humani, peccatum et iram Dei, et omnes poenas praesentes et aeternas. Ita rursus haec vox proponit dulcissimam consolationem: Si filius vos liberaverit, vere liberi estis. Complectitur enim liberationem a peccatis, ab ira Dei et a poenis, hoc est, restitutionem iusticiae, et donationem gloriae aeternae et laetitiae. Quae munera quia non intelligebant, ideo tanquam ebrii et deliri aberrant a sententia Christi, et somniant libertatem politicam et imperia, et ostendunt se prorsus nec miserias humanas, nec promissionem Abrahae intelligere.

Scio quod semen Abrahae estis.

Cum Iudaei dicerent se liberos esse, utebantur hoc argumento: Quia sumus semen Abrahae, cui facta est promissio regni et libertatis, et quod Deus hactenus servavit, ne servitute perpetua opprimeretur, etiamsi ad tempus castigavit. Id argumentum prius refutavit Christus descriptione servitutis: Qui facit peccatum, servus est peccati, et ostendit se non loqui de politica servitute. Nunc addit magis odiosam refutationem, ab ipsorum personis sumtam: Vos etsi estis semen Abrahae secundum carnem, tamen quia estis filii diaboli, non estis illa posteritas particeps promissionis Abrahae. Hoc dictum: Scio quod estis semen Abrahae, vox est deplorantis, quod illi ipsi, qui debebant esse Ecclesia, sunt hostes Dei et Ecclesiae. Scio vos esse natos ex Abrahae semine, scio vos magnis miraculis vocatos esse ad agnitionem Dei, et multis seculis defensos et collocatos in summo honore in toto genere humano, ut sitis custodes et praecones mei verbi et promissionis, qua reddita est salus humano generi. Haec omnia maiora sunt, quam ut verbis explicari satis possint. Assentior ergo vos esse semen Abrahae secundum carnem, et vocatos ad regnum Dei, et doleo vos non agnoscere vestram vocationem, et cum ea rabiose pugnare. Non estis igitur vera posteritas Abrahae, particeps promissae benedictionis, sed miserae feces, abiectae a Deo, quia neglecto verbo Dei finxistis vobis novas opiniones, et nunc adversamini Evangelio. Hanc enim causam allegat.

Sermo meus non capit in vobis, etc.

Nec opus est huc accersere disputationes de praedestinatione longiores. Causam reiectionis

praesentis allegat ipse Christus, ideo non estis Ecclesia, quia verbo meo non est locus in vobis. Haec enim est huius idiotismi significatio. Non est locus meo sermoni in vobis, id est, non subit animos vestros. Quia scilicet vestra culpa repugnatis, et non vultis assentiri, cum manifestis testimoniis Dei, tot miraculis et Prophetarum dictis vos convincam. Causam igitur reiectionis non Deo, sed voluntati istorum tribuit, qui adversantur Evangelio, sicut alias dicit: Quoties volui vos congregare et noluistis.

Ego quod vidi apud patrem meum loquor.

Cum antea concessisset Iudaeos adversantes esse semen Abrahae, hic addit correctionem. Estis semen secundum carnem, sed revera et spiritu non estis filii Abrahae, sed filii diaboli, quia estis hostes Evangelii, et interficitis membra verae Ecclesiae Dei. Hic doctrinam tradit necessariam cognita in tanta iudiciorum varietate, saepe hi, qui dominantur in Ecclesia, et propter titulum iactitant se esse praecipua membra populi Dei, sunt prorsus extra Ecclesiam, et tamen flagitant obedientiam, volunt audiri et approbari suos errores propter locum, seu successionem ordinariam, damnant errorum reprehensionem, tanquam seditiosam et dissipantem Ecclesiam Dei. Porro moderata imperia natura amant politicum ordinem et potestatem ordinariam, et aegre discedant ab ea, ideo semper multi imbecilles propter hos praetextus, etiamsi agnoscunt errores, tamen quodam studio concordiae suum iudicium dissimulant. Itaque prudentibus et vere Deum timentibus, certa et perspicua confirmatione opus est, quod necesse sit adversari erroribus, et quod propter titulum potestatis ecclesiasticae, non sint membra Ecclesiae, sed propter pertinaciam in erroribus, et crudelitatem, sint hostes Dei, extra Ecclesiam a Deo eiecti et relinquendi. Hac consolatione nobis nunc valde opus est. Praecipuum argumentum est sapientum et politicorum virorum, quod sic sentiat Ecclesia multis seculis. Quod labefactata autoritate summi gradus in Ecclesia sequantur infinitae dissipationes, quae oblivionem et interitum universae religionis afferant, et hoc praetextu stabiliuntur errores.

Etsi autem homines sani non possunt non moveri hoc plausibili argumento, tamen huic humanae sapientiae sciamus anteferendum esse primum praeceptum: Non habebis Deos alienos. Item: Fugite idola. Item, praeceptum de confessione: Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo coelesti. Item: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Ad haec loca addamus clarum testimonium hoc loco, qui de his ipsis qui titulum tenebant gubernatorum populi, et ex semine Abrahae nati erant, erant circumcisi, et fungebantur ministerio ordinario in templo, expresse inquit: Vos ex patre diabolo estis, et capite 10.: Vos non estis ex ovibus meis. Ad haec dicta adiungamus exempla Prophetarum, Christi et Apostolorum, qui omnes ab ordinaria potestate dissenserunt. His eruditi ac muniti testimoniis, non deterreamur a recta sententia, cum opponitur titulus Ecclesiae ad defensionem errorum, sed non fingamus ipsi novas opiniones, nec temere propter nostra deliria conturbemus Ecclesiam, sed tantum ibi adversemur ordinariae potestati, ubi certa veritas tradita in verbo Dei et apostolicis testimoniis, cogit nos adversari falsis opinionibus.

Longum hic certamen describitur in textu, ubi contendunt adversarii Christi, se esse populum Dei, econtra Christus negat. Totus hic locus praecipue hanc doctrinam continet, videlicet, ne moveamur titulo Ecclesiae in refutatione errorum, sed sciamus pertinaces defensores impiarum opinionum extra Ecclesiam esse. Haec est piis necessaria et dulcis consolatio, econtra cogitetur quam tristis condemnatio sit, quod dicit hostes suos ex patre diabolo esse, hoc est, hostes Dei, abiectos in aeternum exitium, captivos diaboli, excaecatos, caeco furore ruentes contra Deum, contra Evangelium, contra veram Dei invocationem, contra veros cultus, contra verum Dei populum, sicut rapiuntur a diabolo, ut Saul ex alio scelere in aliud impellitur, Marcion, Mahometus, Arius, ex aliis deliriis in alia lapsi sunt, et polluerunt se libidinibus et omni turpitudine. Hanc miseriam talium excaecatorum describit tristissimis verbis textus, recitans qualis sit diabolus.

Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.

Non sine magno dolore haec a Christo dicta sunt, diabolum initio fuisse homicidam, meminit primi lapsus humani, et cogitat diabolum odio Dei avulsisse a Deo genus humanum, et propter

hunc lapsum omnes homines oppressos esse ingenti, et inerrabili ira Dei, in qua magna multitudo perpetuo mansura est. Horum malorum cogitatio parit Christo dolorem, quantum nulla alia mens concipere potest. Colligantur autem omnes particulae: Duo tribuit proprie diabolo, homicidium et mendacium, et deinde addit diabolum patrem, id est, causam et autorem horum malorum esse. Homicidium est, velle nocere homini contra voluntatem Dei, mendacium est quilibet error, falsa opinio et falsa doctrina de Deo, deinde universaliter quaelibet deceptio ad nocendum comparata, ut tota sophistica et sycophantica in religionibus, in gubernatione et communi vita. Hi sunt fontes malorum omnium in vita, ignoratio Dei, seu mendacia de Deo. Nam de his praecipue hic loquitur, et homicidium, id est, cupiditas nocendi, et horum malorum causam esse inquit diabolum. Saepe autem in Ecclesia magni tumultus exorti sunt de causa mali. Quare maxime confirmandae sunt piae mentes hoc dicto Christi, quod testatur Deum non esse causam peccati, hoc est, neque velle, neque approbare, neque efficere peccatum, sed simpliciter ortum esse peccatum a voluntate diaboli et hominis, quae libere se avertit a Deo. Haec sententia firmissime tenenda est, neque unquam ab ea est discedendum, etiamsi alicubi videntur occurrere dicta, quae aliquid caliginis verae sententiae inducunt, ac videndum est, ut dextre, ac sine sophistica explicentur contraria.

Primum autem sit munita et confirmata mens certis testimoniis, quae ostendunt peccatum ortum esse, et oriri non a voluntate Dei, sed prorsus et simpliciter a voluntate diaboli et hominis, Genes. 1.: Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona, id est, Deo placentia, recte ordinata, Deo obedientia. Haec enim proprie significat vocabulum bonum, nec otiose posita est in Mose particula valde, quod etsi ad omnes creaturas pertinet, tamen maxime describit humanae naturae praestantiam, quae erat valde bona, id est, valde placens Deo, valde dilecta a Deo, praedita donis longe superantibus praesentes vires, valde ordinata, perfecte obediens Deo. Admonet igitur haec particula ex quanta dignitate excussi simus.

Psalm. 5.: Non Deus volens impietatem tu es. Zach. 8.: Malum contra proximum ne cogitetis, et iuramentum falsum ne diligatis. Omnia enim haec odi, dicit dominus. Etsi autem haec duo testimonia quidam futili cavillatione eludere conantur, tamen firma esse, certum est. Fingunt aliam voluntatem in lege expressam esse, et tamen contrariam in mente Dei esse. Haec imaginatio repudianda est, nam voluntas Dei ita est bona et iusta, et volens hunc ordinem, quem lege exprimit, ut impossibile sit eam velle, efficere, adiuvare, aut approbare contrarium: impossibile est Deum velle libidines Neronis, sed est aeterna et immutabilis Dei voluntas, velle castitatem. Quod autem mala permittit, abscondens suam iram aliquantisper, satis constat permissionem non esse velle positive, aut efficere, vel adiuvare, vel approbare.

1. Ioan. 3.: Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat, id est, diabolus est incoator peccati, quasi dicat: Natura spirituum et hominis condita fuit a Deo sic, ut Deo placeret, recte ordinata esset, et Deo obediens. Sed diaboli voluntas sese libere avertit a Deo. Haec aversio est peccatum, quia est inobedientia pugnans cum voluntate Dei, et est neglectio, contemtus, aut odium Dei. Postea diabolus etiam humanas voluntates impulit, offusa falsa imaginatione, ut se averterent a Deo.

1. Ioan. 2.: Concupiscentia carnis non est ex patre, sed ex mundo. Hoc dictum satis perspicue et diserte inquit, non oriri a Deo peccatum.

Huc etiam illud addi potest ad Rom. 5.: Per unum hominem peccatum introiit in mundum.

Sed maxime illustre testimonium est dictum huius loci. Ioan. 8.: Quando loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater mendacii. Cum ait ex propriis, discernit res conditas a non conditis. Natura spiritus est res a Deo condita, sed praeter hanc quiddam est proprium in diabolo, id est, non conditum a Deo, videlicet aversio a Deo, quae est inobedientia pugnans cum Deo. Et clare dicit Christus, diabolum esse patrem mendacii. Affirmat igitur mendacium et peccatum non esse a Deo ortum. Estque peccatum proprie aversio intelligentis naturae a Deo, pugnans cum lege Dei. Nec pugnant haec inter sese, naturam hominis a Deo ortam esse, et peccatum non esse a Deo. Quia peccatum est horribilis destructio operis, et ordinis divini, vere displicens Deo, quia suum

opus violari noluerat. Haec diligenter consideranda sunt, et simplex veritas, quam recensui, retinenda est, discamus nos ipsos accusare, non Deum, petamus a Deo remedia nostrorum malorum, sicut Oseae 13. dicitur: Perditio tua ex te Israël, tantum in me auxilium tuum.

Quod vero obiiciunt aliqui haec dicta: Ego indurabo cor Pharaonis, et similia, certa et vera explicatio est, haec dicta loqui de permissione, indurabo, id est, sinam indurari. Nam phrasis Ebraica non postulat huiusmodi verba durius exponi, ut cum dicimus: Ne nos inducas in tentationem, id est, ne sinas nos induci, aut inductos perire. Praevidet Deus Pharaonis, Saulis, et aliorum furores, ac fieri permittit, tanquam suam iram abscondens, ac determinat tamen, id est, metas illis furoribus constituit, quas transire illos non sinit. Haec determinatio illustri figura describitur in Sennaherib, 4. Regum 19.: Imponam frenum labiis tuis, et reducam te, etc.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Disputatio est de vocatione, an sit missus a Deo hic Iesus, imo an sit Messias, sicut supra interrogant, quis sit. Iudaei autem reprehendunt eius dicta, quod tam tristem sententiam tulerat, videlicet, hos filios Abrahae, et gubernatores populi Dei esse a diabolo. Haec vox tam absurda et impia videtur, ut si quis dicat synodum et Episcopos hoc tempore adversantes verae doctrinae, non esse Ecclesiam Dei. Procedente igitur disputatione tanquam post litis contestationem, quaerit Christus causam: Si me condemnatis, causam exponite, ego meam causam contra vos planam et expeditam allego. Omnia membra Ecclesiae audiverunt verbum Dei. Vos non auditis, ergo non estis membra populi Dei. Hac ratione manifeste vos convinco, vos contra et me convincite. Similis disputatio recurrit, quoties oriuntur certamina de doctrina. Semper enim de fonte disputatur, unde sit doctrina, sic de Ioanne, de Ieremia, et aliis quaerebant, an vera docerent, an essent divinitus missi. Sic nunc disputatur unde sit hoc genus doctrinae, quod nunc exortum est.

Respondit igitur Christus, et ponit thesin, quam oportet firmam manere in Ecclesia. Quis vestrum accusat me de peccato? Etsi multi haec interpretantur tantum de privatis moribus Christi, tamen disputatio loquitur de doctrina, existimo igitur hoc quaeri. De doctrina me convincite. Quis vestrum accusare me potest, quod falsa doceam, quod sim pseudopropheta? Haec est principalis quaestio de doctrina et vocatione. Haec primum iudicanda est ex verbo Dei, postea ex miraculis et privatis moribus docentium, Christus testimonia habet verbi Dei, deinde miraculorum, postremo privati mores eius non sunt indicia mali spiritus.

Hic ordo observandus est in iudiciis de doctrina, quam sancit et lex, Deut. 13.: Primus et summus iudex doctrinae est verbum Dei traditum prius per Prophetas et Apostolos, ne miracula quidem vult lex anteferri verbo Dei. Postea cum congruit verbum Dei, considerentur miracula et privati mores, et in privatis moribus duplex est consideratio, aut sunt vitia, quae ipsi doctores improbant et emendant, ut cum Petrus lapsus est: aut sunt vitia, quae doctores defendunt. Haec sunt mali fructus, et signa diaboli, ut cum Anabaptistae defendunt seditiones, ac contendunt se mandato Evangelii aliis bella inferre, et novum regnum constituere. Tale delirium non est tantum lapsus in moribus, sed est error in doctrina et abusus nominis divini, contra secundum praeceptum. Has igitur regulas observemus in iudicandis spiritibus, sicut Christus inquit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos, id est, primum ex doctrinae testimoniis, postea ex miraculis, postremo ex vitiis quae defenduntur.

Samaritanus es, et daemonium habes.

Non possunt afferre causam Iudaei, cur damnent hunc doctorem, sed repetunt et augent convicia. Hic disputari solet de refutatione, et vindicta, sed facilima est explicatio. Etsi mundus miscet haec duo, defensionem et vindictam, tamen lex et iudicium Dei vult ea distingui, universaliter defensio veritatis concessa est, sed aliud est verbis testificari, quae sententia sit vera, aliud est postea arma capere. Christus verbis refutat adversarios, non movet arma. Deinde servat hos gradus: Non refutat omnia convicia, sed illa tantum, quae expresse laedebant gloriam Dei, de convicio Samaritani nihil respondet, et quia manifesta falsitas erat, et notoria, refutare nihil opus est, ut vulgo dicitur: Et quia ipse colligebat Ecclesiam etiam ex Samaritanis, docebat populum

Dei esse non solum natos ex Abraham et observantes ceremonias Mosi, sed omnes in omnibus gentibus, qui Evangelium amplexuri erant, sed alterum convicium refutat, daemonium habes: hic plane et diserte respondet: Daemonium non habeo. Nam hic pugnandum est, nulli creaturae tacendum est, cum veritas Dei dicitur esse mendacium diaboli, aut econtra. Hae sunt blasphemiae, quas etiam alibi refutat, ut Matth. 12.: Qui non est mecum, contra me est, etc. Has igitur refutationes meminerimus, et sciamus nobis similiter praecipi, ut gloriam Dei nostra confessione defendamus, tribuamus Deo, quae sunt Dei, et non sinamus ea depravari. Hoc officium mandatum est universaliter omnibus, cum dicitur: Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor eum coram patre coelesti, etc.

Si quis sermonem meum servabit, mortem non, etc.

Exaggerat suam confessionem, et repetit summam doctrinae, non solum negat se daemonium habere, sed etiam amplius testatur, se patrem honore afficere. Deinde summam doctrinae repetit, et proponit sententiam magis mirandam istis auditoribus, affirmat se vitam aeternam dare, et modum ostendit. Si quis sermonem meum servabit, mortem non videbit. Haec vox cum sit Evangelii summa, diligenter animis infigenda est, nec dici quicquam maius post, estque hoc dictum legi opponendum. Iudaei putabant se propter legem salvos fieri. Christus aliam vocem proponit, scilicet suum sermonem, quem toties iam repetivit, ut supra cap. 3.: Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Hunc sermonem qui retinent, mortem non videbunt et non gustabunt.

Hanc salutarem consolationem nec profani nec securi hypocritae intelligunt, qui somniant homines propter qualemcunque disciplinam iustos esse, et est magnum et necessarium decus disciplina, sed tamen nemo in hac corruptione naturae sine peccato est, et pii intelligunt peccatum esse magnam et horrendam molem, quae semper accusat ac damnat nostra corda, iubet fugere Deum, vetat sperare gratiam et auxilium, sicut in quotidiana experientia omnes pii discunt. Non igitur lex salvat, sed agnoscendus est mediator.

Est et in hac particula dulcis consolatio, quod ait: Si quis sermonem meum servaverit. Duriter enim vexantur pavidae mentes, tunc sperarem gratiam, si viderem mihi adesse Christum, si res ostenderet me liberari ex praesenti calamitate, si haberem flagrantes motus Spiritus sancti, ac novas revelationes. Hae tentationes notae sunt piis, qui tenere haec dicta debent. Ecce ad sermonem deducimur, sic apprehendimus Deum, sic liberamur ab aeterna ira, sic hoc sermone, hac promissione nos sustentamus, quam Christus tradidit, sicut et Paulus inquit: Probe est verbum in ore tuo, et in corde tuo, hoc est, verbum fidei, quod praedicamus. Quare audita et cognita voce Evangelii, statuamus hanc ipsam vere esse voluntatem Dei, quam ibi nobis declarat, statuamus nos iuxta has promissiones propter filium vere recipi, et quanquam poenae praesentes hanc fidem oppugnant, tamen non frangamur mora. Ideo dicit: Si quis servaverit. Difficile enim est retinere fidem inter praesentes miserias, quae significant iram Dei adversus peccatum, etc.

Sed cur inquit: Non videbit mortem, et postea dictum repetit: Non gustabit mortem. Emphasis est in verbo videndi. Item in verbo gustandi. Non videre, non gustare mortem, est non ruere in aeternam iram, et non sentire damnationem. Damnati vident, et gustant mortem perpetuo, id est, sentiunt aeternas poenas, et horribilem iram Dei. Sed haeredes vitae aeternae non videbunt, non gustabunt mortem, imo erunt in laetitia, et vita perpetua, imo etiam cum fit dissolutio corporum, non vident nec gustant mortem, id est, habent in seipsis iam incoatam vitam, nec sunt oppressi terroribus irae Dei, sicut Saul et Iudas sunt oppressi ineffabili terrore. Dixit ergo: Non videbit mortem, ut diserte significaret, se non negare corporum mortalium dissolutionem, sed concionari se de liberatione ab horribili ira Dei, hanc sentire, videre, gustare, est mors aeterna. Haec etsi prolixius explicanda essent, tamen quia saepe repetitae sunt hae sententiae, hic sum brevior.

Nunquid tu maior es patre nostro Abraham?

Hic insigniter declarant Iudaei inscitiam suam, qui Messiam arbitrantur, non maiorem fore patre Abraham, nec intelligunt Abraham per Messiam liberatum esse a morte, denique prorsus

ignorant beneficia Messiae, et tantum somniant suum illud mundanum regnum, repetit igitur Christus suas asseverationes de missione et de doctrina, et explicat obiectionem de Abraham.

Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum.

Haec nova absurditas magis etiam irritat adversarios, miscet aetates, suam et Abrahae.

Quid hoc rei est? Sed nominatim dicit: Abraham optavit videre diem meum. Etsi de praedicatione Victoriae et de liberatione generis humani loquitur, tamen de sua persona etiam dicit: Abraham videre utrunque ardenter cupivit, hunc propiciatorem, et ipsam praedicationem Evangelii, et gloriam victoriae in resurrectione, ac triumphum Christi ascendentis in coelos, ubi Apostoli viderunt formam eius regni, quod erit post resurrectionem.

Quomodo igitur vidit haec Abraham? Respondeo: Personam novit, hoc est, novit filium Dei venturum in carnem, et hunc esse propiciatorem nostrum et custodem, sic norat filium Dei et Iacob, qui inquit: Benedicat pueris istis Deus, et angelus, qui eripuit me ex omnibus malis. Hic angelus, qui liberat ab omnibus malis, certe est filius Dei, custos et salvator noster, id norant patres, ideo ét de filio Deo intelligitur congressus, cum apparuit Deus Abrahae in valle Mamre, ubi tres viros hospitio excipit, et unum adorat, videlicet, inter angelos euntem filium Dei.

Ac de promissione data Abrahae nimis frigide cogitamus, si non existimamus eum considerasse, quanta res promissa fuerit. Intelligebat Abraham non tantum sibi promitti regnum mundanum, cum promissio dicat: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Gubernatio mundana regni Israëlitici nihil proderat caeteris gentibus, sed sciebat Abraham promissam esse liberationem a peccato et a morte aeterna, et restitutionem aeternae iusticiae et vitae. Sic igitur vidit diem venturi Messiae, intellexit promissionem, sciebat venturum semen fore hostiam pro peccato, et propter ipsum dari remissionem peccatorum et vitam aeternam, imo norat etiam ipsum filium Dei, quem viderat venturum in carnem. Hinc igitur laetatus est, quia agnitio misericordiae propter filium promissae, liberat a peccatis et a morte aeterna, et affert vitam aeternam, sicut Paulus inquit: Fide iustificati pacem habemus erga Deum.

Ac docet hoc loco Christus, quomodo salvati sint omnes haeredes vitae aeternae, antequam Christus ex virgine natus est. Pharisaei putabant omnes disciplina legis salvatos esse, sicut scripserunt et Monachi, qui finxerunt tres leges, et addiderunt unumquemque salvatum esse propter suam legem. Haec deliramenta execranda sunt, ac sciendum unam esse legem aeternam, quae est iudicium aeternum Dei de peccato. Nunquam potest Deo placere adulterium Davidis, nec placet ullius hominis peccatum, sed ira incurrit in filium, propter hunc recipitur persona confugiens ad filium. Semper igitur lex arguit, et accusavit peccata, nec quisquam propter disciplinam illam salvatus est. Sed eodem modo salvati sunt omnes haeredes vitae aeternae, fide, id est, fiducia misericordiae propter Messiam promissae. Haec prorsus ignota fuerunt Pharisaeis, qui tantum somniabant mundanum imperium, nec intelligebant promissionem de benedictione, nec cogitabant quid Abrahae et omnibus patribus post lapsum inde usque ab initio profuisset agnitio Messiae. Denique prorsus ignorabant veram de Messia doctrinam.

Hoc igitur dictum Christi meminerimus, de salvatione patrum, ad quod congruit dictum Petri in Actis capite 15.: Quid tentatis Deum, imponentes iugum super collum discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus, sed gratia domini Iesu Christi credimus salvari, sicut et ipsi, et ut nos gratuitam misericordiam clarius intelligamus, et fidem excitemus, intueamur patres ante legem, sustentantes se promissione, non lege, sicut et Paulus nobis singulari consilio hoc dictum proponit: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam. In hoc exemplum intueri nos iubet, et docet nos recipi in gratiam, non propter legem, sed fide, id est, fiducia misericordiae propter Messiam promissae, sicut Abraham receptus est. Nec dubium est quin Christus in hac narratione Evangelistae ad illum locum in Genesi respiciat, cum ait de Abraham: Vidit et laetatus est. Hoc plane idem est, quod in Genesi dicitur: Credidit, et imputatum est ei ad iusticiam. Etsi haec sententia a somniis Pharisaeorum prorsus discrepabat.

Sunt autem in verbis ardentes affectus: Abraham optavit videre diem meum, id est, optavit et me nosse, et mei adventus gloriam, id est, incoationem regni aeterni videre. Vidit, id est,

novit me filium Dei, et assumturum humanam naturam ex ipsius semine, scivit me futurum victimam, vidit tolli peccatum, et placari iram Dei per me, et restitui vitam aeternam. Hac fide se sustentans, sensit accendi in se novam lucem, agnitionem Dei et vitam aeternam. Sic vidit diem meum, id est, me, et regni mei beneficia in seipso, et laetatus est.

Quinquaginta annos nondum habes, etc.

Sed haec nova concio magis irritat furentes Iudaeos, ignorantes quis sit Messias, et quale sit regnum, et quae sint beneficia. Expostulant igitur de absurditate, num viderit Abraham, qui fere ante duo millia annorum mortuus fuerat. Hac ipsa obiectione ostendunt se non intelligere quid Messias profuerit patribus, et omnibus ante regnum illud natis, quod somniabant. Addit igitur Christus novam asseverationem: Antequam nasceretur Abraham, ego sum, et quidem bis iurat: Amen, amen. Verba plana sunt, et semper in Ecclesia sic intellecta, in Christo duas esse naturas, quarum altera, scilicet λόγος, est coaeterna Deo patri, ut supra in 1. cap. dictum est. Ideo Christus inquit, se fuisse ante natum Abraham. Estque hoc testimonium inter ea, quae de duabus naturis in Christo concionantur, diligenter observandum, ut sit in conspectu inter caetera, ad confirmandam fidem nobis et aliis, in dogmatum defensione et invocatione.

Etsi autem videtur argutius, subtiliter disputare de modo loquendi, quod ait, sum: tamen opinor non sine causa sic dici, et alludi ad dictum in Exod. cap. 3., ubi Mosi de nomine Dei interroganti, respondetur: Sum qui sum, qui est, misit me ad vos, et additur: Deus pater vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob misit me ad vos, hoc est, nomen meum in aeternum, et memoriale meum in generationem et generationem. Cur quaerit Moses de nomine? ut afferat testimonium aliquod suae revelationis. Traditur ergo doctrina maxime salutaris eo loco, testatur ille Deus, qui cum Mose loquitur, se vere Deum esse. Qui est, id est, is qui unus est vere Deus, caeteri non sunt dii, et hic Deus vere est essentia aeterna, omnipotens, non obnoxia ulli corruptioni, ac conditrix rerum, quae omnes natura sua sunt imbecilles et languidae, nec possent durare, nisi a Deo conservarentur. Deinde docet, quomodo hic verus Deus velit agnosci, hic inquam, qui solus est, discernendus est a ficticiis diis, et hoc titulo discernendus, quod sit Deus Abrahae, Isaac, Iacob etc., id est, ille Deus, qui ipsis verbum suum tradidit, quo agnosci vult et discerni a ficticiis diis.

Ideo saepe monenda est Ecclesia, ut discat discernere suam invocationem ab Ethnica, Iudaica, et Mahometica. Nam omnes sapientes omnium sectarum dicunt, se invocare unam aliquam aeternam mentem, conditricem rerum, sed tamen non vere invocant. Errant enim dupliciter: Primum de essentia, postea de exauditione. De essentia errant, quia nolunt agnoscere, credere et fateri hunc esse vere Deum, qui se patefecit per filium Iesum Christum, sed fingunt sibi Deum ignotum, reiecto hoc vero Deo, qui vere est. Deinde de exauditione dubitant, non possunt invocare, cum prorsus maneant in dubitatione, nec credant sibi ignosci, aut se exaudiri. Nos igitur discernamus nostram invocationem, et dirigamus eam ad hunc Deum, qui, ut hic dicitur: Vere est, id est, sciamus aliarum sectarum Deos nihil esse, sed hunc vere esse Deum, conditorem omnium rerum, qui se patefecit per hoc verbum, quod initio tradidit patribus et Prophetis, et per filium suum Iesum Christum. Sicut hic luculenta et insigni descriptione dictum est, hunc titulum, Deus Abraham, Deus Iacob, Deus Isaac, fore sempiternum memoriale. Insignis revelatio et promissio continetur in his verbis: Deus testatur se perpetuo servaturum esse hoc unum et idem verbum, quod patribus tradidit, semper ergo patrum Ecclesia mansura est.

Deinde et hac parte discernamus, quoties invocamus, cogitemus cur exaudiamur, scilicet propter filium, quare talis aliqua forma invocationis cogitetur. Invoco te omnipotens, aeterne et vive Deus, aeterne pater domini nostri Iesu Christi, qui te immensa bonitate patefecisti, et clamasti de filio tuo domino nostro Iesu Christo: conditor omnium rerum et conservator, cum filio tuo coaeterno domino nostro Iesu Christo et Spiritu S. tuo, effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex, fortis, miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam, mediatorem, interpellatorem et deprecatorem nostrum, et sanctifica ac rege me Spiritu Sancto tuo, rege Ecclesiam tuam et politias etc.

Saepe et hoc cogito hac descriptione significari. Qui est, id est, illius ipse filius Dei, qui iam ante vobis est promissus: Idem hic iam misit me, hic idem iam quoque liberator erit. Nec ab hac interpretatione procul abest, quod alii enarrant, futuri temporis vocem urgentes. Ego ero qui ero, id est, ego ille promissus vobis liberator adero, qui aliquanto post ero frater vester, assumta humana natura, et vos vere liberabo a peccato et a morte, et inter vos in carne resurgens a morte, regnum aeternum incoabo. Haec interpretatio de filio Dei loquente et significante futurum adventum, simul admonet auditorem de natura divina in Christo, et apte congruit ad promissiones, quasi dicat: Quid dubitas de liberatione? Ego ero qui ero, id est, ego cum promiserim me futurum fratrem vestrum, et os ex ossibus vestris, et collecturum mihi Ecclesiam aeternam, nunc etiam adero, vos servabo, ne hic tyrannus vos opprimat: Ego ille ipse Deus, qui postea ero frater vester, nunc affuturus sum. Sic quadrabit et illud: Qui erit, misit me, id est, ille noster liberator qui erit frater noster assumta carne, qui vobis promissus est, misit me. Recensui interpretationes loci in Mose pias, ex quibus deligat lector, quam volet, etsi vicinae sunt omnes, sed postrema accommodatior est ad Christi personam.

Tulerunt ergo lapides.

Hic disputationum in Ecclesia exitus est: Victi enim impii magis insaniunt, sicut inquit Esa. 6.: Audite audientes, et nolite intelligere, excaeca cor populi huius, et Psal. 68.: Obscurentur oculi eorum, ne videant. Terribile profecto spectaculum est, quod maxima et in speciem praestantissima pars generis humani talibus furiis agitatur, ut manifestae voci Dei contra conscientiam adversetur, vident in Christo, Prophetis et Apostolis, manifesta Dei testimonia, et tamen repugnant, nec tantum repugnant, sed etiam e medio tollere doctores conantur, sicut hic lapides tollunt ad obruendum Christum. Sed duo haec discamus, primum etsi multi adversantur, tamen aliquos amplecti Evangelium necesse est, sicut scriptum est Esaiae 55.: Verbum meum non revertetur ad vacuum, etc. Et semper mansuram esse aliquam Ecclesiam, multa dicta testantur, ut Esaiae 59.: Hoc foedus meum cum eis, dicit dominus: Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, in sempiternum. Haec promissio testatur semper aliquam futuram esse Ecclesiam. Et quidem eam expresse definit hunc coetum esse, in cuius ore sit verbum traditum per Prophetas, et in quibus sit spiritus loquens per Prophetas. Non igitur inanis est Evangelii praedicatio, semper erunt aliqui, qui amplectentur verbum, sicut Rom. 9. dicitur: Reliquiae salvae fient, id est, pars populi, nec maxima, nec antecellens potentia, honoribus, opibus. Haec sententia illustri figura ornata est. Amos 3.: Haec dicit Dominus, Sicut eruit pastor ex faucibus leonis duo crura, et extremam auriculae, sic liberabuntur filii Israël.

Alterum est, quod hic locus monet, quod Christus saepe evasit ex manibus Iudaeorum, nec prius ad supplicium rapi potuit, quam divinitus constitutum erat. Admonemur Ecclesiam custodiri divinitus. Quanquam igitur vult Deus aliquos, tanquam milites ex acie absumi, tamen hos servat, ut prius curriculum suum absolvant: Saepe erat servatus Paulus, cum propior morti fuit, quam cum Nero eum iussit interfici, pepercerunt ei bestiae in circo, at a Nerone bellua multo deteriore, quam ullae ferae erant, permisit eum tandem interfici, ut testimonium insigne ostenderet futuri iudicii. Ostenderat Deus antea multis miraculis, sibi placere Paulum, et constabat Neronem pollutum esse sceleribus omnium turpissimis. Cum igitur interficeretur Deo placens, a tali portento, evidens argumentum est, restare aliud iudicium, in quo Deus ostendet, se non oblitum esse Pauli, quem antea approbaverat, et a se Paulum diligi, Neronem vero in horrendas poenas abiici.

Ut autem Paulus antea saepe servatus erat, sic sciamus totam Ecclesiam servari, non humanis consiliis principum, sed a Deo mirabiliter, sicut plurima dicta testantur. Psalm. 71.: Liberavit pauperem a potente, pauperem, cui non erat adiutor, et Oseae 1.: Salvabo eos in domino Deo suo, et non salvabo eos in arcu et gladio. Ac nunc maxime proponamus nobis huiusmodi dicta et exempla congruentia, quia manifeste videmus Ecclesiis passim deesse praesidia humana, et alibi Turcos, alibi alios reges exercere saevitiam in Ecclesias. In his aerumnis ac consolatione nos sustentemus, Deum tamen servaturum esse reliquias, sicut in Daniele de hoc ipso tempore promittitur:

In tempore illo stabit Michaël dux magnus, pro filiis populi sui.

Caput IX.

Neque hic peccavit.

Haec historia inter festum tabernaculorum et ἐγκαίνια postremi anni praedicationis Christi collocatur. Fuerunt autem ἐγκαίνια die 25. Novemb. ut infra dicam, ac prodest ea considerare tempora, ut observemus paulatim crescente certamine, in impiis odia et furores crevisse. Prima autem in hoc loco disputatio oritur de hoc dicto: Neque hic peccavit, neque parentes eius. Hic multa quaeruntur. Num filii propter parentum peccata plectantur. Deinde, sintne calamitates omnes poenae peccati, et peculiarium delictorum peculiares poenae. Postremo, an Christus pronunciet hos sine peccato fuisse. Dicam ordine de singulis quaestionibus.

Decalogus manifeste testatur propter delicta parentum etiam posteros plecti, et loquitur de poenis in hac vita, sic dicitur et Deut. 28.: Si non audieris vocem domini Dei tui etc., maledictus fructus ventris tui, item filii tui et filiae tuae tradentur alieno populo. Tenera mulier et delicata invidebit viro suo, filii et filiae carnes, et illuviem secundinae, et Psalm. 108.: Filii eius mendicent, et eiiciantur de habitationibus suis. Huc colligantur exempla. Propter Saulis scelera tota familia et posteritas deleta est, praeter filium Ionathae, imo et virum sanctum Ionathan alienum a paterno scelere, tamen una interfici Deus voluit: propter Davidis adulterium diu grassatae sunt caedes inter filios: propter Salomonis idola filius amittit maximam regni partem. Denique exempla in scripturis multa sunt, et cerni quotidie in vita possunt: quam multae splendidae familiae pereunt propter maiorum libidines, aut alia scelera. Recte igitur Apostoli quaerunt: Quis peccavit, ipse, an parentes? Verum est enim puniri scelera parentum calamitatibus filiorum. Rursus etiam pro benefactis parentum ornari praemiis natos ex eis, ut manet Ionathae posteritas usque ad tempus exilii Babylonici.

Sed cur apud Ezechielem cap. 18. retractatur haec sententia? Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. Respondeo: Ezechielis concio est vox Evangelii, annuncians remissionem peccati. Lex semper minatur poenas pro nostris et parentum peccatis, et cum non agimus poenitentiam, manet iudicium legis, manet ira Dei, et opprimimur poenis tum aeternis, tum praesentibus. Sed Ezechiel proponit vocem Evangelii, si egeris poenitentiam, nec poenae aeternae oppriment te, et mitigabuntur vel tollentur poena praesentes. Haec est simplex et vera conciliatio. Prodest autem hanc doctrinam et exempla de poenis diligenter cogitare, ut considerata magnitudine irae Dei et poenarum, maiore cura vitemus peccata, ne nostris liberis miserias cumulemus, ut fit saepissime, etsi mundus profanus et securus hanc causam calamitatum nec videt nec metuit.

Secunda quaestio prolixiorem disputationem, sintne calamitates humanae universaliter poenae peccati, et an peculiares poenae sint peculiarium delictorum. Respondeo: Etsi universaliter vera est haec sententia: Mortem et omnes calamitates poenas esse peccati originalis, tamen postea gradus calamitatum habent alias plures causas: quod Esaias, Ieremias, Ioannes Baptista sunt interfecti, generalis causa est quia habuerunt peccatum originis. Sed quod supra caeteros homines subiecti fuerunt ingentibus aerumnis, hic gradus habet alias causas multas, quae diligenter colligendae sunt. Nam humana ratio et philosophia, cum intueatur magnitudinem humanarum miseriarum, miratur quidem hanc praestantem naturam tam tristi onere oppressam esse, et causas quaerit, sed praecipuas non potest deprehendere, estque propria Ecclesiae doctrina, causas humanorum malorum et vera remedia ostendere. Philosophi disserunt fluxum materiae, ut in plantis et pecudibus, sic in genere humano, causam esse generationum et corruptionum, et morborum. Sed vox divina testatur, humanum genus aliter fuisse conditum, videlicet ita, ut sine peccato et morte viveret admirando modo, sed primos parentes ultro peccatum admisisse, cui proposita fuit haec ingens poena, ut postea hominum natura amissa priori luce et integritate, obnoxia esset peccato et morti. De caeteris calamitatibus Philosophi dicunt, eas aut ex materia oriri, aut accersi erroribus ac voluntate hominum. Ut Alexander volens, sibi potando accersit exitium, recte aliquas proximas causas in aliquibus cernunt, sed fontes ignorant, cur Alexander sit mortalis, cur tanta ingenii praestantia tam prona sit ad vi-

tia. Item, multi incidunt in calamitates, non errore aliquo suo, aut petulantia, ut Ieremias, Ioannes Baptista, etc. Hic philosophia etiam accusat iudicium Dei, miratur cur bonos lacerari a malis sinat. Nos igitur audiamus Ecclesiam de causis aerumnarum humanarum concionantem, ut et iram Dei et veras consolationes consideremus, et catalogus semper sit in conspectu.

Prima causa est peccatum commune generis humani, propter quod omnes homines universaliter subiecti sunt morti, morbis et multis malis communibus.

Secunda causa, cum mundus non agnoscat illum morbum, et contemtum Dei, et iram adversus hoc malum, Deus magis premit Ecclesiam, ut agnoscat haec mala, et ut vocemur ad poenitentiam.

Tertia causa, quia diabolus rabiosius saevit in Ecclesiam.

Quarta, vult Deus crescere in nobis agnitionem infirmitatis nostrae, et deponi fiduciam nostri, et accendi invocationem Dei, ideo magis exercet sanctos, ut 2. Corinth. 1.: Responsum mortis in nobis habuimus, ne essemus confidentes nostra virtute, sed invocaremus Deum. Vult etiam conspici Deus in nostra infirmitate suam potentiam adversus diabolum.

Quinta, ut afflictiones sint testimonium immortalitatis et futurae gloriae. Quia enim hic sinit a tyrannis Deus interfici, Ieremiam, Baptistam, Paulum, et similes, quos ante testatus est sibi curae esse, necesse est restare aliud iudicium, in quo rursus appareat hos etiam post mortem Deo curae esse, et puniri tyrannos.

Sexta, ut afflictiones sint testimonia doctrinae. Quia enim sancti anteferunt confessionem suae vitae, apparet eos serio sic sentire.

Septima, ut efficiamur similes imaginis filii Dei, sic Abel, Isaac, Esaias, Ieremias, Baptista, fuerunt typi Christi.

Octava, saepe afflictiones sunt poenae certorum delictorum, ut Davidis, Manassae exilia, regis Babylonici morbus.

Nona, ut appareat sanctos obedientiam praestare, non suae voluptatis causa, sed propter Deum.

Decima, ut Ecclesia sciat se non humanis praesidiis niti, sed habere custodem Deum, ut Abraham, Isaac, Iacob, Ionas, Paulus, cum circumferunt verbum Dei, in suis peregrinationibus experiuntur se divinitus protegi. Has causas prodest semper in conspectu habere, ut discamus iuxta hoc dictum Petri: Humiliamini sub potenti manu Dei etc., et Deo placere obedientiam nostram in afflictionibus, et nos non reiectos esse propter calamitates, sed potius tunc trahi ad Deum, et praecipuum finem omnium aerumnarum esse, ut excitemur ad invocationem, et confirmetur fides, et in liberationibus celebretur Deus.

Nunc igitur facilis est responsio ad quaestionem in hoc textu: Christus non hoc dicit: Parentes et caecum sine peccato fuisse, sed caecitatem non esse poenam certi sceleris in istis. Etsi enim saepe calamitates sunt poenae certorum scelerum, ut de Davide et Manasse dictum est, tamen non semper tales poenae sunt, ut Deus ipse excusat Iob. Et ut maxime sint poenae, tamen nos non tantum de ira et poena cogitemus, sed multo magis de fine ulteriore, id est, de invocatione, de fide, de glorificatione Dei. David intelligit se tantis miseriis propter lapsus suos deformatum esse, ac subiicit se Deo punienti, sed non resistit in hac cogitatione irae, sed scit admoneri de poenitentia, de invocatione, de fide, de glorificatione Dei, quod tantis aerumnis non opprimitur, nec prorsus deseritur, sicut Saul desertus erat.

Ita et Christus hoc loco Apostolis ostendit has causas, curandum esse, ut nostra afflictio serviat gloriae Dei, cum in tolerando, tum in praedicanda liberatione. David non consciscit sibi mortem, ut Saul, etsi erat in maiore calamitate, sed praefert sine insigni deformitate suas aerumnas, interim et Deum invocat, et animi constantiam ostendit, quod bellum ingens suis consiliis gubernat. Harum virtutum conspectus ornabat gloriam Dei, et agebat Deo gratias ipse David, quod sustentari se sentiebat.

Postea vero in liberatione magis conspecta est praesentia Dei, et multi testificati sunt, Deum adesse invocantibus ipsum, multi egerunt gratias Deo, sic Paulus 2. Corinth. 1. hortatur, ut multorum precibus iuvetur, ut rursus Deo offeratur multorum gratiarum actio. Hi cultus rationi humanae ignoti sunt, sed Ecclesia eos ex verbo Dei discere debet, scilicet obedientiam in aerumnis, invocationem, fidem, spem auxilii, seu liberationis, et gratiarum actionem, et celebrationem

misericordiae Dei, sicut Psal. inquit: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me etc.

Sed ut manifestentur opera Dei.

Liberatio huius caeci illustrat gloriam Dei tripliciter, primum ipsa sanatio est testimonium de Christo, hunc doctorem a Deo missum esse. Nam miracula universaliter sunt testimonia doctrinae, et cum alia aliis videantur maiora, omnia coniungamus. Certum est resuscitationem mortuorum solius Dei opus esse, ergo Christus resuscitans mortuos, non est pseudopropheta, sed a Deo missus, et divinitus regitur ac adiuvatur, sicut in textu aliquanto post dicitur: Quomodo potest homo peccator talia signa facere. Deinde illustratur gloria Dei per sanatum, qui primum privatim Deo gratias egit pro tanto beneficio, postea autorem celebrat, et clara confessione, testatur, hunc, a quo sanatus est, Prophetam esse a Deo missum, imo postea Christus etiam nominatim eum docet de summo articulo, iubet eum credere in filium Dei, et hic sanatus respondet: Credo domine. Haec de causis afflictionum et liberationum in hoc loco dicta, aliquid lucis huic narrationi et similibus afferunt, et nos in nostris aerumnis utiliter erudiunt.

Me oportet operari opera eius, qui misit me.

Diligenter haec sententia et similes observandae sunt, quae de labore, seu de vocationis officiis praecipiunt. Nam et docent nos de re maxima et adversus communem tentationem sapientum consolantur. Experimur in omni gubernatione magna et parva, multas esse difficultates, quae humana diligentia leniri non possunt, multa ingentia pericula undecunque oriri, quae prospici et caveri nequeunt, denique saepe, ut tempestatum saevitia ars navium gubernandarum superatur, ita prorsus vinci consilia sapientum inopinatis eventibus. Id quaeruntur Demosthenes et Cicero, inde et versus natus est: Vitam regit fortuna, non sapientia. Quare multi sapientes deserta gubernatione rerum, abdiderunt se in otium, et praeceptum tradiderunt λάθε βιώσας. Demosthenes etiam dixit senex, se, si iam liceret sibi libere de sua vita statuere, essentque duae vitae propositae, altera ad summos honores in Repub. ducens, altera recta ad mortem, malle mox ingredi viam illam recta ducentem ad mortem, quam alteram proponentem maximos honores in Republica. Quod iam usu comperisset, quantum in gubernatione periculorum sit, quam non respondeant eventus consiliis. Aeschines exulans scribit se gratulari sibi otium suum, quod tanquam a rabiosa cane, a Reipub. gubernatione liberatus sit: et Plato Socratem narrat fugisse administrationem Reipub. Denique dicta sapientum et exempla sunt plurima, quae monent tutissimum esse vitare omnia negotia publica, et aliena, magna et parva, denique de privatis sodalitiis dicitur: Nulli te facias nimis sodalem, gaudebis minus, et minus dolebis.

Contra hanc humanam sapientiam clamitat Christus: Me oportet facere opera eius, qui me misit, donec dies est, id est, donec haec mea vocatio sonantis Evangelii durat, sic Apostolis praecipit, ut doceant, nec metuant terrores ac pericula, nec frangantur animis, etiamsi eventus non respondent humanis opinionibus. Sic Moses Deo obtemperat educens populum, et quanquam instant hostes, tamen iubet populum magno animo esse: State, inquit, quia videbitis gloriosa opera Dei. Sic Paulus inquit ad Ephes. 5.: Ambulate diligenter, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quia dies mali sunt. Simul complectitur Paulus ipsam impedimentorum mentionem, et tamen iubet illis repugnare arte. Dies mali sunt, id est, in huius vitae tempore multae difficultates impediunt bona consilia, magna pericula deterrent multos bene consulere Reipub. Quanquam, inquit, haec ita fiunt, tamen non abiicienda est gubernatio rerum, non cessandum.

Quid igitur faciendum est, dicet Plato, aut similes, cum nihil aut parum proficere possimus? Respondet hic Christus: Oportet me facere opera eius, qui misit me, id est, opera meae vocationis, seu missionis, et 1. Corinth. 9.: Vae mihi, si non evangelizavero, et saepe de vocatione praecipitur, ad Rom. 12. et alibi, ut suam quisque vocationem diligenter obeat, nec abiiciat eam, propter terrores, odia, iniurias, pericula, aut eventus tristes. Et ad hanc doctrinam addendae sunt hae duae consolationes, fide auxilium a Deo expectandum esse, et sperandos eventus salutares, etiamsi nos non statim cernimus eos nostris oculis. Sicut Ieremias consulens rem novam, et quae videbatur exitio futura illi politiae, videlicet deditionem et auxilium, tamen sciebat hoc consi-

lium in speciem triste, deinde salutare fore populo.

De auxilio hic dicit Christus: Oportet me facere opera eius, qui misit me, quibus verbis utrunque significat, se mandata opera a Deo patre, facere, et fieri ea ipso iuvante, sic et nos saepe consolatur: Non relinquam vos orphanos. Item: Ego rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis. Item Matth. 10.: Dabitur vobis in hora illa, quid loquamini: Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris est, qui loquitur in vobis. Denique passim occurrunt testimonia de auxilio Dei, quae meminisse debemus, et petere ut in tantis periculis regamur et adiuvemur, sicut subinde clamant Prophetae, et 2. Paralip. 20. dicitur: Cum ignoramus quid agendum sit, oculos nostros ad te dirigimus. Hoc auxilium non norant Demosthenes, Cicero, et similes gubernatores. Ideo franguntur animis, et tandem iudicant fugiendam esse rerum gubernationem, sed nos in Ecclesia sciamus, non frustra nobis has tantas promissiones traditas esse. Deinde de exitu seu eventu colligamus sententias, ut sciamus labores nostros non inanes fore. Psal. 1.: Et erit tanquam arbor plantata ad rivos aquarum, quae fructum suum dabit in tempore suo, et Matth. 13.: Qui vero in terram bonam seminat, fructum affert, et facit aliud centuplum etc., et 2. Corinth. 3. de ministerio: Fiduciam habemus talem per Christum, non quod sufficientes simus ex nobis aliquid cogitare, tanquam ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, et deinde quanto magis hoc ministerium erit in gloria, id est, efficax, habentes talem spem magna fiducia utimur, et ad Phil. 2.: Deus est qui operatur in vobis, ut velitis et perficiatis, ut aliqua fiant ipsi grata, id est, Deus adiuvat nos, ut pia et salutaria faciamus. Deinde etiam adiuvat nos in agendo, in ministerio, in gubernatione, in omnibus necessariis actionibus, denique et eventus gubernet et causam, ut fiant quaedam ipsi grata, quasi dicat: Diabolus odio Dei instigat sua organa, ut plurima faciant horribiliter displicentia Deo, serit blasphemias, impellit ad fingenda idola, ad movenda bella inutilia, ad laxandum frenum flagitiosis libidinibus. His furoribus vehementissime offenditur et irritatur Deus, ne igitur totum genus humanum tantum ad perniciem nascatur, ac tantum odio digna faciat, ipse in Ecclesia sua aliquos adiuvat, ut fiant multa ipsi grata, et nobis salutaria, videlicet, cum recte docetur, cum fit vera invocatio Dei, cum politiae recte regunt disciplinam, cum mores sunt pii et casti, etc. Confirmat nos de eventibus et illa vox: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et in genere de utroque, scilicet de auxilio et exitu dicitur, 1. Corinth. 15.: Labor vester non est inanis in domino.

Venit nox, cum nemo operari potest, donec in mundo sum, lux sum mundi.

Posterior sententia declarat priorem, donec in mundo sum, lux sum mundi, donec Christus praedicat ipse, et donec vox eius sonat in ministerio, lux est, id est, homines donantur luce, agnitione vera Dei, veris cultibus, vita aeterna. Haec non aliter nisi voce Evangelii sonantis per Christum, aut ministros contingunt. Sed ubi Christus abest, id est, cum Evangelium extinguitur, tacente Christo, et tacentibus ministris, eas tenebras hic vocat noctem, tunc nemo operari potest, videlicet, opera Deo placentia, et aeternam vitam incoantia. Ut magna fuit sapientia Atticae civitatis tempore Solonis, aut Periclis, magna fuit Romanae civitatis, tempore Fabii, Scipionis, Laelii, et similium summorum virorum. Sed quid est universa sapientia, sine agnitione vera Dei, deliberationes sunt de rebus caducis. Et errant animi multipliciter, cum verum et aeternum finem non prospiciunt, non norunt Deum, non petunt ab eo consilium et auxilium, non vident causas, cur imperia constituenda sint, non norunt illam iusticiam, quae affert vitam aeternam, et quia sunt subiecti tyrannidi diaboli, impelluntur horribiliter, ut turbent Respub. malis consiliis, et in privata vita contaminent se multis magnis sceleribus, ut Themistocles, Alexander, et alii innumerabiles, quanquam sapientia et virtute excelluerunt, tamen post victorias valde a seipsis degenerarunt, et magnis sceleribus decus antea partum deformaverunt. Ut ergo nox erat apud gentes ignaras Dei toto orbe terrarum: sic Christus vaticinans de futuris miseriis, significat rursus venturam noctem, id est, tempus quo late extinguetur lux Evangelii, ut statim in populo Iudaico nox secuta est, et deinceps ortis haeresibus, et postea nata lege Mahometi, ac deinde constituto regno Turcico, quod etsi floret sapientia in administratione imperii et opibus,

tamen illud tantum imperium nox est, id est, caeca multitudo, ignara Dei, rea irae Dei, et destinata aeternis poenis.

Expuit in terram, et fecit lutum, etc.

Semper Deus signa quaedam suarum promissionum et actionum instituit, quae vocamus Sacramenta, quae sunt efficacia, etiamsi causae physicae nullae sunt, ut infans circumcisus placebat Deo, spreta circumcisione non placebat Deo, sic postea alia signa instituta sunt, Baptismus et Coena Domini. Haec Dei opera dupliciter oppugnantur. Diabolus similia excogitat, et fingit ceremonias, ut sunt Magorum facta et multae praestigiae in cultu idolorum. Puella stans in tripode delphica coepit furere et vaticinari. Celebrantes orgia Bacchi, etiam suo quodam afflatu movebantur, et adhuc usitatum est corripi furore homines convenientes ad festum et choreas Viti, ut vocant. Alios vero impios instigat diabolus, ut pariter derideant omnes ceremonias, tanquam inanes superstitiones, sive a Deo, sive aliunde sint. Quare prudenter discernendae sunt ceremoniae a Deo institutae ab humanis. Valet baptismus, quia mandato Dei ordinatus est. Sic valet haec ceremonia, quam hic Christus adhibet oculis sanati. Quia ipse dominus et conditor naturae eam administrat, nec opus est superstitiosum, aut inane, sed bonum et efficax propter creatorem.

Nec valet κακοζηλία, Christus usus est tali ceremonia, ergo nobis quoque licet similia instituere, et aquam consecratam, et ossium contactum, et nescio quae alia. Imo haec falsa persuasio implevit totum mundum idolis, quod homines, cum vidissent divinitus aliquas ceremonias mandatas esse, errore finxerunt similes, et eis attribuerunt magnam efficaciam, haec κακοζηλία damnanda est, et tenenda regula, solas illas ceremonias Deo placere, et vere efficaces esse, quas Deus suo verbo instituit et nobis tradidit, et hoc ipsum exemplum huius historiae testimonium est, ceremonias a Deo institutas, certo efficaces esse, sicut sanantur oculi illita massa, facta ex sputo et terra a Christo, sic certum est hominem baptizatum a Deo recipi, et donari Spiritu sancto. Poterat sanare hunc Christus etiam sine hac massa, solo verbo, ut multis opitulatus est, sed addidit ceremoniam, ut testaretur ceremonias a se institutas efficaces esse.

Accedit et haec causa, quod fides caeci exercetur hac mora, mittitur enim ad stagnum, ut ibi abluat massam illitam, et consentaneum est magnam fuisse spectatorum turbam, quae secuta est, ut eventum videret, fortassis et cachinnos, et voces maledicas multorum audivit. Quid credis huic impostori? adeo ne deliras, ut curari perpetuam caecitatem putes? sed qualecunque spectaculum fuit, in ipsa more fides tentata est, sed eventus ostendit firmam et constantem fuisse. Sic mora exercet Cananaeam, sic mora exercebat Israëlitas, postquam Moses promisit liberationem, nec statim eduxit populum ex Aegypto, imo irritavit tyrannum, ut servitutem exasperaret. Haec exempla confirment nos, ne frangamur animis, nec abiiciamus spem auxilii, etiamsi differtur. Idem monet dictum Christi, et similitudo, Lucae 18.: Oportet semper orare, et non languefieri.

Abiit ergo, et lavit, et rediit videns.

Haec sanatio imago est baptismi. Ideo typus congruit, lavat se in piscina caecus, sed iussus voce Christi. Sic baptismus valet propter mandatum et promissionem Christi, et dicitur stagnum Siloam, id est, missi, ut significetur stagnum illud adeundum esse in Ecclesia, ad quod verbo Dei mittimur.

Deinde in enarratione recitantur sermones varii de hac sanatione, et contentiones, quae secutae sunt, ut miraculum fieret notius, et magis celebraretur, et ut sanati confessio fieret illustrior, et fides cresceret. Et haec certamina sunt imago periculorum Ecclesiae. Sic omnibus aetatibus usitatum fuit et erit Ecclesiae, quoties doctrina impia taxatur, et vera instauratur, exoriri dissensiones et schismata, sicut inquit Christus Matth. 10.: Tradet frater fratrem, etc. Et virtus necessaria est nobis, non abiicere professionem verae et salutaris doctrinae, metu discordiae, aut odiorum humanorum, ut Esa. 51. dicitur: Ne timeatis opprobria hominum, et blasphemias eorum ne formidetis. Haec in summa de hoc exemplo dixisse satis sit. Iterum quaerunt ieiunam calumniam de violatione sabbati, hanc supra copiosissime refutavit Christus.

Nos Mosi discipuli sumus.

Est et haec arrogantia supra refutata, cap. 5.: Si Mosi crederetis, mihi quoque crederetis,

nam de me scripsit ille. Estque in hac narratione furor hypocritarum considerandus et expavescendus. Homines fascinati opinionibus carnalibus de lege, et tumentes persuasione propriae iusticiae, ut nunc Wicelius aut alii quidam superbissime et ex alto derident doctrinam de gratia et fide, ac mere fanatica somnia esse iudicant, et econtra admirantur disciplinam et mores bene compositos, hoc decus unum et summum esse putant, hoc fingunt esse perfectam iusticiam, satisfactionem legis Dei, denique praedicant tanquam divinitatem quandam, ac longe pluris faciunt Aristidem, aut Catonem, quam Abraham, Isaac, Iacob, et similes, quorum vita in speciem videtur agrestior. Quanquam autem magnum decus est civilis iusticia et moderatio morum, et res necessaria est; tamen nos in Ecclesia scimus hanc iusticiam carnis longe abesse a perfectione legis, imo nec quidem incoare primam tabulam. Nam corda sunt plena dubitationum de Deo, sunt secura, sine timore Dei, sine poenitentia, sine agnitione propriae infirmitatis, et multo magis sine ulla agnitione misericordiae et fiduciae Dei. Deinde admirantur ac efferunt sese, et confidunt sua sapientia, et suas falsas persuasiones admiratione sui, pertinacissime propugnant. Hi hypocritae saepe in Prophetis describuntur, ut Esaiae 6.: Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava, et Rom. 11.: Dedit eis Deus spiritum exacerbatum, oculos ne videant, etc. Haec recito, ut considerent pii, quantum malum sit hypocrisis, et qualis caecitas sit, ut expavescant et audiant vocem Evangelii, et petant a Deo verum lumen, et Spiritum sanctum, qui tollit velum, quo corda velata sunt, ut Paulus inquit: in doctrina legis.

Scimus autem, quod Deus peccatores non exaudit.

Duplicem doctrinam continet hoc dictum, docet miracula testimonia esse doctrinae, et tradit communem sententiam, quam in omni invocatione nosse oportet. Primum de miraculis sic argumentatur: Quicunque facit miracula nomine Dei, et Ecclesiae propria, hunc certum est a Deo esse. Faciebat autem Christus miracula nomine Dei, sicut inquit: Non potest filius facere ex sese quicquam, nisi viderit patrem facientem, et faciebat miracula Ecclesiae propria, id est, quae non imitari diabolus, aut ulla creatura potest. Nam mortuis reddebat vitam, etc. Praeterea et tradita iam ante per Prophetas docebat, non gignebat genus doctrinae, pugnans cum Prophetis. Certum igitur erat hunc doctorem a Deo missum esse.

Sed obiiciet aliquis, etiam Ethnicos fecisse miracula, ut narrant cotem dissectam esse novacula apud Servium Tullum. Ad ethnica omnia facilis responsio est, praestigias esse diaboli, quod tribus causis confirmari potest, prima est, quia non fiunt cum invocatione veri Dei. Secunda causa, quia ad manifestas turpitudines stabiliendas, ut Calchas vaticinatur de annis belli Troiani, et iubet mactari humanam hostiam. Tertia, quia sunt miracula, quae diabolus imitari potest. Non sunt testimonia naturae omnipotentis, ut resuscitatio mortuorum, sistere cursum solis, anum effoetam foecundam facere. Hae causae diligenter cogitandae sunt, ut discernantur vera testimonia ab ethnicis et fallacibus. Nec dissimilia sunt ethnicis pleraque, quae narrantur ad confirmandam invocationem mortuorum.

Deinde si quis obiiciet: At pseudoprophetae facient prodigia, ut Matth. 24. dicitur: Eaque facient nomine Dei. Ad haec respondeo: Etiamsi faciunt praetextu nominis Dei, tamen faciunt ad stabiliendos aliquos errores contra doctrinam certam a Deo traditam. Porro in Ecclesia conferri oportet miracula, et doctrinam prius a Deo traditam, si miracula pugnant cum doctrina prius a Deo tradita, sunt fallacia, et semper erunt talia, quae diabolus imitari potest, non erunt propria Ecclesiae, ut resuscitatio mortuorum, aut simile quiddam. Haec de diversitate miraculorum, et diversis eorum finibus prodest considerare, nec miracula fallacia, et pugnantia cum certo verbo Dei, abducant animos a vera invocatione Dei, ad idola et falsas opiniones.

Altera doctrina communis hoc loco observetur. Peccatores Deus non exaudit, scilicet perseverantes in peccatis contra conscientiam. Nam uterque error taxandus est: aliqui securi retinentes propositum peccandi, putant valere invocationem. Haec imaginatio falsa et toto pectore fugienda est, quia Psal. 5. clare dicitur: Non Deus volens impietatem tu es, et 1. Ioann. 3.: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum, et si quid petemus, accipiemus ab eo. Est ergo inanis βαττολογία, venire in con-

spectum Dei sine poenitentia, econtra vero alii pavidi erudiendi sunt, ne desperatione deterreantur ab invocatione. Semper obstrepit nobis haec vox legis: Deus non exaudit peccatores, frustra igitur clamas ad Deum, cum sis multipliciter reus irae Dei. Hic doctrinam poenitentiae et fidei tenere necesse est. Afferamus ad Deum cor contritum, ut inquit Psalmus: Cor contritum et humiliatum Deus non despicies, et fide statuamus nos propter mediatorem exaudiri, sicut ad Rom. 5. dicitur: Fide habemus accessum ad Deum. Et sic poenitentia ac fide deponatur mala conscientia, id est, propositum peccandi. Haec doceri in Ecclesia de utrisque, de securis et pavidis necesse est, ut invocatio, quae est summus cultus Dei et proprium Ecclesiae opus, recte fieri possit.

Tu credis in filium Dei.

Ut alias dixit Christus: Habenti dabitur, ita hic crescunt dona, post planam confessionem et crucem. Nam confessionem secuta erat excommunicatio. Sequitur ergo nova et insignis confirmatio, nec vulgarem quaestionem proponit Christus, inquiens: Credis in filium Dei? facilius patiebantur Iudaei hunc doctorem dici Messiam, aut Prophetam a Deo missum, quam filium Dei. Hoc cognomen cum audiunt, tum vero furenter incandescunt, et se propugnare gloriam Dei putant, aequalem se facit Deo, inquiunt supra, et postea: quia filium Dei se fecit, has indicant horrendas et execrandas blasphemias, sed Apostoli edunt confessionem, Matth. 16.: Tu es Christus filius Dei viventis. Hi complectuntur et officii, et naturae descriptionem: Fatemur te esse Messiam promissum patribus, propter quem Deus erit placatus nobis. Deinde et hoc profitemur, te Messiam habere divinam naturam ab aeterno patre, cuius es unigenitus filius. Haec Apostoli aliquanto clarius intelligebant, quam hic sanatus, et tamen professio eadem est, et huic ipsi confitenti postea magis explicata est.

Mira omnino vox est Ecclesiae, quod Messiam praedicat esse natura filium Dei, et horribiliter offendit Iudaeos, et gentes sapientes. Ethnici semper senserunt, mundum providentia regi. Viderunt enim viros heroicos subito excitari ad instaurationem et constitutionem imperiorum, ut Herculem, Cyrum, Alexandrum, Augustum, et alios alias. Hos quoque vocabant filios Dei, non quod arbitrarentur ex natura Dei ortos esse, sed quia videbant eos a Deo iuvari, ac mirabiliter regi et protegi. Sic Iudaei cogitabant Salomonem dictum esse filium Dei, et de Messia eodem modo cogitabant, sic et Mahometus contendit Mosen, Christum, se, et alios multos Prophetas et Reges fuisse filios Dei. Idem Ebion, Samosatenus, Nestorius, et alii multi cogitarunt, et fortasse multi semper sunt etiam titulo Christiani, qui hanc opinionem secum tacite in animis circumferunt.

Sed Ecclesia Dei, etsi nondum in hac vita videt, qualis sit illa miranda unio humanae et divinae naturae, tamen mandato Dei cogitur sonare hanc doctrinam, quod filius Dei λόγος, genitus a patre ab aeterno, postea assumserit humanam naturam. Vult enim hoc foedus, et hanc societatem divinae naturae et humanae, esse evidens testimonium amoris divinae erga humanam naturam. Si possent animi humani cogitare aliquo modo magnitudinem huius operis, quod divina natura se adeo demittit, quod humanam sibi adiungit, et immutabile foedus cum ea facit, tum vero incenderemur amore Dei, reverentia, fide, gratiarum actione, laetitia, et studio obediendi, sicut angeli canunt: Et hominibus laetitia. Etsi autem sumus valde infirmi, tamen excitemus nos ad piam cogitationem tanti operis, et opponamus vocem Dei furori diaboli, et impiorum, qui negant hanc coniunctionem divinae et humanae naturae in Christo. Colligamus nobis testimonia, qualia supra extant in primo capite, quae affirmant in Christo divinam naturam esse. Haec pertinent ad huius loci enarrationem, cum Christus hic iubet sanatum credere in filium Dei, iubet ut credat hunc sanatorem esse filium Dei et Messiam: iubet item ut confidat sanatus, se propter hunc filium Dei habere Deum propicium, et haeredem esse vitae aeternae. Haec omnia complectitur hoc breve colloquium, in quo sanatus confirmatur, et alio testimonio profitetur suam fidem, videlicet voce, cum ait: Credo domine, et adoratione.

Postremo observetur exemplum de doctrina maxime necessaria, quod iniusta excommunicatio non noceat coram Deo, postquam hic mendicus ex synagoga eiectus est, Christus eum singulari significatione benevolentiae complectitur, alloquitur et confirmat. Hoc exemplo nos hoc tempore adversus iniusta iudicia eorum, qui nos

propter professionem verae doctrinae ex Ecclesia eiicere conantur, consolemur.

In iudicium in hunc mundum.

Duae sunt sententiae gravissimae, valde pugnantes cum lege et sapientia humana. Altera, quod Evangelium offerat salutem indignis. Altera, quod eos qui videntur maxime digni, et excellunt sapientia, virtute et disciplina, sed propter hoc decus contemnunt vocem Evangelii, reiiciat. Ratio humana naturaliter opiniones ex lege ortas tenet, disciplinam magni facit, et iudicat Deo placere iustos, aut si quos lapsos recipit, certe non recipere, nisi propter aliqua merita. Et quia nunquam scit, quae merita sufficiant, ideo semper dubitat de gratia. Haec opinio omnium animis innata est, ideo Pharisaei nolunt Ecclesiam colligi ex eo numero, qui vivit sine disciplina, ut ex gentibus.

Sed hic maxime conspicitur ingens misericordia Dei, quod suum Evangelium, suam vocem non solum spargit inter eos, qui disciplina frenati sunt, sed prorsus inter omnes homines, etiam horribilibus vitiis contaminatos. Omnes vocat ad poenitentiam, et offert salutem propter filium Dei omnibus, qui convertuntur, etiamsi antea sine disciplina vixerunt. Ac magnitudo misericordiae Dei magis intelligitur in collatione et ipsis historiis. Confer Nazareth et Romam Neronis tempore, minus mirum est, sonare vocem Dei et colligi Ecclesiam in Nazareth, ubi disciplina florebat, adhuc retinebatur ibi vera doctrina de uno Deo, conditore omnium rerum, curante homines, exaudiente iustos, et puniente atrocia scelera. Erant et mores honesti, ac magistratus puniebant omnia manifesta scelera. At Romae praesertim Neronis tempore, qualis erat turpitudo? Maxima multitudo prorsus erat epicurea, et securissime ridebat omnes religiones, pauci alii colebant idola. Deinde horribiliter polluti fuerunt plurimi vagis et flagitiosis libidinibus, quae adeo non puniebantur, ut etiam concessae voluptates esse putarentur, ac praestantissimi maxime erant contaminati. Item usurae, et varia aucupia pecuniae laudi ducebantur. Et fere similis furor erat gentium toto orbe terrarum. Talis cum esset Roma Neronis tempore, tamen ibi sonat vox Dei, et Ecclesiam colligit, cum Paulus ibi Evangelium praedicat. Haec magnitudo misericordiae attente consideranda est. Alienum enim videtur humanae rationi, sonare vocem Dei inter pollutos tanta turpitudine, et colligere ex talibus Ecclesiam Dei. Ideo Iudaei vehementer stomachabantur initio, cum viderent Evangelium spargi inter gentes.

Huic iudicio humanae rationis opponendae sunt hae voces Christi, et similes: Veni et non videntes videant, ut quae de vocatione gentium passim concionantur, et Paulus dimicat de particula Gratis, clamitat disciplina non tolli peccatum coram Deo, sed gentes et Iudaeos sine agnitione filii, sub peccato et reos esse, et recipi gratis propter filium omnes, qui ad eum confugiunt. Haec erat ignota concio hypocritis, sed nos eam in Ecclesia nosse et tenere oportet, propter multas causas, ut filio Dei tribuatur debitus honos, item, ut conscientiae firmam consolationem teneant. Item, ne deterreamur ab Evangelio, propterea quod inter homines, quorum maxima pars plena est furoris et scelerum, praedicatur. De hoc tanto scandalo magnum et difficile certamen fuit Christo et Apostolis cum hypocritis, et Christus hoc argumento concionatur de ove perdita, et de filio prodigo, et addit dulcissimam vocem: Gaudium est in coelis maius de uno peccatore agente poenitentiam, quam de nonaginta novem iustis, qui poenitentia non indigent.

Econtra vero inquit Christus hoc loco: Veni, ut videntes caeci fiant. Item, si caeci essetis, non haberetis peccatum: Nunc dicitis vos videre, ideo peccatum vestrum manet. Omnium rerum humanarum optima res est, et pulcerrima disciplina, id est, ordo vitae externae, congruens legi Dei, nihil melius aut pulcrius habet haec humana natura, et accedit mandatum Dei, quo severissime praecipitur, et tamen hoc tanto bono praeditos, et optime moratos, ait caecos esse, hanc ipsam ob causam, quod fiducia disciplinae contemnunt Evangelium. Sed hanc caecitatem et hoc peccatum mundus non intelligit, suntque tenebrae in mente, videlicet dubitationes de Deo, securitas carnalis, diffidentia, contemtus mediatoris, falsa invocatio animi dubitantis et fugientis Deum. Sunt et alii motus aberrantes a lege Dei innumerabiles. Etsi igitur mores externi bene compositi sunt, tamen quia mens furit adversus filium Dei, non accipit remissionem peccatorum, et manet rea aeternae irae, propter contemtum filii Dei, et alia multa peccata. Hoc iudicium adversus hypocritas sibi placentes propter externos mores me-

lius compositos, observandum est, ne pii moveantur specie et autoritate talium hypocritarum, ut ab Evangelio deficiant.

Caput X.

Amen, amen dico vobis, qui intrat per ostium, etc.

Longa concio est de Pastoribus bonis et malis, in qua initio monendus est lector, ut discernat Christum ab omnibus gubernatoribus caeteris, a Prophetis, doctoribus, et gubernatoribus populorum, ac de eo discrimine postea dicemus. Initio vero gradus, quibus differunt humani gubernatores, recensebimus. Nam Christus hic gradus facit, ut facta collatione suam gubernationem nobis magis declaret.

Tres sunt gradus principum seu gubernatorum. Primi sunt pastores, qui recte faciunt officium suum, et res gerunt necessarias et salutares, nec franguntur metu, ut deserant suum munus, sed constanter serviunt utilitati publicae, potius quam suae. Tales fuerunt Romae florente Repub. Camillus, Fabius, Scipio, et alii virtute praestantes. Tales Athenis fuerunt Miltiades, Aristides, Cimon, Conon et pauci alii.

Secundo gradu recensentur mercenarii, qui mediocriter faciunt officium suum, sed ita, ut suae utilitati magis consulant, quam publicae. Quare in periculis languent, tacent, fugiunt, tales fuerunt Romae Scaevola, Lucullus, Hortensius, Servius Sulpitius. Athenis Lysias, Demades, Aeschines, et in omnibus aulis ac oppidis talium magnus numerus est, qui mediocriter serviunt, sed in periculis anteferunt suam salutem communi necessitati, abdunt se, tacent, aut inflectunt sententias ad potentum voluntates, ut Cicero nunc florentis Pompeii, nunc regnantis Caesaris benevolentiam aucupatur.

Tertio gradu sunt fures et latrones, id est, sycophantae et tyranni, qui ne student quidem recte facere, sed suae utilitatis causa fraudes struunt, aut vi grassantur, ut Romae Saturninus, Glaucia, Rullus, et similes tribuni plebis, qui agrarias leges tulerunt, et motis seditionibus concusserunt Rempub. Alii armis rapuerunt dominationem, ut Marius, Antonius et alii. Atticam Rempub. fraudes et perfidiae Alcibiadis pene funditus everterunt, antea vi a Pisistrato oppressa fuit, et omnibus aetatibus sunt in imperiis, tum astuti homines, qui Simonias fraudes exercent, tum violenti, qui manifestius grassantur.

Ad hanc imaginem politicorum virorum conferamus doctores. Boni pastores fuerunt Prophetae et Apostoli, et multi alii salutares doctores, Athanasius, Basilius, Ambrosius, Augustinus. Nam et recte fecerunt officium suum, nec deseruerunt suam militiam, fracti metu. Deinde alii mercenarii semper innumerabiles fuerunt, qui mediocriter servierunt tranquillis temporibus. Sed suae utilitati magis quam publicae consuluerunt, nec tantum roboris habuerunt, ut impiis doctoribus se opponerent, ut Osius Hispanus, qui impio decreto Syrmiensis Synodi, quod non probabat, quadam tamen animi imbecillitate assensit. Et simile quiddam de suo patre Episcopo narrat Nazianzenus. Talium hoc tempore ingens est multitudo, qui mediocriter docent: sed tamen metu tyrannorum quaedam dissimulant, nec pure confitentur. Tertio gradu sunt fures et latrones, id est, haeretici, qui serunt falsa dogmata et corruptelas verae doctrinae, et tyrannici Pontifices et Principes, qui vi defendunt et stabiliunt, ut Arius, Mahomet et alii multi, et hoc tempore doctores, Pontifices et Principes, qui defendunt varios idolorum cultus in Ecclesia. Item Anabaptistae, etc.

His gradibus consideratis, concio in textu fit dilucidior. Iam de bonis pastoribus hoc dicendum. Boni pastores sunt Prophetae et Apostoli a Deo missi, et omnes rite vocati, et recte et constanter facientes officium suum: etsi autem talis est et Christus, tamen supra Prophetas et Apostolos collocandus est. Nam non solum est pastor, eo quod doceat, ut caeteri, et externo ministerio fungatur, sed etiam est pastor, quia vivificat sua potentia, et dat Spiritum sanctum, per ipsum ex sinu patris prolata est promissio gratiae, et tradita Prophetis et Apostolis. Ipse est victima pro nobis placans iram Dei, ipse est dator iusticiae et vitae aeternae.

Qui non intrat per ostium, etc.

Initio capitis recitatur imago, ad quam postea in interpretatione confert se, et a se missos doctores, et opponit mercenarios et fures. Porro ipse textus addit imagini interpretationem, qua contenti simus, et summam recitavi supra in illa

distinctione trium graduum, Qui non intrat per ianuam, est fur et latro: Ego inquit sum ianua, ut in Psal. dicitur: Lapis quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Et Paulus inquit: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Deus elegit Ecclesiam propter filium, eamque voluit redimi per eum, et tradidit Evangelium de ipso, et Patres, Prophetae, Apostoli per filium acceperunt Evangelium. Nulla igitur cogitanda est Ecclesia Dei, sine agnitione huius mediatoris et Evangelii, quod tradidit, sed omne boni pastores, quorum voce Deus impertiit salutem et iusticiam hominibus, noverunt hunc filium, et Evangelium eius amplexi sunt, ac propagarunt, et sunt missi, ac adiuti per eum. Haec est summa primae sententiae: Ego sum ianua, dux, mittens Patres, Prophetas, Apostolos, Pastores, Evangelium eis tradens et adiuvans. Sequitur ergo antithesis.

Omnes qui ante me venerunt, fures sunt ac latrones, id est, omnes qui venerunt, non mittente, seu non ducente me, sine meo Evangelio, et me neglecto. Non temporis, sed distractionis significatio est in particula ante me. Id ipse textus indicat, ait enim: Si quis aliunde ascenderit, fur est, hoc est, non per ianuam. Primi patres, Adam, Noha, Abraham, Samuel, David, non venerunt ante filium Dei, sed ipso ducente, ac mittente eos et dante Evangelium. Sicut inquit Paulus: Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Pastores, Doctores. Ita semper filius Dei adfuit Ecclesiae, excitavit doctores et gubernatores, nec putemus humanis consiliis, doctrinae puritatem retentam esse, sed potius humana sapientia subinde caliginem doctrinae offudit, non solum per homines blasphemos et haereticos, sed etiam per gubernatores et doctores mediocres, ut olim per Pontifices leviticos. Postea per Gregorium, Chrysostomum, et alios, qui stabilierunt multas superstitiones. Nec imperia retinuerunt verum Ecclesiae statum, sed potius turbaverunt, ut omnes monarchiae saevitiam exercuerunt, et postremo Reges et Principes, qui dederunt opes Ecclesiae, ministerium oppresserunt ipsa opulentia, Episcopi enim occupati curis opum tuendarum, prorsus neglexerunt studia literarum, et munus docendi. Inter haec mala filius Dei tamen Ecclesiae reliquias servavit, subinde excitatis aliquibus piis doctoribus, qui errores taxarunt, et Evangelii vocem purius proposuerunt, alii magis, alii minus.

Sed non audiverunt ipsos oves.

De reliquiis dicit: Oves non audierunt eos. Nam maxima multitudo omnibus aetatibus audivit impios. Testatur ergo semper aliquam esse veram Ecclesiam, quae Evangelii vocem audit, etsi alias hic coetus maior, alias minor est, alias plus, alias minus lucis habet, sicut dicitur ad Eliam: Reliqui mihi septem millia, et Esaiae 1.: Nisi Deus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma funditus deleti essemus.

Per me si quis ingredietur, servabitur.

Dulcissima descriptio est piorum Pastorum et Ecclesiae. Quatuor beneficia recenset, 1. Salvabitur. 2. Intrabit. 3. Exibit. 4. Pabulum inveniet. Si per me, id est, me ducente, mittente, dante Evangelium intrabit, si me agnoscet ac profitebitur, et meum Evangelium sonabit, salvabitur. Primum ipse consequetur beneficia mea, remissionem peccatorum ac iusticiam, et erit haeres vitae aeternae. Deinde ingredietur, id est, accedet ad Deum, habebit ius invocandi, accipiet dona Spiritus sancti. Et egredietur instructus donis, serviet Ecclesiae, multos vocabit ad societatem vitae aeternae. Et pabulum inveniet, id est, quia serviet vocationi, propagabit Evangelium, et exercebit dona Spiritus sancti in invocatione, in confessione, in variis certaminibus, denique et in privatis moribus regendis, inveniet pabulum, hoc est, consolationem et auxilium, etc.

Sciamus igitur promissionem amplissimam et dulcissimam hic nobis tradi, quae testatur nobis pastorem filium Dei affuturum esse, daturum salutem, consilio et auxilio opitulaturum in omnibus periculis et certaminibus, sicut alias dicit: Non relinquam vos orphanos.

Ego veni, ut vitam habeant.

Hanc ipsam promissionem confirmat et auget, et hic clare non solum malos pastores et bonos discernit Christus, sed etiam sese Prophetis et aliis ministris antefert. Id universaliter in his collationibus observandum est, Christum non tantum doctorem esse, seu ministrum externae vocis, sed etiam datorem Spiritus sancti, et novae lucis,

iusticiae et vitae aeternae, sicut initio primi capitis dictum est: Gratia et veritas per Iesum Christum facta est, et infra Ioan. 10.: Ego vitam aeternam do eis. Et hic honos ita tribuendus est Christo, ut cum agnovimus eum esse talem, vere credamus nos propter ipsum recipi in gratiam, fiducia ipsius invocemus Deum, ac quiescamus propter ipsum expectatione auxilii, et vitae aeternae.

Bonus pastor animam suam ponit.

Redit Christus ad distributionem pastorum, supra traditam. Boni pastores anteferunt suae vitae et omnibus corporalibus commodis salutem Ecclesiae, iuxta praeceptum Dei: Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est dignus me: sed mercenarii, quos supra vocavit ignavos, suae tranquillitatis causa tacent, aut inflectunt Evangelium ad hominum affectus, ut nunc plurimi sunt, qui non ignorant veram doctrinam, sed tamen metu sententiam suam dissimulant, et sua dissimulatione rabiem tyrannorum confirmant. De his atrociter hic loquitur Christus: cum, veniente lupo, mercenarius fugit, lupus dissipat oves, et aliquas lacerat, ut nunc exempla sunt in conspectu. In multis aulis docti norunt veram doctrinam, et tamen ne offendant principum voluntates, vel tacent, vel errores leniunt, et excusant, ita luporum rabiem, id est, furores impiorum doctorum et tyrannorum confirmant. Adversus hos dicitur Mat. 12.: Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, dissipat. Et Marci 8.: Quem pudebit mei et sermonum meorum in hac adultera generatione, hunc vicissim confundet filius, et ad Rom. 10.: Confessio fit ad salutem. Et Esaiae 5.: Vae, qui dicitis malum, bonum, vae qui approbatis impium, et damnatis iustum.

Quidam se excusatos putant, si taceant, nec sint hortatores ad saevitiam, sed hoc ipso silentio confirmant impietatem et crudelitatem. Ideo sciant necessariam esse confessionem, et propter gloriam Dei, et ad liberandos alios, qui propter confessionem rapiuntur ad supplicia. Hic rursus monendus est lector de discrimine bonorum gubernatorum politicorum, Prophetarum, et Apostolorum, et Christi. Aliter Christus animam suam pro ovibus ponit, quam Scipio, David, Ieremias: nam Christi passio singulare sacrificium est, ordinatum ad hoc ingens et inenarrabile bonum, ut iram Dei placet, et sit satisfactio pro peccatis nostris. At Davidis, Ieremiae, Pauli supplicia non merentur aliis remissionem peccatorum, nec sunt sacrificia placantia iram Dei, sed sunt debita obedientia in istis, quae tamen propter confessionem et propagationem doctrinae aliis prodest. Ita inquit Paulus Philip. 2.: Sed et immolor propter sacrificium et oblationem fidei vestrae, id est, immolor, ut confessio mea luceat in supplicio, et sit testimonium Evangelii, confirmans fidem vestram, quae est verum sacrificium et vera oblatio.

Habeo et alias oves, quae non sunt de hoc ovili.

Non dubium est haec de vocatione gentium dici, nec alia sententia quaerenda est huius dicti: Erit unum ovile et unus pastor, unam inquit Ecclesiam fore, collectam ex gentibus et Iudaeis, cui unus erit pastor, unum caput Filius Dei, qui illam Ecclesiam et Evangelio suo et Spiritu sancto reget, et in ea agnitionem Dei et invocationem, novam et aeternam iusticiam ac vitam accendet, sicut ad Ephes. 1. dicitur: Et dedit eum caput Ecclesiae super omnia, quae est corpus eius, et integer coetus omnia in omnibus perficientis, sicut et ipse supra inquit: Ego veni, ut vitam habeant, et abunde habeant.

Discamus ergo Ecclesiam ad hunc pastorem Christum, et ad eius vocem alligatam esse, non esse coetum approbantem dogmata pugnantia cum Evangelio, nec pastorem hunc procul ablegemus, nec putemus eum iam otiosum esse, quia non cernitur oculis. Sed sic vult agnosci et coli, ut ab ipso iam petamus bona, et sentiamus propter eum nobis Deum propicium esse, petamus ab ipso gubernationem, Spiritum sanctum, et defensionem. Ideo scriptum est: Ascendit, dat dona hominibus, et Act. 2. dicitur: Ad dexteram Dei exaltatus, promissionem Spiritus sancti a patre accipiens, effudit ipsum, ut nunc videtis et auditis. Item Ioan. 20.: Insufflavit, et dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Ioan. 14.: Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Ita in quotidiana invocatione meminerimus nos esse oves huius pastoris, et ad eum confugiamus, auxilium, defensionem et gubernationem ab ipso petamus, ac nisi in tali invocatione eius praesentiam cognoscemus, et has promissiones eius veras esse experiemur, non intelligentur hae conciones de pastore.

Postremo illud deliramentum prorsus reiiciendum est, quod ex hoc loco finxerunt homines fanatici, futurum in mundo ante resurrectionem mortuorum imperium, in quo sancti oppressis impiis dominaturi sint, summa concordia verae doctrinae, et iusticia. Christus haec refutat cum ait: Erit sicut in diebus Noae, etc. Item: Nisi abbreviati essent isti dies, non fieret salva omnis caro. Ingentia pericula nobis denunciantur, quare simus vigilantes, et mitigari calamitates et reprimi errores, quos spargit et confirmat diabolus in toto orbe, oremus.

Propterea pater diligit me, etc.

Haec est sententia arcani consilii Dei, quod enarrari non potest, de modo redemtionis generis humani, sed aspice tamen hoc dictum: Affirmat suum sacrificium placere patri, imo se diligi propter hanc obedientiam, quia ponat animam suam pro ovibus. Igitur immensus amor est patris erga nos, nolentis nos perire, sicut alias inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, etc. Huius immensi amoris cogitatione accendamus pectora nostra, ut Deo credamus, invocemus eum, expectemus ab eo salutem, et nos ei subiiciamus.

Nemo tollit eam a me, etc.

Duae insignes sententiae hoc loco continentur: prior de morte spontanea, altera de natura divina in Christo. Nemo, inquit, aufert a me animam, id est, etsi morior pro hominibus, tamen volens id faciam, nullius creaturae potentia vi mihi animam eripere posset, sicut Esaias 53. inquit: Oblatus est, quia voluit. Et ad Philip. 2. dicitur: Seipsum exinanivit, formam servi accipiens, humiliavit se, factus obediens usque ad mortem. O incomprehensibilem humilitatem. Filius Dei aequalis aeterno patri subiicit se patri, derivat in se iram Dei adversus nostra peccata, iacet prostratus coram Deo, quasi contaminatus esset illis ipsis sceleribus, quae nos fecimus: hoc onus multo maius fuit morte corporis. Cogitemus ergo quam procul se deiecerit filius Dei, ut agnoscamus magnam esse iram Dei adversus peccatum, ac gratias redemtori agamus, et nos quoque Deo subiiciamus, qui poenas multipliciter meruimus.

Altera pars dicti est testimonium de Christi divinitate: Habeo facultatem ponendae animae, et rursus sumendae. Sunt igitur duae naturae in Christo, divina non moriens, et humana moriens, quae a divina natura in vitam revocatur. Illustre testimonium est, et addendum ad caetera, quae duas naturas in Christo esse affirmant, ut in 1. cap.: In principio erat verbum, et deinde: Verbum caro factum est. Tribuatur ergo immortalitas divinae, quae vocatur Verbum, mortalitas vero naturae humanae, ut tunc erat. Et sic dixit eruditissime Irenaeus, Christum passum esse requiescente verbo, ut crucifigi et mori posset. Post hanc mirandam concionem, sequuntur diversa iudicia. Aliqui pii approbant eam, alii facti rabiosiores, horrendas voces et contumeliosas in Deum edunt: Daemonium habet. Nullum est maius convicium. Moniti autem his exemplis, sciamus propter impiorum iudicia, non abiiciendum esse Evangelium, sicut consolatur nos Esaias cap. 51.: Ne timete probra hominum, etc.

Facta sunt autem encaenia.

Mense Novembri die vicesimo quinto, qui in Calendariis usitatis Catharinae dies est, Iudas Maccabaeus templum recuperavit, ut legitur 1. Maccab. 4. et addit historia, institutum esse, ut tunc encaenia quotannis celebrarentur octiduo. Nec vero temere addidit, quod recuperatio templi convenit ad tempus, quo post reditum ex Babylone iacta sunt fundamenta templi, videlicet die vicesimo quarto Novembris, ut Zachariae 2. legitur. Ideo encaenia arbitrantur nonnulli celebrata fuisse, etiam ante Maccabaeos, sed ab utra historia initium est encaeniorum, tempus congruit, ut dixi, et textus mentionem facit hiemis.

Quare utile est meminisse quo mense fuerint ἐγκαίνια, videlicet Novembri. Fuitque haec proxima hiems ante passionem Christi.

Ipsum vero festum institutum est, ut memoria celebraretur seu instaurati, seu recuperati templi, in qua docendi erant homines, semper mirabiliter Ecclesiam a Deo defensam et restitutam esse, et hortandi, ut agerent gratias Deo, et peterent gubernationem et defensionem Ecclesiae.

Haec encaenia et tunc Christus celebravit, haud dubie gratias agens Deo, quod Ecclesiam aeternam ex genere humano elegerit, quod non prorsus abiecerit genus humanum post lapsum, ut diabolus est abiectus, quod mediatoris preces audierit, quod semper Ecclesiam mirabiliter servaverit. Cogitabat etiam Christus futura vera ἐγκαί-

νια, id est, naturae humanae revocationem, abolito peccato et morte, quam ipse paulo post incoaturus erat. Sic et nos cum Christo celebremus encaenia, cogitemus de gubernatione et defensione Ecclesiae, et ardentibus votis petamus, eam nunc adversus diaboli furores, grassantis Turcicis armis, et aliorum regum tumultibus, defendi. Petamus et illa futura encaenia vitae aeternae, et ad ea nos poenitentia et fide praeparemus.

Si tu es Christus dic nobis libere.

Hic rursus ingens certamen, de re omnium maxima narratur. Postulant Iudaei, ut plane et clare dicat Iesus, quis sit, an sit Messias, per quem sciebant genti magna bona promissa esse, et ipsi expectabant libertatem, opes, imperia. Horum nihil videbatur hic Iesus afferre, ideo eum contemnunt, oderunt, et execrantur, sicut omnes homines in hac imbecillitate, optamus Ecclesiae statum suavem, in quo nobis sit otium, sint opes, sint praesidia firma contra iniurias, sint politiae nostrae tranquillae, et sine dissidiis, floreant gloria, teneant imperia, et nos simus tuti, non rapiamur ad supplicia, denique somniamus auream aetatem poëticam. Quare plurimi postquam vident exorta luce Evangelii, fieri horrendas distractiones principum, gubernatorum, et privatorum hominum, abhorrent ab Evangelio, ut a peste omnium perniciosissima humanae societati, tam saevum odium Evangelii, et nominis Christi ardet in plurimorum animis.

Talibus hic respondet Christus, taxans impietatem et pertinaciam: Dixi vobis, inquit, me esse Messiam, Baptista clare affirmaverat hunc esse Messiam, affirmavit et ipse saepe, Ioan. 4. 5. 6. 8.: Priusquam Abraham nasceretur, ego sum, et cap. 11. ad caecum: Credis in filium Dei? Et Matth. 11.: Omnia mihi data sunt a patre. Venite ad me omnes qui laboratis, et Matth. 16.: Tu es Christus filius Dei viventis, et Matth. 17.: Hic est filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Toties iam clara voce dictum erat, hunc esse Messiam, et tamen potentior et maior pars Iudaeorum non credebant ei. Sciamus ergo potentiorem et maiorem partem in illo coetu, qui tenet Ecclesiae titulum, errare posse, et nos erudiamus de hoc scandalo, ne propter dissidia et iudicia impiorum nos quoque ab Evangelio deterreamur.

Opera quae ego facio.

Ut enim clare convincat eos, et peccatum eorum ac pertinaciam exaggeret, allegat miranda facta, quae cum nulla creatura possit imitari, manifestum erat a Deo missum esse, etc. Diabolus non potest mortuos in vitam revocare, sed id solius divinae potentiae opus est. Credere ergo huic doctori resuscitanti mortuos debebant.

Oves meae vocem meam audiunt.

Hic sequitur dulcis descriptio Ecclesiae Dei, proprie dictae, id est, dilectae Deo, iustae, recte invocantis Deum, et ei obtemperantis. Haec primum ab externo et praecipuo signo describitur, scilicet, a voce Christi. Haec sola est Ecclesia, quae audit et amplectitur Christi doctrinam. Exclusi sunt igitur ab Ecclesia omnes, qui Evangelium, vel totum, vel aliqua ex parte abolent. Talis est magna pars generis humani, ἄθεοι, Idolatrae, Mahometistae, Iudaei, Haeretici, defensores impiorum cultuum, etc.

Et ego eos agnosco.

Deinde addit, quid vicissim ipse praestet audientibus. Et ego novi eas, Hebraica phrasis est: Novi, agnosco, foveo, curo, ut in Psal.: Novit Dominus viam iustorum, id est, approbat et curat. Meminerimus autem hanc asseverationem et promissionem Christi. Difficile est, cum sentiamus non solum corporis aut rerum incommoda, sed etiam moveamur conspectu nostrae infirmitatis, et vitiorum nostrorum, statuere, quod vere simus curae Deo, quod vere diligamur a Deo, difficile erat id latroni in cruce statuere, et nos singuli quoties incoamus nostras preces, quaerimus ipsi nobiscum, an curet, respiciat, exaudiat nos Deus. Hic colligendae sunt hae promissiones, quae docent vere et certo nos recipi, respici, exaudiri, iuvari, propter hunc filium, sicut toties inquit Paulus Rom. 5. Ephes. 3.: Per hunc habemus accessum fide.

Et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, etc.

Inculcat easdem sententias toties repetitas, ut ostendat se plane ac prorsus hoc, quod verba sonant, sentire et velle, nec aliam dictis interpretationem affingendam esse. Clare et plane dicit, Ecclesiam esse audientes hanc vocem Evangelii,

ac sequentes, id est, amplectentes, et vicissim ait: Huic Ecclesiae se dare vitam aeternam, et addit consolationem de stabilitate Ecclesiae, quasi dicat: Sapientes in tanta confusione imperiorum existimant nunquam religiones in eodem statu diu permanere, sed subinde alias extingui, et oriri alias. Cum tenerent Chaldaei imperium Babylonicum, colebatur ibi Baal, postea Alexandri victoria Iovem Olympium invexit, et res ipsa ostendit, ruinas regnorum secum trahere mutationes religionum, ut in Asia et Africa deleta Christi doctrina, grassantur furores Mahometici. His exemplis moventur multi, ut existiment similem esse Christi doctrinam, et interire ut gentium deliria. Et videt Christus acerrime pugnare diabolum, et turbare imperia, Ecclesias, dogmata, praecipue hoc consilio, ut deleat totam Ecclesiam Dei. Huic tanto periculo opponit hanc consolationem: Nemo rapiet eas de manu mea, sicut alias dicit: Et portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Item: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Hae sententiae et in hac vita mansuram esse Ecclesiam affirmant, et de exitu ex hac vita docent, nos a filio Dei recipi, et adversus diabolos defendi.

Hanc igitur consolationem infigamus animis, et iam eam in praesentibus periculis nobis proponamus, videmus Turcos quotidie latius grassari, videmus oriri tumultus principum Christiani nominis inter sese, perniciosos Ecclesiis, et defensores idolorum pontificiorum ardent acerbissimis odiis adversus pios, vetant propagari Evangelium, et multos honestos homines crudeliter interficiunt. Quid in his spectaculis aliud cogitare potest humana ratio? nisi paulo post veram doctrinam et studia huius doctrinae funditus interitura esse. Sed contra hanc humanam ratiocinationem cogitemus hanc vocem: Nemo rapiet eas de manu mea. Cogitemus item Ecclesiam semper adversus similes mundi furores mirabiliter defensam esse, ut cum in Aegypto edictum a rege propositum esset, ut recens editi foetus necarentur, et tentarentur omnes viae premendi et delendi populi Israël annis totis octoginta, tamen Deus mirabiliter eam gentem servavit, et auxit, defendit et postea in deserto, item in exilio Babylonico. Denique tota historia Ecclesiae inde usque ab initio mundi continet huius generis exempla plurima, quae ostendunt Ecclesiam assidue versari in periculis, quae humanis consiliis discuti non possunt, et tamen servari eam, restitui, et erigi divinitus, ita discamus sententias huius loci ad usum accommodare. Hanc commonefactionem adieci, interpretationem addere verbis maxime perspicuis, non opus est.

Postremo illud dictum observetur: Ego et pater unum sumus. Hoc loco certe de potentia loquitur, tribuit patri, et sibi eandem potentiam, ideo hoc dictum recte accommodatur ad confirmandam doctrinam, quod in Christo sit natura divina, omnipotens. Sed Ariani eludebant hanc cavillatione, dicebant voluntatum unitatem significari: Ego et pater unum sumus, id est, concordes, idem volentes, sicut infra dicitur cap. 17. de membris Ecclesiae, ut unum sint, sicut nos unum sumus, id est, ut sint concordes. Esto sane, conveniat eo loco interpretatio de voluntatum concordia, et cum alia habeamus illustriora et firmiora testimonia, quae clare docent Deum aeternum genuisse coaeternam imaginem, filium, et hunc postea assumsisss humanam naturam, contenti simus illis testimoniis, et firmo pectore ea teneamus. Satis argutum est, quod Augustinus dicit: Quia, inquit, ego et pater unum sumus, duas exprimit personas, et quod addit, unum, non unus, unitatem significat essentiae.

Illud etiam adiiciendum est, disputari hic multa de electione propter Christi dictum: Nemo rapiet eas de manu mea, nec displicet mihi hic de electionis firmitate dici, sed ita haec tractentur, non ut misceatur stoicum fatum, sed ut accendatur in nobis fides. Simul haec sententia est doctrina de electione, et promissio nos confirmans. De electione docet, esse quandam electorum Ecclesiam, quam Deus non sinet a se avelli, sed haec omnium est, qui vere credunt Evangelio, aut lapsi rursus convertuntur ad Deum, et redeunt ad Evangelium, sic enim nos ex verbo Dei iudicare oportet, omnibus universaliter praecipitur, ut audiant filium Dei. Est et promissio gratiae universalis, et praecipitur omnibus, ut eam accipiant. Haec sunt vera et firma: Certum est Pharaonem, Saulem, Iudam, sua voluntate repugnare vocanti Deo, qui toties eos admonet ut convertantur. Cum igitur volentes repellant vocantem Deum, tandem ruunt in aeternas poenas. Non igitur pertinent ad electorum numerum, et causa exitii tota in ipsis est. At David, Petrus, Paulus, vocanti Deo non repugnant, sed assentiuntur, ac moventi Spiritui sancto obtemperant,

luctantur cum dubitationibus, diffidentia, et aliis vitiosis affectibus, et experiuntur veram esse vocem: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tales quia perseverant tandem in hac obedientia, sunt electi.

Intueamur ergo tota mente voluntatem Dei, in ipso verbo Dei expressam, ut cum de remissione peccatorum, quaerimus voluntatem Dei, nec nos ipsos conturbemus aliis disputationibus de causis electionis. Ita intelligit David misericordiam Dei vocantis, et moventis, esse causam electionis, sed tamen accipi oportere oblatam misericordiam, et vocanti Deo assentiendum esse. Hic iam dulcescit nobis dictum Christi, cum imbecillitatem nostram et pericula cogitamus, videmus nequaquam nos tanta certamina sustinere posse. Adam et Eva non poterant suis viribus sustinere dolorem, ex spectaculo primae caedis ortum. David nequaquam poterat sustinere suum dolorem, ex conscientia sui sceleris et exilii malis ortum, sed hi, quia sciebant aliquam esse aeternam Ecclesiam, norant eam a Deo adiuvari, erigunt igitur se, et adiuvantur.

Ita nos confirmet haec vox: Nemo rapiet eas de manu mea. Est quaedam aeterna Ecclesia, quare iuvabitur in tantis certaminibus, imo utamur ea tanquam promissione, sciamus nobis hic in tot ingentibus periculis promitti auxilium, non praevidemus omnes diaboli insidias. Custodit igitur nos dormientes Deus, implicamur interdum negotiis, quae prorsus inextricabilia sunt humano consilio, ut David expulsus regno, ut populus Israël amissa arca, et postea abductus in captivitatem, imo, ut Adam suo lapsu, hic rursus ex mediis inferis revocamur. Amemus ergo hoc dictum Christi, et nobis inculcemus, ut nos ad invocationem excitet, et in tanta varietate periculorum privatorum et publicorum consoletur: Nemo rapiet eas de manu mea. Defende igitur nos Christe, qui undique oppugnamur ab infirmitate nostra, a diabolo, variis scandalis et periculis. Cogitemus et de publicis motibus. Ubi mansura est Ecclesia, ubi erunt pia studia, si Turci latius grassabuntur, si reges et principes Christiani nominis, vel saevitiam exercere pergent, vel intestinis bellis vastitates in suis regionibus facient? Si studia literarum extinguentur, si doctores ipsi privatis et ambitiosis certaminibus dilacerabunt Ecclesias, et confusiones dogmatum facient? In his spectaculis tristissimis referamus oculos nostros ad has promissiones: Non praevalebunt portae inferni adversus eam. Item: Nemo rapiet eas de manu mea, etc.

Haec de disputationibus praedestinationis monuisse satis sit, removeamus philosophicas imaginationes. Omnium hominum animi sine luce coelesti, aut sentiunt casu omnia ruere, sine gubernatione divina, ut sentiebat Epicurus, hic furor execrandus est, aut sentiunt Deum alligatum esse causis secundis, nec aliter agere, quam ut illae eum rapiunt, aut certe sua aeterna determinatione rapere voluntates, et eventus, sive velimus, sive nolimus, ita cadere iuxta immutabilem determinationem. Haec sunt Stoica, quae non sunt invehenda in Ecclesiam, et vel contemtum Dei, vel odium, vel negligentiam in nobis gignunt. Sed nos audiamus vocem aeterni patris, qui inqui de filio: Hunc audite. Quare necesse est audiri verbum Dei, metuere minas, et assentiri promissionibus, et scire, iuxta hoc verbum: libere Deum ac certo nobiscum agere, ut erga suos liberos agit sapiens, iustus et clemens paterfamilias. Petendum igitur et certo sperandum est auxilium Dei, sicut Christus ait: Petite et accipietis. Item: Quanto magis pater vester qui in coelis est, dabit Spiritum sanctum petentibus.

Tollebant igitur iterum lapides.

Non fuisse ambiguas conciones Christi, fatentur eius adversarii, qui intelligunt Christum praedicare, se esse Deum, patri aequalem, ut Ioann. 5. dicunt: Aequalem se Deo facit, et hic, cum homo sis, facies te Deum. Nec mirum est, vehementer animos huius populi abhorruisse ab his concionibus, qui erat summa cura ad doctrinam de unitate Dei assuefactus. Tollunt ergo lapides, ut velut blasphemum obruant. Renovat igitur certamen, primum mitigans contentionem de nomine, imo scriptura Deos etiam illos vocat, quibus verbi Dei custodia praecipue commendata est. Cur igitur blasphemiam esse ducitis, nomen Dei alteri tribui? Allegatur autem dictum in Psal. 82.: Ego dixi, Dii estis, quod significat custodes verbi Dei, et organa operum Dei, per quae Deus regit homines. Moses, Samuel, Nathan, David, sunt custodes verbi Dei, et per eos miranda opera Deus facit. Tales erant et Saul, et alii reges ac sacerdotes, etiamsi miscuerunt officio suas tyrannides, ut ibi Psal. eos accusat, et poenas minatur.

Postquam autem hanc mitigationem proponit Christus, deinde addit: Verius sibi competere appellationem Dei, qui sit a patre sanctificatus, missus in mundum, faciens opera patris. Hic dissimilitudinem ostendit inter caeteros, qui dicuntur Dii, Prophetas, Sacerdotes, Reges, et se. Illi dicuntur Dii, quia sunt custodes verbi, et organa operum Dei. Sed hic Christus apud patrem fuit ante mundi conditionem, et postea missus et patefactus est, et tamen adhuc est in patre, id est, regnans et operans cum patre, et intuens patrem.

Ariani magna contentione hunc locum detorserunt ad suam causam, quasi Christus collato exemplo voluerit, se non esse natura Deum, sed propter officium dici Deum, ut Prophetas, sacerdotes ac reges, sicut hi in Psalmo nominantur Dii: Ego dixi, Dii estis. Etsi autem Christus ipse satis luculentum discrimen hic tradit, cum ait: Pater in me est, et ego in patre, tamen prodest omnia alia testimonia ex primo cap. Ioann., ex quinto et ex aliis locis coniungere, ut collatis testimoniis, sine sophistica, nativa et incorrupta sententia eligatur, videlicet, quod in Christo sint duae naturae, divina et humana, et quod divina sit imago Dei, ab aeterno genita a patre, per quem omnia condita sunt, *ὁμοούσιος* patri. Id est, ostendunt testimonia coniuncta, et caetera erunt declaratio huius dicti hoc loco: Pater in me est, et ego in patre, id est, una regnans, et una creans, et operans.

Quare et sanctificatio intelligatur aliter, quam Eliae aut Ieremiae sanctificatio. Non solum sanctificatus est, id est, segregatus, ut sit doctor, et victima, nec solum donatus Spiritu sancto ad mensuram, ut Elias, aut Elisaeus, sed divinitas in hoc homine Christo habitat corporaliter, ut Paulus inquit, id est, personaliter. Sic igitur sanctificatus est, ut ipse caeteros sanctificet, et lucem ac vitam aeternam nobis impertiat, sicut Baptista inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus, et Psal. 45.: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis. Hic nominat hunc regem: Te Deum, inquit, unxit Deus tuus oleo laetitiae, id est, plenitudine Spiritus sancti, ut alios sanctifices, et addit, prae consortibus, seu propter consortes, id est, longe antecellis omnibus Prophetis, et ut illi ex tuo fonte sumant, tu missus es.

Hunc igitur regem Christum Deum sanctificantem consortes, toto pectore oremus, ut nos quoque regat et sanctificet, et in nos rivulos suae plenitudinis, lucis, notitiae, et dilectionis Dei effundat, et accendat nos, ut vere agnoscamus, invocemus et celebremus Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, et filium in terras missum, et nobis immensa misericordia donatum, et mirando foedere, videlicet societate naturae nostrae copulatum.

O uncte aeterni laeto spiramine patris
Nate Dei, socios ungito Christe tuos.

Haec breviter dicta sunt, ut moniti studiosi acrius refutare Arii furores possint.

Quaerebant igitur ipsum prehendere.

Discedit, ut reipsa confirmet id quod antea dixit, se habere potestatem ponendae animae suae, et rursus sumendae. Nobis etiam exemplum proponit, ut sciamus Ecclesiae membra custodiri a Deo, nec ad necem rapi posse, quandocunque tyranni ardentes furore in nos saevire cupiunt, sed dari singulis curriculum, quo confecto, Deus evocat eos ex hac vita. Ieremias etsi toties periclitatur, tamen ante excidium urbis non interficitur. Paulus toties captus, toties obiectus bestiis, tamen perficit suum curriculum. Postea interficitur Ieremias a rege Aegypti Aprye, Paulus a Nerone. Etsi autem humana ratio disputat, casu alium alio diutius incolumem manere in tantis periculis, tamen nos ex Evangelio sciamus, certo custodiri nos a Deo, et tunc demum ex hoc curriculo abduci, cum Deo ita visum est, sicut clare inquit Christus, Lucae 12.: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, etc.

Ioannes quidem signum fecit nullum.

Infra inquit Christus, Ioann. 14.: Qui credit in me, opera quae ego facio, faciet, et maiora horum faciet. Quomodo igitur haec conveniunt, Ioannem non fecisse miranda facta, cum quidem multa sint in eius historia opera Dei inusitata, ut sint testimonia vocationis eius. Natus est ex matre sterili et effoeta, pater vidit angelum colloquentem, et cum mutus factus esset, rursus nato filio loqui coepit. Postea filius Ioannes vidit coelum apertum, audivit vocem aeterni Dei de filio Iesu Christo: Hic est filius meus dilectus. Divinitus monitus est de Spiritu sancto descendente in

Christum. Cui omnium electorum, ulla aetate sic exhibitae sunt tres personae divinitatis, distinctae perspicuis discriminibus? Imo haec ipsa revelatio clarissimum testimonium est, toti Ecclesiae omnium temporum, de tribus personis, cur igitur hic dicunt, Ioannem non fecisse signa?

Respondeo: Signa duplicia sunt, alia incurrentia in oculos, et sensus populi, facta divinitus supra communem naturae ordinem, ut excitare mortuos, reddere visum caeco, assidue sarcire absumtum panem aut oleum, ut Christus pavit aliquot millia, et Elias et Elisaeus viduis opitulati sunt. Haec et similia particularia incurrentia in oculos omnium sunt signa, quae exhibentur propter infideles, ut 1. Corinth. 14. dicitur: ut videlicet moti his testimoniis assentiantur doctrinae, talia signa non necesse est ab omnibus sanctis fieri, nec possent hanc externam gloriam multi sustinere, sine superbia. Sed alia sunt signa multo maiora, non incurrentia in oculos populi, quae universaliter fiunt in Ecclesia, ut nova lux in cordibus piorum, alias magis, alias minus illustris. Sed tamen commune hoc est, quod Paulus dicit: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Item, Unctio vos docet. Fiunt et haec signa longe maxima, voce et ministerio hominum multi ad Deum convertuntur, sicut Rom. 1. dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item, Propter Ecclesiam mirabiliter servantur ac defenduntur multae domus, urbes, regiones, etc.

Cum Israëlitae iter facerent per mare rubrum, videbant opus Dei mirandum, sed revera semper sic protegitur Ecclesia, imo singuli pii, etiamsi non incurrit in oculos modos defensionis, cum Agar discederet ex domo Abrahae, una cum filio Ismaël, misera errabat in locis desertis, et cum siti pene consumta esset, tandem lacrymanti monstratur fons. Haec audivit loquentem angelum: sed Elizabeth, Maria, et multae similes virgines et matronae defensae sunt mirabiliter, etiamsi non viderunt, vel audierunt angelos, cum illo turbulento tempore assidui exercitus Romani, Parthici, Herodiani vagarentur in terra Iudaica.

Ideo autem, interdum modus defensionis, ut in mari rubro, et aliis inusitatis exemplis proponitur conspiciendus, ut sciamus Ecclesiam semper a Deo protegi et servari, et quotidianas defensiones, quanquam in eis modus non conspicitur, tamen esse opera Dei, sicut Esaiae 46. dicitur: Qui portamini in utero meo, et gestamini in alvo mea, senescentes ego vos portabo, ego feci, ego gestabo, ego salvabo. Item Esaiae cap. 51.: Posui verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos. Hic clare dicitur: Tegi ministros Evangelii umbra manus Dei, et additur causa finalis, ut tanquam vernans hortus, coeli conserantur novis plantis, id est, multi fiant haeredes regni coelestis. Vult autem Deus haec beneficia agnosci, peti, et praedicari. Sic non dubium est propter propagationem Evangelii has nostras regiones in multis periculis defensas esse. Pro hoc beneficio gratias Deo agamus, et oremus, ut propter filium suum nos diutius protegat.

Talia igitur miracula perpetuae defensionis quotidie fiunt in Ecclesia, et multa precibus Ecclesiae donantur. Ideo inquit Christus, maiora facturos Apostolos, scilicet quam illa incurrentia in oculos populi. Postremo, Patres, Prophetae, Apostoli, etiam singularia testimonia habuerunt. Adam, Noë, Abraham, Moses, et alii multi vocati sunt propria voce Dei. Ioanni Deus discrimen clarum personarum ostendit. Paulus in coelum raptus est. Haec testimonia talibus exhibita sunt, ut tanquam doctores maiori luce donarentur, et prosunt eorum testimonia nobis. Universa Ecclesia omni tempore post Ioannis praedicationem confirmatur testimonio eius, de tribus personis.

Caput XI.

Textus orditur admirandam historiam de Lazaro, post mortem in vitam revocato. Et quia missi sunt nuncii a Lazari sororibus ad Christum, et Christus primum venit Bethaniam, post quartum diem a morte Lazari, utile est locorum intervalla considerare. Fuit Christus in deserto, non procul a Iericho et Bethabara. Iericho autem distabat a Iordane sexaginta stadiis, id est, fere duobus nostris miliaribus. A Ierusalem vero centum quinquaginta stadiis, hoc est, fere quinque nostris miliaribus. Bethabara vero in altera ripa erat, in deserto, ac longius distabat a Ierusalem, quare in deserto ad Bethaniam, quae tantum dimidio nostro miliari distabat a Ierusalem, intervallum fuit, fere octo nostrorum miliarium, ad quae opus est eunti cum comitatu itinere bidui.

Mansit autem Christus post nuncii adventum biduo, et consentaneum est, priusquam nuncius venisset ad Christum, Lazarum iam fuisse mortuum. Venit ergo Christus quarto aut quinto die in vicum Bethaniam, cum Lazarus ante quartum diem sepultus esset. Haec mora exercuit Christum interim variis cogitationibus, et auxit admirationem facti, sicut ipse textus significat.

Nunquid duodecim sunt horae diei?

Ante iter Christi, et ante resuscitationem Lazari, narratio longa est in textu, de morbo Lazari, de nuncio ad Christum misso, de Christi colloquio cum Apostolis, qui eis ante profectionem, cum nemo nunciasset, exponit Lazarum esse mortuum. Haec tota praeparatio et tunc a Christo ita facta est, ut Apostoli diligentius considerarent hanc resuscitationem: et deinde in textu ideo descripta est, ut excitemur ad tantae rei considerationem. Tot dierum intervallum fuit post mortem et post sepulturam Lazari. Constabat igitur vere mortuum esse. Etsi autem reipsa non minora facta sunt aliae resuscitationes mortuorum, tamen haec magis movit animos hominum, sicut haec ipsa historia indicat, magis consternatos fuisse pontifices admiratione huius facti, quam aliorum. Quia mox habetur deliberatio de nece Christi. Metuunt enim propter magnitudinem facti defectionem populi ad ipsum, quae si fieret, opprimi sese a populo, et ex dignitatibus et opibus excuti metuebant. Haec de praeparatione satis sit monuisse.

Quod ait duodecim horas diei esse, sciant studiosi alias esse horas aequales, ut nostrae sunt, cum videlicet dies naturalis in viginti quatuor aequales horas dividitur, secundum hanc rationem plures sunt horae diei artificialis in solstitio aestivo, quam in bruma. Estque haec consuetudo nunc usitata satis nota omnibus. Aliae quondam in usu fuerunt inaequales horae, quas Graeci vocarunt *καιρικὰς*, quarum toto anno cuilibet diei artificiali, seu longo, seu brevi, duodecim attribuerunt. Fuerunt igitur diurnae horae circa solstitium aestivum longiores, quam circa brumam.

Etsi autem ignaris antiquitatis haec dissimilitudo videtur absurda, tamen fuisse hanc consuetudinem certum est. Et quanquam tempus Lazari resuscitati incurrit in aequinoctium vernum, quo dies artificialis ubique est horarum aequalium duodecim, Christus de universali consuetudine loquitur, quae toto anno dividebat singulos dies artificiales in duodecim horas *καιρικὰς*, ut ipsi vocabant. Christus autem allegorice citat dictum: Duodecim sunt horae diei, significans certum cuique datum esse curriculum, seu spatium suae vocationis, intra quod necesse sit eum obsequi vocationi suae, sicut alias inquit: Sufficit diei afflictio sua, id est, praesentia iuxta vocationem faciamus, et perferamus, non omittamus mandatas operas per ignaviam, nec accersamus nobis alias, usitata ingeniis inquietis et curiosis *πολυπραγμοσύνῃ*, sic ipse interpretatur suum dictum sequentibus verbis.

Si quis ambulat in die, non impingit. Sua cuique dies est, sua vocatio, in hac iubet ambulare, et huic obtemperans recte facit, sive eventus sint placidi, sive tristes. Hortantur Christum Apostoli, ne redeat Ierosolymam propter periculum. Sic homines saepissime omittunt vocationis officia propter terrores et pericula. At Christus iubet nos mandatum de vocatione respicere, et exitus Deo commendare, sicut saepe praecipitur alias Psal. 36.: Expecta dominum, et custodi vias eius. Item: Subditus esto Domino, ora et eum. Et Moses inquit Exod. 14.: State, et videbitis magnifica opera Domini, ideo hic dicitur: Si quis ambulat in die, non impingit, id est, si quis suae vocationi inseruit, in fide et invocatione Dei, placet Deo, et ab eo adiuvabitur in periculis, et quanquam exercebitur aliquibus aerumnis, tamen vincet tandem, et eius doctrina, consilia, et actiones erunt salutares Ecclesiae et politiis. Econtra non praelucente Deo, id est, sine vocatione et sine fide, prorsus est in caeca nocte errare, et non modo non proficere, sed etiam passim labi, et sese et alios perdere, ut consilia Cassii, et Bruti, de Iulio interficiendo, tenebrae erant, exitiales ipsis et toti Reipublicae. Quia nec vocationi congruebant, nec suscipiebantur in agnitione et invocatione Dei. Talia erant postea et Antonii consilia, appetentis monarchiam. De his dicitur Esa. 59.: Vastitas et contritio in viis eorum, id est, eorum consilia sunt perniciosa ipsis et Reipublicae. Quare humana consilia et ambitionem vitemus, et nos in timore Dei intra vocationis metas contineamus, et nostrum officium faciamus, ac petamus auxilium et successus a Deo. Quia nemo potest sibi quicquam sumere, nisi sit ei datum e coelo.

Lazarus mortuus est, etc.

Non solum resuscitatio factum est superans vires creaturae, sed etiam haec notitia eventus, qui procul acciderat, superat hominum naturam. Sunt igitur uni miraculo multa coniuncta, et haec omnia principaliter edita sunt, ut testentur Deum sese patefecisse generi humano, et confirmasse doctrinam traditam in Ecclesia sua. Ideoque Ecclesia habet propria quaedam miracula, quae nulla creatura potest imitari, ut certi simus hanc doctrinam scriptam per Prophetas et Apostolos, Dei vocem et sententiam esse. Habuerunt Ethnici miracula, ut Aruspex dissecuit cotem novacula, vaticinia interdum veros exitus praedixerunt, sed haec longe inferiora sunt Ecclesiae miraculis, resuscitatione mortuorum crebra, et revocato cursu Solis, ut in historia Iosuae et Ezechiae, et conceptu anili. Talia non possunt imitari creaturae, nec frustra proposita sunt haec testimonia, vult ea Deus conspici et cogitari a nobis, ut confirment fidem in nobis, quemadmodum hoc ipso loco inquit Christus: Gaudeo propter vos, ut credatis. Item: Propter turbam circumstantem haec dixi, ut credant, quod tu me miseris, id est, te invoco, ut constet invocatione nominis Dei haec miracula fieri, eaque testimonia esse, quod hic invocans Deo placeat, sit a Deo missus, sit verax doctor, etc.

Scio quod resurget in resurrectione, in novissimo die.

Longum colloquium est Marthae et Christi, in quo Martha significat petitionem de resurrectione, et initio affirmat, potuisse Christum depellere morbum, vivente Lazaro, et nunc posse revocare mortuum in vitam, haec prima est confessio de potentia Christi. Accedit igitur promissio de voluntate, quam mulier non statim intelligit: Resurget frater tuus. Hanc vocem mulier intelligit de resurrectione futura in novissimo die. Etsi autem hic quaerunt aliqui, unde mulier teneat sententiam de resurrectione universali, an ex Christi concionibus recens didicerit, an vero semper in populo Israël publice haec sententia manserit, futuram resurrectionem mortuorum universalem, et Deum iudicaturum esse de omnibus hominibus, et daturum Ecclesiae suae gaudia aeterna, et impiis poenas: tamen manifestum est semper homines pios in populo Israël sic sensisse, futuram esse resurrectionem mortuorum, et futurum iudicium. Nam Prophetae manifeste de resurrectione concionantur, ut Esaiae 36.: Vivent mortui, interfecti mei resurgent. Et Esa. 25.: Et mors devorabitur omnino. Ezech. 37.: Ecce ego aperiam tumulos vestros. Danielis 12.: Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, ut videant semper, et Psal. 16.: Caro mea requiescit in spe, non derelinquas animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Hiob 19.: Scio quod redemtor meus vivit, et in novissima die de terra resurrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Haec tam illustria testimonia pii non aspernabantur, et multa sunt passim sparsa in tota scriptura prophetica, quae cum his congruunt, ideo et Pharisaei, qui etsi alia multa deliria profitebantur, tamen hunc articulum contra Sadducaeos acerrime defendebant, videlicet futuram esse resurrectionem mortuorum, ut constat ex Actis cap. 23. Tenebat igitur Martha hanc sententiam ex usitata doctrina piorum in isto populo, et tamen credibile est, eam et de hoc articulo et universa doctrina Evangelii saepe et diligenter audivisse Christum.

Ego sum resurrectio et vita etc.

Duae sunt insignes sententiae, complectentes summam totius Evangelii. Saepe autem monuimus praecipue illa testimonia observanda et excerpenda esse, in quibus summa Evangelii comprehensa est. Voluit enim Christus certa et explicata tradere, non voluit ambiguas et flexiloquas disputationes serere, quae animorum dubitationes et confusiones parerent: Ego sum resurrectio et vita, id est, resuscitator et dator vitae, ut apud Esaiam dicitur: Pater vitae aeternae, et aliquoties supra dicit: Vitam aeternam do eis, etc. Ut autem discrimen sciatur, inter eos qui beneficium Christi consequuntur, et inter alios qui non consequuntur, addit: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.

Plana et clara sententia est, fide propter Christum nos liberari a morte aeterna, et consequi vitam aeternam. Nec opus est sententiis per sese manifestis et perspicuis addere longiores enarrationes.

Tantum illa meminerit lector, quae in Ecclesia debent esse notissima, quid significet fides, videlicet assentiri promissioni de Christo, et confidere, quod propter Christum vere recipiamur a Deo, exaudiamur, et donemur haereditate vitae aeternae. Qui credit in me, id est, qui assentitur meae promissioni, et confidit per me placatum esse patrem, recipi se propter me, et donari vita aeterna. Et repetitur eadem sententia de vivente: Omnis vivens, et credens in me, non morietur. Etsi enim vere credentes et renati luce Evangelii, hanc carnem contaminatam peccato deponunt, tamen non moriuntur, id est, fiducia Christi retinent pacem, et laetitiam erga Deum, nec opprimuntur sensu irae Dei, et pavore, ac desperatione, sicut Saul, Iudas, et similes, sed erecti fide transeunt ex hac vita in alteram, sicut cap. 8. dicitur: Qui sermonem meum servabit, non gustabit mortem.

Postquam autem Christus suam concionem exposuit, et plane testatus est, se missum esse, ut abolito peccato, et abolita morte, restituat credentibus iusticiam et vitam aeternam, tandem postulat ab auditrice fidem, et fidei confessionem, inquiens: Credis hoc? Haec postrema vox etiam diligenter consideranda est, ut discamus quam severe requiratur fides, et quanta res sit acquiescere fide, quod quam difficile sit, et quid sit, in vera invocatione et vero agone discendum est, verbis non satis declarari potest. Vagantur animi sine fide, et non admittunt certam consolationem, sed cum fide acquiescunt in promissione tradita a Deo, vagari desinunt, et tranquilli expectant consolationem, et auxilium a Deo, ut igitur mulierem interrogat Christus: Credis hoc? Ita unusquisque sese interrogari sciat: Audis hanc vocem? Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, ego reficiam vos. Hic scias mox addi interrogationem, Credis hoc? Qui non credunt, fastidiunt hanc consolationem, imo tacite oderunt et quaerunt alias, sed credentes voci Christi acquiescunt, et ab ipso consolationem et auxilium expectant.

Ego credo, quod tu es Christus.

Confessio perspicua est de Messia, et ut in caeteris locis hae clarae confessiones observandae sunt, ut Matth. 16. Ioann. 1. 3. et 9. ita hunc locum meminisse prodest, qui de duabus maximis rebus lectorem docet, et quod ille Iesus natus ex Maria, tunc praedicans, et mortuos resuscitans sit promissus Salvator, et quod Messias sit filius Dei. De utraque sententia cogitemus, cur nobis traditae sint, et quomodo in invocatione exercendae sint, ac prius et brevius de posteriore dicam. Nos scimus ex certis testimoniis Evangelii multis, in Christo naturam divinam esse, et Christum natura filium Dei esse. Hunc articulum confitentur Apostoli, Matth. 16. Et pater de coelo dicit: Hic est filius meus dilectus, et Baptista dicit, Ioann. 3.: Qui credit in filium, habet vitam aeternam, et Ioann. 9. ipse Christus interrogat: Tu credis in filium Dei? et in 1. capite clare tradita est sententia, quod in Christo sit natura divina, per quam omnia condita sunt. Agnoscamus igitur in invocatione Mediatorem, non tantum esse hominem, sed etiam natura filium Dei, per quem omnia condita sunt et sustentantur, sicut ad Heb. 1. dicitur, qui semper adfuit Ecclesiae suae, et affuturus est, ideoque dicitur Emanuel.

Cum autem invocatio fieri debeat fiducia filii, semper cogitandum est inter precandum, quis sit ille Mediator, qui in se derivat iram Dei, et propter quem sumus recepti, et qui semper adfuit et aderit Ecclesiae. Haec omnia omittunt in sua invocatione omnes ignorantes Evangelium, Ethnici, Iudaei, Mahometistae, et alii impii. Aberrant igitur a Deo, cum negent hunc esse Deum, qui misit filium, et patefecit se hoc verbo tradito per Prophetas, Christum, et Apostolos. Sic autem inquit Christus: Qui non afficit honore filium, non afficit honore patrem. Deinde etiam ignorantes Evangelium, nesciunt an velit nos Deus recipere et exaudire, et cur velit recipere, cum res ipsa ostendat nos indignos esse. Omnes enim experiuntur, se aliquibus vitiis contaminatos esse. Ut igitur nostram invocationem ab aliarum gentium invocatione seiungamus, cogitandum est quis sit filius Dei. Etsi enim comprehendi maiestas tanta non potest, tamen Deus vult nos verbum suum tenere, et dirigere invocationem ad illum Deum, qui hoc verbum tradidit, et sic se patefecit.

Eodem pertinet altera pars, quod videlicet necesse sit credi hunc Iesum natum ex Maria, crucifixum in Ierosolyma in illo tempore, esse Messiam. Tempus et locum definivit Deus, ne vagabundae mentes quaerant varios mediatores, sicut finxerunt Ethnici varia numina, frugum da-

tricem Cererem, vini datorem Bacchum, opitulatorem in praeliis Martem, Palladem monstrantem consilia in gubernatione Reipub. Iunonem divitias cumulantem. Sed sit mens cogitans verbum Dei, alligata ad illum Deum, qui se hoc verbo patefecit, et qui misit filium natum ex virgine, Iesum Christum crucifixum pro nobis, et resuscitatum, exhibitum populo Israël, sicut promissus erat, et concionatum Ierosolymae, et in tota Iudaea, et miraculis testificatum de Evangelio, ac praesertim resuscitatione mortuorum, illo ipso tempore de quo scribunt Apostoli, videlicet quod excidium Ierosolymae praecedit annis quadraginta. Ut igitur omnis invocatio excitanda est consideratione mandati, et promissionis divinae, ita semper simul cogitandum est, quis sit ille Deus, quem invocamus, ubi et quomodo patefactus, quanta bonitas sit, quod se sic patefecerit, quod donarit mediatorem, reconciliationem, auxilium et salutem. Deinde quis sit mediator, ubi, quando patefactus sit, cur passus sit. Haec omnia quaelibet, quamvis brevis, invocatio complecti debet. De hoc exercitio saepe et nos ipsos, et Ecclesiam commonefaciamus. Laudanda et Philosophorum diligentia, qui de singulis virtutibus tam accurate, quantum in philosophia fieri potuit, scripserunt. Dolendum est autem in Ecclesia de virtute omnium summa, de invocatione Dei, non collectam esse simili diligentia doctrinam a Deo traditam, in praeceptis et promissionibus, quae extant in scriptis Prophetarum et Apostolorum, laudatur temperantia, et est virtus digna laude, laudatur clementia in gubernatoribus, et saepe salutaris est magnis imperiis. De his et aliis vulgaribus virtutibus extat doctrina Philosophorum luculenter scripta, at de virtute omnium regina, de agnitione et invocatione Dei, quam pauca, tenuia et frigida scripta inveniuntur? pauci intelligunt esse virtutem, alii putant doctrinam facilem esse, notam omnibus. Quia naturaliter omnes destituti humana ope, et amisso hoc visibili auxilio, quaerimus an sit Deus, qui velit opitulari hominibus, et in hac disputatione plurimi quoquo modo Deum invocant, non cogitantes, quis sit Deus, quo modo se patefecerit, quid mandaverit de invocatione, quid promiserit, quomodo sit placatus, quis sit mediator, an et cur velit exaudire, quas res nominatim promiserit, in quibus rebus requirat obedientiam nostram, et tamen mitigationem promiserit.

Apud Euripidem Hecuba dubitans, quid sit Deus, sic invocat, o Iupiter, quisquis es, difficilis cognitu, qui terram regis, sive necessitate naturae, sive consilio regens. Haec dubitatio communis est omnium, qui ignorant Evangelium, aut stoica imaginatione tenentur, Deum sine libero consilio sic agere necessario, ut movent causae secundae, aut si libere agit, curare quaedam magna, non curare particularia, ut idem Euripides inquit. Postremo, ut maxime curet particularia, tamen non exaudiri indignos. Hae opiniones obstrepunt animis omnium in invocatione, nec eluctantur ex his erroribus Ethnici, Mahometistae, Iudaei, et alii ignorantes Evangelium. Sed fides agnito Evangelio eluctatur, et statuit certo, quis sit Deus, nempe is, qui se patefecit verbo suo et misso filio, et additis mirandis testimoniis, et quod sit agens liberrimum, quod dederit mandata et promissiones, et proposuerit mediatorem filium, propter quem certo velit exaudire, et quod expresserit nominatim, quas res certo daturus sit, et in quibus requirat obedientiam, quas tamen mitigaturus sit.

Ut igitur nos ad invocationem excitemus, et recte invocemus, et discernamus nostram precationem ab Ethnica, Turcica, Iudaica. breviter colligam hoc loco, quae cogitanda sint, ac de singulis partibus considerandum est verbum Dei, quia tantum cogitatione verbi Dei ad eum acceditur iuxta illud Rom. 10.: Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in coelum? sed prope est verbum in ore tuo et in corde tuo. Primum igitur invocanti verbum quaerendum est, ostendens quid sit Deus. Non invocas, ut Hecuba apud Euripidem ignara quis sit Deus, an sit ordo naturae alligatus ad causas secundas, an vero agens liberum: Non invocas ut Turci et Iudaei contumelia afficientes filium, et nescientes mediatorem, sed verbum Dei tibi proponis, quod certo testatur, hunc vere esse Deum omnipotentem, conditorem omnium creaturarum, et conservatorem, qui se patefecit, dato hoc verbo, additis testimoniis a principio mundi, et misso filio crucifixo pro nobis, et resuscitato, et cum cogitamus quomodo se patefecerit, in compellatione fiat mentio personarum, ut patefactae sunt, ut postea dicam.

Secundo, postquam, quis sit Deus, cogitatum est, et se iunxisti te ab Ethnicis, Turcis et Iudaeis, mandatum eius de invocatione considera,

magna res est, accedere ad Deum, ac petere ab eo, non solum ea, quae dat communi cursu naturae, sed etiam alia, cum praeter communem cursum in nostris erratis et aerumnis nos liberat. Deterret autem nos indignitas nostra, praesertim cum sciamus Deum iustum esse, et irasci peccatis, nos autem multis peccatis pollutos esse. Hic igitur opus est verbo Dei, testificante de voluntate eius, quod iubeat se invocari, et velit exaudire, recipere, iuvare invocantes, quanquam indignos et pollutos peccatis. Quare diligenter colligamus et mandata, et promissiones, ut Matth. 7.: Petite, et dabitur vobis, etc. Lucae 18.: Oportet semper orare, et non languefieri. 1. Thess. 5.: Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite. Haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu erga vos. Ad Phil. 4.: Non sitis soliciti, sed in omnibus precatione et petitione, cum gratiarum actione postulationes vestrae ad Deum notae fiant.

Adiungantur et promissiones, quarum praecipua est et fundamentum invocationis de quacunque re, promissio remissionis peccatorum. Nam etiam cum mandata cogitamus, tamen haec vox nos absterret: peccatores Deus non exaudit. Hic igitur ante caeteras promissiones proponamus doctrinam de remissione peccatorum, sciamus omnibus agentibus poenitentiam, certo remitti peccata propter Christum mediatorem, non propter nostram dignitatem. Accipi vero remissionem peccatorum fide, ut clarissime traditur in multis Evangelii locis. Et Rom. 3.: Summa eius sententiae proponitur, iustificamur gratis gratia ipsius, per redemtionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius.

Hanc fidem in omni invocatione praelucere oportet, quod propter filium mediatorem recipiamur, exaudiamur et iuvemur.

Cum hac fide remissionem peccatorum accipere nos statuimus, hic primum dulcescunt mandata, et caeterae promissiones de particularibus beneficiis. Ioan. 14.: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Iubet petere nomine suo, id est, se nominato, se invocato, tanquam mediatore, propter quem certo recipimur et exaudimur, ut ad Heb. 4. dicitur: Habentes Pontificem Iesum, accedamus cum fiducia ad thronum gratiae.

Iam igitur opponamus indignitati nostrae mandata et promissiones. Etiamsi sumus indigni, tamen mandanti Deo obtemperandum est, et quanquam sumus rei, tamen donatus est nobis propiciator, et promittenti Deo credendum est, nec accusandus est Deus mendacii. Accedamus igitur ad eum, et petamus remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, et alia bona necessaria Ecclesiae, politicae gubernationi, et nobis privatim. De Spiritu sancto nominatim dictum est, Lucae 11.: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? De aliis liberationibus etiam perspicuae et multae promissiones traditae sunt, Psal. 3.: Iuxta est dominus his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit, et eodem Psalmo: Non est inopia timentibus eum. Et Christus inquit: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Et 1. Timoth. 4.: Pietas promissiones habet praesentis et futurae vitae, etc.

Talia dicta multa in conspectu sint, et saepe cogitentur animo, ut nos ad invocationem exuscitent, et aliqua inter precandum quotidie attentionem, et fidem in nobis accendant. Certe semper, quoties precationem incoamus, cogitandum est, quem Deum invoces, an ille indignum exaudiat, et cur exaudiat, et indignitati opponenda sunt mandata et promissiones, ac praecipue meditanda et amplectenda est promissio remissionis peccatorum. Deinde etiam res petenda cogitetur. Non enim sit oratio inanis *βαττολογία*, sed res corporales et spirituales necessariae communi et privatae saluti petantur. Ideo enim plerunque friget oratio, quia non expectamus illa beneficia a Deo, nec ardet in corde haec lux et fides, quod Deus vere aliquid nobiscum agat, det Spiritum sanctum, regat, iuvet, defendat nos, det victum nobis, sed mentes sunt oppressae dubitatione, nec possunt se erigere, ut res illas vere statuant a Deo dari, cum hac nostra dubitatione praecipue luctandum est, nitimur nostris consiliis et commodis visibilibus et praesidiis humanis. Haec cum sint in conspectu, nihil admodum serio petitur a Deo. Cum haec eripiuntur, incipimus angi et dubitare, an Deo curae simus, an respiciamur et iuvemur. Quare agnoscamus imbecillitatem nostram, quod sit nobis opus gubernatione Spiritus sancti, et quod Deus vere velit eum largiri invocantibus. Discamus, et commoda corporis, victum, defensionem, successus in vocatione, cum

adsunt, esse Dei dona, et petendum, ut Deus ea nobis non eripi sinat, et cum eripiuntur, petamus a Deo, ut sua mirabili bonitate nobis aliter prospiciat.

Infremuit spiritu.

Nullum miraculum sine magno aliquo motu animi a Christo factum est, sicut ipse dicit, Lucae 8.: Sensi virtutem a me exivisse. Apparet autem inprimis magnos aestus animi, magnos agones fuisse in hac resuscitatione, fremit, dolet, indignatur, lacrymat. Hi motus nobis ignoti sunt, sed significant luctam acerrimam, cum decrevisset resuscitare Lazarum, precatus est aeternum patrem, ut hoc opus fieret. Hic impedire eum haud dubie diabolus conatur, iniectis variis cogitationibus, ipse vicissim repugnavit diabolo, alias irascens diabolo, alias dolens, et illacrymans propter humani generis ingentem miseriam, quod peccato, ira Dei, tyrannide diaboli, infinitis calamitatibus, et morte corporali et aeterna oppressum esse magno cum moerore cogitabat, doluit propter iram Dei, et pro nobis fuit deprecator, sed diabolo iratus est, et eum a se depulit. Tales agones fuerunt, quos etiamsi nos intelligere non possumus, tamen cogitemus animum Christi non fuisse otiosum, aut ferreum, aut sine veris doloribus et vera indignatione. Nullus enim tam acri dolore afficitur, cum videt carissimae filiae summam calamitatem, quam acris dolor fuit Christi mala nostra videntis, quia dicitur Ebr. 4.: Non habemus Pontificem, qui non possit compati nostris infirmitatibus, sed tentatum per omnia secundum similitudinem, sine peccato. Accedamus ergo cum fiducia. Invitemur et libentius ad Christum confugiamus, cum vere eum affici nostro dolore statuimus, quod certe docent multa testimonia expressa in diversis historiis, ut Matth. 9.: Videns turbas, misertus est earum, et saepe alias.

Ac tandem emergens Christus ex hac lucta, incipit gratias agere patri, quod exaudierit ipsum. Haec verba testantur priores illos dolores ac fremitus fuisse animi precantis Deum, et inter precandum repugnantis diabolo obiicienti impedimenta. Et addit in fine causam principalem totius facti, suam invocationem factam esse, ut appareat se, quae faciebat potentia huius Dei, cuius in hoc populo doctrina tradita erat, facere, et hanc resuscitationem fieri ad confirmandam doctrinam. Sic et nobis hanc historiam proponamus, cum miracula sint testimonia doctrinae, diligenter illa colligamus, quae propria sunt Ecclesiae, hoc est, quae nulla creatura imitari potest, qualis est resuscitatio mortuorum, sistere cursum solis, et alia quaedam. Haec manifeste ostendunt hanc doctrinam, de qua testificantur, a Deo traditam esse.

Et egressus est mortuus, vinctus pedes et manus fasciolis.

Quod voce Christi Lazarus revocatur ex morte, et rursus vita donatur, testimonium est Evangelii, quod sit vox efficax, et, ut Paulus inquit, potentia Dei ad salutem omni credenti, si voce restituit vitam corporis Lazaro, etiam iuxta promissionem suam voce Evangelii accendet vitam aeternam et iusticiam in cordibus, ut Christus ipse precatur: Pater sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas, vult eos sanctificari, id est, luce divina, agnitione Dei, et iusticia donari, quomodo? per sermonem Dei.

Nec sine causa mentio fit stolae, quae texit manus, pedes et faciem. Nam Esaiae 25. clare dicitur de abolenda morte, et devorabitur in monte hoc facies involutorum, qua omnes populi involuti sunt, et tegumentum, quo omnes gentes coopertae sunt, et mors devorabitur omnino, et absterget dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra. Illustre et dulce testimonium est de universali resurrectione et de reddenda vita perpetua, sicut et ipsa Lazari resuscitatio testimonium est, hunc Christum instauratorem esse vitae, convenit autem forma verborum cum historia Lazari, Esaias inquit futurum, ut involucra facierum tollantur. Ita hic iubet Christus auferri stolas et tegmina, quibus involuta erant membra Lazari. Congruunt igitur imagines in Esaia et in historia Lazari, et res eadem in utraque lectione significatur. Stola, qua sumus impliciti, abiicitur, id est, corporis nostri imbecillitas et mortalitas exuitur, et nova veste, id est, corporis vivacitate ornamur, quae cernet oculis Deum, et ardebit motibus spiritualibus. Haec ut in verbis Esaiae, ita in historia Lazari significata sunt, sed revera fient, cum sancti in universali resurrectione nova et perpetua gloria vestientur.

Multi igitur ex Iudaeis, qui venerant ad Martham.

Post miracula omnia omnibus temporibus sequuntur hi duo eventus, pii confirmantur, et aliquanto plures ad Deum convertuntur, moti novo testimonio. Econtra vero in impiis crescunt odia et furores, ut Esaiae 6. dicitur, et Roman. 11. et Ioan. 12.: Dedit eis oculos ne videant, et aures ne audiant. Haec dicta ad historias conferamus, et nos consolemur his praemonitionibus adversus iudicia magnorum hominum, qui Evangelio adversantur, sciamus semper aliquem esse Dei coetum, sed tamen exiguum, et huic adversari multos magna autoritate, potentia, sapientia praeditos, ut 1. ad Corinth. 1. dicitur: Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, etc.

Hoc autem a se ipso non dixit.

Magnae et difficiles quaestiones hic se offerunt, an Caiphas sit membrum Ecclesiae visibilis, cum aperte sit hostis Evangelii? Deinde, an sit Pontifex, cum non sit membrum Ecclesiae? Tertio, an Deus velit errata gubernatorum? Quarto, an Spiritu sancto moveantur impii in dandis consiliis?

Ad primam respondeo, Caipham non esse membrum Ecclesiae, etsi est Pontifex illius politiae, in qua erat Ecclesia Dei, coetus ille, qui amplectebatur Evangelium. Nam tenenda est regula: Oves meae vocem meam audiunt. Et: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Et 1. Corinth. ultimo: Si quis non diligit dominum Iesum Christum, sit anathema, Maranatha, id est, dominus venit. Hac enim forma verborum imprecabantur maledicto iudicium Dei venientis et punientis. Nec pugnant haec inter se, non esse membrum Ecclesiae, et tamen esse membrum politiae illius, quae tunc domicilium erat Ecclesiae. Certe absurdum esset dicere, Sadducaeos fuisse membra Ecclesiae, quos tamen fuisse membra illius politiae fortassis recte dici potest.

De secunda quaestione respondeo: Quia discernimus Ecclesiam et politiam in illo populo, concedamus Caipham fuisse Pontificem politiae istius, etiamsi erat hostis Ecclesiae, ut cum Sadducaeus aliquis erat Pontifex. Sic Iason, Menenelaus, Alcimus erant Pontifices, cum revera essent hostes Ecclesiae.

De tertia quaestione respondeo, Deum nec velle, nec approbare peccata seu iniusta consilia et iniustas actiones gubernatorum, sed potius horribiliter irascitur eis, sicut clare dicit, Psalm. 5.: Non Deus volens impietatem tu es, et Christus clare dicit: Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet, et Ioan. 8.: Vos ex patre diabolo estis, et cupiditates patris vestri vultis facere, et rursus Psalm. 5.: Virum sanguinum et dolosum abominatur dominus. Denique plurima sunt evidentissima testimonia, quae affirmant Deum nec velle, nec approbare iniusta consilia, et iniustas actiones gubernatorum, sed potius horribiliter his sceleribus irasci, et ea punire, ut ipsi exitus testantur. Propter occisos Prophetas, Christum, Apostolos, gens Iudaica excidio totius suae Reipublicae tristissimas poenas dedit. Ideo tanquam manifestum furorem execremur opinionem, quae a Deo fingit oriri, aut Deo placere iniusta consilia gubernatorum. Diaboli impetus sunt grassantis in impiis, qui Deum rectorem excusserunt, et propterea vicissim abiecti sunt, et fiunt organa irae, pestes generis humani, et ruunt in aeternas poenas, ut Pharao, Iudas, Caiphas, Caligula, Nero, quorum cogitatione expavescamus, et Deum oremus, ut custodiat et regat nos, ne iniustis consiliis et negociis implicemur.

Ad quartam quaestionem perspicua est responsio. Non moventur Spiritu S. impii in dandis consiliis iniustis, sed impelluntur a diabolo, ut clare dicitur: Vos ex patre diabolo estis. Item: Qui facit peccatum, ex diabolo est. Quod autem textus dicit Caipham prophetasse, eo quod Pontifex esset, simile est historiae Ioseph. Qui inquit: Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, et salvos faceret multos populos. Nec vult, nec approbat, nec movet Deus mentes tyrannorum, qui saeviunt in Ecclesiam, sed metas et exitus constituit. Diabolus conatur perdere Ioseph, sed Deus servat eum, et haec ipsa calamitas fit, Deo gubernante modum ad salutarem exitum. Ita consilia et dicta Caiphae damnata sunt, sed hoc ipsum dictum, quod ipse impia voluntate profert, fit modus ad exitum salutarem humano generi, Deo gubernante, et sic praecipue magistratuum furores Deus vertit ad Ecclesiae bonum. Versio illa ad bonum est Dei opus, sicut inquit Ioseph: Deus vertit illud in bonum.

Sic impii prophetant, id est, malum struunt, quod fit modus ad gloriosum exitum, ut cum Achitophel dedisset consilium utile Absoloni, Absolon tamen consilium speciosum Chusai antefert, quo spatium concessit patri Davidi ad receptum quaerendum, colligendas copias et parandam defensionem. Ita Absolon errans eo ipso consilio, quod putat esse tutissimum ad perdendum patrem, servat eum. Hoc exemplum testatur, Deum metas constituere et saevitiae, et consiliis hostium Ecclesiae, ne possint nocere quantum volunt.

Caput XII.

Ante sex dies Paschae.

Series narrationum manifeste ostendit, Lazaro mortuo restitutam esse vitam ante diem Palmarum. Nunc enim Sabbato ante diem Palmarum in Bethania, Lazarus recens revocatus in vitam, accumbit mensae et convivio Christi, quod eo narratur, ut testimonium extet de vera restitutione vitae Lazari, ne quis existimet eum ut spectrum semel exhibitum, postea evanuisse. Imo haec vita, vera et diuturna post resuscitationem fuit, ac narrant historiae post divisionem Apostolorum, cum alii discipuli in alia loca Evangelium afferrent, Lazarum venisse Massiliam ad litus Gallicum, et ibi Evangelium docuisse.

Caeterum et hoc disputatur, an diversa convivia in Bethania recitent Evangelistae, etsi hae quaestiones magis curiosae sunt, quam utiles, tamen ut eas breviter abrumpam, meam opinionem dicam, existimo diversa convivia recitari, Ioannes narrat convivium sexti diei ante Pascha, Matthaeus convivium tertii diei ante Pascha. Haec nihil habent absurdi.

Sed officium Mariae sororis Lazari, et significationem videamus. Maria ungit pedes Christi, id fuit usitatum illi genti, in qua et nascebantur aromata fragrantissima, et magnus eorum usus erat. Voluit enim Deus suum populum instruere praesentibus remediis adversus vulnera, cum vellet esse milites, et adversus languores cordis, quos sustinent onerati curis. Priusquam autem de significatione dicam, prius de ipso genere operum dicendum est. Reprehensum est hoc opus Mariae, et similia opera aliarum duobus argumentis, quorum primum est, tantum opera mandata a Deo facienda sunt, haec unctio non fuit mandata. Non igitur facienda fuit. Alterum est: Non sunt faciendae profusiones, praesertim cum defraudatione pauperum. Maria profundit unguentum, quod potuit vendi trecentis denariis, id est, triginta coronatis, unde melius erat iuvare pauperes, iure igitur reprehenditur.

Ad primum respondeo, ac primum ad minorem dico: Hoc opus fuisse opus confessionis, quo Maria testificata est se hunc doctorem venerari, et ei credere, cum quidem toties iam asseverasset, se esse Messiam, et propterea Pontifices eum tollere cuperent. Omnia autem opera confessionis non simulatae placent Deo, propter confessionem, et in genere mandata sunt. Ita placet hoc opus, non ex opere operato, sed quia est testimonium confessionis, ostendit enim aliis, se credere huic doctori, et profiteri eum esse Messiam. Sic David faciebat opus confessionis, cum ante arcam incedens luderet cithara. Nec David aut haec mulier addunt opinionem, quod hoc opus externum mereatur remissionem peccatorum, aut per sese sit cultus Dei, sed animam operis intelligunt esse confessionem, et hanc Deo placere, iuxta illud: Qui confessus fuerit me coram hominibus, illum confitebor coram patre meo coelesti.

Nunquam autem exhibetur confessio in operibus prohibitis, imo faciens prohibita opera, ostendit se non venerari Deum, sed potius iudicium eius contemnere, sicut non sunt signa confessionis adorationes statuarum, circumgestatio panis, sacrificia Missarum, ut nunc illa opera quidam excusant. Sunt enim reipsa prohibitae res, ac ne fiunt quidem hac opinione, ut sint signa confessionis verae doctrinae Christi, sed fiunt superstitione, hoc est, quia ipsa opera per sese putantur esse merita et cultus. Haec superstitio cum accedit etiam bona exempla, tamen fiunt vitiosa, ut multa fiunt vitiosa. Si Achas ante arcam saltasset sicut David, ac putasset se hoc opere insignem honorem Deo praestare, aut opus ipsum magnum meritum esse, fuisset inane et superstitiosum spectaculum Deo displicens.

Econtra vero luceat confessio in operibus praeceptis, ut Prophetae, Apostoli, Martyres, pii doctores in taxando cultu idolorum, et tolerantia suppliciorum, singuli in sua vocatione, confessionem suam ostenderunt. Idque erat opus necessarium, quod sine peccato omittere non poterant, quare in ea re cernebatur eorum obedien-

tis, et conspiciebantur, cui Deo praestarent obedientiam, et qualia officia ille verus Deus postularet, sicut Psal. inquit: Propter te mactamur tota die. Posita et manente hac regula, ne fiant opera prohibita, et fiant praecepta, accedit saepe pro libertate spiritus tertium genus, id est, quod in genere cum praeceptis congruit, sed in specie medium est, seu non necessarium, ut est saltatio ante arcam, quod in genere congruit cum praeceptis, quae iubent celebrari Deum Israël nominatim ipsum invocando. Invocat igitur David in hoc ritu, etiamsi haec forma in specie non sit praecepta, sed absit superstitio, ne hoc opus existimetur esse meritum remissionis peccatorum, aut singulares cultus, prae invocatione vera extra hunc ritum.

Ita observatio nostri sabbati est opus placens Deo. Nam genus est praeceptum, ut conveniat populus ad audiendam vocem Evangelii, et ad usum sacramenti, sed species pro libertate spiritus ordinata est, quo die et quo ordine conveniendum sit. Talia sunt innumerabilia opera libertatis spiritus. Rahel rapuit idola patri Laban, non fuit necesse auferre, sed monere satis erat, ut vitaret idolorum cultum. Irene filia imperatoris Licinii evertit idola patris suis manibus, non necesse erat manu evertere, sed patrem admonere satis erat. Laurentius Decio auferenti pecuniam aerarii ecclesiastici, potuisset eam sine peccato relinquere, sed libertate spiritus noluit tyranno cedere. Talia multa sunt opera liberi spiritus in sanctis, quae sunt testimonia confessionis et ardentis spiritus, quae hic probat Christus, praesertim cum hypocritae reprehendunt. Ait autem Christus praedicandum esse id officium cum propagatione Evangelii in toto mundo, quia factum sit, ut declararet se memorem fore Christi, id est, ut declararet confessionem. Laudat igitur universaliter opera confessionis sine superstitione facta.

Et quod facit mentionem sepulturae, alludit ad morem earum gentium, quae corpora mortuorum magno sumtu unguenti perfusa asservabant. Ait ergo gratum sibi esse officium, quia significet instare eius sepulturam, et ipsam expectare sepulti corporis conservationem et resurrectionem. Commendatio officii multo est amplior, quam quantum cogitarat inerudita mulier. Ita ornantur pia facta spiritus, et saepe parva officia ingentes utilitates pariunt, et econtra parvi lapsus trahunt saepe magnas ruinas, ut historia Adae, Evae, et alia multa exempla testantur. Nunc respondeo ad secundum argumentum: Non sunt faciendae profusiones, praesertim cum defraudatione pauperum, sed hoc unguentum triginta coronatis vendi poterat, non igitur ita effundendum erat. Ad maiorem respondeo, utrunque genus operum necessarium est, iuvare pauperes, et edere testimonia fidei, et spiritus in sanctis utrunque facit, et tempora convenientia utrîque videt, sicut dicit Samuel Reg. 10.: Fac quaecunque invenerit manus tua, quia dominus tecum est, id est: Non possum regulas singulorum momentorum praescribere, sed Spiritus sanctus impellet et reget te, ut recte facias praesentia, modo servias vocationi tuae.

Magna hic differentia est inter opera Spiritus sancti et inter humana consilia. Multa sapientes corrumpunt, dum omissis operibus vocationis alia agunt, quae putant esse splendidiora. Item dum omittunt praesentia, et metu et falsis suspicionibus miscent negocia, ut in posterum aliquid caveant, quod fortassis nunquam eventurum est. Saul frangitur metu et diffidentia, ne expectet Samuelem, et postea ut splendidiora faciat, neglecto mandato Dei, captum regem non interficit. Achas propter diffidentiam quaerit Assyriorum auxilia, contra vocem Esaiae, ut saepe Turci a regibus nominis Christiani invitati sunt. At cum corda verbo Dei et Spiritu sancto gubernantur, intelligunt vocationem suam, et suas res agunt, doctores docent, non quaerunt principum praesidia et foedera. Principes res suas administrant, non accersunt aliena negocia, nec turbant statum publicum metu. Et magna sapientia et fortitudo est praesentia recte facere, sicut Christus inquit: Crastinus dies pro sese solicitus erit, sufficit diei afflictio sua, id est: Videamus quid in praesentia recte fiat, nec propter metum aut incertas spes contra regulam aliquid agamus. Haec non possunt iudicari, nisi corda fide et Spiritu sancto confirmata sint.

Nunc pauca adiiciam de significatione officii Mariae, propter significationem maxime laudatur hoc opus. Pedes usitate significant nuncios, hoc est, Ministerium Evangelii, ut apud Esaiam: Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem. Nihil est autem usitatius in mundo, quam extre-

me contemnere ministros Evangelii, et ipsum ministerium, sicut Paulus inquit: Apostolos haberi pro catharmatis, quo nihil detestabilius dici potest. Adversus haec impia iudicia mundi Christus confirmat nos multis dictis, ac praecipit ut amemus, ac tueamur Evangelii ministros, ut Lucae 10.: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Et Matth. 10.: Qui dederit potum aquae uni ex minimis istis, propter doctrinam, amen dico vobis, non perdet mercedem suam, et 1. ad Thessa. ult. dicitur: Eos qui praesunt vobis in domino, diligite excellenter, propter officium quod gerunt. Norat Paulus sensus populi, qui facile fastidit doctores, et levibus occasionibus oblatis, eos excutit, adversus haec fastidia Paulus studet excitare et confirmare benevolentia, quae non solum non admittit iniusta odia, sed etiam aliqua levia incommoda in doctoribus recte docentibus, et sine turpitudine viventibus placide tolerat, et condonat functioni et communi tranquillitati. Haec officia pia erga ministros significantur unguento in pedes effuso. Maria, id est, Ecclesia auditrix ungit pedes, id est, fovet et tuetur ministros Evangelii, et ministerium ad studia doctrinae coelestis, ut Constantinus, Theodosius, et pauci alii pii gubernatores foverunt, et texerunt doctores, et studia doctrinae, id officium exemplo huius historiae Christus hac laudatione nobis commendat. Et ex hoc unguento suavis odor et fragrantia in totam domum diffunditur, id est, Evangelium latius propagatur, colligitur Ecclesia, crescit vera invocatio Dei, et aliae virtutes.

Postridie turba multa, etc.

Aliquae sunt in Evangelio pompae, ut conventus Angelorum, Pastorum, Magorum, recens nato Christo, item miranda revelatio divinitatis in baptismo Christi et testimonia Ioannis, item concursus ad resuscitationem Lazari. Item comitatus populi sequentis Christum, et ei occurrentis cum frondibus palmarum et oleae, item ascensio Christi in coelum. Hae pompae et similes omnes habent unam causam, quod Deus voluit extare certa et manifesta testimonia, quae ostenderent Christum filium exhibitum esse. Etsi enim Christi facta non sic incurrunt in omnium oculos, ut Alexandri, aut C. Caesaris expeditiones omnium gentium oculis cernuntur, omnium voce et literis celebrantur, tamen Deus non vult ignorari sese, nec suas revelationes sine testimoniis magnis et certis proponit, vult fidem non esse dubiam opinionem, sed certis testimoniis accensam et confirmatam esse, ideo sunt edita miracula, quae ostenderent praesentiam naturae omnipotentis, sunt additi spectatores et testes multi, ut in nativitate, baptismo, ascensione Christi. In has patefactiones semper in invocatione intueamur, ne sicut Ethnicorum animi vagabantur dubitantes, quid, cur invocarent, an exaudirentur, ita et nostri vagentur, et amittant Deum, ergo illum statuas vere esse Deum, aeternum patrem, conditorem rerum, cum filio Iesu Christo, et Spiritu, qui se patefecit misso hoc filio, nato ex virgine, crucifixo et rsuscitato, et quem magna multitudo vidit revocare Lazarum ex morte etc. Non cogites Deum inane nomen esse, nec se frustra patefecisse, sed ideo se patefecisse, ut testaretur se vere velle exaudire. Hac fiducia accedas ad hunc patefactum Deum, et experieris precationem tuam non fore irritam. Primum igitur in hac narratione, seu in pompa ingressus in urbem Ierosolymam, hoc praecipuum consilium Dei meminerimus, quod vult extare testimonia, quod se patefecerit.

Deinde ipsa pompa imago est dulcissima Ecclesiae. Personarum genera quatuor sunt, Christus, Apostoli, populus credens, et adversarii. Hi gradus semper in Ecclesia considerandi sunt, Christus filius Dei missus est, ut fieret victima pro hominibus, dat Evangelium suae Ecclesiae, et credentibus donat remissionem peccatorum, reducit eos ad aeternum patrem, et dat Spiritum sanctum et vitam aeternam. Talis rex est, non venit ut imperia mundi partiatur, ut Iudaei sibi Messiae regnum somniant, sed res aeternas, iusticiam et vitam aeternam affert, sic describitur Messias in illo ipso cap. Zachariae, quod hic citatur: Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua, etc. Id est, Deus promissionem dedit, quam vocat testamentum, et id vult sanguine Messiae sanciri, hoc sanguine Messiae fuso educet vinctos e lacu, id est, abolita morte restituet vitam aeternam. Denique hanc praecipuam personam Christum in hoc spectaculo necesse est maxime agnosci, et eius beneficia intelligi, quae saepe alibi commemorantur.

Post Christum Apostoli considerentur, id est, ministri Evangelii, hi ad Christum adducunt

asinam et pullum, id est, populum legis et gentes, et imponunt Christum, non sese, id est, volunt Christum regnare, non quaerunt sibi imperium et potentiam, nec fingunt novam doctrinam, sed Christi doctrinam fideliter proponunt.

Tertio loco est populus credens, hi triplex officium praestant, canunt laudes venienti Messiae, gestant frondes oleae et palmarum, et substernunt vestes. Haec officia semper et debet praestare, et utcunque praestat Ecclesia. Cantus significat doctrinam Evangelii, invocationem, confessionem et gratiarum actionem. Nam et hic ipse coetus sonans vocem Psalmi, profitebatur hoc carmine, hunc ipsum doctorem, qui invehebatur triumphans in urbem, esse Messiam. Nam usitatum erat hunc Psalmum recitare in synagogis, in precatione, qua petebatur adventus Messiae. Describit autem Psalmus et passionem, et gloriam Messiae, in his verbis: Ozianna, benedictus qui venit in nomine domini rex Israël. Prima pars est precatio ad Deum, ut regno novo adsit, et repressis diaboli et mundi furoribus, Christum adiuvet, et multos ex mundo ad veram agnitionem filii, et obedientiam Evangelii et vitam aeternam pertrahat, colligat magnam Ecclesiam, et multis impertiat beneficia Christi. Ideo dicunt: Hozianna, id est, adiuva hunc tuum Messiam et victoriam ipsi, et Ecclesiae tuae salutem impertias.

In reliquis verbis est professio, quis sit hic triumphator, rex Israël, videlicet Messias promissus, benedictus, scilicet iuxta promissionem datam Abrahae. Hunc sciunt esse semen benedictum, Deo placens, propter quod benedicetur Ecclesiae, id est, auferetur maledictio placata ira Dei, tollentur peccatum, et poenae peccati, calamitates et mors, et hic promissus rex venit in nomine domini, id est, mandato et potentia Dei, qui eum misit, unxit, iuvabit, ut tollat peccatum et mortem.

Haec breviter de cantu dixi, ut nos admoneamus quales cultus a nobis haec imago postulet. Primum enim, ut dixi, postulat doctrinae cognitionem, et praedicationem, invocationem, confessionem, et gratiarum actionem.

Deinde rami oleae et palmarum signa sunt confessionis, olim petentes a duce aliquo pacem, ad eum accedebant gestantes oleae ramum, ut apud Livium lib. 10. Dec. 3.: Navis Carthaginensium petentium pacem venit ad Scipionem, velata infulis et ramis oleae. Haec igitur ceremonia et hoc loco significat hunc Messiam esse autorem verae pacis cum Deo, per eum et propter eum dari nobis pacem a Deo, remitti nobis peccata, et nos recipi a Deo, et tolli iram et mortem aeternam. Frondes vero palmarum significabant victorias, et in triumphis gestabantur. Ita hic tribuitur Christo laus, quod sit victor. Mordet calcaneum Christi et Ecclesiae diabolus, et exercemur horribilibus aerumnis, sed vincit Christus et reprimit diabolum, et tandem ei prorsus adimit potestatem grassandi, et excruciabit eum aeternis poenis. Et quanquam imperia horribiliter oppugnat, Ecclesiam publice et privatim, excitat dissidia, dissipationes, scandala, et multos impellit in peccata et aerumnas ingentes, tamen in his vincit Christus, sanat publica et privata vulnera, rursus erigit confugientes ad ipsum, sicut dicit: Nemo rapiet eas ex manibus meis.

Tertium officium est substernere vestes, id est, corpus et facultates conferre ad ministerii constitutionem et defensionem, item si sit opus, potius amittere vitam et opes, quam abiicere Evangelium in confessione, sicut scriptum est Matth. 16.: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Non vult Christus nullas esse facultates suorum, imo ut necesse est multos vivere, et esse politias aliquas et hospitia Ecclesiae: ita necesse est aliquos habere patrimonia, domos, agros, opes, sed ut vitam, ita et facultates vult conferri ad evangelici ministerii conservationem, et vult confessionem Evangelii anteferri his bonis. Explodantur ergo Anabaptistarum deliramenta, qui vitae politicae ordinem conturbant, et negant Christianos posse retinere proprium, etiamsi nemo eripiat, sed discrimen teneamus, quando liceat retinere, quando cedendum sit, et donec Deus possidere nos sinit, agnoscamus eius beneficium, et pro politia, ac pro hospitio gratias agamus.

Postremo sunt in hac triumphali pompa adversarii damnantes Christum, et prohibentes excipi, et celebrari eum, ut semper sunt impii, qui propter suos quaestus et potentiam defendunt errores et idola, et conantur delere Evangelium, sed Christus hos castigat, et confirmat suos, et citat consolationem dulcissimam ex Psal. 8.: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.

Excitat, inquit, Deus humiles et imbecilles, ut sonent Evangelium, etiam repugnantibus tyrannis et magnis gubernatoribus mundi. Duplex consolatio proponitur in hoc dicto. Monemur, ne moti imbecillitate docentium contemnamus Evangelium, imo ne nos nostra imbecillitas moveat, ut deseramus ministerium Evangelii. Deinde auxilium promittitur, Deum, ait, perficere laudem, adiuvat Deus docentes, ut Esaiae cap. 51. dicitur: Posui verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos. Haec breviter de pompa triumphali Christi ingredientis Ierosolymam annotavimus, ut studiosi agnoscant in illa pompa Ecclesiae imaginem et illustres significationes.

Erant autem quidam Graeci.

Breves narrationes et abruptae recensentur, Christus concionem incoat, quae taxat cupiditatem gloriae, et testatur Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci. In hac ipsa concione accidit ei subita consternatio animi, in qua exclamans invocat patrem, et exauditur manifesta vox de coelo, quae consolationem promittit, deinde sequuntur novae sententiae. Sed dicamus ordine ac breviter de singulis.

Occasio primae concionis hoc loco est, quod Apostoli Christo honorificum esse duxerunt, venire Ethnicos ad eum videndum, et somniarunt iam illud aureum regnum a Messia constituendum, in quo cogitabant Christum et eius amicos apud gentes in magno honore futuros esse. Nihil autem homini dulcius est gloria, praesertim cum tranquillitate coniuncta, seu spe tranquilli et gloriosi status, hunc omnes appetimus et quaerimus. Sed Christus hunc errorem Apostolorum et aliorum somniantium tale regnum in Ecclesia, et hanc vitiosam cupiditatem damnat, inquiens: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Qui amat animam suam, perdet eam.

Erit quidem cum filius hominis ornabitur gloria, et suo tempore universa Ecclesia gloriam habitura est, sed et me prius crucifigi oportet, et universam Ecclesiam prius in hac vita oportet subiectam esse cruci, et ingentibus aerumnis. Haec breviter summa est concionis et principalis propositio. Ac de Christo nota est causa, quare ipsum oportuit pati. Nam cum nollet Deus totum genus humanum perire, et tamen iusticia Dei compensationem, et poenam pro peccatis nostris postularet, Filius factus est deprecator, et poenam ac horrendam iram Dei in sese derivavit, ut nobis pater placaretur, passus est igitur non propter sese, sed propter nos, ut Ioannes inquit: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, et Esa. 53. eadem sententia prolixe tradita est.

Sed cur Ecclesia patitur? Non ut propriis afflictionibus mereatur reconciliationem, sed aliae multae sunt causae, verum praecipua est, cum peccatum haereat in nobis, vult Deus hanc massam peccati destrui, ut nova natura vestiamur. Ideo manet mors, et ut agnoscamus iram Dei adversus peccatum, si repressis pravis inclinationibus accendatur in nobis nova lux, et crescat, ideo magis exercetur Ecclesia, quam caeteri homines, et concurrunt aliae causae, recitatae aliis locis. Deponamus igitur illas suaves imaginationes, magis placidam et tranquillam vitam nostram fore, quia sumus membra Ecclesiae Dei. Imo sciamus nos circumferre peccatum, et propterea mergi in aerumnas ingentes, ut discamus agnoscere iram Dei adversus peccatum, nec crescere lucem Spiritus sancti in nobis sine cruce, sicut Psalm. 38. dicitur: Propter iniquitatem corripis hominem, et 1. Corinth. 4.: Exterior noster homo corrumpitur, ut interior renovetur de die in diem. Item Esaiae 28.: Quem docebit scientiam? ablactatos a lacte, et deinde: Sola vexatio dat intellectum. Item: Castigabit eum Deus suus in iudicio, ut eum doceat, et Ieremiae 31.: Castigasti me domine, et eruditus sum. Esaiae 66.: Ad quem respiciam, nisi ad afflictum et contritum spiritu, et trementem sermones meos. Denique ubique se offerunt testimonia in Prophetis et Apostolis, et sunt illustres conciones ipsae historiae omnium sanctorum ab initio, Adae, Evae, Abel, Abrahae, Iacob, Ieremiae, Baptistae, Christi, Apostolorum, Martyrum.

Hic dicat aliquis, cur igitur traditae sunt promissiones illae: Beatus vir, qui timet dominum, opes et divitiae domi eius, et similes? Respondeo: Utraque sententia vera est, et subiectam esse Ecclesiam cruci, et tamen eam iuvari a Deo, et hoc differunt piorum aerumnae ab impiorum aerumnis. David, Ieremias, Daniel, Paulus, et similes, sciunt se etiam cum merguntur in aerumnas, tamen Deo curae esse, et habituros auxilium et mitigationem, et tantisper dum vult Deus

que in suo curriculo servire, mirabiliter erigit et liberat afflictos, ut 2. Corinth. 4. dicitur: Circumferimus hunc thesaurum in vasis testaceis, ut excellentia virtutis sit Dei, et non ex nobis, angimur, sed non deficimus animo, quassamur, sed non perimus. At cum irruunt magnae procellae in Saulem, Pompeium, Catonem, Antonium, et similes, destituti iis rebus, a quibus ratio humana opem petit, prorsus opprimuntur desperatione, et pereunt.

Prosunt igitur promissiones liberationum corporalium, quia cum in hac vita Ecclesiam Dei manere oporteat, servatur corpus mirandis modis, ut populus in deserto servabatur, et multae singulorum mirandae liberationes fiunt propter ministeria, vel Ecclesiae, vel politiae, vel oeconomiae: ut quoties mirabiliter eripiuntur morti, David et Ieremias? hoc hae praesentes liberationes sunt imago integrae liberationis futurae, et de ea nos admonent, et alunt ac confirmant fidem, qua credimus Deum nobis adesse, et opitulari, et qua expectamus futuram liberationem, ut allegatur exemplum Psal. 23.: Accedite ad eum, et illuminamini, iste pauper clamavit, et dominus exaudivit eum, etc. Haec de cruce, et promissionibus hic breviter recensui, admonendi lectoris causa, ut summam huius concionis consideret. Caeterum alibi prolixius totus hic locus tractari solet.

Illud obiter addendum est de Graecis, qui venerant adorandi causa, quale genus hominum intelligit? Valde prodest scire quae genera hominum tunc fuerint Ecclesia Dei. Non enim soli Israëlitae, id est, nati ex semine Abrahae, fuerunt tunc Ecclesia Dei, sed etiam multi Ethnici, erant igitur genera tria: Israëlitae, id est, nati ex semine Abrahae, hos oportuit esse circumcisos, et observare ceremonias Mosaicas. Secundum genus erant Proselyti, qui ex gentibus conversi, etiam voluerunt circumcidi, et observare ceremonias Mosaicas. Tertium genus fuit haud dubie magnum, de quo hic loquitur, et in Actis Apostolorum vocantur viri religiosi, videlicet Ethnici, qui sine circumcisione et observatione ceremoniarum didicerant promissionem salutis datam propter venturum semen, quo benedicendae erant omnes gentes, et hac fide invocabant Deum verum, qui se populo Israël patefecerat, et verbum suum eis tradiderat. Tales fuerunt Naaman, Syrus, Nabuchodonosor, et eius filius, item Darius, Cyrus, Cornelius in Actis Apostolorum, Athiops, Eunuchus, et multi tales Ethnici fuerunt Ecclesiae verae membra, ideoque dispersi sunt inter gentes Israëlitae, ut multi Ethnici ad ignitionem veri Dei vocarentur.

Qui odit animam suam.

Utrunque consideremus, praeceptum et promissionem. Praeceptum est, ut mandatum Dei, hoc est, confessionem verae doctrinae anteferamus vitae nostrae, et in hoc praecepto monemur, multos et magnos fore hostes Evangelii. Quare magnum erit periculum, circumferre Evangelii praedicationem, nam quod ait: Qui amat animam suam, perdet eam, intelligatur, ut alibi dicit: Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, etc. Ita hic damnat amantem animam propriam, id est, vitam, plus quam Deum, seu mandatum Dei. Ordo enim servandus est, mandato Dei regenda est vita, quod primum iubet Deo obedire, et postea propter Deum creaturas diligere, ita ut quamquam diligere praecipit.

Deinde hanc dulcissimam promissionem meminerimus, quae concionatur de exitu. Si quis mihi ministrabit, honore ornabitur a patre. Breve dictum est, et saepe cogitandum. Doctores et discipuli Evangelii sunt despecti, ac spreti a potentibus, sed se hac voce consolentur, quod Christus hic promittit futurum esse, ut ornentur gloria a patre, eadem consolatione nos sustentemus in omni genere periculorum. Magnae discordiae secutae sunt taxatis erroribus, et videntur futuri exitus tristes recte docentium, saepe etiam scandalis principum, et populi deformantur, sed sciant exitus fore salutares. Pater enim ornabit gloria ministros suos, et quamvis aliqui interficiantur, tamen Deus illorum causam defendet, et tandem in aeterna vita universae Ecclesiae gloriam patefaciet, damnatis et abiectis hostibus in aeternos cruciatus. Haec breviter de his praeceptis et promissionibus tantum admonendi lectoris causa dixi, ut haec brevia dicta, quae quidem satis perspicua sunt, attentius consideret.

Et nunc anima mea turbata est.

Interrumpitur eius concio tanta consternatione animi, ut fuerit clara voce patris de coelo confirmandus. Quaeri autem solet, cum Christus semper viderit patrem, et semper fuerit beatus,

quomodo potest cum illa animi laetitia existere consternatio, aut moestitia, qualis alibi describitur, cum ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. Etsi autem ingentes motus in Christo tum laetitiae, tum tristitiae nemo potest satis explicare, tamen Ecclesiam aliquid de eis cogitare necesse est, quia aliquo modo utrosque degustat, et in Psalmis saepe describuntur utrique, ut consternata mens dicit: Deus meus, quare dereliquisti me? Item: Non est salus ei in Deo suo, et similia dicta passim obvia sunt, ut autem hanc totam disputationem complectamur, distribuemus eam in aliquot articulos.

Primus: Assumsit filius Dei naturam humanam, veram, integram, incorruptam, habentem omnes vires et appetitiones naturae proprias, item non vitiosam, sed passibilem sine peccato, et mortalem, quas infirmitates volens assumsit propter nos, ut posset fieri victima, sic ad Heb. 4. dicitur: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato. Etsi igitur Christus videbat patrem, et erat beatus, tamen humana natura habuit suas appetitiones, sed ordinatas. Et hae saepe recitantur, esurit, sitit, laetatur, irascitur, misericordia afficitur, dolet, lacrymat, conflictatur ingenti moesticia. Hi affectus in Christo non fuerunt simulati, sed veri et ingentes motus, et sunt illustria testimonia, ostendentia in Christo vere esse humanam naturam.

Secundus articulus, ut gradus dolorum et consternationum in Christo aliquo modo considerentur, potentiae discernantur, et quid cuique proprium sit, constituatur, ita et causas dolorum et consternationum, et quales fuerint hi motus, aliqua ex parte dicatur. Infimus gradus est appetitionum naturalium, ut famis et sitis, et doloris, qui tactum comitatur, ut dolor, qui lacerationem corporis seu nervorum sequitur. Haec fuisse in Christo, et non esse vitiosa constat, quia sunt res sic conditae a Deo. Natura nervorum est, cum lacerantur, cruciatum efficere, neque hic cruciatus est rebellio contra mentem, quia est res sic creata, quare facile intelligi potest non esse vitiosam. Secundus gradus est affectuum, qui in corde ex metu illius lacerationis et mortis oriuntur, et ut ita dicam, trepidatio est cordis fugientis mortem et lacerationem, et cor rapit aliqua ex parte secum voluntatem, sed eluctantur cor et voluntas, ut se subiiciant voluntati Dei, ut in caeteris viris fortibus, in Daniele aut Ieremia est metus mortis in corde, et hic rapit secum voluntatem, etsi Spiritu sancto confirmantur voluntas et cor, ut superent metum, et placide adeant mortem, quia dilectio Dei accendit eos, ut obedire ei velint.

Hic quaeritur, cum cor et voluntas aliqua ex parte dissideant a iudicio mentis, an hoc dissidium in Christo, ut in caeteris hominibus sit vitiosum. Respondeo: Sicut dolor ex laceratione ortus, vere naturalis est, et non est vitiosus: ita metus quidam illius lacerationis est naturalis. Metuit et refugit Christus, sed ordinate, non ut nos, inordinate. Nam ordinate natura supra vires onerata gemit, nec frangitur sine aliquo sensu doloris, et tamen in hoc ipso gemitu mens retinet suum iudicium, quod Deo sit obediendum: et voluntas Deum diligens vincit trepidationem suam et cordis, et vult Deo obedire, et hac voluntate placide sustinet mortem. Non est igitur vitiosa haec trepidatio, quia est naturalis et ordinata, non ut in nobis, inordinata, fugiens mollitie et amore voluptatum, et cum dubitationibus de Deo, aut fremitu adversus Deum.

Sed tertius gradus est dolorum, seu consternationum, quae sunt longe supra naturales illos dolores, et causas naturales, videlicet sensus irae Dei adversus peccatum. Agnoscit Christus Deum horribiliter irasci generi humano propter peccatum, et hanc iram effundi nunc in se, tanquam victimam, dolet Deum offensum esse a genere humano, et luctatur cum tentatione de abiectione. Hic summus gradus est horrenda et inenarrabilis consternatio voluntatis, quae totius naturae vires velut incendium absumit, ut dicit Moses: Deus ignis consumens est. Et Ezechias: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. De hac difficilior est quaestio. Sed idem de ea respondendum est, ut supra, etsi longe maior est haec consternatio in Christo, quam in Davide, Esaia, Ieremia, Ezechia, et similibus. Nam Christus pro nobis tulit iram et iudicium Dei. Tamen dissimilis est in Christo, et in caeteris. Nam in omnibus aliis cum fuga existit fremitus adversus iudicium Dei, et in his, qui non eluctantur confugientes ad victoriam Christi, videlicet in damnatis, sequuntur horrendae blasphemiae. At Christus fert terrores sine indignatione adversus patrem, ideo haec trepidatio est sine peccato, et non est vitiosa.

Ex hoc tertio gradu existimo fuisse et hanc subitam consternationem, cuius fit mentio in hoc cap. 12. Ioannis, in qua cum divina voce confirmatus sit Christus, non dubium est ingentem terrorem fuisse. Nec curiositatis causa haec recitavi, sed ut cogitantes de Christi passione, non tantum corporis lacerationes consideremus, sed sciamus in anima etiam ingentes et inenarrabiles moesticias fuisse, et simul discamus magnum quiddam esse iram Dei adversus peccata humani generis, et mirandam esse in filio Dei humilitatem, qui se sic abiecit, ut in sese derivarit iram Dei, quasi ipse pollutus fuisset nostris sordibus. Quae oratio angelorum aut hominum explicare potest, quanta fuerit haec humilitas et abiectio sui? Utinam etiam ex aliqua parte cogitemus de amore Christi erga nos, cum se adeo abiecerit propter nos, necesse est immensum amorem esse. Hunc intuentes confugiamus ad ipsum, petamus et expectemus auxilium et salutem, gratitudinem etiam obedientia nostra declaremus. Haec omnia cogitanda sunt, quoties de Christi doloribus dicitur.

Dixi supra de passione Christi duo haec quaeri. Primum cum fuerit aliqua trepidatio, an fuerit vitiosa. Alterum quomodo potuerint in eo simul existere laetitia propria beatorum, et tanta consternatio. De priore iam dictum est: In Christo etiamsi fuerunt trepidationes, tamen non fuisse eas vitiosas. Quia non fuerunt similes nostris inordinatae, in quibus fremunt voluntates adversus Deum, sed fuerunt gemitus naturae oneratae supra vires, cum tamen voluntas retineret obedientiam sine indignatione adversus Deum.

De altera quaestione longae et variae sunt responsiones. Sed nos breviter respondemus: Tempora discernenda esse de Christo. Aliud est typus passionis et huius admirandae obedientiae et abiectionis, seu humilitatis Christi, aliud tempus extra passionem. Quia enim admirando consilio Dei decretum fuit, ut filius fieret victima, necesse fuit aliquod tempus esse mactationis victimae. Etsi igitur Christus semper fuit beatus, tamen illo tempore, quod destinatum fuit passioni, non ita fulsit beatitudo, ut extra passionem, sicut dicitur de tempore, Psalm. 8.: Minuisti eum paulisper a Deo. Quid sit illud diminuere vel deserere, expressit Esaias, inquiens: Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Voluntatem et decretum Dei fuisse inquit, ut a Deo ipso obrueretur tanta ira, ut esset λύτρον pro nostris peccatis, quia iusticia Dei flagitabat aliquam compensationem. Omnis enim lex vel ad obedientiam, vel ad poenam obligat. Nec est quiddam, conteri a Deo. Aliud est lacerari corpus ferro, aut a bestiis. Aliud, et longe maius est, percuti a Deo, et sentire iram Dei, hoc est, luctari cum tentatione de abiectione. Tali tempore conspectus, qui beatitudinem, vitam, laetitiam efficiebat, non clare cernebatur. Idem et Irenaeus erudite dixit: Verbo quiescente passum esse Christum, ut crucifigi et mori posset, id est, verbum tunc non exercebat potentiam suam. Sic paulisper Christus a Deo ostendente potentiam et beatitudinem desertus est, sicut et ipse clamat: Deus meus, quare reliquisti me? Loquitur de tempore, et Psalm. 110. De torrente in via bibet, tempus circumscribit hoc verbum, in via. Deinde sequitur gloriae revelatio, propterea exaltabit caput. Sic de tempore loquitur Christus, orans se rursus ea gloria ornari, quam habuerit ante mundi conditionem, Ioannis 17.

Haec responsio est planior, quam aliae quae a sententiariis recitantur, quas qui requiret, legat apud ipsos. Nos de his tantis et tam arcanis rebus pie et reverenter cogitemus, et magnitudine dolorum Christi utcunque considerata, agnoscamus Deum vere et horribiliter irasci peccatis, ingentem vim esse amoris erga nos in filio, qui pro nobis poenam subiit, et timorem et fidem ardentibus cogitationibus excitemus.

Haec de consternatione hoc loco satis sit dixisse: Sequitur consolatio manifesta, quae non solum confirmatio fuit consternati Christi, sed etiam testimonium coram populo, hunc Iesum a Deo missum esse. Clare enim inquit vox divina: Et glorificavi, et rursus glorificabo, quasi dicat: Testis sum, te a me aeterno patre missum esse, idque declaravit, quia tecum resuscitavi mortuos, et alia feci miranda, et postea rursus proponam testimonia in tua resurrectione.

Nunc iudicium est mundi.

Exemplum hic cernis eius sententiae, quam nunc recitavi de discernendis temporibus. Languefactus erat Christus subita consternatione, sed rursus in hoc terrore sese erigit, praesertim confirmatus voce divina, et ut antea expaverat, ita nunc rursus laetatur, et verba gloriosissimi triumphi laetus recitat. Nunc iudicium est mundi hu-

ius, nunc princeps huius mundi foras eiicietur. Obscura dicta sunt humanis iudiciis. Nam Pilato et similibus nihil novi videbatur geri, aut fieri in mundo, videbat circumire Christum, ut Socratem, et taxare malos mores, et postea circumventum iniquis iudiciis, existimavit casu oppressum esse, ut Socratem: Nec eam rem afferre mutationem humano generi, vel imperiis. Sed tunc iudicavit Pilatus iudicium mundi fieri, cum vidit a Caio Caesare, et postea ab Augusto puniri inquietos principes, puniri avaritiam, et liberari orbem terrarum eorum tyrannide, et novas leges iustas et tolerabiles gentibus ferri, restitui iudicia, et muniri pacem. De his rebus gestis dixisset Pilatus, tunc iudicium mundi factum esse, et recte dixisset de iudicio imperiorum, seu politiarum mundi. Hac imagine considerata, verba Christi clarius intelligentur, quae loquuntur de eversione tyrannidis diaboli, et membrorum eius, et destructione regni peccati, et de novi regni et aeterni constitutione, et liberatione electorum, iam inquit illud praelium fiet, in quo ego superabo diabolum, et potentiam eius frangam.

Etsi igitur ab initio mundi patres salvati sunt voce Evangelii, et fide venturi mediatoris, et semper fuit efficax mediator, tamen sic Prophetae, Christus et Apostoli loquuntur, hoc ipsum opus, scilicet passionem et resurrectionem Christi esse consummationem promissionum, quia est causa, meritum et incoatio vitae aeternae, et propter hoc opus antea efficax fuit mediator. Sic loquitur Daniel cap. 9.: Tunc finietur peccatum, et adducetur iusticia sempiterna, et implebitur prophetia, incoatur vita aeterna electorum in resurrectione Christi, et consummatur in multis resuscitatis. Sed aliqua membra expectant consummationem, exhibita tamen est causa et persolutum pretium, quod antea expectabatur. Ita hoc loco dicitur: Nunc iudicium est mundi, id est, nunc novus ille status incoabitur, in quo electi liberabuntur a tyrannide diaboli, a peccato et a morte, et econtra tyrannus cum suis membris damnabitur, reprimetur, et tandem in aeternas poenas abiicietur. Ideo in textu dicitur: Nunc princeps mundi foras eiicietur. Etsi enim inde usque ab initio in patrum et electorum liberatione diabolus repressus est, tamen nunc illud opus fiet, propter quod priores liberationes factae sunt, causa, meritum, incoatio manifesta vitae aeternae exhibebuntur.

Caeterum diligenter nobis hanc consolationem inculcemus, diabolum foras eiici a Christo, conveniunt verba ad illud dictum Ioannis: Filius Dei apparuit, ut destruat opera diaboli. Quod dictum interpretatio est primae promissionis, traditae in Genesi: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Haec conculcatio palam fit in resurrectione Christi, et fit universaliter, quoties Christi auxilio reprimitur diabolus, ne nos evertat. Ut igitur has promissiones discamus, non esse inanes sonitus verborum, sed revera haec beneficia omni tempore invocantibus dari, in quotidianis negotiis, periculis et certaminibus fides luceat, petens et expectans haec beneficia, sicut inquit Christus: Petite, et accipietis. Haec fides experitur promissiones veras esse, et donari nobis mirandas liberationes.

Nos audivimus ex lege.

Dixerat Christus se exaltandum esse, id est, crucifigendum, et omnes ad se tracturum esse, Gentes et Iudaeos, et sine errore intellexerat populus, Christum de morte loqui. Addunt igitur quaestiones de pugnantia, quae passim in Prophetis est obvia: Alibi dicunt, Christum moriturum, ut Esaias et Daniel expresse dicunt. Alibi dicunt, Christum regnaturum esse perpetuo sine fine. Hanc pugnantiam explicare nec Pharisaei tunc poterant, nec nunc possunt Iudaei. Fingunt igitur politiam multorum seculorum, et obliviscuntur regni coelestis in vita aeterna. Disputant enim natum ex semine David, si moriatur, non regnare. Promittitur autem regnum aeternum non naturae alicui incorporeae, sed filio nato ex semine David. Haec pugnantia conciliatur per resurrectionem. Moritur Christus, cum autem oporteat regnare natum ex semine David, necesse est eum resuscitari, regnat igitur resuscitatus in vita aeterna. Haec satis est admonuisse, ut pii intelligant novum testamentum lucem esse Prophetarum et Iudaeos facilius refutent, collatis dictis propheticis. Nam alia de morte loquuntur, alia de regno aeterno seminis David, alia clare dicunt, Christum moriturum quidem, sed tamen eripiendum esse ex morte, ut Esaias inquit cap. 53. Et Psalm. ait: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Propterea non poterant credere, etc.

Duae sunt sententiae; prior ait: Multos etiam conspectis miraculis non credidisse. Id exemplum eo recitatur, ne paucitate credentium pii moveantur, ut ipsi quoque deficiant. Ut multi sunt Turci, et aliarum sectarum homines, qui ratiocinantur, non videri tot gentes frustra conditas esse, et propterea amplectuntur errores, quia magna est multitudo, quae illos approbat. At saepe nos Prophetae, Christus et Apostoli adversus hoc scandalum consolantur, et de hoc ipso loco tota parabola de semine in dissimiles terras sparso concionatur. Valde enim opus est omnibus piis hac praemonitione, quia omnes moventur exiguitate et miseriis Ecclesiae.

Altera quaestio est hoc loco de causa electionis et reiectionis. Estne voluntas Dei causa contumaciae in impiis, cum hoc loco dicatur, ideo multos non potuisse credere, quia Propheta dixerit: Excaecavit oculos eorum. Respondeo: Firmissime tenenda est haec sententia: Deum nec velle peccatum, nec esse causam peccati, sicut Psal. 5. clare dicitur: Non volens Deus impietatem tu es, et supra Christus ipse inquit: diabolum causam esse mendacii et homicidii, cum vocat eum patrem mendacii, et addit: Cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur, id est, ipse se avertit a Deo sponte, nec accipit a Deo conditore depravationem seu mendacium, et 1. Ioannis 3. dicitur: Qui peccatum facit, ex diabolo est, quia diabolus primum peccavit. Vera est igitur sententia, contumaciam in damnandis non esse a voluntate Dei, sed a voluntate propria damnandorum, et hanc contumaciam causam esse, id est, meritum damnationis, sic et ad Roman. 10. dicitur, citata sententia Esaiae: Tota die expandi manus meas ad populum repugnantem mihi, et contradicentem, ait offerri salutem a Deo omnibus, sed non omnes amplecti oblatum beneficium, sed multos Deo repugnare. Non igitur voluntas Dei causa est contumaciae in ipsis, sed voluntas ipsorum propria.

Quare quod Ioannes dicit, ideo multos non credere, quia praedictum sit: Excaecavit eorum oculos, intelligatur ratione consequentiae, Propheta praedixit: Quia erat eventurum. Deinde phrasis dextre intelligatur, quae usitatissima est Ebraeis de permissione: Excaecavit oculos eorum, id est, permisit esse caecos, non liberavit eos a caecitate, non adiuvit eos, ut sanarentur. Est autem querela apud Prophetam, significans furorem impiorum, qui audita voce Evangelii fiunt rabiosiores, quasi dicat: Quid profecit docens Evangelium? reddidit duriores, ut vulgo loqui solemus, per accidens, id est, rabies audito Evangelio crevit, quia voluntas in ipsis aversa, odit et fugit Evangelium, non quia Deus agat aliquid in voluntate eorum, imo Paulus clare dicit: Confirmari caecitatem illam a diabolo, qui mentes movet, ut cogitent Evangelio contraria. Ut movit mentem Manichaei, et similium, ad portentosa mendacia excogitanda. Nec vero dubium est phrasin Hebraicam in his verbis: Ego indurabo cor Pharaonis, et similibus de permissione intelligendam esse, ut Esaiae 63.: Quare errare nos fecisti domine a viis tuis? Hic satis perspicuum est permissione dici. Haec simplex explicatio de merito reiectionis, et de causa indurationis, seu pertinaciae plana est, et nihil habet perplexitatis, et haud dubie vera est, nec prodest quaerere alias disputationes, quae multos habent labyrinthos inexplicabiles.

Est autem expeditior responsio de reiectione, ut dixi, altera disputatio difficilior est de electione, non dubium est misericordiam, seu voluntatem Dei miserentis vere esse causam electionis. Nam post lapsum Adae iam totum genus humanum perierat, nec poterat Adam, aut posteritas eius, propriis viribus recuperare amissam dignitatem, sed arcano et mirando consilio Dei, deprecante filio, immensa misericordia rursus promissa est reconciliatio, et haereditas vitae aeternae, ne tota hominum natura tantum ad exitium condita esset. Causa igitur electionis est sine ulla dubitatione misericordia, et meritum filii Dei, sicut Ioann. 3. dicitur: Sic *Deus* dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et Paulus ad Ephesios secundo capite inquit: Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur, et ad Romanos nono et decimo prolixius haec sententia traditur.

Est igitur in voluntate Dei causa electionis, misericordia, et meritum Christi, sed concurrere oportet apprehensionem nostram. Cum enim promissio gratiae sit universalis, ut manifestissimum est, et necesse sit nos obedire promissioni,

aliquod discrimen inter electos et reiectos a voluntate nostra sumendum est, videlicet, repugnantes promissioni, reiici. Econtra vero amplectentes promissionem recipi, sic nos sentire necesse est in vero agone, quia de voluntate Dei nec potest, nec licet aliter iudicare, nisi ex revelata promissione. Imo quid aget mens Davidis pulsi in exilium, quo confugiet, disputans praesertim in tanta calamitate, an sit reiectus. Nusquam voluntatem Dei cernet, nisi in promissione universali, hac se voce consolabitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

In hanc universalem se quoque includet, et statuet, certo velle Deum, ac praecipere, ut promissioni assentiamur, et assentientes recipi. Haec in ipsis fidei exercitiis melius discuntur, quam in otiosis speculationibus, non fingamus, ut Manichaei, voluntatem humanam saxum esse, et indulgendum esse dubitationi, donec senserimus nos cogi invitos, ut credamus, sed ipsi cogitata voce Evangelii acerrime repugnemus dubitationi, quod cum facimus, accenditur in nobis fides, et Spiritus sanctus est efficax.

Haec vera, certa, plana et perspicua sunt, et ex his fundamentis extruuntur, videlicet, quod necesse sit assentiri promissioni, quod de voluntate Dei iudicandum sit ex ipso verbo proposito, prorsus ut Adam iudicabat, qui quoties angebatur de suo lapsu, intuebatur promissionem venturi reconciliatoris, nec alias opiniones quaerebat, sed sustentans se promissione, statuebat se receptum et electum esse. Ita et nos sentiamus, qui a verbo trahimur, quod fide accipi necesse est, nec aliae quaerantur illuminationes. Cum enim dicitur: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum, trahi nos sciamus, cum verbum Evangelii amplectimur fide, sicut eodem loco dicitur: Omnis qui audit a patre et discit, venit ad me. Trahi ergo mentes, inquit, cum audiunt Evangelium et discunt, id est, cum amplectuntur fide, nec repugnant, sed credunt. Nam postea ipse Christus illud audire et discere interpretatur credere voci Evangelii.

Ac ut promissio gratiae est universalis, ita intelligamus haec dicta loqui de promissione: Deus vult omnes salvos fieri. Item: Apud Deum non est *προσωποληψία*, ut Act. 10. dicitur de hac ipsa quaestione, quales placeant Deo, et Deut. 10.: Deus vester est Deus magnus, et potens, et terribilis, qui personam non accipit. Est autem acceptio personae, non esse aequalem aequalibus omnino. Laus est igitur iusticiae Dei, quod est aequalis aequalibus iuxta regulam, quam tradidit, damnat peccatum in omnibus, et dedit filium propiciatorem pro omnibus. Recipit igitur omnes confugientes ad filium, reiicit omnes contemnentes filium, hanc voluntatem suam in promissionibus clare proposuit. Sic enim inquit Ioan. 3.: Omnis qui credit in filium, habet vitam aeternam, et qui non credit, manet ira Dei super eum. Haec dicta illam aequalitatem definiunt, et ostendunt non esse *προσωποληψίαν* apud Deum.

Nec adversantur haec dictis Pauli ad Romanos 9.: Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Verum est enim misericordiam et meritum Christi esse causam electionis, et trahi electos a Deo, sed verbo et Spiritu sancto trahuntur. Hic velle oportet, nec repugnandum est trahenti Deo, nec retinenda in animis et confirmanda diffidentia, seu expectandum donec cogatur voluntas, ut saxum vi impellitur, cumque in pavoribus sustentat se mens promissione gratiae, simul est efficax Spiritus sanctus, iuxta dictum illud, ad Galatas 3.: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Haec de causis reiectionis et electionis hoc loco commemorata, transferantur etiam ad similes locos in Ioanne, in quibus de reiectione aut electione dicitur.

Haec dixit Esaias quando vidit gloriam eius.

Simplex sententia est, dixisse haec Prophetam, quando spiritu agnovit venturi Christi regnum, praedicationem, passionem et resurrectionem. Citatur enim cap. 53. Esaiae, quo Christi passio et resurrectio describuntur, sed alia sententia est, ut existimo, magis propria, dixisse haec Prophetam, cum vidit gloriam Christi, id est, visibilem speciem, quae describitur Esaiae 6.: Vidi Dominum sedentem supra solium excelsum. Significat enim Ioannes filium Dei se ostendisse Patribus et Prophetis, et cum eis collocutum esse, ut de Iacob, Mose, Iosue, Daniele, dicta non obscura leguntur.

Iesus autem clamavit: Ego non iudico.

In fine huius capitis repetit summam Evangelii, et magno animi motu, et gravissima asseveratione allegat Deum autorem, et profitetur se

a Deo missum esse. Hae asseverationes toties repetuntur, ut pii confirmentur, et certius statuant, vere esse hanc voluntatem Dei, quam praedicat Christus, vere recipi, et exaudiri a Deo, ac salvos fieri omnes confugientes ad Christum.

Quanto animi impetu hae voces effunduntur? Quid dicam? quid loquar? Scio mandatum eius esse vitam aeternam. Hae repetitiones amorem erga nos, et desiderium nostrae salutis, et ardentem iram adversus incredulos significant. Non veni, ut iudicem mundum, sed ut salvum faciam, Hoc dictum dextre intellectum non dissentit a caeteris dictis, quae dicunt Christum iudicem esse. Hic enim et in similibus locis loquitur de causa principali adventus ipsius, et de primo adventu, quo Christus fit victima. Principalis causa, propter quam missus est Christus, haec est, ut placata ira Dei, per ipsum Ecclesia Deo in genere humano colligatur, cui detur iusticia et vita aeterna. Et quidem in primo adventu tantum fungitur officio sacerdotis, docet et offert suum sacrificium, sed in secundo adventu ostendet coram toto mundo, se fungi etiam munere iudicis. Praeterea totum genus humanum iam antea condemnatum est, propter lapsum Adae, et peccatum, quod grassatur in tota natura hominum, et propter contemtum filii Dei, ut supra dicitur: Qui non credit, iam iudicatus est. Tantum illi excipiuntur, qui credunt Evangelio, et confugiunt ad Christum.

Caput XIII.

Ante festum Paschae.

Moses incoat diem a vespera, tunc igitur initium fuit diei quartidecimi, quo iuxta legem agnum paschalem manducari oportuit, quare de initio eius diei inquit: Ante festum Paschatis, sed tamen de eo ipso die loquitur. Nam consideratio narrationis in Luca ostendit Christum ipso die quartodecimo, sicut Iudaei diem describebant, et manducasse agnum, et crucifixum esse. Ut autem Ioannes in tota sua historia consulto praeterit narrationes, quae extant in aliorum Evangelistarum scriptis, ita hic omittit manducationem agni, et institutionem coenae in Ecclesia servandae, ac tantum recitat ablutionem pedum, et dulcissimas conciones postea habitas.

Duplex est autem significatio in hac ablutione pedum. Primum, typus significat ablui peccata et mortem, et reddi nobis iusticiam et vitam aeternam per Christum. In hanc significationem incurrit, cum ait: Nisi lavero te, non habebis partem mecum. Item: Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes laventur, sed est mundus totus. Haec dicta tecte significant beneficium Christi proprium, nisi ipso abluente nos, id est, nisi ipse suo sanguine nos redimat, et nisi credamus nos redemtos sanguine Christi, non erimus haeredes vitae aeternae. Haec sententia hic non indiget longiore declaratione. Deinde sine ulla dubitatione de iustificatione loquitur, cum ait: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes laventur, id est, qui iustus est fide et sanctificatus est, est mundus, id est, placet Deo totus, sed tamen in hac vita pedes assidue lavandi sunt, id est, affectus: natura infirma in hac vita gignit multos errantes affectus, has sordes assidue ablui oportet. Et notae sunt interpretationes, credens, mundus est totus, scilicet imputatione, sed in hac vita incoata est novitas, nondum prorsus completa. Haec alias copiose dicuntur. Monet igitur Christus hoc typo Ecclesiam de praecipua ablutione, id est, de redemtione, qua sanguine suo purificavit Ecclesiam.

Sed altera significatio est exempli, ut discedens postea diligentissime concionatur de ministerio Evangelii et de ministrorum inter sese concordia, et quidem orat aeternum patrem, ut hanc concedat Ecclesiae, ita hic doctoribus exemplum proponit, ut singuli sese infra alios abiiciant, et aliorum errata sanare studeant, non exulcerent, non obtrectatione aliorum augere potentiam conentur, non traducendis erratis captent occasionem alios deformandi et opprimendi. Sed vera dilectione se mutuo omnes admoneant, doceant, regant consilio, tegant errata. Denique absint prorsus privatae cupiditates, ambitio, malevolentia, livor, cupiditas vindictae, etc. et vero pectore hoc tantum agamus, ut ornemus gloriam Christi et prosimus Ecclesiae.

Quanta fuerit in Christo abiectio sui, inde aestima. Nos horribiliter expavescimus, cum ipsi nostras sordes serio cogitamus, nosque indignos vita et luce ducimus. Sic autem Christus coram aeterno patre prostratus sustinuit sensum irae Dei

adversus nostra peccata, quasi ipse ea perpetrasset, et sese tanta turpitudine polluisset. Haec est inenarrabilis humilitas, aliorum turpitudinem sic in sese derivare et transferre. Pudeat igitur nos nostrae superbiae, arrogantiae, vanitatis, impatientiae, cum fremimus, si quando aliquantulum ex gradu superiori detrudimur, aut cum amicos aliqua calamitate vel aliquo lapsu deformatos deserimus, aut etiam premimus. Sed dicat aliquis, si toleranda est infirmitas, si tegenda sunt errata, cur imperiis mandatum est, ut puniant delicta? Cur severe praecipitur Ecclesiae, ut sua iurisdictione contumaces ex Ecclesia eiiciat? Denique cur singulis mandatum est, ut vitent peccantes, tanquam Ethnicos, ut Christus ait: Sit tibi velut Ethnicus? Respondeo: Differunt politica gubernatio, et ecclesiastica. Et tamen utraque ordinem certum observare debet, et gradus delictorum discernere, Politica non est salutis aeternae ministerium, sed pars legis, ideo punit delicta manifesta, etiamsi nulla praecedat admonitio. Sed ecclesiastica iurisdictio, quia pars est Evangelii, primum eos, qui deliquerunt, vocat ad poenitentiam, et offert reconciliationem resipiscentibus, ita est ministerium salutis aeternae. Sed si delictum est manifestum, et post admonitionem sequitur contumacia, tum demum praecipit Evangelium de poena irroganda, videlicet de excommunicatione. Hic ordo in manifestis delictis, quae lex Dei iubet puniri, servandus est, idem sentiendum est de castigatione fraterna. Nec verba Christi de dilectione in hoc loco pugnant cum iure magistratuum, aut ecclesiastica iurisdictione, aut fraterna admonitione. Habet suum locum iusticiae, ut iam dictum est, et haec exercetur a piis, non violata dilectione.

Sed vicina virtus est aequitas seu ἐπιείκεια, de qua dicitur: Remittite, et remittetur vobis, de hac proprie dicitur in hac Christi concione, et habet locum in tribus gradibus, in toleranda infirmitate, quam leges non puniunt, in arcanis delictis et in sanandis manifestis delictis tegendis ante contumaciam. Hi tres gradus in vita late patent, et nunquam dilectioni dseunt occasiones in his declarandae lenitatis et aequitatis.

Primus gradus est, ut magna virtus est tolerare morosos, suspicaces, iracundos, segnes, avidos gloriae, mollius ferentes, si negligi se putent, πολυπράγμονας, attentiores ad rem, quam opus est. Haec naturae sunt, nec puniuntur legibus, et tamen saepe pariunt magnos tumultus, si desit ἐπιείκεια collegis, ut David tulit aemulationem in fratribus suis.

Secundus gradus est, ambigua facta non calumniose in deteriorem partem flectere, levia errata non odiose amplificare, nec arcana traducere, sed tegere et sanare. His occasionibus homines malevoli saepe atroces et tragicos tumultus excitant. Sic Pharisaei accusant Apostolos in sabbato vellentes spicas, sic in Ecclesia ingentes motus orti sunt propter ceremonias. Media facta, multi depravarunt acerbis interpretationibus. Episcopus Romanus excommunicavit aliquos in oriente, quod nollent pascha servare eodem die, quo servabat occidens, et nunc magnae sunt lites de ceremoniis, aliqui damnant Latine canentes in templis. Praetexitur aliqua ratio, sed animi certant ambitione, aemulatione, cupiditate vindictae, et aliis pravis affectibus, et ex levi errato invidus arripit occasionem premendi eum, cui invidet, ut nunc nostras Ecclesias, propter aliqua levia vitia, virulentissime traducunt hypocritae, festucam in alieno oculo culpantes, cum trabem in suo negligant.

Tertius gradus est, ante contumaciam candide et amanter monere errantem et peccantem, et hoc officio revocare eum in viam, ut Petrum revocat Paulus in viam, et Christus placidissime recipit agentes poenitentiam, ut mulierem peccatricem, Zachaeum, et alios. In his tribus gradibus regnare aequitas, seu ἐπιείκεια praecipue debet. Sed severitas seu iusticiae rigor, ut vocant, adversus contumaces in delictis manifestis exerceatur. Idque iudicium non est hominis, sed Dei. Quare magistratus et iudex ecclesiasticus, quia non suae cupiditati, sed mandato Dei obtemperant, tamen retinent dilectionem, cum recte officium faciunt.

Haec generalis distinctio teneatur de severitate et aequitate, quoties illa praecepta occurrunt, quae aliquo modo dissidere videntur, quorum alia iubent ignoscere, ut remittite et remittetur vobis, alia de poena concionantur, ut 1. Corinth. 5.: Auferte malum ex vobis ipsis. Ac in historia de ablutione pedum, quae doctrinam continet de dilectione, locus poscebat hoc discrimen de severitate et de aequitate exponi. Applicat autem Christus ipse exemplum, inquiens: Exemplum dedi vobis, ut sicut ego feci vobis, ita et vos faciatis.

Concio est de dilectione inter fratres tuente concordiam, ad quod officium multis virtutibus opus est, mansuetudine, patientia, aequitate. Ardentius autem commendat suis studium concordiae, iam ex hoc mundo discessurus, ut haec ultima mandata magis moveant animos. Nam haec duo praecipue efficienda sunt bono gubernatori, ut recte doceat Evangelium, et foveat concordiam, nec turbet eam ambitione, iracundia, asperitate, ut saepissime fit in omni gubernatione. Et ut hic dat praecepta, ita postea petit utrunque a Deo, ut regat doctores, ut vera doceant, et sint concordes. Haec politica doctrina non est obscura, sed animi motus ardentes ambitione, iracundia, cupiditate vindictae, et similibus morbis, frenare difficile est.

Qui manducat mecum panem.

Verba sumta sunt ex Psalm. 41.: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, ubi recensetur antithesis. Aliqui pauci afficiuntur misericordia aerumnosae Ecclesiae, pro hoc officio Deus in eo Psalmo praemia dulcissimis verbis pollicetur. Et de praemiis concionatur Christus Matth. 25.: Venite benedicti, etc. Et exempla multa sunt, quae ostendunt in hac vita gloriose ornatos esse amicos Ecclesiae, ut exemplum viduae Sareptanae. Rursus alii, et quidem multi et praecipui amici Ecclesiam in calamitatibus deserunt, aut etiam oppugnant, ut Cain fratrem interficit. Esau insidiatur vitae Iacob: Ioseph venditur a fratribus. Adversus Davidem filius seditionem movit. Haec domestica vulnera longe maiorem dolorem faciunt, quam alienorum hominum crudelitas. Ideo nominatim citatur hic versiculus, ut praeparemus animos ad tolerandas perfidias amicorum: Qui mecum manducabat panem, id est, qui mihi familiaritate, benevolentia, officiis, societate professionis coniunctissimus fuit, nunc opprimere et delere conatur. Sunt autem aliae usitatae inter homines etiam in civili consuetudine vitae amicorum perfidiae et distractiones, ut poëta exclamarit: Nusquam tuta fides. Sed Ecclesia habet exempla tristiora et perniciosiora, quia in dissidiis Ecclesiae factiones gignunt novos errores, et magnam partem populi trahunt in extremum exitium, ideo et de poenis eorum passim multae sunt conciones, ut Matth. 25.: Ite maledicti in ignem aeternum, etc. Et Psalm. 45.: Tu vero homo unanimis, dux meus, et notus meus. Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes. Haec breviter de insigni versiculo, quem citat Christus, dixi, ut haec vulnera Ecclesiae consideremus, et animos confirmemus exemplo Christi, cum perfidias amicorum experimur.

Dico vobis antequam fiat, etc.

Addit Christus rationem, cur proditorem nunc ante factum indicet, videlicet ut praedictio sit testimonium praesentiae Dei in Christo. Nam praemonstrare futura, et videre cordium consilia, proprium Deo est. Deinde haec praedictio etiam significat Christum sua sponte subire passionem pro salute generis humani, non rapi inscium aut invitum ad supplicia. Deinde attexit saepe traditam sententiam, qua commendat nobis ministros Evangelii. Qui recipit, si quem misero, me recipit. Significat autem similia pericula ministrorum futura esse. Promittit igitur beneficis erga Apostolos et pios doctores praemia, et minatur hostibus poenas.

Respexerunt igitur.

Imago est piorum, qui audita mentione sceleris alicuius in suo agmine, expavescunt et dolent. Primum, metuunt propriam infirmitatem, ac timent lapsus aliquos, et anxii orant, ut confirmentur et regantur. Deinde et scandalo moventur. Adversarii confirmantur, cum illi ipsi deficiunt, qui antea Evangelium acriter defenderant. Totus etiam coetus ducitur esse levior propter aliorum inconstantiam: His scandalis uri bonas mentes manifestum est, sicut et Paulus inquit 2. Corinth. 11.: Quis languet ita, ne simul et ipse langueam, quis movetur scandalo aliquo, ita ne ipse simul urar? Non potest fieri, quin calamitas nostri corporis et membrorum nostrorum dolorem nobis afferat, ut manifesta experientia testatur. Recitatur ergo hoc loco Apostolorum solicitudo et consternatio.

Sed hic considera Iudae duritiem. Hic monitus et castigatus aliquot dictis Christi, tamen non agit poenitentiam, non flectitur ad cogitandam magnitudinem peccati sui et irae Dei, talis furor, et ferrea durities sequitur, postquam initiis tentationum non repugnatum est, ut, quia Pharao, Saul, Achitophel primas flammas odiorum non extinxerunt, sed aluerunt, postea incendium maius factum est, quam ut extinguere possent. Moniti igitur illis tristissimis exemplis,

simus vigilantes et intenti, ac primis initiis tentationum repugnemus, non foveamus, non alamus impias opiniones in animis.

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Ingressus est in illum satanas.

Tristis et horrenda descriptio est, et manifestum testimonium. Diabolum esse spiritum vagantem in aëre, et penetrantem in homines, et impellentem ad scelera, sicut et Paulus nominat diabolos potestates aëris, et ait efficaces esse in impiis. Etsi autem antea quoque Iudas fuit impulsus a diabolo, tamen nunc post admonitionem, cum non flectitur ad poenitentiam, augetur in eo furor, id significatum est, cum nunc dicitur intrasse in eum satanas. Iam pertinacia, amentia, et furor ita confirmantur, ut admonitionum finis fiat, qualis est igitur iam Iudas? Hostis Dei, domicilium diaboli, ignorans sese, ac furens, abiectus a Deo, nondum quidem videns iram Dei, sed aliquanto post sensurus, cum volet fugere extra universam rerum naturam, imo volet in nihilum redigi, nec poterit tamen, excruciabitur aeterno dolore, quod sciens Deum summa contumelia affecerit, qui iussit hunc filium audiri et honore affici, et testimonia suae voluntatis evidentia ostendit, quod haec Dei testimonia spernens, et mandatum eius furiose contemnens, Christi necem adiuverit, et cum hostibus Dei, et toto regno diaboli blasphemantis Deum conspiraverit. Horum maximorum scelerum poenae sunt inenarrabiles, sed cogitanda est haec horrenda imago, ut simus vigilantiores, ne diaboli insidiis pertrahamur ad similes lapsus.

Est et hoc dicendum, Iudam libere et volentem assensisse tentationi diaboli, et volentem lapsum esse, nec necessitate fatali aut stoica peccare, nec Deum velle peccatum Iudae. Tenenda est enim regula tradita a Ioanne: Qui facit peccatum ex diabolo est, nec transferenda est causa ad fatalem necessitatem, aut ad voluntatem Dei.

Nunc glorificatus est filius hominis.

Post exitum Iudae incoat Christus concionem, quae iam minus consternatum animum significat, et consolationem et doctrinam, promissiones et praecepta de maximis rebus miscet. Consumitur autem concio in his locis: Quid sit Evangelium, quale ministerium sit Evangelium, quod ferenda sit crux propter confessionem, quod sit missurus Spiritum sanctum, qui sit efficax in ministerio, et singulorum cordibus, quod credentes habituri sint vitam aeternam. Postremo addit dulcissimas precationes pro Ecclesia, quas infixas esse animis nostris oportebat. Et in hac postrema parte clare conspiciuntur omnia sacerdotis officia. Docet Christus Evangelium precatur pro nobis, et postea offert suum sacrificium. Ideo autem necesse est meminisse precationes, quia in sacrificio necessaria est applicatio, id est, sacrificans, pro quo petat et offerat, commemorare debet. Cum igitur tua mens de applicatione quaerit has ultimas precationes, cogites ac scias Christum non solum obtulisse sacrificium, sed id etiam applicasse omnibus credentibus, et pro eis orasse, ut intelligatur esse propiciator, et intercessor. Et hic nos consolemur, cum Christus pro nobis intercesserit, quem exaudiri certum est, quia pater dixit: Hic est filius meus, quo delector, non dubitemus nos propter hunc propiciatorem et intercessorem recipi. Haec est piis dulcis et salutaris consolatio, et assidue cogitanda est.

Incoat autem hoc loco consolationem a commemoratione sui gaudii, donec adfuit Iudas, fuit aliqua lucta in mente Christi, ut saepe recurrerunt consternationes in hac coena, dolet secundum naturam intuens mortem, sed longe magis dolet sentiens in se effundi iram Dei adversus peccata generis humani, videt quantum irascatur Deus peccato, et luctatur pene ut metuens abiectionem, dolet magnam partem generis humani ingratam pro hac redemtione, ruere in aeternas poenas. Hi dolores quanti sint, nulla creatura satis intelligit. Sed tamen gustus aliquis est in Ecclesia, alias autem dolor magis sentitur, alias superato dolore mens in Dei promissione, praesentia, et spe liberationis acquiescit, et erigitur. Ita hic dicit:

Nunc glorificatus est filius hominis, id est: Nunc rursus sentio consolationem, superata hac lucta et hoc dolore, quo conflictatus sum, donec aderat Iudas, sentio novum robur, ac laetus et volens patri obediam, et spero liberationem salutarem universae Ecclesiae, erigitur mens intuens in haec duo, quod Deo gratum officium faciat, et quod a Deo adiuvetur, et certo haec obedientia futura sit salutaris Ecclesiae Dei. Ideo sequitur: Et Deus glorificatus est per eum, id

est: Postquam ego a patre confirmatus sum, vicissim pater mea victoria, mea praedicatione, mea obedientia celebratur et celebrabitur, et propter hanc obedientiam paulo post rursus me pater nova gloria in resurrectione ornabit, ac mox delabitur sermo rursus ad passionem: Filioli non diu vobiscum ero. Et mox addit praeceptum maxime necessarium, et saepe repetitum in hac concione.

Mandatum novum do vobis.

Certum est mandatum de diligendo Deo et proximo aeternum et immutabile esse, quia semper ita statuit mens divina, et hanc sententiam statim ab initio revelavit, impressit humanae naturae, et vocali verbo tradidit: Dilige proximum sicut teipsum. Haec cum ita sint, et lex de dilectione toties sit repetita in Prophetis, cur Christus vocat novum mandatum? usitata responsio est vocari novum, non propter tempus, quo praecipi coepit, sed propterea quod non impleatur, nisi novi testamenti dono, scilicet dato Spiritu sancto, nec reprehendo hanc sententiam. Caeterum satis apparet Christum hoc mandatum vocare novum, quasi dicat, non usitatum mundo, id est, non quia legem ipsam sciant omnes homines, sed quia nemo ignarus Evangelii, et non habens timorem Dei, et fidem in Christum, praestat hanc legem de dilectione et studio publicae concordiae, et praecipue concionatur Christus gubernatoribus. Discessurus enim, valde solicitus est de concordia Ecclesiae et docentium, ideo saepe inculcat hoc praeceptum, et ardentibus affectibus significat suam solicitudinem de posteritate.

Tota mundi historia ostendit raram fuisse gubernatorum concordiam, et facilime exitialia dissidia inter eos exorta esse, ut igitur concordiam tueantur Apostoli, praecipit de dilectione, quia sine dilectione facile accenduntur certamina. Invidet Saul crescenti Davidi, et se obscurari dolet. Non potest ferre Pompeius crescentem Caesaris potentiam, assidue rixantur inter se Aristides et Themistocles. Haec fiunt inter illos, quorum animi sunt sine mutua dilectione, sed unusquisque sese plurimi fieri vult, et occasiones premendi alios captat, non amanter admonet, non sanat alterius incommoda. At econtra dilectio primum gloriae Dei servit, hanc vult conspici et celebrari. Deinde sese abiicit, et libenter aliis cedit de principatu, non studet laedere, aut premere, errata collegae sanare cupit, ideo placide et amanter admonet. Haec diligentia cum sit difficultatum plena, toties inculcatur praeceptum, ut memores vocis Christi magis frenemus affectus nostros, et caveamus ne ambitione, iracundia, cupiditate vindictae, malevolentia, livore, aut aliis animi morbis turbemus Ecclesiae concordiam. Haec satis sit breviter de hoc praecepto monuisse, quod quam sit necessarium, quam salutare, quam difficile, experientia declarabit. Ac nos quidem ipsi de hac postrema Christi concione saepe cogitantes, diligentiores simus in concordia tuenda.

Non cantabit gallus.

Inseritur admonitio de imbecillitate humana, et reprehenditur stulta confidentia, Petrus somniat pugnas et dimicationem, et se morti confidenter offert, sed Christus taxat confidentiam, ac praedicit eius lapsum. Discamus ergo non confidere propria iusticia, vel vigilantia, vel sapientia: nam humana natura per sese est imbecillis, et facile labitur. Deinde accerrimae sunt insidiae diaboli, qui variis modis imbecillem naturam impellit, sicut Lucae 22. inquit Christus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret vos tanquam triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, et tu conversus confirma fratres tuos. Haec concio multas gravissimas et amplissimas sententias continet. Ait diabolum insidiari Ecclesiae, ut eam dispergat et dissipet. Huic tristissimae voci addit consolationem, quod pro nobis oret, ne fides nostra extinguatur. Postremo etiam monet, ut nos confirmati nostro testimonio etiam alios confirmemus. Haec concio tunc non subiit animum Petri, occupatum cogitatione de praeliis et regno mundano Christi. Sed postea cum in lapsu dicta Christi colligeret, cogitavit quam necessaria sit reprehensio humanae confidentiae, quam dulcis consolatio, quod pro se deprecatum esse dixit Christus.

Infra autem de lapsu Petri copiosius dicendum est, et huic exemplo aliorum excellentium virorum lapsus addantur, ut securitatem et confidentiam metuere discamus, sicut multae sententiae monent, 1. Corinth. 10. :Qui videtur stare, videat ne cadat. Matth. 12. ait Christus: Spiritum immundum redire adiunctis aliis septem, in domum otiosam, id est, securam, non expavescentem agnitione irae Dei, non petentem auxi-

lium Dei, sed confidentem propria diligentia, propriis consiliis et viribus, et 1. Petri ult. dicit: Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide. Homo in hac depravatione naturae delectatur suis donis, et cum est tranquillitas et quies, placet sibi propter dona, et effertur ac obliviscitur Dei, et saepe extra metas, id est, extra vocationem provehitur, ut Iosias quanquam sanctus rex, tamen in successibus fit audacior, et bellum movet sine necessitate, ita omnibus hominibus multi tristes casus accidunt, cum in tranquillitate confisi humanis consiliis aut fortuna, facilius aliquid suscipiunt, quam facerent tristi tempore, sicut scriptum est: Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere. Simus igitur vigilantes, et maxime metuamus tranquillitatem, quae solet omnibus summis et infimis afferre aliquos tristes casus. Infra autem de Petri lapsu et conversione plura dicentur.

Caput XIV.

Non turbetur cor vestrum.

Exorsus est Christus longam concionem, in qua varie miscet consolationes et doctrinam, et interpellatio praebet occasionem novis sententiis, cum dixisset: Non turbetur cor vestrum, in domo patris mei mansiones multae sunt, id est, Etiamsi hic toleranda erunt exilia, magnae aerumnae et neces, tamen scitote, vos in coelo vitam, laetitiam et gloriam sempiternam cum universa Ecclesia habituros esse, et quidem multae sunt mansiones. Ecclesia etsi est exiguus coetus, si conferatur ad impiorum multitudinem, tamen magnus erit, nec fuit irritus labor Patrum et Prophetarum, nec Apostolorum et sequentium pastorum labor inanis erit, sicut Esaiae cap. 55. dicitur: Verbum meum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud. Semper fuit, est, et erit aliqua Dei Ecclesia et regnum Christi. Nec staret mundus, nisi aliqui essent electi, propter quos Deus servat genus humanum: etsi igitur in tanta paucitate Ecclesiae pastores saepe dubitant, an inter auditores suos sint aliqua membra populi Dei, tamen haec dicta meminerint: Non revertetur ad me verbum vacuum. Item: Evangelium est potentia Dei. Et Ioan. 20.: Sicut misit me pater, sic et ego mitto vos. Matthaei ultimo: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. His dulcissimis et firmissimis consolationibus nos sustentemus, cum in tanta confusione hominum quaerunt animi de efficacia ministerii, Initium ergo huius concionis consolatur Ecclesiam et ministros, ac testatur in hac vita labores non fore irritos, et post hanc vitam habituros esse aeterna bona.

Deinde interpellatus a Thoma, quo vadat, rursus occurrit novae dubitationi. Anguntur animi, etiamsi scimus magna praemia, magnam gloriam Ecclesiae propositam esse, tamen quid agendum sit, quibus consiliis tanta moles rerum regenda sit, quid docendum sit, quomodo adversantibus imperiis circumferenda sit doctrina, quomodo regendi sint homines sine exercitibus et sine armis, hoc vero obscurum est. Quid videtur absurdius, quam paucos imbecilles homines, nulla instructos potentia, velut errones, discurrentes per totum orbem terrarum, moliri mutationem orbis terrarum, et polliceri hominibus aeterna bona, cum in maximis miseriis versentur ipsi? Has obiectiones de absurditate tanti consilii et de difficultate praecidit Christus, omnes iubens, ut sequantur Apostoli se ducem, et suo unius auxilio confidant, se fore perfectorem tantae rei, se populi animos inclinaturum esse ad Evangelium amplectendum, et ducturum credentes ad Deum, se frenum iniecturum esse tyrannis. Magna haec promissa sunt, quae longe superant omnia humana consilia et humanas vires. Ideo ab impiis sapientibus effuse ridentur. Sed nos in Ecclesia sciamus hanc consolationem veram, et necessario inculcandam esse singulis, ut animi adversus difficultates professionis Evangelii in vita privata et publica confirmentur. Hac occasione dicit:

Ego sum via, veritas, et vita,

Et emphasis est in demonstratione: Ego ego inquam, filius Dei, missus ut sim dux, et liberator adiuvabo vos, ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Ero via, id est, monstrator viae, dator consilii, tollens ea, quae vel privatim, vel publice iter salutis impediunt. Ego sum veritas, id est, verae doctrinae de voluntate Dei, et de salute aeterna autor, fugite et execramini omnes opiniones cum mea doctrina pugnantes. Denique, Ego sum vita, id est, mea mors placat

iram Dei, et meretur aboleri peccatum et mortem. Ac insuper ego do iusticiam et vitam aeternam.

Et repetit eandem sententiam: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Haec sententia opponenda est omnibus omnium gentium religionibus, quae sunt extra Evangelium, non Eleusini, non Mahometica, non Iudaica religio perducit ad Deum. Imo nec in Ecclesia, quae sic vocatur, perducit ad Deum ullus cultus monasticus, non ulla humana opera, extincta vera agnitione et fiducia Christi. Meminerimus ergo hoc dictum, tanquam principale testimonium opponendum omnibus religionibus extra Evangelium, item erroribus in Ecclesia, qui docuerunt accedere ad Deum per cultus monasticos, per invocationem mortuorum, per Missas et alia opera, sed teneatur etiam affirmativa sententia certo recipi a Deo, et certo exaudiri accedentes ad Deum fiducia Christi, sicut ad Romanos 5. dicitur: Per hunc habemus accessum in gratiam hanc. Item Ioan. 16.: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Denique semper in omni vita, in omni actione, et in omni invocatione, sit in conspectu haec sententia, continens salutarem doctrinam et consolationem: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Nec obscura est mediocriter intelligenti doctrinam de fide, qua propter Christum reconciliati et iusti sumus.

Ostende nobis patrem, et sufficit nobis.

Etsi haec quaestio videtur incogitanter proponi, et nimis magnam et inusitatam rem petere, tamen revera ita hominum sapientum animi ab initio mundi usque ad finem expetiverunt, et expetunt hunc Dei conspectum. Omnes miramur quid sit Deus, qualis sit eius natura, qualia consilia in gubernatione, cur tantam multitudinem hominum perire sinat, cur tam varias et monstrosas opiniones de Dei essentia et de varietate cultuum grassari sinat, qui sit unicus et verus cultus, cur Ecclesia Dei in hac vita tantis aerumnis subiecta sit. Denique quale bonum sit vita aeterna et consuetudo cum Deo. Haec arcana omnia uno contuitu comprehendi posse cogitamus, si Deum coram cerneremus. Certe si astitissent hoc interroganti Apostolo, omnes sapientes mundi, Solon, Socrates, Plato, Xenophon, et alii similes, omnes hanc petitionem laudassent, et se idem petere dixissent.

Sed haec cogitatio de modo cognoscendi Deum, et haec cupiditas ex tenebris humani cordis oriuntur, quod non vult Deum in verbo agnoscere, sicut se ipse patefecit, sed quaerit Deum propriis imaginationibus, unde infinitae opiniones et infiniti cultus in mundo semper exorti sunt, nec intelligunt humanae mentes quantum hoc malum sit.

Sed nos in Ecclesia admoniti discamus, quomodo velit quaeri et agnosci Deus, quod alias saepe, sed praecipue traditur in hoc ipso dicto: Qui videt me, videt patrem, et 1. Corinth. 1.: Postquam mundus non novit Deum in sapientia Dei per sapientiam, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes, et ad Rom. 10.: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in coelum: sed prope est verbum in ore tuo et in corde tuo. Ad Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Haec dicta et similia assidue cogitemus, est enim singularis sapientia Ecclesiae, non aliter quaerere Deum, nisi per verbum et testimonia ab ipso tradita, nec alium Deum alloqui, nisi hunc ipsum, qui se misso filio, et dato Evangelio suo, toties certis testimoniis patefecit. Hanc doctrinam praecipue tradit Christus in hoc dicto: Qui videt me, videt patrem.

Tanto tempore vobiscum sum.

Miscet obiurgationem Christus, qua hoc ingens malum et peccatum taxat, quod omnes quaerimus Deum aliter, et expetimus alias illuminationes et revelationes, omissa voce Evangelii, sicut Ethnici, Mahometistae, Enthusiastae, Anabaptistae, discedunt a verbo Dei, et fingunt sibi opiniones peculiares extra verbum Dei, et aut iactant, aut expectant singulares illuminationes. At Christus retrahit nos ad suam personam et suum Evangelium: Me, inquit, misit pater, ut de se testificetur, hunc patrem, qui me misit, et in me est, invoca, et de me cogita accessurus ad patrem, sicut antea dixi: Nemo venit ad patrem, nisi per me, ac me ita apprehendetis, si hoc meum verbum, quod tradidi vobis, audietis, amplectemini, credetis, sicut infra dicitur: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Corda vere expavescant audita voce Dei arguente peccatum, et vere credant se ab hoc ipso Deo obiurgari et iudicari, qui sua

voce Adam lapsum in Paradiso obiurgabat, et misit Christum, ut praedicet poenitentiam et remissionem peccatorum. Rursus etiam se sustentent corda voce Evangelii, et intueantur mediatorem crucifixum et resuscitatum, et revera sciant se propter eūm recipi ab aeterno patre. Hunc mediatorem sciant sedere ad dextram patris, ut det dona sua Ecclesiae, hunc invocent, ab hoc petant dona, sicut promisit.

Qui videt me, videt patrem.

Asseveratio est huius doctrinae, quaerendum esse Deum agnitione filii crucifixi et resuscitati, et Evangelii, in quo hic filius Dei praedicatur. Nec de essentia, nec de voluntate Dei recte sentit, ignorans filium. Sapientes, Ethnici, Mahometistae, Iudaei recentes, de essentia palam errant, quia negant hunc esse Deum creatorem, qui misit hunc filium crucifixum et resuscitatum. Imo hunc filium abominantur, ut teterrimum idolum. Ac interim fingunt sibi aliquem creatorem, et suos quosdam cultus excogitant, quibus eum celebrent. Hanc totam caecitatem damnat Christus, Ioannis 5. dicens: Qui non honorat filium, non honorat patrem. Deinde et de voluntate errant, etiamsi legis noticia utcunque manet, tamen nemo potest certo statuere recipi et exaudiri se a Deo, nisi per Evangelium agnoscat Christum mediatorem: invocarunt Ethnici, et longos hymnos recitarunt, invocant et nunc Mahometistae, Iudaei, Papistae, et omnes ignorantes Evangelium, sed nequaquam statuunt, se et preces suas recipi. Iudicant mentes, non recipi indignos, et agnoscunt se singuli esse indignos, dubitant igitur an recipiantur, et tandem desperatione opprimuntur.

Adversus has tenebras utrasque tenenda est sententia: Qui videt me, videt patrem. De Dei essentia et voluntate quaerens, intuearis Christum crucifixum et resuscitatum. Hic est vere Deus, qui se per hunc filium patefecit, et haec vere eius voluntas est, quam hic filius annunciat, qui dixit: Haec est voluntas patris, qui misit me, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Haec doctrina nec intelligi, nec disci potest, nisi in vero agone et veris exercitiis invocationis. Aspiciens filium, scito hunc semper in sinu esse aeterni patris, sicut hic inquit: Ego sum in patre, et pater in me est. Et Ioann. 1.: Filius qui est in sinu patris. Item, cap. 3.: Nemo ascendit in coelum, nisi qui ex coelo descendit, filius hominis, qui est in coelo.

Haec dicta etsi longe omnium creaturarum captum superant, tamen a nobis fide tenenda sunt, ac docent in Christo naturam divinam esse, et aeternum patrem et filium semper simul esse, et simul efficere opera omnia, quae divinitus fiunt, sicut Ioann. 5. dicitur: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Docent item congruere voluntatem patris et filii, nec aliam cogitandam esse voluntatem Dei, quam illam quae in Evangelio per filium annunciata est. Sicut et hic ait: Verba quae ego loquor, a me ipso non loquor, sed pater in me manens, ipse facit opera, etc. Opponamus ergo haec dicta omnibus speculationibus de Deo, quas ratio humana relicto Evangelio comminiscitur, et ad hunc Christum crucifixum et resuscitatum, et ad Evangelium eius mentes nostras alligemus, nec inde nos avelli sinamus, ut multi inde imaginationibus humanis semper avulsi sunt, et avelluntur.

Qui credit in me, opera, quae ego facio, etc.

Magna consolatio est piis in tantis miseriis Ecclesiae, quas cum aspicimus, videmur a Deo negligi, et frustra circumferre Evangelium, et hanc vocem Evangelii inanem sonitum esse, non mutare homines, non afferre reconciliationem Dei et vitam aeternam. Denique videmur frustra movere orbem terrarum, et tantum nobis miserias et cruciatus accersere. Adversus hanc falsam imaginationem Christus consolatur, et confirmat nos hac amplissima promissione: Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora his faciet. Non loquitur Christus tantum de miraculis, quae incurrunt in oculos, ut de sanationibus leprosorum, aut caecorum, aut claudorum. Haec non sunt praecipua opera propter quae venit Christus, et propter quae data est vox Evangelii, sed alia maiora sunt, de quibus dicit Paulus: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Sanationes illae corporum sunt quidem testimonia doctrinae, et semper habet Ecclesia aliqua etiam corporalia miracula, sed alias magis, alias minus conspicua et gloriosa, sed longe supra has corporum sanationes collocentur beneficia aeterna. Evangelium non est inanis sonitus, sed vere est ministerium, quo Deus dat remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, vitam aeternam, et vocatis ad vitam aeter-

nam multae liberationes mirandae contingunt, etiamsi non omnes ipsi novimus aut intelligimus, sicut Moses infans, Ioseph captivus, David et alii innumeri, mirabiliter a Deo servati et gubernati sunt, et plena sunt miraculorum omnia quae gerunt.

Quia ego vado ad patrem, et quicquid petieritis, etc.

Causam addit, cur futurus sit efficax et salutaris cursus Apostolorum, cur magna miracula facturi sint, et res salutares effecturi.

Quia, inquit, ego vado ad patrem, id est, quia ego postquam redemero humanum genus, mea morte resuscitatus regnabo una cum patre, adero vobis, ero opitulator et effector. Et mox additur promissio quae duarum maximarum rerum testimonia continet. Primum docet Christum natura Deum esse. Bis inquit Christus, sese facturum esse, quicquid petit Ecclesia: affirmat ergo se exaudire precantes, et corda hominum introspicere, et effectorem esse omnium liberationum, quae nobis divinitus donantur. Haec sunt naturae omnipotentis, divinae et creatricis. Nec longa declaratione opus est in hoc testimonio, est enim perspicuum, tantum monendus est lector, ut expendat et secum circumferat, ac saepe cogitet, sic supra dixit cap. 5.: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item, quae pater facit, haec et filius similiter facit. Haec et similia dicta sint in conspectu, ut nos adversus impios furores Samosateni et Arii muniamus, et agnoscamus filium Dei natura Deum, et omnipotentem et ὁμοούσιον esse patri, et eum vere invocemus. Nisi enim haec sententia retinetur, non potest fieri invocatio.

Secundo: Haec promissio in textu docet nos de invocatione, quomodo facienda sit, et affirmat recipi nostras preces, et certo impetrare ea quae petimus. Quoties dicimus nostras preces, repetamus hoc dictum, et languentes, dubitantes, fugitantes animos excitemus. Hac ampla promissione trahimur ad Deum, et invocare iubemur, obtemperemus igitur, et accedamus ad Deum, sicut haec vox Christi accedere docet. Dictum est supra in precatione quinque res concurrere oportere, cogitationem de praecepto, promissione de Deo, ad quem dirigitur invocatio, discernenda ab invocationibus omnium gentium impiarum, item de fide, et de re petenda. Hanc doctrinam, etsi saepe traditur, tamen in hoc dicto repeti necesse est, quia hic modus invocationis proponitur. Praecepta nota sunt: Petite et accipietis. Item: Invoca me in die tribulationis. Promissiones etiam multae passim extant, sed in hoc ipso loco praecipua recitatur: Quicquid petetis in nomine meo, hoc faciam.

Sed quomodo discernenda sit nostra invocatio ab Ethnica, Mahometica et Iudaica, id docent haec verba: In nomine meo. Ac duplex discrimen est, alterum de essentia, alterum de voluntate Dei. Etsi enim Ethnici, Mahometistae, aut Iudaei fatentur unum aliquem esse Deum, conditorem coeli et terrae, et aliarum rerum creatarum, tamen non credunt Deum, ut se patefecit, nec assentiuntur hunc esse vere Deum conditorem, qui misit filium dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum. Sed vagantur animis, nec constituunt quid invocent, quid sit ille Deus, aut quo testimonio se patefecerit, quem quaerunt. Ideo Ethnici tam varia numina excogitant, alius fingit inveniri Deum cultu Palladis, alius cultu Apollinis, alius cultu Iovis, alius cultu Martis. Prohibet autem Deus sic vagari animos, et alligat nos ad patefactionem et ad hunc filium, ut supra dictum est: Qui videt me, videt patrem. Et hic dicitur: In nomine meo, id est: Accedite ad Deum me nominato, seu agnito, hunc Deum invocate qui se patefecit per me, et me voluit ad vos perferre suum verbum, quo vere innotesceret. Deinde de voluntate errant omnes gentes ignarae Evangelii, quia non norunt, an et cur exaudiantur: Ecclesia scit promissiones datas esse propter filium, et scit hunc mediatorem constitutum esse, et nos propter eum exaudiri, non propter nostram dignitatem. Id etiam docet haec sententia: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est, me nominantes, et me agnoscentes mediatorem intercedentem pro vobis apud patrem. Haec omnia quotidie cogitari in invocatione necesse est.

Quarto: Accedat, imo praeluceat fides, quae statuat de remissione peccatorum, donata propter Christum. Nam mens donec fugit Deum nec credit remissionem peccatorum, nequaquam statuit recipi preces suas. Ideo necesse est hanc fidem praelucere, de qua Paulus dicit ad Rom. 5.: Fide habemus accessum ad Deum per Christum. Haec ipsa doctrina de fide etiam comprehenditur in dicto huius loci: Quicquid petieritis in nomine

meo, id est, me agnoscentes mediatorem, statuentes vos propter me recipi. Et haec eadem fides statuat recipi, et exaudiri preces nostras, et non fore eas irritas.

Quinto: Cogitentur in petitione res petendae, bona spiritus et corporis, sicut et ipsa quotidiana petitio utriusque generis bona complectitur.

Haec de precatione breviter recensui, quia illustrari hoc dictum textus sine hac commemoratione non potest. Nunc in quotidiana invocatione hoc dictum nobis proponamus, et inculcemus, ut accedere ad Deum, et petere bona discamus. In hac experientia fient haec verba illustriora: In nomine meo, id est, me agnoscentes mediatorem, confisi me intercessore et deprecatore pro vobis, cui pater aeternus praecipue tradidit promissionem sacerdotii, propter me certo vult exaudire, et se vult sic coli, et hoc honore affici, videlicet invocatione facta fide, seu fiducia domini nostri Iesu Christi, et sic invocantes experiemur sine ulla dubitatione preces efficaces esse, et salutaria, quae petunt, impetrare, etc.

Si diligitis me.

Multa sunt huius capitis insignia dicta, et valde digna memoria, ut supra: Nemo venit ad patrem, nisi per filium. Item: Qui videt me, videt patrem. Item: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. His insignibus etiam quaedam sequentes particulae adnumerandae erunt, in his et haec sententia est: Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo patrem, et dabit vobis alium paracletum. Nam hic locus primum docet quibus detur Spiritus sanctus. Deinde quid sit: tertio quae sint beneficia propria, seu qui effectus proprii. Ac proponitur hic descriptio ac consolatio Ecclesiae dulcissima.

Est autem prima et praecipua quaestio, quidnam et ubi sit Ecclesia, seu quibus detur Spiritus sanctus? Ad hanc quaestionem respondent verba textus: Si diligitis me, mandata mea servate, et rogabo patrem etc., id est, ille coetus, qui meum Evangelium docet, audit, et amplectitur, est coetus diligens me, et donabitur, regetur, et sanctificabitur Spiritu sancto. Hic coetus est Ecclesia Dei. Haec est vera, simplex, propria et nativa sententia huius loci, nec intelligantur haec verba de legis doctrina sine Evangelio, ut Monachi prorsus alienam sententiam hic comminiscuntur, tunc diligetis me, cum legi satisfeceritis. Non est haec Mosaica concio, sed Christi, qui mandat accipi et retineri doctrinam Evangelii sui, et credi Evangelio, et amplectentibus Evangelium promittit Spiritum sanctum, et affirmat hunc coetum esse Ecclesiam, id est, esse coetum dilectum Deo, qui retinet mandata, id est, doctrinam, quam Christus tradidit, et sicut tradidit, videlicet Evangelium, quod docet nos de poenitentia et remissione peccatorum, et de vita aeterna propter Christum, et docet quis sit Christus mediator.

Et copulat hoc loco Christus Evangelium et Spiritum sanctum, nec ullis promittit Spiritum S. nisi iis, qui docent, audiunt et amplectuntur Evangelium. Eadem sententia mox repetetur: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Prorsus idem est, quod iam dixi, de Ecclesia. Haec est enim mansio, id est, templum Dei, sicut saepe et vere Ecclesia vocatur templum Dei: Servantes sermonem meum, id est, amplectentes Evangelium, diligent me, vere me colent, et diligentur a patre meo, et in his habitabimus, qui erunt templum et Ecclesia nostra aeterna, his vitam et gloriam aeternam dabimus. Non igitur incertum est quae sit, et ubi sit Ecclesia, non est politia Platonica, ut homines impii cavillantur, sed est aliqua visibilis Ecclesia, vult enim Deus suam doctrinam inter homines spargi, sonare, exaudiri, sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum. Non vult Ecclesiam abditam esse in latebris, aut ignotam, imo semper eam in certamina cum imperiis et hypocritis protraxit.

Est igitur coetus visibilis, scilicet, ut hic describitur, amplectens et circumferens Evangelium, et renatus Spiritu sancto, quanquam in hac vita huic visibili coetui non renati admixti sunt, qui tamen, quia de doctrina cum renatis consentiunt, in hac vita non excluduntur ex Ecclesia. Sensu cognosci potest haec nota, scilicet vox Evangelii, ibi certo est Ecclesia vera Dei, ubi sonat pura vox Evangelii, nec alibi, nisi in hoc coetu quaerendi sunt electi, iuxta illud: Quos elegit, hos et vocavit. Haec de Ecclesia primum hoc loco considerare prodest, et hoc dictum Christi addamus caeteris dictis, quae citantur de descriptione Ecclesiae, ut oves meae vocem meam au-

diunt. Et ad Ephes. 2.: Extructi estis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, existente lapide angulari Iesu Christo, id est, extructi estis super Christum per doctrinam propheticam et apostolicam, quae monstrat Christum fundamentum efficax, dans vitam, et vere gestans, ac salvans Ecclesiam, et Esaiae 59.: Veniet Sion redemtor, et his qui redeunt ab iniquitate in Iacob, hoc est foedus meum cum eis, dicit dominus, spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore seminis tui in sempiternum. Haec descriptio affirmat Messiam allaturum esse remissionem peccatorum iis, qui agunt poenitentiam, et addit amplius daturum populo suo verbum, quod est in ore Prophetae, id est, praedicatum a Prophetis, et Spiritum sanctum. Ita coniungit Evangelium, Spiritum sanctum, deletionem peccati et mortis, hoc est, donationem iusticiae et vitae aeternae. Ad has et similes descriptiones dictum Christi in hoc textu adiungite.

Nunc sequitur descriptio Spiritus sancti, in qua primum testatur dari Spiritum sanctum se petente. Nam propter Christum recipitur, diligitur, sanctificatur et salvatur Ecclesia. Deinde nominat spiritum alium paracletum spiritum veritatis. Omnes docti in Ecclesia iusserunt particulam, alium, considerari. Haec enim discernit Spiritum sanctum a patre et a filio, et refutat impietatem multorum, qui contenderunt Spiritum sanctum non esse personam, sed hoc vocabulo significari aut patrem agitantem, aut creatam agitationem. Sed haec particula, alius, expresse discernit hic Spiritum sanctum a patre. Dicit enim Christus: Dabit pater vobis alium paracletum. Discrimen est igitur, et a patre et a filio: nec significat Spiritus agitantem patrem. Addantur autem et alia testimonia, in baptismo Christi peculiari specie apparet Spiritus sanctus, et discernitur a patre et filio. Iam si tantum agitatio creata esset in mente, non appareret peculiari specie. Est igitur persona alia a patre et filio, quae alio loco describitur his verbis: Procedens a patre et filio, videlicet flatus a voluntate patris, et voluntate filii procedens, ac connectens mutuo amore patrem et filium, connectens etiam angelos et homines Deo, in quos effusus est, et luce divina accendens mentes, et agitans motibus congruentibus voluntati Dei. O immensam et inenarrabilem bonitatem Dei, qui seipsum sic impertit nobis, et sese in nos effundit, sicut infra rursus inquit: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Consolatorem dabit vobis.

Postquam constitutum est appellatione Spiritus sancti personam significari, quando dicitur quid sit Deus, nunc etiam propria dona, quae per ipsum efficiuntur in Ecclesia, in ministerio, et in singulis considerentur. Primum de ministerio sciamus, certo Spiritum sanctum efficacem esse per Evangelium et sacramenta, ut ad Rom. 1. dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et 2. ad Corinth. 3. Evangelium dicitur esse Ministerium spiritus, id est, per quod Spiritus sanctus est efficax, accendit novam lucem et iusticiam in cordibus, sic enim Paulus ipse interpretatur. Conservat ergo Spiritus sanctus lucem et puritatem Evangelii in aliquibus in publico ministerio, nec penitus deleri sinit, et est efficax in his qui audiunt Evangelium et sacramentis utuntur. Secundo in cordibus singulorum qui convertuntur ad Deum, accendit Spiritus sanctus novam lucem, ut Evangelio assentiantur, excitat motus invocationis, dilectionis, et aliarum virtutum congruentis legi Dei, consolatur nos, et incoat in nobis vitam aeternam, ut ad Ro. 8. dicitur: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Et 2. Corinth. 3.: Transformamur in eandem imaginem, scilicet Christi, tanquam a domini spiritu.

Haec dona et hoc loco recitantur, Spiritus sanctus appellatur Paracletus, quod proprie significat advocatum, ut in indicio. Multa igitur complexus est Christus, significavit Ecclesiam habere assidua certamina cum diabolo et eius organis, et cum nostra infirmitate. Datur ergo Spiritus sanctus, ut sit advocatus iuvans nos consilio et consolatione, monens et confirmans nos, ut in ministerio monet et confirmat Ieremiam, Baptistam. Petrum, contra autoritatem synagogae, et contra saevitiam tyrannorum. Sic nobis singulis est παράκλητος in omnibus nostris periculis, regit nos consilio, et confirmat nos, et exuscitat nos ad invocationem. David regitur consilio, ne Saulem interficiat, et confirmatur, ne ruat in desperationem, et exuscitatur ad invocandum. Haec complexus est Paulus ad Rom. 8. inquiens: Spiritus sanctus opitulatur infirmitati nostrae. Hanc

doctrinam in magnis doloribus experientia facit illustriorem.

Et clarius describuntur dona, cum vocat eum Spiritum veritatis, id est, veracem, et veram sapientiam, ac veram iusticiam, et vitam in nobis efficientem. Nam cum audimus Evangelium, ipse movet mentes, ut assentiantur, et cogitationem regit, et adiuvat, ne aberret, sed veram sententiam Evangelii videat, et in voluntate flammas omnium virtutum exuscitat, hac luce et his flammis accensa, fides non aberrat a Deo, sed vere invocat, et affert initia vitae aeternae, sicut inquit Christus: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti verum esse Iesum Christum. Retinet et Spiritus sanctus veritatem in ministerio, ne penitus doctrina extinguatur, ut ad Ephes. 4. dicitur: Et accendit eam in singulorum vere credentium cordibus. Hoc beneficium quale et quantum sit, aliquo modo iudicare possunt pii, sed collatio utcunque declarat. Quanti furores sunt impiorum, quos diabolus agitat, ut aut amplectantur epicureas blasphemias, et cyclopicum contemtum Dei, aut fingant sibi ipsis deos et idola suo arbitrio. Deinde modestiores Philosophi in quantis tenebris sunt, qui perpetuo dubitant, an sit providentia. Tertio Pharisaei oppressi legis opinionibus, et concedentes esse providentiam, et puniri delinquentes, tamen vivunt sine Deo, non audent invocare, nec norunt quomodo accedendum sit ad Deum, sed fugiunt Deum. Omnes hi tetra mendacia et perniciosos errores de Deo secum circumferunt, sed agnito Evangelio spiritus verax datur, corrigens illa mendacia, et accendens veram lucem, sicut et Ioannes in Epistola ait: Unctio vos docet de omnibus, et vera est, et non est mendacium, et sicut docuit vos, manete in ea.

Quem mundus non potest accipere.

Mundum vocat omnes homines non renatos Spiritu sancto, sed de Deo sentientes, ut sentit haec corrupta natura, et in vita sequentes motus huius corruptae naturae. Tales, inquit, non possunt sumere Spiritum sanctum, nec norunt eum, id est, donec perseverant in opinionibus et affectibus corruptae naturae, non admittunt Spiritum sanctum, sed repugnant ei, ut Caiphas, etiamsi audit Christum, tamen quia retinet suas imaginationes, Deum recipere homines propter legem, et quia nemo scit, quando satis bonorum operum habeat, dubitandum esse de Deo, nec intelligit gratuitam promissionem, nec beneficia Christi, ac manet in hac dubitatione, non admittit Spiritum sanctum, imo paulatim in eo tenebrae et furores crescunt. Tenenda est autem haec sententia adversus Pelagianos, qui finxerunt homines sine Spiritu sancto, bonis operibus mereri remissionem peccatorum, et legem Dei facere posse, et his operibus coram Deo iustos esse. Haec opinio affinis est philosophiae, ac Pharisaeorum doctrinae, et multi Monachi eam amplexi fuerunt, nimium amplificantes liberum arbitrium, et obruentes Evangelii doctrinam de beneficiis Christi.

Execrandi sunt autem hi furores, ac econtra tenenda doctrina de gratia, quod propter Christum donentur nobis remissio peccatorum et imputatio iusticiae. Et quanquam disciplinam externam honestorum et civilium operum utcunque praestare possimus, tamen sciendum est nos procul abesse a perfectione legis, et nec posse motus interiores legi Dei convenientes, timorem, fidem, dilectionem habere sine Spiritu sancto, sicut 1. Corinth. 2. dicitur: Homo ψυχικὸς, id est, naturali vita vivens, non percipit ea quae sunt Spiritus Dei, et supra cap. 5. dictum est: Nemo venit ad me, nisi quem pater traxerit. Non simus adeo cyclopici, ut arbitremur hanc miseram vitam in tantis tenebris et tanta imbecillitate virium nostrarum regi posse sine Spiritu sancto. Non gesserunt res tantas, et tam salutares in suis functionibus Noe, Abraham, Ioseph, Moses, Iosue, Samuel, David, Esaias et alii, naturae humanae viribus sine Spiritu sancto. Sed agnoscamus nostram imbecillitatem, et audiamus promitti auxilium, et id petamus, et hac consolatione nos in omnibus periculis sustentemus, quod adsit nobis Spiritus sanctus gubernator et adiutor, sicut Christus et alibi promittit: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Observa autem diserte dici, petentibus, non dicitur, Epicureis contemnentibus aut hypocritis repugnantibus Evangelio, sed confugientibus ad Christum per poenitentiam, et serio petentibus remissionem peccatorum et Spiritum sanctum.

Ieremias inquit cap. 10.: Scio domine, quod non est hominis via eius, id est, in tanta imbecillitate naturae hominum, et tantis periculis nostris, in tanta difficultate rerum gerendarum, in tantis insidiis diaboli, humanae vires non possunt sine Spiritu sancto regere vocationes et mo-

res. Ideo toties clamat David Psalm. 118.: Da mihi intellectum. Item: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes doce me, et 2. Paral. 20. dicitur: Cum ignoramus quid agere debeamus, oculi nostri ad te respiciunt. Hanc doctrinam exerceamus in nostris periculis quotidianis, quod cum faciemus, experientia docebit nos, has promissiones veras esse, ac vere nos regi consilio, et iuvari consolatione Spiritus sancti, sicut inquit Christus: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item: Non relinquam vos orphanos, etc.

Vobiscum erit.

Est et promissio de perpetuitate observanda, affirmat perpetuo Spiritum sanctum in Ecclesia mansurum esse, sicut Matth. ult. dicitur: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, et 1. Tim. 3. Ecclesia dicitur sedes veritatis. Hic autem utrunque sciendum est: et mansurum esse in Ecclesia Spiritum sanctum, ne ullo tempore desperent homines, aut aliqua aetas se abiectam esse putet, et tamen non alligatum esse ad successionem ordinariam, ut vocant, aut titulos dignitatum, sed ibi sine ulla dubitatione Spiritus sanctus adest, et est efficax, ubi recte sonat vox Evangelii, aut certe ubi fundamentum fidei retinetur. Manet enim illa sententia immota, 2. Corinth. 3. Evangelium esse ministerium Spiritus sancti. Item, Evangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Ubicunque igitur sonat vox Evangelii, ibi Spiritus sanctus est efficax.

Hic observetur et hoc ingens beneficium Dei, quod quanquam lux Evangelii obscuratur, diabolo excitante errores, et hominibus negligentibus pia studia, tamen filius Dei sedens ad dextram patris, ac dona dans hominibus, subinde instaurat ministerium Evangelii, ut Paulus ad Ephes. 4. inquit: Et causam huius amplissimi muneris recitat, ne Ecclesiae procellis agitatae, velut pueri varia doctrinae genera amplectantur, et tanquam ventis doctrinarum circumferantur ad alios atque alios furores, ut Ethnici nunc Bacchanalia, nunc Martis Salios, nunc Corybantes, nunc alia portenta excogitabant. Omnibus seculis novae instaurationes Ecclesiae factae sunt. Post Mosen excitatus est Samuel, post Samuelem David, post Davidem Elias, deinde Elisaeus, post hos Esaias, Ieremias, Daniel, Zacharias, Esdras, Simon, Mathatias, Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli.

Non relinquam vos orphanos.

Antea recitata est promissio Spiritus sancti, nunc de sua persona Christus loquitur, ac occurrit tacitae quaestioni Apostolorum, qui haud dubie apud sese disputabant, etsi promittitur nobis alius gubernator, tamen scire cupimus, quid de ipso futurum sit. Respondet: Imo etsi paulisper discedam, moriar, videbor a vobis avulsus, tamen mox reviviscam ex morte, ad vos redibo, et semper vobiscum ero. Est autem insignis particula in textu, describens qualis sit Ecclesia in hoc mundo, quod ad praesidia humana attinet, sic omnes homines ratiocinantur: Nullum coetum durabilem esse, nisi habeat certam aliquam sedem et ordinata imperia, a quibus defendatur, Ecclesia nec sedem certam habet, nec defenditur consensu regum, sed potius opprimitur et laceratur, et ipsi inter sese doctores male cohaerent, non habent gubernatores, quorum autoritate concordia inter eos retineatur, non habent patronos ac defensores adversus tyrannidem, aut odia populi ac suorum. Denique miserabilis coetus est, ut Apostolorum aerumnae, et nostrae quotidianae miseriae ostendunt. Quis enim nos respicit, complectitur, fovet, aut defendit? Plurimi regum et principum profitentur se esse hostes nostrae doctrinae, et nos tanquam victimas ad supplicia rapiunt, ubi possunt. Populus, qui nos audit, et principes ipsi, qui videri volunt non abhorrere ab Evangelio, aut leviter curant nos, aut arte premunt. Denique humana praesidia prorsus nulla habemus, sicut in Psalmis scriptum est: Pater et mater dereliquerunt me. Sumus igitur, quod ad humana praesidia attinet, orphani.

Sed adversus hanc speciem Christus nos consolatur, inquiens: Imo non relinquam vos orphanos, etiamsi, reges, principes, imperia, populus, doctores vos non tegunt, ego tamen vos protegam ac servabo. Hac consolatione opus est Ecclesiae Dei, ut sciamus mansuram esse, etiamsi non habet certam sedem, aut imperiorum defensionem. Ideo saepe repetita est haec consolatio, ut Esaiae capite 51.: Posui verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protego te, ut plantes coelos, id est: Instituo ministerium Evangelii, id ab imperiis non defendetur, sed potius atrociter oppugnabitur, ideo polliceor ipse defensionem, pro-

tegam ministros Evangelii, Ecclesias, scholas, pia studia, etiamsi mundus furens delere Evangelium conatur. Tristis species est Ecclesiae desertae, singuli etiam privati in morte, et aliis magnis periculis sentiunt, quam sit miserum amittere omnia humana auxilia, in talibus angustiis. Proponamus nobis haec dicta, quibus si fidem excitabimus, sentiemus vere nobis adesse Christum, nos iuvari, regi, defendi.

Et nominatim hic promittit Christus suis auditoribus vitam: Ego vivo, et vos vivetis, etiamsi crudelibus suppliciis vos interficient tyranni, tamen ego vobis vitam reddam, in qua patrem et me coram videbitis.

Qui habet mandata mea, et servat, etc.

Dictum est supra, misceri consolationes, et doctrinam seu mandata, ut in colloquio adeuntis mortem. Hic inserit de Ecclesia quid sit, et ubi sit, estque hic locus diligenter observandus hanc ipsam ob causam, quia hanc controversiam, quid sit Ecclesia, diiudicat. Perpetuo viri politici pingunt Ecclesiam, ut regnum mundanum, dicunt esse coetum renatorum, et non renatorum, amplectentium Evangelium, alligatum ad Romanum Episcopum, regnantem iuxta ordinariam successionem, et hunc Episcopum habere potestatem condendi leges, et interpretandi Evangelii, et omnes homines ad has leges ab eo conditas, et eius interpretationem alligatos esse, et addunt Romanum Episcopum seu concilium eius non posse errare in fide seu in necessariis, imo aliqui addunt, etiam mundi imperia. Dicunt hunc summum Episcopum habere potestatem regna transferendi, et oportere munitum esse opibus et exercitibus, ac reges debere ei defensionem et eius arbitrio bella sumere et deponere, ad hoc allegant dictum, quod cum de solo Christo loquatur, ipsi detorquent ad Romanum Episcopum: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra, talis pictura Ecclesiae extat in libris multorum. Sed prorsus transformat Ecclesiam in regnum mundanum contra multa mandata Christi, qui inquit: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Item: Sicut me misit pater, sic ego mitto vos.

Cum autem Ecclesia habeat promissionem, quod sit columna veritatis, et illi Episcopi nomen Ecclesiae ad se transferant, et eo praetextu stabiliant idola et errores, ac infinita multitudo hominum moveatur solo nomine Ecclesiae, necesse est doceri bonas mentes, quid sit et ubi sit Ecclesia, et hanc doctrinam saepe inculcari necesse est. Non fingenda est invisibilis Ecclesia, sicut idea Platonica, nec tamen imaginemur Ecclesiam similem mundano regno, sed honestae scholae. Quoties autem de Ecclesia dicitur, semper ante omnia cogita dictum Pauli: Quos vocavit, hos elegit, vocatio autem visibilis est. Nam vocatorum coetus est coetus externa professione amplectentium Evangelium. Nulla igitur electio cogitetur extra hunc visibilem coetum. Ac magna consolatio est piis scire, quod necesse sit semper in hoc visibili coetu, in his templis et his scholis aliquos esse electos, et quod nusquam alibi sint ulli electi. Amandus est igitur hic visibilis coetus et hoc ministerium, et certo statuendum, quod perseverans in doctrina huius visibilis coetus recte docentis, electus sit ad vitam aeternam. Haec cogitare ad pietatem, et tranquillitatem conscientiae, et Ecclesiae utile est, et cum hac sententia Pauli congruunt multa dicta in hoc textu: Qui diligit me, sermonem meum servabit.

Sit ergo haec definitio Ecclesiae visibilis: Ecclesia est coetus amplectentium Evangelium, et societate sacramentorum et ministerii evangelici coniunctorum, ac renatorum per Spiritum sanctum, cui coetui multi non renati admixti sunt, qui tamen in professione verae doctrinae illis consentiunt, nec propter manifesta scelera excommunicati sunt.

Haec definitio perspicua est, et sumta est ex multis testimoniis, ut ex dicto Christi, cap. 10. Ioan.: Oves meae vocem meam audiunt, et ad Ephes. 2.: Estis igitur domestici Dei, extructi super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, existente lapide angulari Iesu Christo, in quo omnis structura coagmentata crescit in templum sanctum domino, per quem et vos aedificati estis, ut sitis habitaculum Spiritus sancti. Huc et parabolae pertinent, Matth. 13. de sagena missa in mare, et aliae. Nec partes quae in hac definitione recensentur, ab ullis reprehendi possunt. Sed aliquid addi nolunt hypocritae, fascinati opinionibus politicis, de regno pontificio, nec sunt contenti, cum audiunt Ecclesiam coetum esse amplectentium Evangelium, coniunctum societate sacramentorum et ministerii evangelici, sed volunt addi, alligatum ad Romanum Pontificem et ordinariam successionem Episcoporum, et eorum

interpretationem et leges. De hac re hoc tempore dimicatio est, et nos atrocissime accusant et execrantur, tanquam hostes Ecclesiae Dei, et nobis crimina omnium maxime detestanda obiiciunt, motae seditionis in Ecclesia, et haereseos, et vocant nos tum schismaticos, tum haereticos.

Nec verbis explicari potest, quantum homo honestus, qui non vult se perhiberi perniciem esse generis humani, crucietur his conviciis, imo facilius esset multis perferre cruciatus corporis acerbissimos, ac interfici, quam haec convicia audire. Multi etiam metu horum conviciorum fugiunt professionem veritatis. Ideo necesse est pios bene confirmatos et munitos esse adversus hanc obiectionem. Nam profecto sanos et moderatos homines non leviter vulnerant illa venenata maledicta, praesertim a talibus, qui doctrinae et virtutis opinionem habent obiecta, et accedunt multa scandala, quae faciunt plausibiliorem criminationem. Multi sunt viri graves, senes, eruditi, praestantes virtute, qui Reipub. consilia diu gubernaverunt, ut Cardinales, Campegius, Contarenus, Sadoletus, et similes, qui nos accusant, primum quod falso Ecclesiam taxemus, et hanc dicunt alligatam esse ad Rom. Pontificem et Episcoporum ordinariam successionem, hos negant errare posse in necessariis ad salutem. Deinde addunt, etiamsi quid sit erroris, expectandam esse emendationem ab ordinaria potestate, nec movendas seditiones. Quia error minus malum sit, quam seditio, et citant dictum Dionysii Alexandrini apud Euseb. lib. 6.: maius scelus esse scindere Ecclesiam, quam idolis sacrificare. Haec oratio valde plausibilis est, ideo piis quaerendae sunt confirmationes verae, et non fucosae, ad has obiectiones refutandas.

Ac prima confirmatio nobis est haec vera, et quae taxari non potest. Illi qui ex animo, et non simulate provocant ad iudicia Ecclesiae, nequaquam sunt hostes Ecclesiae, aut seditiosi, aut schismatici, aut haeretici. Quia scriptum est: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus aut Publicanus. Tantisper igitur donec non defugit iudicium Ecclesiae, non potest dici hostis, aut schismaticus.

Secunda est crassa confirmatio, quoquo modo sese habent caeterae disputationes, hoc constat, nos non debere socios esse manifestorum parricidiorum, sicut scriptum est: Non communices alienis peccatis. Sunt autem manifesta parricidia, quod multi pii homines propter traditiones humanas, item multi pii sacerdotes propter coniugium interficiuntur, huius crudelitatis societate se polluunt, Campegius, Sadoletus, et similes, qui gloriantur se esse catholicos, quia defendant politiam pontificiam.

Tertia confirmatio, quod manifestum est mandatum Dei: Fugite idola, anteponendum esse concordiae, et omnibus rebus humanis, ac dictum illud Dionysii dextre intelligendum est de ea sententia, de qua loquitur, confert idola et haereses. Hic recte dicitur: non minus scelus esse, falsa dogmata serere, quam idola colere. Disputat enim contra Novatum. Constat autem Monachos et similes tueri manifestos idolorum cultus, scilicet invocationem mortuorum ad certas statuas, et horrendas profanationes coenae Domini in Missis venalibus et funebribus. Haec mala adeo manifesta sunt, ut excusari non possint, quae tamen ita defendunt, ut stabilire conentur, et interficiant eos qui dissentiunt.

Quarta confirmatio, etsi diiudicatio dogmatum indoctis difficilis est, tamen eruditi possunt videre discrimen, et intelligere cur non sit assentiendum erroribus Monachorum. Et quanquam nunc multos manifestos errores profiteri non audent, et fucosis interpretationibus mitigant, tamen nervos errorum retinent. Omnes universaliter defendunt hanc propositionem, quod homo semper debeat dubitare de remissione peccatorum, et hanc dubitationem esse piam reverentiam erga Deum. Ita relinquunt Christum, et abolent doctrinam de fide et invocatione, quae fieri non potest, cum mens fugit Deum, et ei irascitur, cum in vero pavore dubitatio crescit. Pugnat ergo illorum imaginatio cum his dictis: Iustificati fide pacem habemus. Item: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, ac multi errores de discrimine legis et Evangelii impliciti sunt huic eorum imaginationi. Manifestum est etiam libros eorum de satisfactionibus canonicis, plenos esse errorum et tenebrarum, obscurantium Evangelium. Denique certum est, de remissione peccatorum non recte loqui eorum libros, et silentium esse de fide accipiente remissionem peccatorum. Imo contrarium dogma defendi, quod semper sit dubitandum de remissione. Haec reprehendi necesse est, vel si fractus illabitur orbis: quia Evangelium affirmat hanc sententiam, quod propter filium Dei mediatorem gratis offera-

tur nobis remissio peccatorum et quod fide eam accipi oporteat. Hanc sententiam necesse est in Ecclesia Dei extare, et propugnari. Nam hac luce extincta, non agnoscitur Christi beneficium, nec conspicitur discrimen legis et Evangelii, nec cernitur differentia inter Ecclesiae doctrinam et inter ethnicas opiniones.

Haec recensui, quia adversarii saepe atrociter declamitant in genere, quanta mala sint discordiae et seditiones, et interdum in hominibus moderatis, et infirmis conturbant Spiritum sanctum. Ne autem clamores illi frangant animos piorum, verae, non sophisticae, non fucosae causae tenendae sunt, quod necesse sit nos dissentire a defensoribus iniustae crudelitatis et errorum. Nunc igitur ad definitionem Ecclesiae redeo, dico alligatam esse Ecclesiam ad Evangelium et ad ministerium Evangelii, sed non ad Episcopatum Romanum et successionem ordinariam. Quia cum Episcopus Romanus vel alii sunt hostes Evangelii, dissentire ab eis necesse est, sicut clare haec vox docet: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit, nec leve convicium est vocari anathema, omnium maledictorum extremum et summum est, sciamus reiectos esse a Deo defensores idolorum et impiorum dogmatum, nec propter opinionem autoritatis eorum amplectendos esse errores. Hanc igitur sententiam nobis ipsi inculcemus, hac voce Pauli nos muniamus contra illas vituperationes dissidiorum, et respondeamus: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit, etc.

Idem prorsus in hac concione Christus dicit: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Haec est plana et perspicua Ecclesiae descriptio: Ibi, inquit, habitabimus pater et ego, et hos diliget pater meus, qui sermonem meum, id est, Evangelium, qui tradidi Ecclesiae, amplectentur, et non corrumpent admixtis pravis opinionibus. Recensui nativam sententiam textus, quem prorsus corrumpunt interpretes ignari doctrinae Evangelii, qui putant esse concionem legis, et sic enarrant: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, id est, si quis ex toto corde, ex tota anima, et omnib. viribus diligit Deum, is servat legem, is placet Deo. Haec enarratio aliena est, nec pertinet ad hunc locum. Christus vocat sermonem suum, non solam legem, sed totum Evangelium, id est, promissionem gratiae et vitae aeternae, quam Deus peculiariter revelavit, et vult esse legis interpretem. Totam hanc doctrinam hic tradit Ecclesiae suae, et affirmat ibi fore populum suum, et ibi se habitaturum esse, ubi haec doctrina sonabit. Norunt etiam Ethnici legem utcunque, sed propter hanc non sunt populus Dei. At ille coetus est Ecclesia Dei, in quo sonat vox Evangelii, et in eo coetu necesse est aliquos esse electos ad vitam aeternam. Et sunt viva membra omnes, qui fide amplectuntur Evangelium, et propter filium Dei credunt se placere Deo, et habent incoatam obedientiam, sicut de lege docet Evangelium. Haec admonitio necessaria est hoc loco, ut sciamus *Christum* non de sola legis doctrina loqui, ut multi enarrarunt, sed de Evangelio. Et hic universa doctrina de discrimine legis et Evangelii in hac enarratione repetenda et consideranda est.

Paracletus autem spiritus veritatis.

Repetit dulcissimam consolationem, in qua ut supra promittit Apostolis et Ecclesiae suae Spiritum sanctum, et addit quod sit eius beneficium et munus. Primum autem discamus hic ad Ecclesiam etiam pertinere infirmos, sicut Paulus monet ad Romanos 14.: Infirmos in fide assumite, Deus enim recepit eos. Ita hic significat Christus Apostolos nondum intelligere has conciones, sicut postea Eventus ostendit non intellectas esse. Sed quia non sunt hostes Evangelii, sed audiunt et doceri expetunt, ideo sunt membra Ecclesiae.

Diserte autem inquit: Pater mittet Spiritum sanctum in nomine meo, id est, propter me, et agnoscentibus me. Ingens haec praerogativa est Ecclesiae, hoc est profitentium Evangelium, quod certo in hoc coetu datur Spiritus sanctus. Sinamus Ethnicos, Haereticos, et Mahometistas praedicare sua imperia, opes, voluptates, imo sinamus Israëlitas magnifice sibi placere propter promissionem terrae Canaan. Haec promissio de Spiritu sancto longe antecellit, qui flectit mentes ad Evangelium, nec sinit eas intricari erroribus, sed incoat novam lucem, iusticiam et vitam aeternam, et sustentat ac consolatur credentes in omnibus aerumnis.

Sed illud est dolendum et deplorandum, quod nos duri et caeci non movemur tam ampla promissione: Humanae mentes propter naturalem diffidentiam, et absterriti lege, nequaquam assentiuntur tantam esse bonitatem Dei, ut nos va-

rie pollutos exaudiat, et quidem tanta bona, reconciliationem, Spiritum sanctum et vitam aeternam largiatur. Multa tristia impedimenta sunt, quae fidem aut extinguunt, aut languefaciunt, sicut et Paulus ad Rom. 7. ait: Peccata per legem efficacia esse in membris nostris, id est, terroribus legis impediri fidem et invocationem, et ex diffidentia oriri multa peccata alia. Haec intelligant pii, et repugnent diffidentiae, et harum promissionum cumulo excitentur, ut credant eas non esse inanes verborum sonos, sed revera nos exaudiri invocantes propter Christum, et revera impetrare haec ipsa bona, quae promittuntur, nec experientia praecurrit fidem, sed sequitur: Prius sibi vult credi Deus, et credentes exaudit, et adiuvat. Ideo dicitur 2. Paral. 20.: Credite Deo, et securi eritis, et Marci 9.: Credo Domine, opitulare meae incredulitati.

Est et hoc diligenter observandum, quod certo illi coetui promittitur Spiritus sanctus, in quo est agnitio Christi, hoc est, in quo sonat vox Evangelii, sicut et supra inquit: Si quis servabit sermones meos, ad eum veniemus etc., et infra cap. 15.: Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quod volueritis, petetis, et fiet vobis. Haec est magna consolatio piis, scire certo promissionem Spiritus sancti alligatam esse ad Evangelium, donari Spiritum sanctum iis, qui credunt Evangelio, et hac fide petunt. Item, certo efficacem esse Spiritum sanctum per Evangelium, sicut dicitur ad Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item 2. ad Corinth. 3.: Evangelium est ministerium spiritus, id est, per quod datur Spiritus sanctus. Hae promissiones propter angustiam humani cordis et multiplicem diffidentiam non satis aspiciuntur, sed cum eas in invocatione intuemur, experimur eas veras, et non irritas esse.

Ille docebit vos omnia.

O magnum Dei beneficium, quod nobiscum tam proprie et perspicue de maximis rebus loquitur, et quod promissiones tradidit adeo dilucidis verbis, ut de sententia dubitari non possit. Sed hoc dolendum est, tantam esse imbecillitatem et diffidentiam in nostris mentibus, ut petere et expectare tanta bona non ausimus, ne toties quidem invitati et iussi. Cum autem antea aperte affirmarit dari Spiritum sanctum Ecclesiae, hoc est, amplectentibus Evangelium, ut nominatim inquit: Quem mittet pater in nomine meo, id est, propter me, et agnoscentibus me, nunc clarissime dicit de beneficio, seu munere Spiritus sancti. Docebit vos, et rediget vobis in memoriam ea, quae dixi vobis. Iudaei expectant a Messia victorias, imperia, opes, pecuniam, voluptates: haec bona mundus intelligit, et miratur. At Christus hic promittit longe alias res, quas mundus non magnifacit, veram doctrinam, lucem in mentibus agnoscentem et invocantem Deum, ardentes motus cordis, qui legi Dei congruunt, et consolationes. Haec impii non pluris faciunt, quam si quis novus hospes veniens promittat se traditurum doctrinam geometricam. Ideo supra inquit Christus, se daturum Spiritum sanctum, quem mundus non norit. Sed nos in Ecclesia agamus Deo gratias pro hoc tanto munere, et agnoscamus, quae sint proprie beneficia Spiritus sancti, quanta bona sint, et quomodo dentur, ac retineantur. Haec est peculiaris Ecclesiae sapientia.

Coniungenda sunt autem haec duo verba: Docebit, et rediget in memoriam ea, quae dixi vobis. Alligat enim nos ad Evangelium traditum a Christo, affirmat non afferri a Spiritu sancto genus doctrinae alienum ab Evangelio, aut cum Evangelio pugnans. Saepe adversarii citant hoc dictum: Docebit vos omnia, ad stabiliendas opiniones et ritus, qui non sunt traditi ab Evangelio, ut Missarum abusus, invocationes hominum mortuorum, vota monastica, et alias ceremonias commentitias. Haec inquiunt, sunt ex eo numero de quibus dicitur: Spiritus sanctus docebit vos omnia. Sic et haeretici veteres abutebantur hoc dicto. Sed opponatur particula sequens: Rediget vobis in memoriam ea, quae dixi vobis. Haec docet et illustrat Spiritus sanctus, quae iam in Evangelio tradita sunt per Christum, de rebus necessariis ad vitam aeternam, de his non sunt illuminationes quaerandae, aut expectandae, extra doctrinam Evangelii, ut saepe dictum est, et meminisse Pauli testimonium huc pertinens utile est: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit.

Teneamus ergo hic primum hanc sententiam, quod Spiritus sanctus docens utatur voce Evangelii, nec alia praeter Evangelium doceat, deinde hoc docere intelligatur dupliciter, publice in ministerio, et privatim in cordibus. Ita supra utrunque beneficium complexi sumus, quoties dictum

est de S. S. Publice adest ministerio, ac retinet veram sententiam, et per ipsum ministerium est efficax, ut clarissime testantur haec dicta 1. ad Cor. 1. et 2. ad Corinth. 3.: Evangelium est ministerium spiritus, et ad Romanos 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Retinet Spiritus sanctus in Ecclesia lucem verae doctrinae, alias in pluribus, alias in paucioribus, et subinde rursus accendit, ut ad Ephesios quarto dicitur: Dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores, et additur ibi causa tanti beneficii, ne fluctuent homines, tanquam ventis errorum agitati, id est, Spiritus sanctus retinet Evangelium a Christo traditum in Ecclesia, et addit donum interpretationis, seu in multis, seu in paucis, ut una, vera, perpetua, incorrupta sententia semper maneat, ne extincta vera agnitione et invocatione *Dei*, totum genus humanum opprimatur furoribus ethnicis et similibus. Haec de publico beneficio diligenter cogitanda sunt, et petendum est, ut doctore Spiritu sancto semper et ubique regatur vox ministerii publici.

Deinde privatum beneficium est, cum mentes audiunt verbum Dei, Spiritus sanctus hac ipsa voce lucem in cordibus accendit, ut recte intelligant Evangelium, et flectantur mens, voluntas et cor ad credendum, et excitentur motus consentientes legi Dei, et consolationes, quae sunt incoatio vitae aeternae, ut Christus inquit Ioan. 17.: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum esse Deum, et quem misisti Iesum esse Christum, ac de utroque beneficio, publico et privato, saepe iam dictum est, et rursus dicendum erit. Cumque verba textus adeo perspicua sint, non est opus longa enarratione, sed commonefieri lectorem prodest, deinde pia cogitatione in quotidianis periculis et in invocatione, hae dulcissimae promissiones fiunt illustriores.

Pacem meam do vobis.

Sic in hac sententia commonefaciendus est lector, qua de re dicatur. Postea in afflictionibus et periculis, hanc promissionem cogitatio reddet illustriorem. Multi intellexerunt: Pacem relinquo vobis, pro hac sententia: Volo vos esse concordes inter vos, et tolerare iniurias, nec concitare plebem contra Evangelii hostes. Etsi autem alias saepe de concordia, et de tolerantia concionatur, tamen dictum quod hic legitur, non est praeceptum, sed est promissio et consolatio, ad singulos et ad universam Ecclesiam pertinens. Significat igitur pax hoc loco, ut saepe alias, tranquillitatem et gaudium mentis, ortum a duabus causis, quia videlicet mens intelligit Deo in illis aerumnis obediendum esse, et prospicit exitum, id est, scit Deum nobis adesse, iam nunc opem ferre, mitigare calamitates, et tandem daturum placidos exitus.

Haec clarius intelligentur ex collatione. Demosthenes, Cicero et similes magna pericula sustinent in sua gubernatione, et cum vident sua consilia esse infelicia, accusant sociorum perfidiam, dolent suos labores esse irritos et inanes, et iudicant se a Deo negligi, irascuntur ergo Deo, et opprimuntur desperatione et dolore. In his non est pax, de qua Christus loquitur, id est, tranquillitas seu gaudium cordis, et expectatio boni exitus. At econtra in Ieremia et in Baptista est pax, tametsi ambo sustinent ingentes aerumnas, ingentia pericula, et tandem a tyrannis interficiuntur. Unde autem haec pax in corde oritur? id est, quae causae consolantur, et sustentant eos? Hae causae sunt. Norunt ex doctrina coelesti cur Ecclesia sit subiecta cruci, et quod Deus hanc obedientiam postulet, imo sciunt filium Dei, qui est caput Ecclesiae, futurum esse victimam, et toleraturum acerbissimos cruciatus. Interim tamen sciunt, se et Ecclesiam iuvari, et sustentari a Deo, et tandem exitus fore laetos et gloriosos, nec labores suos inanes et irritos esse.

Ieremiae gubernatio dissimilis est omnium superiorum Prophetarum consiliis, omnes superiores prohibuerunt deditionem, et iusserunt dimicare, quod suadebant et promissiones, quae significabant regnum in Iuda mansurum esse. At Ieremias suadet deditionem, quae erat exitiosa huic toti politiae, et dissipatura erat gentem. Haec pugnare videbantur cum promissione, nec enim verisimile videbatur, dissipatam gentem post septuaginta annos rursus congregari posse in unum locum, aut unam formam Reipub. Ideo Principes, Pontifices et Sacerdotes oderant, et multis modis excruciabant Ieremiam. Haec tolerat ingenti robore animi, et scit suos labores salutares esse Ecclesiae Dei, etiamsi videt excidium urbis, dissipationem, et neces civium, scit et hoc, se a Deo protegi et iuvari, quanquam saepe crudeliter vexetur ab inimicis, ac tandem in Aegypto interficitur. In his tristissimis spectaculis tamen reti-

net hic Propheta pacem, id est, consolationem et laetitiam divinam, scit se Dei ministrum esse, et sustentat se promissione Dei, ac sentit laetitiam et initia vitae aeternae in corde.

Haec collatio dictum Christi reddit illustrius. Nunc accommodemus ad nos privatim et publice. Privatim angimur propter peccata nostra, saepe etiam exercemur multis privatis miseriis, his doloribus omnibus opponamus hoc dictum Christi: Pacem meam do vobis. Primum sciamus nos, quanquam lapsi sumus, et sumus indigni, tamen vere recipi propter filium Dei. Deinde de causis afflictionum nos erudiamus, et sciamus Deo praestandam esse obedientiam, et petendum et expectandum auxilium et mitigationem. Plerumque autem publica pericula vehementer terrent animos, reges incensi odiis, delere Ecclesiam conantur, et passim multos interficiunt, nulla sedes studiorum mansura videtur, nos sine praesidiis, sine defensione ulla obiicimur hostibus trucidandi. Hic difficile est intelligere hanc vocem Christi: Pacem meam do vobis. Sed tamen pii habent has consolationes, sciunt cur Ecclesia cruci subiecta sit, et Deo obedientiam praestandam esse, norunt et hoc, Ecclesiam mansuram esse, nec irritos esse labores, quos suscipiunt, Deum etiam adesse, et opitulari ipsis. Hae consolationes nobis his dictis promittuntur: Non relinquam vos orphanos. Item: Pacem meam do vobis, et Esaiae 46. dicitur: Ego senescentem Ecclesiam gestabo, ego eam condidi, ego portabo, ego salvabo.

His consolationibus nos sustentemus in periculis horum temporum, et fide petamus et expectemus auxilium, et bonos exitus, et non abiiciamus studia doctrinae propter hostium furores, nec arbitremur nostros labores irritos fore. Cumque fide nos erigemus, sentiemus consolationem et gaudium, de quo Paulus ad Philippenses: Pax Dei quae superat omnem sensum, custodiat corda vestra et sensus vestros in Christo Iesu. Pax Dei, id est, consolatio sumta ex dulcissimis promissionibus, quas fides cum amplectitur, scit Deum nobis adesse, sicut inquit, se habitare cum contrito corde, et expectat consilium, mitigationem periculorum et salutares exitus. Ac propterea confirmat animos, ne abiiciant professionem, studia, labores docendi, et gubernandi Ecclesiam, etiamsi magna impedimenta obiiciuntur, his omnibus opponit Christus hoc dictum: Pacem meam do vobis.

Vado ad patrem, quia pater maior me est.

Commoratur in praemonitione, et consolatione: Ego, inquit, discedam ad patrem, id est, aliquanto post interficiar, sed illa mors erit transitus ad vitam aeternam, et ad regnum, quod sedens ad dextram patris, id est, pari potentia cum patre administrabo, sanctificans, regens et vivificans Ecclesiam aeternam. Additur autem ratio: Quia pater maior me est, id est, me videtis in hac mea vocatione imbecillem, moriturum, velut desertum a Deo et omnibus hominibus, sed ut antea dixi: Scitote, me non desertum esse. Pater, qui me misit, adest mihi, resuscitabit me, et regnum aeternum tradet mihi, in quo vos et omnes qui credent Evangelio, donabo nova iusticia, luce, vita, et gloria aeterna.

Praecipue vero hoc dictum citaverunt Ariani ad defensionem erroris sui, cum negaverunt filium Dei esse natura Deum. Si enim pater maior est, filius non est omnipotens, nec est natura Deus. Huic Arianorum interpretationi opponantur dicta in 1. cap. Ioan. ubi clare dicitur: Et Deus erat verbum. Item: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. Et ad Coloss. 1.: Omnia per ipsum, et in eum condita sunt, et omnia per eum consistunt. Haec et alia multa testimonia perspicue affirmant, filium Dei esse natura Deum, omnipotentem et creatorem. Confirmati igitur his testimoniis de essentia filii, postea consideremus dicta de vocatione praesenti ad ministerium Evangelii, et ad passionem. In hac vocatione dicit: Deus Deus meus, quare dereliquisti me. Et Ioan. 8.: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, sed est pater, qui glorificat me. Et Iohan. 17.: Glorifica me pater apud te ea gloria, quam habui apud te, antequam mundus esset.

Haec et similia dicta monent, discernenda esse tempora. Aliud est tempus Christi gloriose regnantis, aliud est tempus humiliati Christi in ministerio, passione et morte, cum fit victima pro genere humano, quod ad hoc tempus et hoc ministerium attinet, Pater est maior Christo, quia mittens et glorificans, quatenus mittit et glorificat, maior est ministro misso, et subiecto horrendis poenis et tentationibus. Et tamen allegat Christus mittentem, et hac missione se et nos con-

solatur, ut sciamus patrem ipsi adesse, et redditurum esse vitam et gloriam. Nec disputandum est hic de essentia, sed de officii tempore. Hanc interpretationem non fingimus, sed Christus eam ipse tradit in dicto Ioan. 17.: Glorifica me apud te ea gloria, quam ante conditionem mundi apud te habui. Affirmat se fuisse ante conditionem mundi, et fuisse potentem et gloriosum. Nunc vero ad tempus se futurum in hac imbecillitate, et non declaraturum potentiam suam, sed aliquanto post rursus fore potentem in resurrectione.

Venit enim Princeps mundi huius.

Doctrina et consolatio insignis est, congruens cum dicto Gen. 3.: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, et serpens mordebit calcaneum eius. Res ostendit, diabolum odio Dei horribiliter grassari adversus Ecclesiam, et suis mirandis artificiis multos evertere, ut initio evertit Adam et Evam, et postea idola et haereses excitavit. Ita non dubium est insidiosissime et astutissime cogitatis fraudibus tentatum esse a diabolo Christum. Etsi quales in tanta praestantia tentationes fuerint, nos dicere non possumus, certum est tamen, multas et varias fuisse, sed Christus Ecclesiam consolatur. Affirmat se quidem tentatum esse, sed non superatum: Non habet, inquit, diabolus in me quicquam. Hic discamus victoriam Christi, non tantum ad ipsius personam pertinere, sed ad omnia Ecclesiae membra. Vicit diabolum in sua tentatione, et superat mortem, ut testetur se delere peccatum in nobis, et repressurum diaboli potentiam et insidias, sicut scriptum est: Filius Dei apparuit, ut destruat opera diaboli.

Hanc Christi potentiam magis intelligeremus, si certaremus cum insidiis diaboli, qui alias impellit ad alia mala, interdum languefacit fidem, et offundit alia spectra moventia dubitationes, ut de Apostolis dicitur: Satanas vos expetivit, ut cribraret, alias incitat ad alia peccata, ut Dāvidem ad adulterium impellit, de his telis diaboli variis loquitur Paulus ultimo capite ad Ephesios, et docet ea repelli, meditatione Evangelii et invocatione Christi, qui adest invocantibus, et liberat nos, et cum inextricabilia humano consilio accidunt, ut saepe fit, ipse rursus praebet salutares exitus.

Caput XV.

Ego sum vitis vera.

Doctrina et consolatio est dulcissima de praesentia et auxilio Christi regentis et iuvantis Ecclesiam et singulos invocantes eum, et de concordia Ecclesiae. Ac imago ipsa primum consideretur. Ecclesia gingitur ut vitis, ex qua multi palmites late sparguntur, et additur vinitor, qui vitem et palmites curet, et decerpit fructus. Duarum autem arborum saepissime fit mentio in his collationibus, oleae et vitis, quarum duarum arborum tantam esse concordiam scribunt, ut olea insita viti, et olivas et uvas gignat. Haec imago venustissime pingit legem et Evangelium, seu populum legis et Ecclesiam. Vitis est arida et horrida, ut populus legis, sed tamen docens et discens doctrinam traditam per Prophetas: Cumque accedit Evangelii cognitio, gignit fructus, docet Evangelium et legem. Imo tunc lex intelligitur, et disciplina, quam lex tradit, incipit placere Deo, et saepe vinum significat legis seu poenitentiae doctrinam, oleum vero Evangelium, ut Lucae 10.: Samaritanus infundit vulneribus vinum et oleum. Nam vinum est acre, et purgat, oleum vero glutinat, sanat, et alit carnem. Longa est autem aetas utriusque arboris, oleam aiunt vivere posse annos ducentos: vitem vero, si recte fuerit putata, multo diutius.

Sed hoc loco vitis Christum significat, qui ut vitis est horridum lignum, gignens tamen saluberrimum liquorem, ita ipse fuit tristi specie, cum sustinuit mortem, et alias miserias in hac vita. Palmites autem significant omnia caetera membra Ecclesiae. Docet igitur Christus ita caetera membra Ecclesiae vivere, et foecunda esse, si ipsi sint inserti fide, hoc est, cum Evangelium fide retinent, et ab ipso Christo per Spiritum sanctum nova in eis lux et vita accenditur, et diserte ac plane dicit: Non manentes in ipso, non gignere fructus. Ethnici, Mahometistae, Haeretici non gignunt ullos salutares fructus, quia sunt praecisi ab hac vite Christo, sed sunt reiecti, et sicut sarmenta in ignem coniicientur, imo hi qui non sunt hostes Evangelii, sed tamen vivunt in contemtu Dei, nec aluntur nativo succo vitis, id est, per Spiritum sanctum, quem dat Christus, etiam non gignunt fructus salutares, non sunt haeredes vitae aeternae, non resistunt diabolo, sed trahuntur in exitium.

Econtra vero manentes in ipso, id est, retinentes Evangelium vera fide, ait fructus gignere, sibi et aliis salutares, liberantur a peccato, sunt haeredes vitae aeternae, reguntur a Spiritu sancto, sunt felices in ministeriis et in gubernatione, resistunt diabolo, defenduntur in magnis periculis et adversus diaboli furores, sic et Baptista inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Noë, Samuel, David, Paulus, servantur, quia sunt huius vitis palmites, et res mirandas gerunt auxilio huius gubernatoris, Saul, Achas, et multi alii pereunt, quia non manent in hac vite.

Discamus igitur utrumque hoc loco damnari, opinionem humanam, quae putat humanis viribus et humana diligentia homines liberari a peccato, haeredes fieri vitae aeternae, gerere res salutares, et fugere diaboli insidias, cavere omnes tristes casus, sicut Philosophi humana diligentia vitam regi volunt, et hanc sufficere arbitrantur. At Christus expresse hic inquit: Sine me nihil potestis facere, et Ierem. 10. ait: Scio Domine, non est hominis via eius, id est, vocatio non potest regi humanis tantum consiliis, nec est efficax et salutaris, nisi Deo iuvante, frustra praeliatur Saul desertus a Deo. Agnosco igitur humanam imbecillitatem, et me oro a te regi, iuvari, defendi. Haec dicta inter praecipua dogmata Ecclesiae tenenda sunt adversus Philosophos et Pelagianos, et similes, qui libertatem humanae voluntatis immodice amplificant, et mentes abducunt a cogitatione, petitione, et expectatione auxilii divini, et a conspectu huius vitis, de qua hic dicitur, et in quotidiana invocatione veniant in mentem haec dicta, ut agnoscamus nostram imbecillitatem. Sumus imbecilles, sine ullis humanis praesidiis, inopes, despecti, calamitatibus variis onerati, vagamur incertis sedibus, nullos defensores habemus. Quae est igitur spes, nos magnas res gerere posse, colligere aut emendare Ecclesiam et meliorem statum ac durabilem constituere?

Cum haec de infirmitate nostra cogitabimus, econtra hanc dulcissimam consolationem hic traditam nobis proponamus, quae affirmat Christum vitem esse, et nos huic viti insitos, non esse steriles. Difficile est singulis privatim retinere fidem et agnitionem veram Dei, et regere mores, cum tanta sit infirmitas nostra, tam variae diaboli insidiae, tanti furores tyrannorum, et tam iniqua iudicia sapientum et potentum, et alia tam multa impedimenta in hominum conversatione. Sed multo maior difficultas est in gubernatione, multo plura impedimenta a nostra infirmitate, a diabolo, ab adversariis doctrinae, tyrannis et hypocritis, a fucatis amicis, ab aulis. Denique nulla mens humana complecti magnitudinem periculorum et aerumnarum potest, quibus exercemur. In his miseriis cogitemus Christum filium Dei vitem nostram esse, et nos huic viti insertos esse, quare statuamus certo nec perituros nos esse, nec labores nostros irritos fore. Haec sententia est dicti in textu: Qui manet in me, et ego in eo, hic copiosum fructum feret. Haec dicta fient magis illustria, cum ad nos consolandos accommodabuntur.

Duae autem quaestiones hic agitantur. Altera cum dicit: Qui manet in me, et ego in eo. Videtur conditionem impossibilem addere, quia nemo est sine peccato et sine aliquibus lapsibus. Altera de dicto: Sine me nihil potestis facere. Cur nobis praecepta dantur, si humana diligentia prorsus inutilis est? Respondeo de priore dicto: Tenendum est discrimen Legis et Evangelii, ac dicta legum sunt inutilia sine Evangelio. Haec igitur dicta Christi intelligantur iuxta Evangelii lucem: Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Item: Qui manet in me, et ego in eo, hic copiosum fructum feret, id est, qui amplectitur Evangelium incorruptum, et fide placet propter Christum, hunc invocantem exaudiet Deus, hunc reget et iuvabit, ut salutaria sibi et aliis faciat: et quanquam sunt multa errata in vita, et aliqui tristes lapsus, tamen haec mala condonantur, et sanantur in illis, qui in vera poenitentia ad Christum rursus confugiunt. David, Ezechias, Petrus sunt infirmi homines, habent peccata, saepe errant, et accidunt eis aliqui tristes lapsus, sed tamen salutaria agunt sibi et aliis, et Deus eorum lapsus corrigit. Sic intelligatur haec regula Christi iuxta doctrinam Evangelii: Qui manet in me, et ego in eo, hic copiosum fructum feret. Hoc quoque sciamus mutuum seu correlativum esse: Donec nos in Christo manemus, id est, donec Evangelium incorruptum amplectimur, et fidem ac bonam conscientiam habemus, vicissim sine ulla dubitatione Christus manet in nobis.

De altera quaestione piis etiam est facilis responsio. Si sine Christi auxilio nihil agimus, quid prodest humana diligentia? Sumatur ex textu responsio: Primum simus insiti in vitem, a

qua palmites succum trahunt, id est, audiamus Evangelium et amplectamur, per quod Deus trahit et movet corda nostra: Moti vero non repugnemus sed obtemperemus, nec voluntas est saxum, aut truncus, sed potest repugnare sua malitia, sicut David volens excussit gubernatorem Spiritum sanctum. Econtra vero, cum iam voluntas iuvetur Spiritu sancto, retinere donum Dei potest. Et hic ingens lucta et difficultas manifeste testatur, voluntatem non esse otiosam, nec inanem esse diligentiam, ut Ioseph non sine lucta retinet Dei donum. Quod si voluntas se haberet ut saxum, ac tantum pateretur impressionem novae virtutis, nulla lucta esset retinendae fidei, seu aliarum virtutum, etc. Ideo inquit Paulus 2. Corinth. 6.: Hortamur, ne frustra gratiam acceperitis, et ad Philip. 2.: Cum timore et tremore vestram salutem operemini, et Lucae 10. dicitur: Quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus, ubi cum additur particula *petentibus*, satis intelligitur non confirmari ignaviam et contemtum. Sed agnoscamus imbecillitatem nostram, obiiciamus ea delicta, quae impediunt invocationem, et polluunt conscientiam, repugnemus imbecillitati nostrae, et vere ac serio petamus auxilium et gubernationem divinam. Maxima pars hominum, etiam eorum, qui vivunt sine crimine, more philosophico, arbitrantur se regere posse suos mores, sua negotia et pericula, sua rationali diligentia, et donec tranquillitas est, securi hanc fiduciam suae sapientiae et diligentiae circumferunt, nec experiuntur quid sit vera invocatio, seu petitio auxilii divini. Sed nunquam pericula inextricabilia desunt iis, qui sunt impliciti gubernationi, et singuli miserias nostras diligentius considerare deberemus, quod si fieret, accenderetur verum studium petendi auxilii. Proficere certe Christianos his exercitiis necesse est, scilicet, agnitione propriae imbecillitatis, irae Dei, promissionum et praesentiae Dei.

Ideo et in textu dicitur: Omne quod fructum gignit, purgat, ut fructum uberiorem gignat. Non sine gravi causa fit mentio huius purgationis, nec leve exercitium est haec purgatio. Complectitur autem et crucem et consolationem, Ioseph cum in carcerem abducitur, purgatur. David cum pellitur in exilium: Ezechias cum obsidetur civitas Hierosolyma a Sennacherib: Daniel cum obiicitur leonibus: Paulus cum passim novis periculis exercetur. Sed hae afflictiones sine consolationibus essent exitiales ipsis, ideo purgatio complectitur etiam consolationem. Etsi autem aliae afflictiones alias causas habent, tamen omnes admonent nos de causa mortis, de ira Dei adversus peccatum nobiscum nascens, de fiducia nostri corrigenda, de quaerendo Dei auxilio, de tyrannide et insidiis diaboli, et multi propter certos lapsus plectuntur. Tunc igitur purgamur, cum haec agnoscimus, nec fremimus adversus Deum, sed retinemus lucem fidei, et sustentamur Spiritu sancto, ne opprimamur dolore et desperatione, et experimur mitigationem, seu levationem terribilium malorum, quibus excruciamur. Hanc propagationem describunt Psalmi passim, ut: Domine ne in furore tuo arguas me. Item: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Et Ieremias inquit capite 31.: Castigasti me Domine, et eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis.

Prior descriptio illustris pictura fuit de efficacia et praesentia Christi in Ecclesia. Nunc sequuntur duae sententiae valde memorabiles, quae docent rursus, ubi et quae sit Ecclesia, et qui sit praecipuus cultus. Coniungantur autem cum hoc dicto multae sententiae supra recitatae prorsus similes, quae idem docent, Ecclesiam esse coetum amplectentium Evangelium, nec pingimus ideam Platonicam, sed loquimur de visibili Ecclesia. Nulli sunt electi ad vitam aeternam, nisi in hoc ipso visibili coetu, qui profitetur Evangelium Dei, sicut Paulus inquit: Quos elegit, hos et vocavit, et in Psalmo dicitur: In omnem terram exivit sonus eorum. Vult Deus recte agnosci et invocari, vult suum Evangelium exaudiri in toto orbe terrarum et ubique propagari. Quare non abdit Ecclesiam suam in latebras, sed vult eam notam esse, et vocem eius audiri. Cum igitur legimus has dulcissimas consolationes huius concionis Christi, et similium, non reiiciamus eas ad aliam Ecclesiam nobis ignotam, sed accommodemus ad hanc visibilem Ecclesiam, et eius membra, hoc est, ad nos ipsos. Ad nos igitur haec promissio pertinet: Quicquid volueritis, petetis, et fiet vobis.

Discrimina multa sunt inter ethnicas religiones, et unam veram doctrinam de Deo, quae sonat in Ecclesia Dei. Errant enim ethnicae opi-

niones de essentia Dei et de voluntate, ut supra saepe dictum est. Ac de voluntate non possunt statuere Ethnici, cur et an velit exaudire Deus, cur in hac natura hominum sit oppressa aerumnis, et an post hanc vitam Deus sit daturus vitam et tranquillitatem. Sed in Ecclesia extat haec consolatio, quod Deus non frustra invocetur, quod vere velit exaudire invocantes, et eis opitulari. Et quanquam suo arcano consilio alios aliter gubernat, tamen velit in hac vita corpus Ecclesiae, sicut exercitum servare, et singulis aut mitigare aerumnas, aut prorsus tollere. Deinde vero post hanc vitam ornare omnia membra Ecclesiae aeterna gloria. Huius doctrinae, seu promissionis cognitionem et fidem nos semper in precatione afferre ad Deum oportet, quod videlicet propter Christum recipiamur, exaudiamur, et iuvemur, ut alias saepe dictum est. Haec fides praecipue discrimen facit inter ethnicam et Christianam invocationem.

Reliqua doctrina de precatione alias saepe recitata est, et assidue mentibus est inculcanda. Primum cogitandum quis sit Deus, et ubi, ac quomodo se patefecerit, quem invoces, quid inter veram invocationem, et ethnicas, seu impias quarumcunque gentium intersit. De hoc discrimine iam dictum est. Deinde cur sit invocandus Deus, an exaudiat invocantes, et cur exaudiat. Hic primum mandata nobis proponamus, necesse est invocari Deum, quia praecipit hoc officium. Exaudit autem invocantes non propter nostram dignitatem, sed propter filium mediatorem: ideoque promissiones tradidit, et affirmat se exauditurum esse.

Tertio discrimen teneatur inter promissionem propriam Evangelii de reconciliatione, et promissiones corporalium beneficiorum. De promissione reconciliationis nominatim postulat, ut remitti nobis peccata, et recipi nos in gratiam credamus, ideo huic promissioni in precando sine exceptione credendum est, sicut clare postulat hanc fidem haec sententia: Haec est voluntas patris, ut omnis, qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Item ad Romanos 3.: Iustificamur autem fide gratis. Semper autem etiam cum petuntur corporalia, petitio remissionis peccatorum praeluceat, sicut piae mentes norunt.

Sed de promissionibus rerum' corporalium semper hoc teneat fides in genere, non esse irritas, sed impetrare, vel integram liberationem, vel auxilium, et mitigationem mali. Quia vero Ecclesia in hac vita subiecta est cruci, non semper mox impetramus integram liberationem, debetque voluntas parata esse ad obedientiam. Petit igitur cum hac exceptione: Si vis, et sicut vis. Sicut David exulans, orat se reduci, et simul paratus ad obedientiam, vult obsequi voluntati Dei, etiamsi non reducatur, nec tamen abiicit fidem de remissione peccati, nec modum praescribit Deo, imo mallet non reduci, si posset filium ab aeterna damnatione liberare, quam sic reduci abiectis in aeternum exitium filio, et magna multitudine civium. Hic modus liberationis magis excruciavit Davidem, quam regni amissio, sed sciebat Deo reducenti obtemperandum esse, et agnoscebat iram Dei adversus peccata sua et filii, in hac magnitudine poenae filii.

Haec exempla, etsi magnitudo eorum enarrari non potest, tamen pios commonefaciunt, qualia sint fidei exercitia in invocatione. Docent certo statuendum esse de remissione peccatorum, sine ulla exceptione. Docent item de corporalibus aerumnis, certo petendum auxilium sine exceptione, sed voluntatem debere paratam esse ad crucem, etiamsi non contingit liberatio, nec modum praescribendum esse Deo. Experientia autem ostendet, haec omnia valde difficilia esse, imo primus articulus, statuere de remissione peccatorum, omnium difficilimus est, praesertim durante poena, et cum modus liberationis exitium aliorum secum trahit, et nobis affert novas miserias, sicut saepe accidit. Educitur populus ex Aegypto, sed in deserto nova peccata, novae seditiones, et poenae sequuntur.

Postremo cum promissio in hoc textu loquatur universaliter: Quicquid volueritis, petetis, sciamus genera rerum petendarum, videlicet bona aeterna et corporalia. Nam utraque promisit Deus, et gradus meminerimus. Primum aeterna petenda sunt, postea etiam corporalia, quia Deus vult in hac vita semper aliquam Ecclesiam et ministerium Evangeli manere. Opus est igitur nobis vita, bona valetudine, cibo, potu, hospitiis, politiis, coniugio, oeconomiis, ut soboles foveri et educari possit. Ad has res retinendas et tuendas multo plura bona necessaria sunt, quam quae nos intelligimus, tantum abest, ut omnia prospici humana diligentia possint, sed consolatur

nos Christus, inquiens: Patrem coelestem scire, ac videre quibus rebus nobis opus sit, etc.

Cum igitur nos commendamus Deo, mentes fiducia praesentiae et auxilii Dei, fiunt tranquillae, etiamsi nunquam satis intelligimus ipsi, quam multis et diversis rebus opus sit. Hinc sunt sumtae fabellae, quibus deridetur humana sapientia, cum abiecta fide, omnia perspicere vult, cum sit hominis fideliter servire vocationi, et pericula, ac media, quae consilio nostro non satis regere possumus, Deo commendare, et fide expectare rerum nobis ignotarum gubernationem, sicut Psalm. 26. inquit: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet. Nota est fabella de rustico, cui Deus concesserat petere tempestates idoneas, is tamen utiles ventos petere oblitus erat.

Petamus igitur, et corporalia bona, quia id praecipit Deus, et quidem propter has causas, vult nos agnoscere, non casu aut naturali ordine, sine Dei ope nobis contingere vitam, victum, vires corporis, felicitatem liberorum, bonos successus consiliorum in Repub. et oeconomia, sicut Deut. 30. dicitur: Deus est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Deinde testatur et hoc, promissione corporalium bonorum, se in hac vita semper aliquam Ecclesiam servaturum esse, id vult credi, et hac fiducia nos propagare doctrinam, nec desperatione studia ac gubernationem abiicere. Tertio vult etiam fidem reconciliationis exerceri petitione corporalium. Non enim possunt corporalia peti, nisi praelucente hac fide, quod Deus nos recipiat, exaudiat, curet. Denique accedere ad Deum non possumus, quicquid petendum est, nisi fide mediatoris Christi. Haec tria vult Deus semper in petitione corporalium cogitari, et accendi fidem haec credentem, a Deo petentem, et Deum celebrantem propter haec beneficia. Ita petitio corporalium fit cultus Deo placens. Sic petiverunt omnes sancti necessariam defensionem et sustentationem, inde usque ab Adam, et petent in hac mortali vita usque ad finem.

Hic breviter adiicio dictum 1. Ioannis ultimo: Si quid petiverimus secundum voluntatem eius, exaudit nos. In hoc dicto monet Ioannes, ne petamus res a Deo prohibitas, ut David non petat a Deo, ut tollat Uriam, et tamen in mundo haec vota a malis affectibus orta usitatissima sunt. Sed pii admoniti sciant, petitionem non debere pugnare cum praeceptis Dei, et quae vitae necessaria sunt, pie et recte peti et petenda esse.

Haec de precatione breviter hoc loco repetivi. Quia insignis promissio in hoc textu tradita est. Dixi autem hic describi Ecclesiam, et dici de invocatione, quae est praecipuus cultus. Nunc additur et alius cultus, scilicet propagatio doctrinae, et confessio.

In hoc glorificatur pater meus.

Diligenter observet lector in hac descriptione Ecclesiae, mentionem fieri duorum praecipuorum cultuum, qui sunt proprii Ecclesiae, scilicet verae invocationis, et doctrinae, seu confessionis. Hos duos cultus sola Ecclesia intelligit, et praestat, caeterae gentes possunt habere alias multas virtutes, ut magnum decus iusticiae, castitatis et modestiae fuit in Aristide, Scipione, sed defuerunt invocatio vera Dei, et propagatio doctrinae. Hoc discrimen Ecclesiae, et Ethnicorum, seu impiorum, saepe repetendum est, ut nos ipsos ad hos praecipuos cultus excitemus, ac ut iam de propagatione doctrinae dicamus, considerent studiosi hominum voluntates erga ministerium Evangelii. Maxima pars generis humani doctrinam Evangelii aspernatur, tanquam fabulosam, tyranni multi etiam delere eam conantur, reliqua multitudo non solum extra Ecclesiam, sed etiam in Ecclesia negligit ministros et studia Evangelii, cum hanc primam curam omnium gubernatorum et omnium hominum esse oportuerit, videlicet, ut consilium et operam suo quisque loco conferat ad retinendum ministerium Evangelii, in publica administratione Ecclesiarum, ad fovenda studia necessaria Ecclesiae, ad ministros, doctores, et discipulos tuendos et alendos. Haec officia constat in imperiis et civitatibus a gubernatoribus et a privatis passim negligi, non quaeri idoneos pastores Ecclesiis, non dari mercedes, seu stipendia mediocria, non adigi iuventutem ad studia necessaria Ecclesiae Dei, imo regiae aulae mercedes debitas doctoribus Evangelii, id est, sacerdotia in collegiis attribuunt iis, quorum opera in foro et profanis negotiis utuntur.

Haec tantum eo recito, ut dictum huius textus proprie intelligatur, et ad usum accommodetur, id est, hac voce accusemus tyrannos, qui delere ministerium Evangelii conantur, et alios qui negligunt. Nos vero excitemus ad audiendum, discendum, colendum Evangelium, ad stu-

dia doctrinae necessaria Ecclesiae, ad venerandos Evangelii ministros, doctores et discipulos. Hortemur principes et civitates, ut Evangelium pure et recte proponi Ecclesiis curent, et consolemur omnes, qui pericula et aerumnas sustinent propter propagationem Evangelii. Denique et nobis ipsis, qui propter studium Evangelii toleramus contemtum, inopiam, exilia, supplicia et multiplices miserias, hanc consolationem inculcemus. In hoc glorificatur pater meus, ut fructum multum feratis, et fiatis mei discipuli. Fructum ferre, et fieri discipulos Christi, significat propagare Evangelium, seu servire in ministerio et studiis Evangelii, hoc officio affirmat Christus glorificari Deum. Itaque Evangelii propagatio et studium, sunt bona opera, Deo placentia, cultus Dei necessarii, quibus Deus affirmat se honore affici. Haec est simplex huius dicti sententia, quae nobis et illustrior et dulcior erit, cum hoc modo, ut dixi, eam ad usum accommodabimus.

Sicut dilexit me pater, ita dilexi vos.

Et his ipsis, qui exercentur periculis et aerumnis propter studia et propagationem Evangelii, consolatio omnium summa et merces immensa proponitur. Sicut dilexit me pater, ita ego diligo vos. Etsi impii ardentibus odiis vos, qui Evangelium propagatis et discitis, persequentur, tamen scitote vos diligi et defendi a Deo patre et a filio Domino nostro Iesu Christo, sicut saepe alias dicitur, et Esaiae cap. 51. dictum est: Posui verbum meum in ore tuo, et umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos. Hae promissiones divinae opponendae sunt odiis tyrannicis, et obtemperandum est Deo praecipienti, ut Evangelium propagemus, et laetandum, quod ab ipso diligamur, ac speranda est, non solum defensio, sed etiam felicitas in colligenda Ecclesia, quod videlicet nostri labores futuri sint perpetuo salutares nobis ipsis et magnae multitudini verae Ecclesiae.

Haec est autem vera et firma consolatio, laetari, quia scimus nos Deo obtemperare, et Deo placere nostros labores, imo sacrificia Deo grata esse, et nos defendi ac iuvari a Deo, nec esse irritas contentiones, sed salutares nobis et Ecclesiae Dei, aeternitas intuenda est, ac vere bona ducantur illa bona, quae perpetuo duratura sunt, et sunt perpetua cum Deo consuetudo, laetitia et gloria. Magnos labores sustinent Pericles, Demosthenes et alii, sed exitiales sibi ipsis et patriae. Haec magna et ineffabilis miseria est, frangi et consumi tantum perniciosis laboribus: minus miser est Scipio, qui res gerit utiles patriae et posteritati, sed tamen nec novit, nec invocavit Deum, nec retulit suos labores ad hunc finem, ut Deus recte agnoscatur et celebretur. Ideo nec ipsi Scipioni salutares sunt sui labores, nec serviunt rebus divinis. At Samuel, David, Ieremias, Baptista, et similes, etsi sustinent ingentes aerumnas exiguo tempore, tamen beati sunt, quia et Deo placent, et res gerunt perpetuam salutem afferentes ipsis et Ecclesiae. Haec consolatio saepissime repetita est, ut ad Abraham dicitur, Gen. 15.: Ego protector tuus, et merces tua magna valde. Pollicetur defensionem, praemia et successus, et 2. Corinth. 4. dicit Paulus: Ideo non defatigamur, sed quamvis externus noster homo corrumpitur, tamen interior renovatur de die in diem. Nam tribulatio, quae, cum subita sit, levis est, affert excellens pondus aeternae gloriae.

Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem.

Aliquanto superius descripsit Ecclesiam, attribuit cultus, invocationem, et propagationem Evangelii. Nunc de tertio cultu seu bono opere concionatur, quod et ipsum non solum singulis in privata vita necessarium est, sed etiam publice in propagatione doctrinae et in gubernatione Ecclesiae, videlicet de concordia seu mutua benevolentia. Perspicuum est mandatum, et nota omnibus sententia est: Concordia parvae res crescunt, discordia magnae dilabuntur, et nemo ignorat Psalmum: Ecce quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum. Qui Psalmus peculiariter de doctrinae concordia concionatur. Quia cum fit mentio balsami, quo Aaron unctus est, doctrina significatur. Ut distillat balsamum a vertice Aaronis in barbam et oras vestimenti, ita una doctrina ab uno summo sacerdote, et vertice Christo sparsa, doceatur a toto coetu sacerdotum, non fingant sibi homines novas opiniones de Deo, sed agnoscant eum, sicut ipse se patefecit, et colant eum iuxta verbum quod ipse tradidit. Est autem singulare πάθος his particulis significatum, Hoc praeceptum meum est. Cur vocat proprie suum, cum toties antea traditum sit? Alii usitate respondent, dici Christi mandatum, propter auxilium, quia Christus dat Spiritum sanctum, quo corda accenduntur, ut huic

mandato obtemperent. Potest et hoc recte responderi, esse Christi mandatum, quia nemo obtemperat huic praecepto, nisi et Evangelium recte didicerit, et aliquo modo imitetur has duas virtutes Christi, humilitatem et patientiam. Oriuntur enim dissidia ex his tribus fontibus, vel ex ignorantia, vel ex ambitione, vel ex impatientia.

De ignorantia inquit Paulus: Habent zelum Dei, sed non secundum scientiam. Homines non recte instituti in Evangelio, sequuntur humanas imaginationes, ut multi Ecclesiam pinxerunt, et pingunt tanquam mundanam politiam, quorum aliqui non ambitione, aut impatientia defendunt hunc errorem, sed tantum inscitia, quia non sunt recte instituti. Primum igitur ad consensum doctrinae et voluntatum necesse est recte tenere Evangelium.

Deinde ambitio multos incendit, ut nova aut popularia dogmata spargant, ut claritatem aut potentiam consequantur. Adversus hunc furorem nemo potest muniri ulla, quamvis magna praestantia virtutis sine agnitione et imitatione Christi. Sed Christi humilitatem vero corde aliquo modo intuentes, reprimere se quoque possunt, ne intumescant. David agnoscens se pollutum esse adulterio, caede, et ingentibus scandalis motae seditionis, stupratarum coniugum, factarum innumerabilium caedium, abiicit se, et cogitur fateri se miserum et horribiliter deformatum esse, sic de suis quisque sordibus cogitet. Sed iam ad hanc imaginem confer Christum, quanta humilitas est, quod iacet Christus coram patre prostratus, iram sustinens, quasi ipse meis, tuis, et Davidis sceleribus polluisset, hanc tantam deformitatem in sese transtulit. Haec non est rethorica et inanis amplificatio, sed vere talis dolor Christi fuit, derivans in sese iram Dei, ac si ipse admisisset haec nostra delicta. Quis autem potest magnitudinem humilitatis huius enarrare, quod subiicit filius Dei, tanquam reum tantarum turpitudinum. Hanc humilitatem, cum filius Dei praestet, cum nostra probra in se derivat, pudeat nos, quod nolumus exiguas opinionis nostrae iacturas pati, sed efferimus nos quasi vertice coelum tangentes, et blandimur ipsi nobis, quasi antecellamus omnibus sapientia et virtute.

Tertius morbus affinis est ambitioni, scilicet impatientia. Multi iniuriis irritati labuntur cupiditate vindictae, ut discordias excitent. Ut Coriolanus irritatus iniusta condemnatione, bellum patriae intulit. Ita in Ecclesia saepe accidit, ut boni viri ac iniuste laesi, dolore iniuriae postea iniusta certamina moverint. Difficile est irato et ardenti cupiditate vindictae, cohibere se, quo minus extra metas erumpat. Sed haec sunt piorum exercitia, non solum iustas molestias, sed etiam iniurias perferre. Propter has causas hoc arbitror proprie Christi mandatum dici, quia nemo potest haec facere, nisi et intelligens Evangelium, et aliquo modo has singulares in Christo virtutes imitans, scilicet, humilitatem et patientiam, de quibus ipse inquit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

Maiorem hac dilectione nemo habet.

De dilectione suum exemplum proponit: cum ego vos dilexerim indignos, vicissim mihi rependi hoc debitum volo, ut bene meritum, et propter me collegas vestri muneris diligatis. Acer et vehemens affectus est aemulatio, nec facile est aemulo parcere, aut cedere, ut historiae plurimorum docent. Themistoclis et Aristidae, Periclis et Cimonis, Syllae et Marii, Caesaris et Pompeii, ut autem horum aemulationes ingentes tumultus et bella civilia excitarunt, sic in Ecclesia accidit. Sed Christus reprimi et extingui odia praecipit, hoc officium sibi deberi docet, ut collegas amemus, et eis parcamus, accedamus propter ipsum. Eusebius Episcopus Caesariensis Basilium presbyterum, incensus aemulatione premebat, quia videbat eum propter eruditionem magnifieri, hic utrique concionatur Christus, praecipit Eusebio, ut vera benevolentia complectatur Basilium, nec obtrectet ei, sed honorem ei convenientem tribuat. Ad eundem modum et Basilio praecipit, ut dissimulet iniurias, ac morigerum se Episcopo praebeat, non suggillet eum, sed vera animi reverentia eum colat propter ministerii gradum, atque ita parcat ei propter Christum. Exaggerat autem hoc praeceptum de mutua dilectione, et studio concordiae, recensens sua beneficia, ut ostendat sibi hoc officium deberi, ut collegas diligamus. Ideo ait: Ego animam meam pro vobis pono, vos amici mei estis: Non iam nomino vos servos, ego elegi vos, non vos me elegistis, mihi igitur debitores estis.

Omnia quae audivi a patre meo, patefeci vobis.

In hoc dicto simul observetur sententia de ministerio Evangelii, videlicet, quod Deus non

aliter agnosci et invocari possit, nisi sicut Christi revelatione patefactus est. Item, quod omnia ad salutem necessaria tradiderit Christus, nec sint quaerenda novae illuminationes, nec quaerenda alia doctrina. Hae sententiae semper sint in conspectu, ut philosophicis opinionibus, seu sapientiae carnali opponantur. Multi fingunt Deum posse agnosci et coli, etiam sine noticia et ministerio Evangelii, quia humana ratio etiam scit unum esse Deum, et novit legem. Sed hic sciamus, voluntatem Dei de remissione peccatorum donanda propter mediatorem filium, ignotam fuisse humanae rationi et omnibus creaturis, priusquam prolata est ex sinu arcano aeterni patris per filium. Necesse est igitur audire Evangelium, ut alias saepe dictum est de discrimine legis et Evangelii.

Deinde etiam hi, qui audierunt Evangelium, difficulter acquiescunt, expetunt alias illuminationes aut contuitus clariores, quibus optant se reddi certiores, unde Enthusiastae, anabaptistae, et multi fanatici orti sunt, et experiuntur omnes pii, magno certamine reprimendos et coërcendos esse vagantes animos, ut ad hoc verbum traditum a Christo, et per Apostolos, alligentur, et in eo acquiescant, ac statuant vere hanc Dei voluntatem erga nos esse, quam hic patefecit. Si nunc de coelo tibi mitteretur angelus, nuncians tibi Deum placatum esse, et adderentur testimonia, videlicet solis regressus, ut Ezechiae tempore, tum vero gavisurum te, tam illustri significatione voluntatis Dei arbitraris. At maius beneficium est, filium esse missum, ac fuisse nuncium tanti muneris. Huius filii verbo vult nos credere, nec alias doctrinas aut illuminationes quaerere. Ad hanc sententiam confirmandam in nobis, dictum hoc meminerimus: Omnia quae audivi a patre meo, patefeci vobis. Affirmat se attulisse doctrinam, videlicet de reconciliatione ignotam omnibus creaturis, prolatam ex arcano sinu patris. Hanc vult nos amplecti, in hac vult nos acquiescere, nec alias opiniones, alios cultus, alias revelationes expetere.

Posui vos, ut eatis, et fructum feratis.

Addit consolationem: Si hanc meam doctrinam retinebitis, fructum feretis. Miserum est magnos labores sustinere, qui nec tibi, nec aliis prosint, ut apud inferos Sisyphus saxum adversus montem agere dicitur. Multo vero tristius est, laboribus et contentionibus tantum aeternas poenas accersere, sicut multi gerentes iniusta bella, et alii propugnantes impia dogmata. Quam lugubre spectaculum fuit excidium Ierosolymae regi Zedechiae, et aliis principibus, cum videntes urbis incendium, cogitarunt se suis consiliis haec ingentia mala sibi et Ecclesiae Dei accersivisse? Ac Christus cum de Iuda loquitur, melius esset isti homini non esse natum, significat ingentem miseriam esse, consilia et labores suscipere, quibus ira Dei irritatur et exitus Iudae ostendit horrendis tenebris et furiis opprimi homines iniusta gerentes. Sicut Iudas sibi mortem consciscit, ut abrumpat dolorem, et tamen postea aeternos cruciatus sentit. Iam cogita maximam partem generis humani frangi, aut inutilibus, aut perniciosis contentionibus. Multi fuerunt, sunt, et erunt Iudae similes, ut impii doctores omnium temporum. Quam multi fuerunt excellentibus ingeniis praediti, qui tamen res aut inutiles, aut tantum perniciosas generi humano gesserunt. Res gestae Alcibiadis omnes ab initio usque ad finem nocuerunt ipsi, et patriae. Bruti, Cassii, Antonii, et aliorum innumerabilium bella, quid sunt nisi perniciosi tumultus? Nunc quoque quam pauci sunt salutares principes.

Haec in historiis et vita quotidiana contemplemur, ut de sua quisque vocatione, et de exitu cogitet. Primum vocatio placeat Deo, deinde depone fiduciam tui, et scias non regi magnas res humana sapientia, sed Deo monstrante consilia et occasiones, et adiuvante. Proponas igitur tibi divinas promissiones, et propter eas invoca Deum, et pete auxilium in vocatione, quam ipse approbat, et fiducia praesentiae Dei suscipe labores, convenientes tuo muneri. Ita et aliis profuturum est tuum ministerium, et tu ipse non amittes vitam aeternam, sed etiam praemiis ornaberis in hac vita et post hanc vitam. Haec est vera et firma consolatio, quam et hic Christus aliquoties inculcat, et saepe repetunt conciones divinae, ut supra dixi. Et Paulus clamat: Labor vester non est irritus per Dominum.

Ac nobis in Ecclesia praecipue opus est hac consolatione, ubi circumferimus doctrinam invisam mundo, et videmur nihil proficere posse, quia adversantur nobis summi reges, et multa sunt impedimenta, inopia, fames, metus crudelissimorum suppliciorum. Inter haec mala cogitemus promissionem Christi toties repetitam: Qui manet

in me, et ego in eo, copiosum fructum feret. Es concionator, doctor, scholasticus, scito functionem Deo placere, si vocationi tuae obtemperas, et salutaria doces, aut discis, et quanquam multae difficultates impediunt cursum tuum, et videris parum proficere, tamen fide et agnitione filii Dei petas ut adiuveris, et non dubites labores tuos tibi, et aliis salutares fore. Idque saepe ostendunt eventus in praesentia. Viderunt David, Esaias, Daniel, et alii multi in praesentia suos labores multis prodesse, Ieremias non vidit reditum populi, sed tamen sciebat consilium suum felix et salutare esse et fore toti Ecclesiae Dei.

Ac infigas intimis sensibus animi, quod diserte addit Christus hoc loco: Et fructus vester maneat. Non solum exiguo tempore prosunt labores piorum ministrorum in Ecclesia, ut exiguo tempore prosunt labores Scipionis aut Augusti, qui politias suas defenderunt, et feliciter rexerunt, quae ad tempus manserunt: sed aeterni fructus sunt docentium, qui colligunt Deo aeternam Ecclesiam, et ornantur ipsi aeternis praemiis. Nemo Romae in senatu existimabat diu mansuram esse hanc doctrinam, quam Paulus circumferebat, ac manent Paulus ipse, discipuli, et doctrina ad omnem aeternitatem.

Hac igitur dulcissima consolatione nos quoque consolemur. Non videtur mansurus esse hic status Ecclesiarum et scholarum, qui Dei beneficio iam constitutus est, luce Evangeli reddita. Sed mansurus est tamen, etiamsi imperia mundi, et diabolus adversantur, sicut alibi Christus inquit: Portas inferorum non praevalituras adversus Ecclesiam. Et quia multa sunt impedimenta, monstrat Christus in hac consolatione etiam auxiliatorem, affirmat petentibus Deum affuturum esse: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Adest nobis Deus adiutor, vult nos exaudire, regere, adiuvare, defendere, liberare. Ideo non frangamur animis, ut abiiciamus professionem, etiamsi multa impedimenta incidunt, sed hac promissione commonefacti, confugiamus ad nostrum adiutorem.

Repete quaeso lector hanc totam consolationem, et expende argumenta et affectus. Occurrit praecipuis animorum nostrorum curis et solicitudinibus, et opponit consolationes maxime congruentes. Angeris, an Deo placeat cursus docentium in Ecclesia, affirmat placere. Angeris, an simus aliquid profecturi, affirmat profecturos esse. Ait enim, ut fructum feratis, et fructus vester maneat. Angeris, quo modo tantam molem rerum sustinere possimus, pollicetur auxilium: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Angeris de defensione, ipse affirmat se non deserturum esse Ecclesiam: Non relinquam vos orphanos. Item: Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Cum igitur omnibus terroribus opponat consolationes dulcissimas et firmissimas, saepe eas consideremus, ut nos in his assiduis periculis, quae coniuncta sunt cum Evangelii professione confirment, et earum cogitatione fidem et fiduciam Christi in nobis exuscitemus.

Si mundus vos odit, scitote, etc.

Addit consolationes a suo exemplo: Non est servus maior Domino suo: Ego sustinui odia et pericula. Scitote igitur et nobis sustinenda et toleranda esse, nec frangantur animi vestri, etiamsi non omnes amplectentur Evangelium, nec me docente omnes amplexi sunt, meum cursum imitemini, nec deterreri vos sinatis aut periculis, aut contemtu Evangelii, aut multitudine adversantium.

Si non venissem, et locutus fuissem.

Hic quaerunt de peccatis ignorantiae. An ignorantia lapsi, sint rei coram Deo, seu peccatores abiecti, cum Christus expresse dicat: Si non venissem et dixissem eis, peccatum non haberent. Suntne excusati Socrates, Xenophon, Plato, Scipio, et alii innumerabiles, qui non recte invocarunt Deum, ignari verbi Dei? Respondeo: Non sunt excusati, sicut mox sequenti capite affirmat Christus, Spiritum sanctum accusaturum esse hoc peccatum, quod mundus non credat in filium Dei. Sed dices: Quae est ita durities, seu tyrannis, postulare obedientiam, nec monstrare quid agendum sit? Primum de lege facilis est responsio: Legem omnes norunt, sicut Paulus inquit, Rom. 1. Scientes igitur violarunt legem. Deinde de promissione hoc respondendum est: Deus initio statim in Paradiso tradidit promissionem de reconciliatione, et de Christo futuro. Hanc certis et illustribus testimoniis postea propagavit, et subinde instauravit, ac semper omnibus voluit notam esse. Ideoque et semper Ecclesiam aliquam celebrem servavit, in qua ministerium publicum sonaret vocem Evangelii, quae ex-

audiretur toto orbe terrarum. Sunt igitur rei et abiecti ethnici, qui neglexerunt, aut contemserunt ministerium Evangelii de promisso mediatore.

Cum igitur Christus hic dicit: Si non venissem et dixissem eis, loquitur de universa revelatione Evangelii, facta ab initio mundi. Hanc iudico simplicem explicationem esse huius dicti. Si non prolatum esset arcanum Dei consilium de reconciliatione ex sinu aeterni patris, voce filii concionantis ab initio, non essent rei homines ignorati Evangelii. Nunc horribiliter rei sunt omnes ignari, quia et revelatum est, et saepe repetita est revelatio illustribus testimoniis, et quo illustrior est revelatio: (qualis fuit tunc, cum ipse Christus assumta humana natura concionatus est) eo gravius peccatum est contemnentium et adversantium. Augustinus sic respondet: Non haberent hoc peccatum, scilicet blasphemiae, nisi scientes Evangelium Dei vocem esse, tamen damnarent.

Qui me odit, et patrem meum odit.

Si et supra cap. 5. dixit: Qui non honorat filium, non honorat patrem. Hae duae sententiae diligentissime observandae sunt. Monstrant enim discrimen verae religionis et commentitiarum, et verae invocationis et falsae. Iudaei et Mahometistae gloriantur se unum et verum Deum invocare, conditorem coeli et terrae, et hominum et omnium aliarum creaturarum. Imo et Platonis et similium virorum mentes unum aliquem Deum conditorem universae naturae cogitabant. Sed haec dicta Christi reiiciunt illam Iudaicam, Mahometicam et Ethnicam cogitationem, qui negant hunc vere esse Deum conditorem, qui misit filium suum Iesum Christum. Illi non agnoscunt, non invocant verum Deum, sed sculpunt sibi novum simulacrum Dei, et a vero Deo aberrant. Teneamus igitur discrimen religionum, nec concedamus Iudaeis et Mahometistis, coli ab eis Deum conditorem coeli et terrae, sed fingunt illum esse Deum, qui missurus sit alium Messiam, vel qui misit Mahometum. Ac certissimum est, Mahometum a diabolo missum esse, quia Mahometi doctrina recens est, pugnans cum Prophetis et Apostolis, ut manifestum est. Quare certum est impiam et diabolicam esse.

Semper etiam in invocatione compellantes Deum, cogitemus hunc Deum conditorem coeli et terrae, qui misit filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, et per illum se patefecit dato Evangelio. Ita primum cogitemus, quem Deum, ubi et quomodo patefactum alloquamur, deinde etiam promissiones nobis proponamus, in quibus affirmat se exauditurum esse invocantes, propter filium mediatorem. Has cogitationes et hanc fidem afferre nos ad precandum oportet. Ac talis invocatio discernit veram Ecclesiam ab Ethnicis, Iudaeis, Turcis invocantibus, et est efficax.

Ac Psalm. 16. sic discernitur Ecclesia a caeteris gentibus. Discernitur et invocatio vera et efficax, a falsa et damnata, cum dicitur: Sanctis qui sunt in terra, et admirandis, omnis voluntas mea in eis, id est, Ego Christus perpetuo diligo iustos, id est, coetum qui me audit, his consulo hac mea passione, omnes mei labores, omnia mea officia ad hoc destinata sunt, ut illis opem ferant. Nos stulte cogitamus Christum otiosum alicubi sedere, ac sibi beatum esse. Hic clamitat se pro suo coetu solicitum esse, laborare, interpellare, regere eum, defendere et servare. Econtra addit, se damnare libationes et invocationes aliorum, qui ipsum audire nolunt. Non libabo, inquit, libationes eorum, nec sumam nomina eorum in labiis meis, id est, non nominabo eos, non interpellabo pro eis apud patrem. Haec dicta et similia discernentia veram Ecclesiam ab aliis gentibus, et veram invocationem a commentitia, diligenter inculcemus nobis singuli. Nam et pie docent mentes de rebus necessariis, et accendunt fidem et invocationem.

Ut impleatur sermo scriptus in lege.

Consuevit ita loqui Ioannes ut cap. 12.: Non credebant in eum, ut impleretur scriptura. Haec non sunt ita stoice accipienda, quasi velit causam mali Deum esse, aut quasi fato aliquo sint coactae voluntates, sed intelligantur talia de necessitate consequentiae, id est, praedicta sunt, quia eventura fuerunt, et nunc ostendit eventus Deum esse veracem: Sicut veritas Dei conspicitur in aliis praedictionibus divinis.

Citatur autem sententia ex Psalm. 68.: Salvum me fac Deus, in quo Psalmo longa descriptio est passionis Christi et membrorum eius. Ac monemur hoc dicto ut patiamur, sicut Petrus ait: Non ut homicidae, aut fures, sed ut Christiani, id est, propter confessionem Evangelii. Estque

insigne πάθος in particula Gratis: Oderunt me non solum nullius sceleris reum, nec nocentem ipsis, sed etiam ardentissime cupientem eis benefacere, servientem summa humilitate, transferentem in me poenas, quas ipsi merentur, non quaerentem ullam vindictam, imo ingenti dolore deplorantem ipsorum pertinaciam, et exitium, offerentem eis summa et aeterna bona. Pro hac optima voluntate, et plena moeroris et luctus propter ipsos, et maxime cupida benefaciendi eis, reporto odium.

Hanc imaginem considerent doctores, qui saepe incurrunt in odia, sed alii propter alias causas. Non accersant nobis iusta odia, turpitudo vitae, rapinae, πλεονεκτήματα nimis iniqua, tyrannicae asperitates, et alia vitia. Deinde boni, qui alieni sunt ab his vitiis, sciant communem morbum esse fere totius generis humani, ingratitudinem. Et placide ferant sibi pro optima voluntate et ingentibus beneficiis reddi malam gratiam, odia, contumelias, et alia mala, sicut omnes historiae plenae sunt exemplorum, ingratitudinis. Attica civitas Miltiaden in carcere pene ad mortem usque detinuit. Aristiden, Themistoclem, Cimonem optime meritos expulit. Denique catalogus infinitus est talium, quorum exempla nos admoneant, ut studeamus propter Deum recta facere, non propter mercedem humanam, nec frangamur animis, cum non respondent hominum studia et officia nostra voluntati et nostris meritis.

Cum autem venerit paracletus.

Multa docuit supra de summa Evangelii, de seipso Christus, de vera Ecclesia, de Spiritu sancto, de ministerio Evangelii. Consolatus est auditores suos, et dedit tanquam discessurus certa mandata. Nunc repetit concionem de Spiritu sancto, et de ministerio Evangelii.

Primum autem discamus descriptionem Spiritus sancti, quae ostendit quis et qualis sit, et testatur distinctam personam esse a patre et filio, sed ut saepe alias monui, firmiora et illustriora sunt cuiuslibet articuli testimonia, cum praecipua simul coniunguntur, et alia aliis quasi lumen addunt. Quare ad hunc locum adiungantur caetera dicta, quae docent, quis sit Spiritus sanctus, et testantur personam a patre, et filio eius Domino nostro Iesu Christo distinctam esse. Ostenditur autem perspicue distinctio personarum in revelatione trium personarum, facta in baptismo Christi, ut alio loco dictum est.

Supra autem recitavi, quid significet παράκλητος, scilicet advocatum. Ut autem advocatus in iudicio multa officia sustinet, monet, regit suam partem consilio, est hortator et consolator, dicit pro eo, cui est advocatus. Ita Spiritus sanctus similia habet officia privatim in credentibus, et publice in Ecclesia in ministerio, accendit lucem in cordibus, ut Evangelium intelligant, movet ut assentiantur, confirmat assensionem, quae oppugnatur variis modis, monstrat consilium, perterrefactos erigit, pro nobis loquitur, id est, impellit corda ad invocationem, palam etiam in confessione noster orator est, et adiuvat dicentes. Ita et in publico ministerio adest et servat publicam Evangelii vocem, et per eam est efficax, ut multi convertantur ad veram Dei agnitionem. Haec beneficia significata appellatione paracleti, magis expressa sunt, cum nominatur spiritus veritatis, id est, spiritus verax et efficiens veraces. Spiritus est, lucem praebens, et agitator. Verax, id est, menti divinae congruens, non dissentiens ab aeterno patre, et a Christo, nec a verbo tradito per patrem et per Christum. Deinde etiam efficiens veraces, et congruentes voluntati et verbo Dei, et veritatem in publico ministerio interpretans, proponens, et propugnans.

Hic et collatio consideretur. Aliarum gentium opiniones de Deo sunt plenae errorum, ut Ethnici finxerunt immani audacia novos deos, et cultus sine fine, alius Bacchum, alius Proserpinam, alius Priapum, alius alia. Sic iam Iudaei, Mahometistae, Monachi comminiscuntur tetros furores, sed una est vera doctrina, scripta per Prophetas et Apostolos, quam sonat Spiritus sanctus, et de qua Spiritus sanctus testificatur, sicut hic et supra clare dixit: Ille docebit vos omnia, et rediget vobis in memoriam omnia, quae dixi. Est igitur Spiritus conservator ministerii evangelici, et per hoc ministerium est efficax. Deinde et haec collatio consideretur. Plenae sunt errorum, dubitationum, et confusionum mentes singulorum, cogitantes de Deo sine luce Spiritus sancti, sicut vere dixit Simonides: Quo diutius naturam et voluntatem Dei quaereret, eo se magis dubitare, id fit, cum mentes non reguntur voce Evangelii, et Spiritu sancto illu-

strante Evangelium, et confirmante assensionem in mentibus.

Haec saepe cogitanda sunt, et petendum, ut Deus regat et confirmet nos Spiritu sancto. Nam ideo toties haec promissio in hac postrema concione repetita est, ut sciamus Christum velle peti hoc beneficium, et daturum esse, sicut hic clare asseverat, quem ego mittam vobis a patre. Et supra: Non relinquam vos orphanos: Ego rogabo patrem, et dabit vobis spiritum paracletum. Mens humana per sese plena est caliginis, et facile labitur, et aberrat, et diabolus obiicit multa spectra, et variis modis abducit homines a Deo. Haec pericula nemo sine Spiritu sancto cavere potest. Ideo hunc paracletum veris et ardentibus votis dari nobis petamus, et vere datur petentibus, ut affirmat Christus: Quanto magis pater vester qui in coelis est, dabit Spiritum sanctum petentibus.

Qui a patre procedit.

Etsi articulus de essentia Dei, et de tribus personis, aeterno patre, et filio, et Spiritu sancto impervestigabilis est, et homines profani, ut Samosatenus, Iudaei, Mahometistae, et alii innumerabiles clamant absurdas opiniones esse, quod profitetur Ecclesia, filium natum esse ex substantia patris aeterni, coaeternum, ὁμοούσιον, et Spiritum sanctum ab utroque procedere. Tamen quia Deus claris et certis testimoniis ipse sese sic patefecit, ac voluit discerni Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, necesse est nos hanc doctrinam amplecti, et reverenter assentiri, etiamsi diabolorum et hominum sapientia fremens absurditate offenditur.

Cur inquies, proponit nobis Deus articulos, quorum verba etiamsi utcunque imitamur, tamen rerum nullas imagines cogitare possumus? Audio filium dici λόγον, sed qualis est ille λόγος, cum sit persona? Audio discrimen esse inter nasci et procedere, agnosco diversa verba, sed rem propius videre cuperem. Excruciant hae quaestiones humanam mentem, sed quanquam modus esse harum descriptionum, et cogitationum debet, tamen sciamus Dei voluntatem esse, ut sic agnoscatur divinitas. Filius est factus redemtor et victima, hunc certe pater aeternus vult agnosci. Imo pronunciat homines ita iustos, et haeredes vitae aeternae, si propter hunc filium credant sibi donari remissionem peccatorum et vitam aeternam. Misit et Spiritum sanctum visibili specie, ut discernamus eum a patre et filio, et credamus eum mitti in pectora nostra, ut nos regat, et lucem, iusticiam et vitam aeternam in nobis incoët. Proprium filii beneficium est, quod est redemtor, proprium Spiritus sancti mitti in pectora credentium. Cum haec immensa bona quodam discrimine personis attributa sint, vult certe personas aeternus pater agnosci et invocari. Imo Christus dicit: Qui non honorat filium, non honorat patrem.

Sciamus ergo non negligendam esse, nec silentio obruendam doctrinam de tribus personis, sed reverenter eam cogitemus et recitemus, et tantum de ea quaeramus, quantum Deus patefecit. Patefecit autem ea quae in invocatione exerceri voluit, quoties invocamus, vult nos filium intueri, et propter eum petere remissionem peccatorum, vult item peti, ut gubernemur Spiritu sancto. Haec discrimina semper in invocatione incurrant in mentem et in oculos.

Deinde pie cogitemus, quomodo patrem, aeternum filium et Spiritum sanctum doctrina Evangelii discernat. Ac notum est haec discrimina tradi: Pater ab aeterno intuens sese gignit filium, qui est imago aeterni patris. Filius est genitus, et est imago aeterni patris. Spiritus sanctus procedit a patre aeterno et a filio.

Hic iam quaeritur, quid interest inter nasci et inter procedere? aut quid omnino significat illud procedere? Haec ita declarantur docendi causa. Si hominum natura incorrupta esset, consideratio eius magis nos erudiisset de Deo. Sed sumamus tamen aliquo modo exempla ab hominum natura. Duae sunt facultates animae, facultas intelligens, et facultas volens. Intelligens gignit imagines cogitando, volens habet impetus, sicut cor gignit spiritus, sentit amorem, laetitiam, et alios affectus. Ab his exemplis sumitur declaratio. Cum filius vocetur λόγος, gignitur cogitando. Est autem cogitatio imago rei cogitatae, λόγος igitur dicitur filius, quia filius est imago patris.

At Spiritus sanctus dicitur procedere, quia voluntatis est amor. Intuens igitur Pater Filium, vult et amat eum, ac vicissim filius intuens patrem, vult et amat eum. Hoc mutuo amore, qui proprie est voluntatum, procedit Spiritus sanctus, qui est agitator ab aeterno patre, et filio coae-

terna imagine patris. Sicut igitur intelligenti facultati tribuitur gignere: sic a voluntate dicimus processionem. Quia voluntas est sedes amoris et agitationis, de quibus ut aliquam qualemcunque umbram cogitemus, nos ipsos intueamur, agnoscamus cogitatione gigni imagines, voluntatem vero, aut cor habere impetus et amorem. In nobis non transfunditur essentia in imagines ullas, aut in ullum amorem, seu impetum, etsi natura nostra vehementer cum amore, seu laetitia rapitur, et quasi in amatum obiectum migrat, sed aeterni patris imago, quae est filius, et est substantia aeterni patris, et Spiritui sancto communicatur essentia patris et filii.

Hic et formae sermonis observandae sunt. Alias de processione aeterna dicitur, qua Spiritus sanctus est persona tertia divinitatis, ut hic dicitur: Qui a patre procedit, et haec proprie vocatur processio. Alias de missione dicitur, qua Spiritus sanctus mittitur in corda hominum, qui fide renascuntur. Hanc interdum vocant aliqui processionem temporalem, sed usitatius dicitur Missio. Sicut et hic in textu nominatur: Quem ego mittam a patre, et de missione quaerunt, an Spiritus sancti persona adsit in cordibus renascentium, an vero tantum dona in mente et corde accendantur, ut lux in mente et in voluntate et corde fiducia, et dilectio Dei. Sed recte respondetur, utrunque verum esse. Et personam Spiritus sancti adesse in cordibus renascentium, et in ipsa mente, voluntate et corde dona accendi. Ita scriptum est in Propheta Ioël: Effundam de meo spiritu super omnem carnem, et ad Romanos 8.: Siquidem spiritus Dei habitat in vobis, haec de persona dicuntur. De ipsis vero donis seu effectibus, seu qualitatibus, ut in scholis vocant, clare loquuntur haec dicta, et similia, ad Galat. 5.: Fructus spiritus est dilectio, gaudium, pax, fides, bonitas, continentia, etc.

Haec ideo recitavi, ut quaestiones aliquot in sententiis Longobardi facilius diiudicentur et explicentur, quas volens praetereo, an sit effectus aliquis dilectio in corde accensa, qui non sit ipsa persona Spiritus sancti. Dixi utrunque affirmandum esse, quod adsit in cordibus renatorum Spiritus sanctus, et quod dilectio sit effectus, seu qualitas accensa in corde per Spiritum sanctum, assentiente et optemperante voluntate. Sed libenter abrumpo has quaestiones, de quibus inerudite et frigide in commentariis Longobardi disputatur.

Restat et haec quaestio, de qua satis est monere studiosos. Graecae Ecclesiae recentiores dicuntur movisse certamen: An Spiritus sanctus procedat a patre et filio, id est, an sit ex essentia patris et filii, et contenderunt Spiritum sanctum a patre procedere, id est, ex patris essentia esse: Ac per filium, tanquam carnalem mitti, nec esse ex essentia filii. De hac quaestione statuamus, ut latinae Ecclesiae sentiunt, Spiritum sanctum ab aeterno patre et filio procedere, id est, esse ex essentia aeterni patris et filii, sicut Christus expresse inquit, Ioannis 16.: Ille me glorificabit, quia ex me accipiet, et Christus hic inquit: Ego mittam, non tantum ait: Per me mittetur, ut per canalem. Nunc ad textum redeo, qui de effectibus Spiritus sancti, et de ministerio Evangelii rursus concionatur.

Ille testabitur de me, et vos testabimini.

Plerunque cum de effectibus Spiritus sancti dicitur, utrunque beneficium complectendum est, quod publice ministerium Evangelii servatur, et in ministerio vera doctrina, et quod per ministerium Spiritus sanctus est efficax.

Deinde vero privatim in cordibus audientium Evangelium accendit fidem, et alios novos motus congruentes legi Dei, ut dicitur Rom. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, per quem clamamus Abba pater. Ita hic intelligatur testificatio, de utroque beneficio, de publico ministerio, et de fide privatim in singulorum cordibus. Haec doctrina de utrisque effectibus Spiritus sancti saepe recitata est, et mox copiosius repetetur.

Consolationem vero addit ad confirmandos Apostolos. Et vos, inquit, eritis testes, quia ab initio mecum estis. Quare vocat doctores in Ecclesia testes? Primum, hoc significat, non gignere eos novum doctrinae genus, sed testes esse doctrinae a Christo acceptae. Deinde praedicit de constantia eorum: Si erunt testes, placebunt Deo, et magno robore colligent Deo Ecclesiam, taxatis impiis opinionibus et sceleribus, et abolitis idolis. Quod vero addit, quia ab initio mecum estis, significat quales esse suos testes velit, qui non sint rudes doctrinae, aut tyrones, sed qui iam diu fuerint auditores, et sint usu eruditiores et firmiores facti.

Caput XVI.

Haec locutus sum vobis.

Cum mentio facta est ministerii, mox attexitur praedicatio de cruce, quae comitatur Evangelii professionem. Ne autem frangantur animi, praemoneri et confirmari eos necesse est. Id Christus vult, cum ait: Se haec dicere, ne scandalis victi deficiant ab Evangelio. Nec simpliciter hic dicit Christus: Ecclesiam subituram esse ingentes aerumnas, sed mentionem facit praecipui criminis, quod obiicitur, illa species auget dolorem. Duo autem crimina obiiciuntur Ecclesiae, quorum alterum levius, alterum gravius est. Aut praetexitur saevitiae haec species, quod discipuli Christi sint autores publicarum discordiarum, et dicuntur seditiosi. Hoc crimen obiiciunt eis Maxentius, Diocletianus, et similes. Etsi autem haec calumnia auget prudentibus dolorem, tamen quia facilis est refutatio, et multi palam vident eos accusandos esse, qui tetros errores defendunt immani crudelitate, minus hoc crimine moventur illi, qui ad supplicia rapiuntur. Alterum crimen atrocius est, quod obiicitur discipulis Christi in illo ipso coetu, qui vocatur Ecclesia Dei, videlicet, quod sint autores impiorum dogmatum, haeretici, laedentes et delentes gloriam Dei. Hic cum pauci intelligant veram doctrinam, maxima pars necessario eos tollendos censet, tanquam catharmata, inimica et invisa Deo, et pestifera toti generi humano. Hoc probrum difficile est sustinere, videlicet iudiciis potentum, in illo ipso coetu, qui vocatur Ecclesia Dei, videri hostem Dei, quia illi iactitant promissiones Ecclesiae factas, quod non erret. Et verum est, magnam reverentiam Ecclesiae deberi. Quare illi coetui, qui habet autoritatem multis seculis, et magnorum hominum exemplis confirmatam, adversari durum est.

De hac tentatione Christus hic inquit: Omnis qui vos interficit, putabit se offerre sacrificium Deo. Facultates, coniugem, liberos, vitam relinquere difficile est, sed multo difficilius subire hoc probrum, quod sis hostis Dei et Ecclesiae. Ideo Christus nos praemonet, et vetat abiicere Evangelium, fractos hoc crimine, et opponit hoc dictum: Non norunt patrem, nec me. Atrox crimen est, dici seditiosum, sed multo atrocius est, dici hostem Dei et blasphemum adversus Deum, sed propter haec crimina non abiicienda est confessio Evangelii, iuxta illud: Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo coelesti. Hoc mandatum regula est, quam sequi Ecclesia debet, quantacunque pericula et supplicia proponuntur.

Arguet mundum de peccato.

Praemonitioni de cruce rursus addit consolationem, et doctrinam de ministerio evangelico. Ego ad patrem abeo, id est, per crucem veniam ad gloriam, sed vobis ingentem moesticiam, et luctum mea mors afferet, verum scitote vobis profuturam esse. Opponit igitur tristi spectaculo mortis, fructum et bona, quae sequentur, et rursus promittit consolatorem Spiritum sanctum, et de eius efficacia in ministerio publice, et privatim in cordibus credentium, insignem et maxime memorabilem concionem proponit. Et haec narratio textus ideo diligentius aspicienda et consideranda est, qui multorum scriptorum insulsis interpretationibus valde obscurata est, qui ideo hallucinati sunt, quia nec doctrinam de iusticia fidei, nec discrimen legis et Evangelii intellexerunt, nec phrasin consideraverunt. Nunc gratias Deo agamus, quod hae res tantae aliquantulum illustratae sunt, et simus studiosiores, ne haec lux rursus extinguatur.

Arguet mundum.

Quid igitur agit Spiritus sanctus veniens? num constituet novam politiam, ut Moses constituit, aut domabit gentes armis, ut somniant Iudaei Messiae imperium? Has imaginationes removeri iubet, et diserte dicit, quid acturus sit. Arguet, inquit, mundum. Haec vox primum de ministerio Evangelii, postea de efficacia in singulorum cordibus intelligatur. Arguet, id est, non ferro, non armis, sed voce ac docendo accusabit, convincet et damnabit non paucos, non infimam tantum plebeculam, sed mundum, id est, totum genus humanum, et clare haec vox, cum inquit: Arguet, testatur poenitentiam in Ecclesia praedicandam esse, ac valde observandum est, quod diserte inquit: Spiritus sanctus arguet. Non igitur humana reprehensio est instituta humano consilio, ut cum Socrates arguit vitia suorum civium, nec est vox irrita, sed efficax penetratura in mentes et corda, accensura agnitionem peccati et irae Dei, item promissae

misericordiae, ut horrendi pavores excitentur, et rursus in consolatione incoëtur nova et aeterna iusticia et vita.

Adiungantur ergo ad hoc dictum Christi similes sententiae, quae de ministerii evangelici efficacia concionantur, ut Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, hac voce sonante Evangelium, vere homines fiunt haeredes vitae aeternae, qui eam vocem fide amplectuntur. Ridiculum hoc videtur humanae sapientiae, polliceri vitam aeternam, aut dicere humana aliqua voce eam in homine incoari. Sed Prophetae, Christus et Apostoli inculcant hunc articulum toties, ut confirment in nobis hanc sententiam. Ita et 2. Corinth. 3. dicitur: Fecit nos idoneos ministros novi testamenti, non literae, sed spiritus: Litera enim occidit, spiritus autem vivificat. Totus ille locus sine ulla ambiguitate testatur ministerium evangelicum esse efficax, et voce Evangelii credentes fieri haeredes vitae aeternae. Meminerit pius lector et hoc, cum dicitur: Spiritus sanctus arguet, significat non tantum ea peccata, quae ratio arguit accusari in hoc ministerio, sed multa arcana mala, quae postea recensebit. Ratio non iudicat caliginem de Deo nobiscum nascentem, et pravas inclinationes peccata esse, aut ignorationem Christi, seu incredulitatem peccatum esse. Sed haec mala et damnantur voce ministerii evangelici, et per Spiritum sanctum moventur corda, ut agnoscant haec mala displicere Deo, et expavescant propter iudicium Dei.

De peccato quidem, quia non credunt in me.

Etsi variae sunt multorum interpretationes, tamen simus auditores et discipuli Christi, sequamur verba quae satis perspicua sunt institutis in Ecclesia, nec peregrinas sententias affingamus. Hoc clare et simpliciter dicit: Spiritus sanctus arguet hoc peccatum in toto genere humano, scilicet ignorationem et contemtum filii Dei, quod homines nec norunt promissionem de filio, nec credunt, sed horribili furore obliti sunt in toto mundo hanc promissionem, et finxerunt deos et cultus immani audacia, imo inter hos qui audierunt promissionem seu Evangelium, ut populus Israël: tamen pauci assentiuntur et credunt, et aliqui assentientes experiuntur suam dubitationem et diffidentiam, hoc ipsum peccatum, quod est fons omnium aliorum peccatorum, et quo manente, non placent ullae virtutes Deo, arguet Spiritus sanctus. Haec est nativa sententia, quam gignunt verba.

Multi sapientes disputant, quid sentiendum est de Aristide, de Scipione, de Pomponio, aut similibus, an non placuerunt tales viri Deo, cum pulcerrimae eorum virtutes vere dona Dei fuerint? Respondeo: Nobis ex verbo Dei de ipsis iudicandum est, peccatum est non agnoscere hunc filium Dei mediatorem, nec credere quod propter eum Deus nos recipiat et exaudiat, et in quibus haeret peccatum, in his manent alia multa horrenda mala. Quia non possunt statuere de remissione peccatorum, fugiunt Deum, non invocant, nunquam vere ab ipso expectant auxilium, fremunt adversus eum, quasi crudeliter oneret hanc naturam. Haec confusio multorum vitiorum sequitur, ubi non est agnitio Christi, et illa vera fides apprehendens remissionem peccatorum propter Christum.

Recensui Ethnicorum exempla, ut ad nos ea conferamus. Singuli nos dolemus cum homicidio aut adulterio polluimur. Sed non dolemus, quod non ardet fiducia Christi in corde. Atqui sic sentiendum erat, non minus peccatum esse non credere in filium Dei, quam sit homicidium aut adulterium.

Quaerat autem aliquis, an non accusabit Spiritus sanctus etiam caetera peccata, aut solam accusabit incredulitatem? Usitata responsio est: Fontem esse peccatorum incredulitatem, ideo accusatione huius peccati comprehendit caetera. Nam ideo manent impii in caeteris peccatis, quia non redeunt ad Deum fide et agnitione Christi, et tamdiu manet peccatum, donec non creditur in Christum, ideo necesse est primum accusari incredulitatem, et cum corda accensa sunt vera fide in Christum, peccata tolluntur, et recipitur homo, etiamsi manent reliquiae peccati. Non autem sequitur econtra recipi hominem, si adsint aliae virtutes, et desit fides. Haec usitata responsio mihi non displicet, sed mihi videtur apte responderi, si dicamus Christum concionari de eo peccato, quod proprie damnatur voce Evangelii, et in Evangelio revelatur, caetera prius damnata sunt voce legis, et tamen verum est, manente incredulitate, manere caetera peccata. Illucescente vero agnitione Christi, tolli et condonari caetera peccata.

De iusticia quia ad patrem vado.

Hoc membrum multis interpretibus obscurius visum est. Quae est enim haec nova definitio iusticiae, iusticia nostra est transitus Christi ad patrem? Longe enim aliter lex inquit, iusticiam nostram esse obedientiam iuxta omnia praecepta. Sed dixi supra, iis qui ignorant discrimen legis et Evangelii, hunc locum meras tenebras esse. Sed recte instituti in Evangelio intelligunt quid dicatur. Verum est legis iusticiam esse nostras virtutes, sed iusticia, quae in Evangelio donatur, est Christi transitus et regnum. Nam propter transitum, id est, mortem Christi, dantur nobis remissio peccatorum, et reconciliatio: seu transitus et mors Christi donantur nobis, ut propter hoc sacrificium simus accepti. Et quia Christus sedet ad dextram patris, et interpellat pro nobis, sumus haereditas Christi, et donamur Spiritu sancto, aeterna iusticia et vita. Haec simplicissima interpretatio vera et nativa est, sicut constat saepe loqui Paulum, ut 1. Cor. 1.: Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iusticia, et sanctificatio, et redemtio. Ait Christum esse nostram iusticiam, quod utroque modo intelligatur, et quia ipsius iusticia nobis donatur, hoc est, propter eum iusti et accepti sumus, et quia efficit in nobis novam et aeternam iusticiam et vitam. Cogites igitur iusticiam tuam esse, non virtutes tuas, et tuam munditiem, sed intuere filium Dei mediatorem pro te passum et resuscitatum, ac nunc pro te interpellantem. Huius iusticia tibi donatur, ita, ut sis propter eum iustus et acceptus, et ne sit tantum imputatio manente peccato et morte, hic iusticiam et vitam aeternam in nobis efficit.

Quare cum dicitur: Spiritus sanctus arguet mundum de iusticia, hanc ipsam rationis humanae opinionem accusaturum esse affirmat, quae fingit homines esse iustos, id est, habentes remissionem peccatorum, et acceptas, propter propria honesta exercitia, virtutes, cultus, disciplinam. Sicut Iudaei, Mahometistae, Anabaptistae, Monachi, et omnes hypocritae fascinati admiratione suorum exercitiorum, pertinacissime propugnant hanc opinionem, quod sint iusti propter sua exercitia, et illam qualemcunque severitatem disciplinae, et hanc vocem Evangelii, quae dicit: Nos iustos esse propter Christum passum pro nobis, et resuscitatum et regnantem, non propter propria exercitia, aut munditiem nostram, execrantur, tanquam corruptelam bonorum morum, et disciplinae laxationem, ut certamina Pauli ostendunt, quae ei cum defensoribus iusticiae legis fuerunt, et extiterunt nostra aetate similia certamina ingentia.

De iudicio, quia princeps mundi iam iudicatus est.

Priores duae partes complectuntur summam doctrinae de peccato et de iusticia, de ignoratione Dei, de incredulitate fugiente Deum, de fide in Christum mediatorem, crucifixum, resuscitatum, sedentem ad dextram patris, interpellantem pro nobis, de gubernatione, qua Christus sedens ad dextram patris, dat Spiritum sanctum, excitat ministros Evangelii, colligit Ecclesiam, incoat in ea novam lucem, iusticiam, et vitam aeternam. Haec est summa Evangelii, quam dixit Spiritum sanctum per ministerium propagaturum esse. Haec vox cum sonat et coepit colligi Ecclesia, tum vero oriuntur certamina, et ingentes discordiae iudiciorum. Ecclesia affirmat vocem Evangelii veram esse, et firmam et immotam Dei sententiam, de veris cultibus Dei, et de salute hominum. At iudicia contemnentium Deum epicurea et hypocritica reclamant. Tyranni et alii Epicurei clamitant Evangelium esse portentosam et inanem fabulam. Hypocritae, qui falsos cultus defendunt, quaeruntur aboleri ceremonias, et exercitia Deo placentia, et laxari frenum disciplinae, et concordiam publicam turbari. Ideo ut opprimant Evangelii vocem, saevitiam exercent adversus Evangelii professores.

De hac diversitate iudiciorum Christus consolatur nos, cum ait: Spiritus sanctus arguet mundum de iudicio, videlicet condemnante Evangelium, et horribili saevitia grassante, delendi Evangelii causa, id est, Spiritus sanctus accusabit mundum condemnantem Evangelium, et delere conantem. Quomodo accusabit? Excitabit doctores, ut confiteantur, et adversus tyrannorum furores confirmabit pectora et animos confitentium et audientium, ne deterreri se sinant magnitudine atrocissimorum suppliciorum, et multo plures ad Evangelium invitabit. Proponitur ergo nobis multiplex consolatio, promittitur Spiritus sanctus, ut regat nostras mentes, ut recte iudicent, ut fortiter confiteantur, ut sciant con-

fessionem efficacem fore, multos invitaturam et confirmaturam, nec posse deleri Evangelium, et testimonium proponitur, quo affirmat Christus Deo placere confessionem Evangelii, et damnari furores Epicureorum et hypocritarum, qui Evangelium oderunt, et delere conantur, et conatus eorum irritos fore, et Deum poenas in hac vita et post hanc vitam de hostibus Evangelii sumturum esse, sicut perierunt Iudas, Herodes, Agrippa, et alii multi manifestis miraculis. Hanc consolationem sibi martyres tempore Diocletiani et similibus temporibus proponebant, sic cogitantes, etsi sumus imbecilles et imperatoris magna est potentia, quae videtur penitus deletura esse Ecclesiam Dei, tamen scimus nobis promissum esse Spiritum sanctum. Hoc accendi et confirmari pectora nostra petamus, ne fracti metu suppliciorum, deficiamus ab Evangelio, sed constanter confiteamur. Et quanquam mundi iudicia quaeruntur turbari confessione concordiam in imperiis, tamen sciamus Deo placere hunc cultum, nec esse tantum inanes et fatuas contentiones, ut multi dicunt, sed his certaminibus Spiritus sanctus vere est efficax, vocat et confirmat alios, et colligit aeternam Ecclesiam. Aliquanto post Deus refutabit mundi iudicia, delebit tyrannos, et testimonia edet, quae ostendent Evangelii confessionem veram esse, sicut multis miraculis Spiritus sanctus confirmavit testes Evangelii, et punivit hostes, ut Act. 18. Elymas Magus subita caecitate punitur. Et Diocletianus postquam diu exercuit saevitiam, sibi ipsi mortem conscivit, et miracula multa martyrum confirmaverunt pios, et Ecclesiam auxerunt.

Hac eadem consolatione nobis et hoc tempore opus est. Magna est imbecillitas nostra, multi sunt ubique, quibus aliquo modo illuxit Evangelium, et qui rectius coeperunt invocare Deum, et initia fidei et verae obedientiae habent, sed paucorum tantum est robur, ut confiteri ausint, petamus ergo nos accendi et confirmari Spiritu sancto. Deinde multi deterrentur hoc probro, quod dicimur autores discordiarum. Adversus hanc calumniam opponito hanc vocem: Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor eum coram patre coelesti. Et hic dicitur, Spiritus sanctus ipse arguere mundum. Sive igitur discordiae, sive dilacerationes regnorum sequantur, Spiritui sancto obediendum est, qui confessionem praecipit et exercet. Postremo nec illa Epicureorum subsannatione moveamur, qui dicunt haec nostra certamina inutilia esse. Imo cum Spiritus sanctus arguat mundum, erit id opus efficax, colligetur Ecclesia, non delebitur, vere etiam punientur illi ipsi tyranni, qui atrocissime grassantur. Has consolationes saepe cogitemus, ut veros cultus discamus et praestemus.

Est autem addita ratio huic consolationi. Quia princeps mundi huius iudicatus est, id est, condemnatus. Cum diabolus adeo crudeliter grassatur per tyrannos et alios impios homines, ut videatur funditus deleturus esse Ecclesiam Dei, in hoc tristi spectaculo nos erigamus his consolationibus, quod Ecclesia Dei sit mansura, sicut Matth. 16. dicitur: Et portae inferorum non praevalebunt adversus eam, et Ioan. 10.: Oves meae vocem meam audiunt, et nemo rapiet eas de manibus meis, et hic dicitur: Princeps mundi condemnatus est, id est, etsi adhuc insidiatur Ecclesiae, et multa membra sauciat, tamen non vincet, eluctabuntur ex insidiis credentes in Christum, hoc modo, et quia ipse Christus tegit et defendit Ecclesiam, et quia credentes in Christum fide petunt auxilium in omnibus periculis, ibi experiuntur victorias Christi.

Quaerat autem aliquis, ubi, qua sententia, quo dicto condemnatus sit diabolus? Respondeo: Primo expressa voce Dei condemnatus est, Genes. 3. statim in Ecclesiae instauratione: Semen mulieris conteret caput serpentis, et serpens insidiabitur calcaneo eius. Hic affirmat Deus semen mulieris, id est, venturum liberatorem natum ex muliere, potentiam diaboli repressurum esse, et sumturum poenas de diabolo. Nam conterere caput non significat tantum certamen cum diabolo, sed significat eversionem potentiae diabolicae, et oppressionem et poenas diabolorum, econtra diabolus laedet calcaneum Christi et Ecclesiae, hoc est, atrociter quidem vulnerabit Christum et Ecclesiam. Sicut David horribiliter vulneratus est, cum facto adulterio, impulit eum ad necandum maritum raptae mulieris, et postea incitavit filium ad movendam seditionem. Hi fuerunt horrendi morsus, et in singulorum piorum cordibus diabolus aliqua saeva vulnera facit, ut pene opprimantur desperatione, sed tamen promissio Dei nos consolatur, audimus non caput, sed plantam pedis sauciari, manet victor Christus,

et sanat haec nostra vulnera, cum ad eum confugimus.

Huc adde multa dicta ex Evangelio, quae de condemnatione diaboli concionantur, ut Matth. 25.: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius, et Lucae 20. dicitur: Videbam satanam ut fulgur ex coelo cadere. Et condemnatio diaboli describitur ad Coloss. 2.: Duxit Christus confidenter in triumpho exutas potestates per seipsum, etc.

Sed hanc totam doctrinam de his certaminibus, de insidiis diaboli, de victoria Christi, de nostris victoriis, homines profani, securi, et dediti voluptatibus, putant esse ficta terriculamenta, et aniles fabulas, ideo difficile est de hac re loqui. Sed potentiam et furores diaboli contemplari homines sanos utile est in tota mundi historia. Vide ut statim ab initio armat impium fratrem adversus Abel. Postea mundum complevit idolis, ac dementavit homines adeo, ut mactationes liberorum, et libidines putarent esse cultus Dei. Deinde quam tristia spectacula sunt, tot urbium excidia, in quibus matres coxerunt carnes liberorum, et legiones decimatae sunt ad alendos reliquos milites, cum Brutus cinxisset obsidione urbem Xanthiorum in Lycia, cives ipsi urbem incenderunt, et sese perdiderunt, alii sese fodientes ferro: et conspecta est mulier, quae sese suspenderat de tecto suae domus, et de suo collo strangulatum infantem suspenderat, et in dextra tenebat facem, qua domum inflammabat. Haec horrenda spectacula non praetereamus otiosis animis, sed deploremus horrendam iram Dei, adversus peccata generis humani, et fateamur diabolum vere grassari adversus homines, et eos qui deserti sunt a Deo, ingenti mole aerumnarum opprimere. Etsi nusquam desunt exempla furorum diabolicorum, sicut nuper misera mater in hac vicinia suos liberos interfecit, tamen qui sunt in iis regionibus, ubi Turcici exercitus suam saevitiam exercent, vident plura spectacula diabolica.

Harum tantarum miseriarum cogitatione moveamur, ne simus securi, nec obliviscamur minarum Christi, et in hac cogitatione invocemus filium Dei, qui vicit, ut nos iuvaret, ac in nostris periculis opem nobis ferret, et illum dirum hostem vinceret, fide et invocatione, in nostris aerumnis confugiamus ad filium Dei propugnatorem nostrum, quod si faciemus, experiemur nos vere iuvari, ac liberari. Nisi indicatus, id est, condemnatus esset diabolus, ita videlicet, ne possit grassari, ut cupit, membra Ecclesiae singula tam horrendis malis implicarentur, ut eluctari non possent, sed quia reprimitur a filio Dei, ideo emergunt, ut Adam lapsus restitutus est, et postea in multis ingentibus doloribus erectus: et David ex tot peccatis et scandalis evasit. Haec exempla intueamur, et ad ea conferamus nostra pericula, et miserias inexplicabiles humanis consiliis, et hanc consolationem nobis proponamus, indicatus et condemnatus est diabolus, ne vincat filium Dei, et confugientes ad eum. Invocemus igitur filium Dei, et defensionem et liberationem petamus, nec putemus hanc invocationem irritam esse, sed ardeat fides, et expectet auxilium Christi, quod cum faciemus, revera experiemur liberationem.

Haec exercitia fidei usu discenda sunt, sed plerunque homines impliciti periculis, cum humanis consiliis destituuntur, et vident se non iuvari causis secundis, et iis modis, quos humana ratio prospicere potest, languefacti amittunt fidem, et ducunt invocationem inane murmur esse, et tandem, vel in furores epicureos incidunt, vel dolore oppressi pereunt, sicut Saul et Iudas. Adversus has tristissimas tentationes consolatur nos Chrisus in hoc textu. Quare hoc dictum infigamus animis, et assidue cogitemus. Haec meditatio illustrabit hanc Christi concionem magis quam ullae prolixae enarrationes. Etsi hoc quoque prodest commonefieri auditorem, ut ad sua pericula conferat consolationem, et opponat eam diaboli telis ignitis, qui hoc praecipue molitur, ut impellat languefactos animos, ut ruant in contemtum Dei, aut in desperationem. Adversus haec extrema mala simus intenti, et praemuniamus nos his Christi promissionibus toties repetitis.

Adhuc multa habeo dicere vobis.

Ingressus in maximarum rerum cogitationem Christus, quae sunt immensae, nec possunt prorsus comprehendi ab humana mente, abrumpit sermonem, miseratione nostrae infirmitatis, quam quidem aperte deplorat, et statim subiicit consolationem, ait se missurum esse, et alium doctorem Spiritum sanctum. Nec volo in his gravissimis sententiis prolixe refutare insulsissimas naenias hypocritarum, qui hisce verbis defendunt humanas traditiones: Restant multa di-

cenda, quae non potestis modo portare, haec, inquiunt, postea revelata sunt. Quaenam? Doctrina de discrimine ciborum, vestium, de sacrificio pro mortuis, et aliae multae ineptiae. Teneatur brevis refutatio. Supra dictum est cap. 14.: Ille docebit vos omnia, et rediget vobis in memoriam ea quae dixi vobis. Spiritus sanctus non affert novam doctrinam, nondum traditam a Christo, sed accendit lucem in cordibus, ut assentiantur Evangelio, quod iam sonuit vox Christi, et hic dicitur: Non loquetur a sese, sed quae audierit, loquetur. Indignissimum est, non maiora tribuere Spiritui sancto, quam ineptias humanarum traditionum. Ideo relinquo hanc disputationem, ac tantum commonefacio lectorem, ut cogitet Spiritum sanctum promissum esse ad incoandam in cordibus sapientiam, longe positam supra et extra captum humanae rationis, et oportet congruere verbum Christi, et lucem accensam in cordibus a Spiritu sancto, ut revera congruunt in omnibus Christi membris, etsi in alio plus, in alio minus lucis est.

Quia autem harum rerum cognitio immensa est, videlicet quantae res sint peccatum et ira Dei, et haec victima filius Dei in se derivans iram, et quanta gloria sit regnantis Christi, quanta potentia diaboli, qualia certamina Christi et diaboli, has tantas res nondum percipi, inquit, ab Apostolis, imo omnes omnibus temporibus inde usque ab Adam paulatim in hac cognitione profecerunt, et nos ardentibus votis petere Spiritum sanctum debemus, ut erudiat nos sua luce, sicut assidue clamat Propheta: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me. Item: Servus tuus sum, da mihi intellectum. Hae ardentissimae petitiones de rebus magnis loquuntur, non de ineptiis traditionum humanarum.

Ducet vos in omnem veritatem.

Graeca narratio hoc loco observetur, quia testatur magis perspicue, quam Latina lectio, Spiritum sanctum esse personam. Nisi enim personam vellet significare, non dixisset ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα, sed fuisset contentus genere neutro. Haec brevis annotatio non est negligenda. Deinde vero repetuntur hic descriptiones Spiritus sancti, supra traditae. Hac et de ministerio Evangelii publice et privatim de luce in cordibus singulorum intelligantur, ut supra in similibus locis dictum est: Spiritus sanctus gubernat ministerium Evangelii, et subinde rursus lucem in aliquibus doctoribus accendit, sicut et Esaias inquit cap. 59.: Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum. Hic promittit perpetuo mansurum esse ministerium, in quo Evangelium sonabit, etsi alias magis, alias minus perspicue, sed tamen mansurum est, et subinde restituetur, et Spiritus sanctus gubernabit mentes aliquorum docentium, et erit efficax per ministerium, sic et Christus inquit de doctoribus, Matth. 10: Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri est, qui loquitur in vobis. Hae dulcissimae consolationes confirmant nos, ut sciamus docentes Evangelium iuvari a Spiritu sancto.

Deinde et privatim Spiritus sanctus flectit corda audientium Evangelium ad veritatem, ut Deum recte agnoscant et invocent, et recte intelligant doctrinam Evangelii de Deo, de Christo, de gratia, de iusticia, et aliis rebus necessariis, sicut Zach. 12. dicitur: Effundam super domum David spiritum gratiae et spiritum precum, id est, quo movente singulorum corda, experiuntur consolationem, et agnoscunt se esse in gratia, ac recipi, et impelluntur ad invocationem.

Haec ingentia bona consideremus, ut discamus intelligere et optare has consolationes, et hos salutares motus verae invocationis. Haec cum fiunt in nobis, reguntur mentes ut dextre etiam genera doctrinarum diiudicentur, ac discernatur a lege, a philosophia, et ab humanis opinionibus et cultibus, ideo Paulus inquit 1. Corinth. 2.: Spiritualis omnia examinat, seu diiudicat, et 1. Ioan. 2.: Unctio docet vos de omnibus, et vera est, et non est mendacium. Extant passim multa dicta, quae de his beneficiis Spiritus sancti eodem modo concionantur, ut hic dicitur: Ducet vos in omnem veritatem. Magna et salutaris res est, non aberrare in iudicio doctrinae, et in consiliis privatae vitae, aut gubernationis, sicut hallucinati sunt in interpretatione scripturae alii furiosius, ut Pharisaei et Haeretici, alii stolidius, ut Origenes, Thomas, et multi tales scriptores, et nostra aetas, quam horrendam insaniam vidit Anabaptistarum. Ta-

lia exempla consideranda sunt, ut e regione beneficium S. sancti magnifacere discamus, ac petere, ut vera luce sua nos gubernet, idque peti iussit Christus, et promissionem addidit inquiens: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Te igitur oro vive et omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum et conservator, et opitulator, cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, λόγῳ et imagine tua, et Spiritu sancto effuso in Apostolos, paracleto, sapiens, bone, misericors, iudex, fortis, caste, verax et liberrime: Miserere nostri propter Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum crucifixum pro nobis, et resuscitatum, quem voluisti pro nobis esse victimam, καὶ μεσίτην, καὶ ἱκέτην, et accende, rege, sanctifica corda nostra Spiritu sancto tuo, ut te vere agnoscamus, invocemus, metuamus, tibi vere credamus, gratias agamus, et obediamus, ne sinas praestigiis diaboli extingui in nobis lucem Evangelii, rege nos consilio in omnibus negotiis, quia filius tuus promisit, te petentibus daturum esse Spiritum sanctum, sicut scriptum est: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus se.

Non enim loquetur a seipso.

Multis quaestionibus occurit. Cum alius doctor promittatur, quaestio est: An aliam doctrinam, alios articulos allaturus sit, non traditos a Christo? Respondet Christus: Imo idem prorsus docebit, quod ego doceo, nec alios articulos, nec novos afferet a me non traditos, sed eadem est doctrina aeterni patris, mea, et Spiritus sancti. Haec responsio Christi observanda est, ut opponatur illis, qui Missae venditiones, et invocationes mortuorum, et multos errores alios defendere conantur hoc praetextu, quod quanquam non sint traditi in Evangelio, tamen postea sint recepti, movente mentes Spiritu sancto.

Est autem duplex refutatio. Prior: Fateri coguntur omnes, qui videri volunt amplecti Evangelium, non recipienda esse dogmata pugnantia cum his, quae iam tradita sunt a Christo. Nos autem cum improbamus errores adversariorum, hoc ostendimus, pugnare eos cum certis dogmatibus a Christo traditis. Certum est propositum a Christo consilium Dei immutabile, quo decernur remitti peccata propter mediatorem fide, et non propter ulla nostra opera, aut cultus a nobis excogitatos. Cum igitur contra hanc Evangelii vocem Monachi affirmant remitti peccata, propter sacrificia Missae, aut sua vota, aperte pugnant cum Evangelio. Contra hanc perspicuam refutationem frustra citant illud somnium, quod fingunt de dogmatibus revelatis Ecclesiae, et non traditis voce Evangelii.

Secunda refutatio haec est, usitatum dictum est, Ecclesia non gignit articulos fidei, sed accipit eos a Deo per verbum certum, et non ambiguum. Non igitur necesse est recipi opiniones in Ecclesia tanquam articulos fidei, quae sine testimonio certo scripturae proponuntur, etiamsi non manifeste pugnant cum dictis scripturae propheticae, seu apostolicae, ut vetus narratio est in Ecclesia, Zachariam Baptistae patrem interfectum esse propter confessionem de Christo, ac mentionem eius historiae fieri, Matthaei vicesimo tertio nec pugnat haec narratio cum Evangelio, sed tamen non est articulus fidei. Caeterum illud verum est, discimus ab Ecclesia articulos fidei, sed non credimus propter Ecclesiam, ut Ecclesia docet nos, significari personam hac voce λόγος, Ioan. 1. sed fidem et invocationem oportet niti testimonio divino, quia de Dei essentia et voluntate non potest creatura sine revelatione divina firmam sententiam tenere. Quaerimus igitur in scriptis propheticis et apostolicis testimonia, quae non sunt ambigua. His confirmati, veram agnitionem Dei ad invocationem afferimus. Haec facile intelliguntur a piis. Restat hic et alia quaestio, scilicet de processione Spiritus sancti, an a solo patre procedat. Dixi supra, nos amplecti sententiam Latinae Ecclesiae, Spiritum sanctum procedere simul ab aeterno patre et a filio. Testimonium hic satis firmum extat: Ex meo accipiet. Est igitur Spiritus sanctus aliquid essentiae filii, seu etiam filio ὁμοούσιον. Haec probatio satis firma est piae menti, quae non quaerit cavillationes ad labefactandum textum. Et huc congruunt illa, quod Christus ipse Ioan. 20.: Afflat Spiritum sanctum Apostolis. Hic flatus non a solo patre, sed etiam a filio procedit. Additur autem et confirmatio hoc loco: Omnia quae pater habet, mea sunt. Haec vox aequans filium patri diligenter observetur, nec dubium est potentiam aequari, cum filius sic omnipotens, natura Deus est, quare et patri ὁμοούσιος est. Hinc sequitur, et ab utroque procedere Spiritum sanctum. Nec

volo prolixius de his arcanis disputare, quae reverenter cogitanda sunt, nec immorandum est speculationi, sed beneficia considerentur. Quantus amor est filii Dei erga nos, quanta humilitas, quod cum sit natura Deus, abiicit se, et induit hanc nostram naturam; facit foedus nobiscum omnium arctissimum, scilicet copulatione naturae, et fit victima pro nobis. Quantum beneficium est, quod Deus effundit in corda nostra spiritum suum, cuius est essentia divina, et efficit nos, ut Petrus inquit, socios naturae divinae. Haec tanta beneficia agnoscamus, et grati praedicemus, et vicissim nos Deo subiiciamus, ut ostendamus nos vere Deo gratos esse, et vere oremus, ut Spiritus sanctus accendat in nobis hanc gratitudinem.

Modicum et non videbitis me.

Antea de ministerio prolixe concionatus est, nunc inserit consolationem, qua significat se passurum esse, sed expresse affirmat se brevi ad eos rediturum esse. Quanquam autem saepe praedixerat eadem de sua passione, tamen ita fascinati fuerunt opinione de imperio Messiae politico, ut has conciones de passione non intellexerint. Ideo eum interpellant, et fatentur se nescire, quid dicat. Haec exempla monent primum deplorandam esse caliginem, quod tunc in Ecclesia Dei intellectus promissionum de Christo adeo extinctus fuit, ut stulte tantum civile imperium somniarent. Fuisse aliquos recte sentientes necesse est, ut fuerunt Zacharias, Simeon, Ioseph, Baptista, Maria, Elizabeth, Anna, et alii multi. Semper enim aliqua Ecclesia manet recte sentiens, etiamsi exigua et dispersa est, et longe maior est multitudo multis tetris erroribus contaminata, quae gubernationem tenet. Cum autem illo tempore, et saepe alias magni errores publice a gubernatoribus traditi sunt, et a maxima multitudine recepti, sciamus et hac postrema aetate potuisse, et posse errare pontifices, et maximam doctorum et populi partem, et non moveamur autoritate gradus, aut multitudinis, sed quaeramus veritatem in verbo Dei, sicut eadem de re saepe concionantur Prophetae. Sed locus est dulcissimus Esaiae 8. ubi primum precatur Esaias, ut Deus servet puram doctrinam in aliquibus. Obsigna legem, inquit, in discipulis meis, id est, video horrendas tenebras, et doctrinae oblivionem secuturam esse, ut accidit cum alias, tum Pharisaeorum et Sadducaeorum tempore, et maximo in dolore et luctu sum propter Ecclesiam. Sed te Deus oro, ne sinas prorsus extingui veram doctrinam a te traditam, sed inclusam in mentes meorum discipulorum serves, ut incorruptam transmittant ad posteros. Significat autem doctrinam mansuram esse apud illos tantum, qui sunt discipuli Prophetarum, id est, qui hoc verbum traditum a Deo per Prophetas audiunt, amplectuntur, et retinent. Hanc precationem Esaiae omnes saepe cogitemus, et ad eam vota nostra adiungamus, petamus, ut in nobis quoque legem suam obsignet, et confirmet mentes nostras, ut veritas in nobis luceat, et nostro ministerio ad posteros incorrupta perveniat. Sequitur autem descriptio eventus: Ecce, ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus in portentum Israël. Hoc dictum promissio et consolatio est, quae affirmat aliquem fore coetum Ecclesiae ad posteros, sed exiguum et invisum potentibus. Deinde expresse additur praeceptum, ubi vera doctrina a Deo tradita, quaerenda sit, videlicet non in vulgari persuasione principum et multitudinis, ut nunc citatur magna multitudo Monachorum, sed in verbo, quod Deus certis testimoniis per Prophetas tradidit, ad legem et ad testimonium, inquit: Id verbum qui non amplectentur, non erit eis matutina lux. Haec breviter recensui, ut tempora et miserias Ecclesiae consideremus, et discamus, ubi quaerenda sit veritas.

Secundo exemplum Apostolorum ostendit multos in Ecclesia esse infirmos, qui tamen sunt electi et a Deo tolerantur. Hac consolatione omnibus nobis opus est. Omnes enim et peccata aliqua, et errores nobiscum circumferimus. Sed qui retinent fundamentum fidei, et non perseverant in erroribus, aut delictis contra conscientiam, sed sunt dociles, et emendationem incoant, hi manent in gratia, sicut et dulcissime dictum est, ad Rom. 14.: Deus eum assumsit, ubi affirmat Paulus etiam infirmum Deo placere.

Tertio monet haec concio Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci, ut alias saepe dicitur: Estque propria Ecclesiae haec doctrina ignota philosophiae, unde sint calamitates universi generis humani, cur Ecclesia durissime exerceatur, et quam habeat propositam veram et firmam consolationem. Haec alias dicta sunt, sed tamen subinde sunt repetenda. Cum quaeritur unde sint

calamitates universi generis humani, philosophia dicit, eas partim a materia oriri, partim ab erroribus humanis et voluntate humana, ut mortis causam dicunt esse materiae naturam. Pompeium dicunt errore sibi calamitatem accersivisse, quia putabat defensionem Reipub. iustam esse, et plerunque sciebat ordinariam potestatem esse victricem. Catilinam vero prava voluntas impulit in exitium, quia quanquam intelligeret periculum, tamen seditionem movit. Has causas philosophia recitat, quae etiamsi sunt propinquae, et concurrentes causae, tamen aliae sunt priores et potiores. Causa mortis et omnium poenarum prima et praecipua est peccatum, quod nobiscum nascitur, ortum a lapsu Adae, et tyrannis diaboli horribiliter infirmam naturam impellentis in scelera et in poenas.

Deinde vero in Ecclesia causae multae concurrunt, cum maneat peccatum in hac vita in sanctis, manent mors et aliae calamitates, ut admoniti de ira Dei, agnoscamus peccatum, et quaeramus auxilium, item ut flammis vitiorum repressis, accendantur in nobis vera fides, invocatio, et aliae virtutes, ut in Psalm. dicitur: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Sunt et aliae causae, quae in integra explicatione huius loci alibi recensentur.

Postremo philosophia videt naturae interitum et alias calamitates, sed proponere consolationem firmam non potest, tantum monet, ne augeamus malorum sensum, quae vitari non possunt, addita insuper maiore animi moesticia, ut Socrates cum effugere mortem non possit, sapienter facit, quod repugnat dolori, quasi vim eius aliquo modo frangens, exitum autem mali ac restitutionem vitae melioris non videt. Quare in magnis malis philosophica consolatio nihil iuvat mentes, et tota sapientia humana est cantus funebris, ut significatum est, Matth. 9.: Cum conducti sunt ad funus filiae Archisynagogi tibicines, qui funebres modos canunt.

At sola Christiana doctrina ostendit auxilium et praesentiam Dei in omnibus aerumnis, et insuper vitae aeternae restitutionem. Haec auxilii et liberationis ostensio est vera et efficax consolatio. Ideo de ea cum saepe alias, tum hoc loco etiam Christus concionatur: Vos dolebitis, sed tristitia vertetur in gaudium. Haec non est vox philosophiae, aut ullius humanae sapientiae. Imo ne legis quidem, sed solius Evangelii, et in hoc agone discrimina doctrinarum fiunt illustria, in veris doloribus cum undique quaerimus consolationes, et re ipsa experimur nos non iuvari humanis cogitationibus, tandem pia mens decurrens ad vocem Evangelii, tanquam ad fontem aquae vivae, incipit acquiescere, sicut in Psalmo dicitur: Eloquium tuum vivificabit me.

Quicquid petetis, dabit vobis, etc.

Antea praedixit secuturas esse afflictiones, et addidit promissionem de liberatione. Nunc adiungit duo dicta, quae ad consolationem pertinent, et sunt aditus ad liberationem, scilicet de vera noticia voluntatis Dei, et de precatione. Haec duo nisi luceant in afflictionibus, non possunt mentes acquiescere, ut Cato, Brutus, et similes, quia ignorant voluntatem Dei, iudicant se negligi, aut abiici a Deo. Ita ruunt in aeternam desperationem, et in odium Dei. Ieremias vero etsi videt ruentem patriam, tamen scit non deseri Ecclesiam Dei. Hac noticia confirmatus perfert praesentes miserias, intelligit enim earum causas, et finem fore earum, et instaurationem Ecclesiae novit. Primum igitur dictum hoc loco de noticia voluntatis Dei loquitur. Illo die me non interrogabitis quicquam, id est, post resurrectionem oculi vestri erunt testes me vivere. Eritis igitur confirmati, ut non dubitetis de mea vita. Deinde cum acceperitis Spiritum sanctum, intelligetis, quale sit meum regnum, quae sint causae afflictionum Ecclesiae, et quomodo sim collecturus, servaturus et liberaturus Ecclesiam. Discernetis iusticiam fidei, et politicam, abiicietis somnia pharisaica de civili imperio Messiae, denique scietis omnia necessaria ad salutem aeternam. Haec certa noticia Evangelii fons est praecipuarum consolationum.

Ad hanc noticiam accedat precatio. Est igitur repetita promissio, de qua supra aliquoties dictum est. Et diligenter observandum est, quod additum est iusiurandum: Amen amen dico vobis. Haec tanta asseveratio exuscitet nos, ut promissioni credamus, et ardentius petamus auxilium. Quoties autem haec promissio exponitur, repetenda sunt quinque praecepta precationis, de quibus supra dictum est: Primum quis Deus invocetur, segreganda est enim invocatio Ecclesiae ab Ethnica, Mahometica, et aliarum impiarum gentium invocatione. Secundo mandata cogitentur,

quae iubent precari. Nam mens humana, praesertim saucia agnitione peccati sui, fugit Deum, nec audet bona petere. Huic trepidationi primum mandata, deinde promissiones, et doctrina de fide opponantur. Tertio igitur promissiones intuemur, quae affirmant Deum vere velle bona aeterna et praesentia dare. Quarto accendatur fides, quae statuit nos propter Christum recipi et exaudiri, sicut hic diserte addit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est, me nominato, me proponentes patri, tanquam placatorem et intercessorem, id est: Fides vestra vere expectet bona, et nitatur non vestra dignitate, non ullis aliis intercessoribus, sed nitatur me propiciatore, et quidem nominatim ita petite: Deus aeterne, pater Domini nostri Iesu Christi, miserere nostri, exaudi, et iuva nos propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem constituisti propiciatorem, ut saepe alibi formam recensui. Quinto recenseatur in precatione res petenda, quia precatio nihil petens, aut non agens gratias pro beneficiis, est frigida ταυτολογία. Haec breviter percurri, quia alibi copiosius dicta sunt. Sed cur dicit hoc loco:

Hactenus non petiistis quicquam in nomine meo.

Respondeo, hic tradi rem gravissimam, videlicet discrimen fiduciae carnalis, et verae fidei, lucentis in corde destituto carnalibus praesidiis. Hactenus inquit, estis confisi praesentia mea visibili, ut milites Davidis confidebant huius sui ducis praesentia: Propterea nihil petiistis in meo nomine, id est, fide vera invocante Deum propter me propiciatorem, sed deinceps accendetur in vobis haec lux verae fidei invocantis propter me propiciatorem. Est ergo emphasis in hac additione: In nomine meo, id est, non petiistis fide, quae me absente propiciatorem intueretur, sed carnali more confisi estis visibili defensione in hac familiari consuetudine.

Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Repetit mandatum de precatione, ut saepe alias, et addit promissionem. Tunc inquit: Gaudium vestrum erit perfectum, id est, non hypocriticum, non simulatum, sed verum, mansurum, aeternum. Fides petens acquiescit in promissione, et expectat auxilium et mitigationem. Hoc ipsum acquiescere est pars gaudii aeterni. Deinde cum eventus ostendunt mitigari mala, magis laetatur cor, et statuit preces vere exaudiri, Deum adesse et respicere nos. Ita crescit gaudium aeternum in corde. De hoc gaudio dicitur ad Philip. 4.: Pax Dei superans omnem sensum, custodiat corda vestra, et cogitationes vestras in Christo Iesu, id est, laetitia acquiescens in Deo, quae accenditur fide, et est vera consolatio, qua Spiritus sanctus in ipsa morte nos sustentat, et vitam nobis praebet, et supra et extra iudicia humana posita est. David hanc consolationem in exilio suo experitur: Pompeius, aut Saul non experitur.

Venit hora, cum non amplius loquar in parabolis.

Antithesis est? Hactenus ait se obscuras sententias, seu proverbia, ut textus inquit, locutum esse. Postea inquit: Non loquar proverbia, sed palam de patre annunciabo. An sermo superior est obscurus, ambiguus, incertus? Respondeo: Et haec concio quam hactenus habuit Christus, et tota summa doctrinae Evangelii certa et perspicuis verbis tradita est. Non est igitur obscuritas, quod ad ipsam concionem attinet, sed est obscuritas, quod ad ipsam concionem attinet, sed est obscuritas, quod ad mentes adhuc hebetiores et caligantes attinet, ut Sol per sese lucidissimus est, sed acies nostrorum oculorum infirmior est, quam ut fulgorem tantum contueri possit. Christus concionatus est de ministerio Evangelii, de remissione peccatorum, de efficacia Spiritus sancti, de incoatione vitae aeternae, de cruce, de fide, qua sustentandi sunt animi, destituti omnibus praesidiis humanis. Haec nobis iam legentibus concionem, omnia perspicua sunt. At Apostoli habebant occupatas mentes persuasione de imperio mundano, quae valde impediebat intellectum harum concionum, sed postea dato Spiritu sancto, evanuerunt illa dulcia somnia de imperio. Ideo hic dicit: Postea se plane cum eis locuturum esse. Sed sequens antithesis obscurior est.

In illa die petetis in nomine meo.

Prius membrum perspicuum est: In illa die in nomine meo petetis, id est: Hactenus quidem freti consuetudine visibili, carnalem securitatem habuistis, sed deinceps vera fide, quae me absentem tanquam propiciatorem intuetur, petetis,

vagabimini toto orbe terrarum sine praesidiis, eritis in odio non solum tyrannis, sed etiam sapientibus. Talesne errones possent Ecclesiam colligere? Imo inquit: Labor vester non erit inanis, et defensionem habebitis: Petetis enim in nomine mea, id est, fiducia mei, quare certo vos pater exaudiet, servabit, defendet et iuvabit.

Sed cur addit: Non dico vobis, quod ego rogaturus sim patrem pro vobis, ipse enim pater diligit vos. Hoc dictum necesse est leniri interpretatione, quia praecipuum et proprium Christi officium est, esse sacerdotem, et pro nobis assidue deprecari, sicut saepe scriptum est ad Rom. 9.: Qui est ad dextram patris, et intercedit pro nobis. Facilis est autem explicatio, dextre et non calumniose iudicanti. Occurrit Christus ingenti imbecillitati hominum, qui praesertim in magnis doloribus intuentes sua peccata, non audent ad Deum accedere, non audent petere, aut expectare auxilium, aut mitigationem miseriarum. Hanc trepidationem et fugam reprehendit Christus, et retrahit nos dubitantes ad sese. Imo inquit: Non solus orabo, sic intellecta exclusiva vera est, id est, volo vos ipsos mecum ad patrem accedere, ego vester sacerdos praeibo vobis, perferam vestra vota ad patrem, sed tamen et vos precari volo, nec deterreat vos conspectus imbecillitatis vestrae, etsi enim infirmi estis, tamen diligit vos pater vero et paterno amore propter me, ut membra mea.

Quia me dilexistis, etc.

Exponit causam, quare diligantur a patre, quia inquit: Me dilexistis et credidistis, quod ego a patre in hunc mundum missus sim. Hic hae duae sententiae observentur, quarum altera saepissime repetita est, diligi electos non propter propriam dignitatem, sed quia fide copulati sunt Christo, sicut ad Ephes. 1. dicitur: Dilexit nos propter dilectum. Secundo teneamus hoc dictum, ut tentationibus de electione opponatur, in quibus angimur, utrum simus electi, et cur eligantur homines: una, simplex et brevis responsio haec sit, quae in illis fluctibus tentationum ancora sit periclitantis animae: Quia me dilexistis et credidistis, quod a patre missus sim. Retrahit nos haec vox ad Christum et ad Evangelium, et affirmat ita diligi omnes, si ipsi amplectantur vera fide Evangelium, et hunc Deum invocent, qui se in Evangelio patefecit, et misit filium suum. Non vult nos alias causas electionis extra verbum Dei, et omisso filio, quaerere, sed simpliciter alligavit Ecclesiam ad hoc unum caput, scilicet, ad Christum. Hic agnoscendus, audiendus, et fide amplectendus est. Si agens poenitentiam, credit se propter hunc mediatorem recipi, et in hac fide tandem perseverat, sine ulla dubitatione electus est. Quoties igitur de electione angimur, reiectis aliis disputationibus, quae ex humana ratione, aut ex lege sumuntur, redeamus ad hoc dictum: Ideo sumus electi et recepti, quia credimus in filium. Hanc consolationem teneamus, et opponamus aliis multis inextricabilibus labyrinthis, qui pavidas mentes non sanant, sed potius evertunt.

In mundo pressuram habebitis.

In fine interpellantibus discipulis praedicit eorum trepidationem, et rursus addit generalem commonefactionem de cruce, et consolationem: In mundo afflictionem habebitis, haec verba refutant persuasionem, quae de regno mundano Messiae infixa erat Iudaici populi animis: Deponite, inquit, errorem, servabo vos, colligam, et servabo mihi Ecclesiam in hoc mundo, saevientibus regibus, et passim tumultuantibus imperiis, in quibus ministri Evangelii et Ecclesia magnas aerumnas sentient. Sed vos non frangamini animis, non putate vos a me neglectos aut desertos esse. Promitto vobis auxilium et victoriam, quia ego vici mundum, id est, ego veni, ut destruam opera diaboli, delevi peccatum et mortem. Dabo vobis Spiritum sanctum, ut perferre supplicia possitis, et multos furores hostium vestrorum reprimam. Denique ornabo vos aeterna vita, laetitia et gloria in consuetudine Dei. Hanc praecipuam consolationem in fine repetivit, in qua cum praedixisset aerumnas, addidit duo argumenta, quae maxime confirmant animos, pollicetur auxilium, et promittit liberationem aeternam.

Caput XVII.

Haec locutus est Iesus.

Tribus superioribus capitibus concionatus est ad Apostolos, de ministerio Evangelii, de summa doctrinae Evangelii, de missione Spiritus

sancti, de sua praesentia, de effectibus Evangelii, de cruce, de consolationibus, quae opponendae sunt atrocissimis terroribus, quibus mundus delere Evangelium conatur. Nunc fit apostrophe ad aeternum patrem, et cum sit postrema pars huius concionis, doctrina et adhortationibus supra recitatis, nunc adiicitur gravissima et dulcissima precatio ediscenda, et saepe magna intentione animi cogitanda.

Primum autem de seipso precatur, postea de tota Ecclesia, et de hac petit quatuor res praecipuas Ecclesiae. Conservationem verae doctrinae, concordiam Ecclesiae, applicationem sui sacrificii, et ultimum ac summum bonum, ut Ecclesia cum Christo ornetur, vita, laetitia, et gloria aeterna.

Multi profani cum legunt has conciones aut precationes, putant esse, ut hominis perturbati, inanes querelas. Sed pius et attentus lector videt antea de maximis rebus doctrinam esse traditam, et hic agnoscit peti praecipua dona quae maxime necessaria sunt Ecclesiae. Quid David moriens aliud peteret, quam servari puritatem doctrinae coelestis in hac Ecclesia quam rexerat, et concordiam suae posteritatis. Hos nervos boni status in hac vita et Christus petit, sed duas res addit, quas proprie ipsum Christum sacerdotem et autorem vitae aeternae petere decet, videlicet ut hoc suum sacrificium pro universa Ecclesia recipiatur, et ut toti Ecclesiae detur vita aeterna. Haec summa precationis primum breviter cogitanda est, deinde membra ordine aspiciantur.

Quaerunt autem aliqui cur Christus haec petat, cum alibi dicat, seipsum depositurum esse animam suam, et rursus sumturum eam, cur petit, quod in sua potestate est? Deinde cum sciat eventum, cur nunc angitur, quasi in re dubia? Has quaestiones invitus attingo. Oriuntur enim ab otiosis et profanis mentibus, sed breviter respondebo. Ad primam: Tempora discernenda sunt in historia Christi. Hoc tempore passionis natura divina in eo quievit, ut loquitur Irenaeus, et ipse vere sustinuit non modo naturalem mortis metum, et alios quosdam dolores, quod praevidit gentis Iudaicae interitum, item quod vidit magnam partem generis humani cumulare iram Dei, contemto hoc tanto beneficio, scilicet sacrificio filii Dei, sed etiam alium longe maiorem et inenarrabilem dolorem, quod videlicet sensit iram Dei adversus peccata generis humani, quae in ipsum effundebatur, sic quasi ipse sese polluisset meis, tuis, Davidis, et omnium electorum peccatis, iacuit coram Deo, sentiens iram adversus peccata.

Haec etiamsi sunt inenarrabilia, tamen significata sunt aliquantulum, cum dicitur: Christum factum esse maledictum. Item, posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum, nec putemus haec fuisse simulata, veri et ingentes dolores fuerunt, quos sustinuit, ut antea dixi, quiescente divina natura, et obediente aeterno patri, et in hoc ipso sacrificio Christus sit pontifex Ecclesiae universae electorum. Tota Ecclesia sustinet ingentes dolores, sed summus sacerdos Christus sustinet maiores, et incoat precationem, ut et reliqua Ecclesia invocet et exaudiatur. Haec descripta sunt et in Epistola ad Ebraeos: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitati nostrae, sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato. Quoties igitur nostras precationes incipimus, cogitemus hunc summum sacerdotem filium Dei, stantem coram aeterno patre, vere affici nostro dolore, gemere nobiscum, ut pater *φιλόστοργος* gemit cum liberis magna calamitate oppressis, et nostras preces perferre ad aeternum patrem. Haec certe inter precandum cogitanda sunt, etc.

Ad secundam quaestionem facilior est responsio, etiamsi scit eventum Christus, tamen simul et infirmitatem suam novit, et quo maior est sapientia, eo magis intelligit, quanta res sit ira Dei, et novit eam sustineri sine divino auxilio non posse. Ideo et auxilium et liberationem petit.

Sublatis oculis in coelum.

Incoans precationem, oculos in coelum tollit. Hic ipse gestus singulares et ingentes motus pectoris et animi significat. Deinde sequitur compellatio: Pater. Haec ipsa vox testis mutui amoris inter filium et patrem, ciet in utroque ardentes affectus. Postea sequitur descriptio periculi: Venit hora, id est, iam instat agon omnium maximus, qualem nemo patrum sustinuit, sicut in Psalmo clamitat: In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos. Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis. Glorifica filium tuum, id est, non sinas me succumbere in hoc agone, sed adiuva

luctantem, et libera, ac me in eam gloriam restitue, quam apud te initio habui, antequam mundus conderetur, et ut supra in appellatione Patris, ita hic in appellatione Filii commonefactio est mutui amoris. Sequitur causa finalis, cur petat auxilium et liberationem, ut et Filius tuus te glorificet, id est: Hic agon ideo a te ordinatus est, ut hac mea obedientia satisfiat iusticiae tuae, ira iustissima fiat placata, deleatur peccatum, et tibi haereditas mea, videlicet Ecclesia meo sanguine redimatur, celebratura te in aeternum. Hanc causam finalem glorificationis recenset, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.

Haec autem est vita aeterna.

Hoc dictum inter praecipua est universae evangelicae narrationis, complectens summam Evangelii, quod ita est affigendum animo, ut saepissime cogitetur, et opponendum legi, philosophiae, ethnicae sapientiae, Iudaicis et Mahometicis furoribus, et omnibus humanis opinionibus de vita beata, et cultibus, quos excogitarunt homines extra Evangelium. Primum autem hic miranda definitio vitae aeternae recitatur, vocat agnitionem veri Dei et Christi, quod intelligatur de vita futura, et de incoatione vitae aeternae in hac praesenti vita, de futura usitatissimum est dici eam esse conspectum Dei, seu visionem Dei, et recte ita dicitur. Cum enim mens humana Deum faventem coram aspiciet, accendetur inenarrabilis laeticia, ut erudite dixit Augustinus de beatis: Tantum gaudebunt, quantum amabunt, tantum amabunt, quantum cognoscent. Intuebuntur autem Deum ostendentem se immensa misericordia, et patefacientem sapientiam suam, et luce, sapientia, iusticia, vita, et laetitia aeterna nos implentem.

Sed dictum Christi hoc loco non tantum de futura vita loquitur, etsi conspectus in futura vita dissimilis est conspectui in hac vita. Tunc, ut 1. Ioannis 3. dicitur: Aspiciemus eum, qualis est: nunc fide acquiescentes in verbo eum intuemur, id est, cogitamus illum Deum fide, qui misit filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, natum ex Maria virgine, crucifixum et resuscitatum, et per eum promissionem Evangelii nobis tradidit, in hunc crucifixum et resuscitatum intueatur mens de Deo mittente cogitans, sicut ipse nos ad sese alligat. Ioannis 14.: Qui me videt, videt patrem. Est ergo incoatio vitae aeternae in hac vita, fide hunc aeternum Deum, qui misit filium Iesum Christum, agnoscere placatum esse per filium, et eum invocare, petere et expectare consolationem in omnibus aerumnis. Haec consolatio in veris angoribus est gustus vitae aeternae, de quo hic dicitur, et de quo Paulus, Roman. octavo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater, et 2. Corinth. 3.: Spiritus vivificat, id est, consolatur perterrefactas mentes, et accendit in eis novam vitam, lucem, id est, sapientiam et iusticiam. Haec fiunt fide, cum corda agnoscunt Dei misericordiam et auxilium, et in Deo fide propter mediatorem acquiescunt.

Huc pertinent multa dicta, quae omnia de hac una et eadem re concionantur, ut Matth. 11.: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Ioann. 7.: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, flumina aquae vivae fluent de ventre eius. Ioann. 8.: Si quis sermonem meum servat, non gustabit mortem. Haec dicta omnia, et similia sint in conspectu, et doceant mentes nostras fide nos vere accipere remissionem peccatorum, et reconciliari Deo, et fide incoari in nobis vitam aeternam, id est, accendi lucem et iusticiam novam, ut dictum est. Idem docet haec sententia: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.

Caeterum de verborum syntaxi hic disseritur, simplicissima esse videtur. Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum esse verum Deum, et agnoscant Iesum esse Christum. Nam usitate in scripturis Christus est officii nomen, perinde ac si diceret Iesum esse mediatorem. Vult enim inculcare sententiam saepe repetitam: Nemo venit ad patrem, nisi per filium, deerratur a vero Deo, nisi hic Deus invocetur, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, et non exaudit Deus, nisi accedamus fiducia mediatoris Iesu Christi. Hanc principalem Evangelii doctrinam, quae tradit quis sit verus Deus, et quae sit eius voluntas, quomodo velit invocari et exaudire, illustrat haec syntaxis. Nec propterea sequitur filium non esse Deum, quia dicit: Te solum, nam haec particula non excludit filium aut Spiritum sanctum, sed numina commentitia omnium gentium, et sicut alibi cum Christus inquit: Pater maior me est, non proponitur discrimen inter personas secun-

dum divinitatem, sed secundum praesentem vocationem seu missionem Christi. Ita hic recitatur discrimen Christi humilitati, mediatoris, servientis in hac missione, et totius divinitatis regnantis in arcana maiestate.

Similis omnino forma est, Matth. 19.: Quid me vocas bonum, nemo bonus est nisi unus Deus. Hic quoque discrimen proponitur inter Christum ministrum, et invisibilem maiestatem. Haec sunt simplicissima: sed quia Ariani hoc dictum corrumpebant, et ad suos furores confirmandos detorquebant, alia syntaxis ab iis, qui Arianos refutabant, tradita est: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te, et quem misisti Iesum Christum, esse solum verum Deum. Hic tamen quaestio de Spiritu sancto reliqua est, ideo hanc syntaxin non valde propugno, quasi quis volet uti, tamen Spiritum sanctum etiam complecti oportebit. Ac mox sequuntur testimonia de filii divinitate illustria.

Ego glorificavi te super terram, et nunc glorifica me.

Repetit institutam precationem, Glorifica me, et allegat causam, scilicet, ipsum consilium Dei seu ordinationem divinam. Sic ordinasti has res summas, et omnium maximas, voluisti te patefacere misso filio, voluisti redimi genus humanum, voluisti me fieri victimam et placatorem. Ecce obedivi, et obedio, nunc vicissim iuxta tuam ordinationem me glorificato, adiuva me, ne succumbam in hoc agone, et restitue mihi gloriam aeternam, quam apud te habui, antequam mundus conderetur. Hoc dictum expresse de filii Dei divinitate concionatur, nam si fuit ante mundi conditionem, non est creatura. Meminerint igitur studiosi hoc dictum, et inter testimonia de divinitate filii recenseant. Pergit deinde explicare, quibus rebus glorificaverit patrem, scilicet, quia Evangelium ex arcano sinu patris prolatum tradiderit Apostolis, instituerit ministerium Evangelii, et addiderit testimonia miranda, resuscitationes mortuorum, et alia quae convincunt omnes creaturas, ut fateri cogantur hanc doctrinam ab hoc concionatore Iesu traditam, veram esse. Haec igitur verba hoc loco posita, ostendunt dignitatem ministerii Evangelii, cum ait Christus, glorificari Deum praedicatione Evangelii.

Ego pro ipsis rogo.

Attexit mox precationem pro Apostolis et pro tota Ecclesia, quam precationem postea repetet et augebit. Nunc breviter hoc triste discrimen consideretur: Non pro mundo oro, vocat mundum omnes, qui pertinaciter Evangelio adversantur, de his et in Psalmo inquit: Non assumam nomina eorum super labia mea. Quae maior miseria ulli creaturae accidere potest, quam exclusam esse a deprecatione Christi, maledictam a Deo, et aeternae irae Dei subiectam esse? Haec summa mala significantur hac exclusione.

Deinde additur laudatio Ecclesiae, quae est dulcissima consolatio omnium amplectentium et profitentium Evangelium, sic enim ait: Ego glorificatus sum in eis, id est, qui meum sermonem amplectuntur et circumferunt apud omnes homines. Hos mei sermonis custodes a te servari peto, hos esse tuos affirmo. Hac se consolatione Ecclesiae, et doctores pii confirment, et sperent defensionem a Deo, etiamsi tyranni passim in toto orbe terrarum delere Evangelium conantur, sciamus nos non a nobis, non a regibus mundi, sed a Deo defendi. Tui sunt, inquit Christus, illi scilicet, in quibus glorificatus sum, id est, qui meum Evangelium amplectuntur, et fideliter spargunt in populos. Haec postrema particula diligenter aspiciatur, ut sciamus, de quibus loquatur promissio. Nec inserantur huc disputationes de electione, sed sciamus diserte dici de glorificantibus Christum, id est, de Ecclesiis amplectentibus, et sonantibus Evangelium.

Pericula etiam eorum unica brevissima appellatione significat, cum ait: Illi in mundo sunt, id est, vivent in hac confusione hominum, in qua plurimi sunt impii et crudeles, ut tyranni, multi fanatici, haeretici, multi leves, et perfidiosi, qui omnes sunt organa diaboli incitata, ut noticiam Dei deleant, et Ecclesiam dissipent. Deinde in ipsa Ecclesia magnae, et deplorandae infirmitates sunt, undique igitur pericula sunt piis gubernatoribus, quae regi non possunt omnia sapientia humana, sicut dicit Propheta: Scio Domine, non est hominis via eius, nec viri est dirigere gressus suos. Ideo et hic Christus pro nobis precatur, ut in hac tanta varietate periculorum servemur, et saepe alias promittitur auxilium, ut Esaiae 46.: Ego senescentem Ecclesiam gestabo, ego feci, ego portabo, et salvabo eam.

Pater sancte, serva eos in nomine tuo.

Dixi supra precationis tria esse membra praecipua, quae de rebus summis loquuntur, quae sunt nervi constituentes et servantes Ecclesiam. Primum est, ut veritas, id est, lux Evangelii non extinguatur. Secundum, ut maneat inter doctores concordia. Tertium est applicatio sacrificii, ut Deus propter hoc Christi sacrificium omnibus remittat peccata, et det vitam aeternam fide confugientibus ad Christum. Haec tria membra diligenter consideremus, et non quaeramus otiosas speculationes, sed ipsam vitam hominum intueamur, et quae sint summa bona, et summa mala attendamus. Salomon moriturus, si angitur de Repub. certe haec praecipue petit, ut lux doctrinae et Ecclesia Dei maneat. Deinde ut filii successuri, et alii gubernatores sint concordes.

Ac semper prima petitio est de doctrina, proxima de concordia, ut in oratione dominica initio petimus: Sanctificetur nomen tuum, id est, vera noticia Dei luceat et servetur, ita hic ait: Pater sancte, serva eos in nomine tuo, id est, propter nomen tuum, seu agnitionem tui, ut noticia tui, doctrina tua, invocatio tui maneat, hoc est, primum omnium peto, ut doctrina tua non extinguatur, sed semper sit Ecclesia, semper sint doctores, qui recte doceant Evangelium, ut agnoscatur et invocetur verus Deus. Haec in omnium pectoribus semper sit summa cura, haec sit prima petitio, ne extinguatur lux verae doctrinae, ut Psalmi toties clamant. Psalm. 115.: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam, et veritatem tuam, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? Haec petitio postea aliquoties, ut fit, ardente motu animi repetitur.

Statim autem inseritur altera de concordia. Nemo ignorat in omni gubernatione rem necessariam esse concordiam, sed multo maxime opus est Ecclesiae consensu doctrinae, et ipsorum docentium mutua inter se vera benevolentia. Nam doctrinae consensu turbato, disceditur ab una vera sententia, et finguntur infiniti errores. Saepe autem doctrinae consensus propter privatas discordias turbatur, ut Arius odio Alexandri Episcopi sparsit blasphemias contra filium Dei. Cum igitur maxime necessaria sit Ecclesiae concordia recte docentium, aliquoties et haec petitio ingeminatur. Et infra diserte dicitur: In nobis unum sint.

Non hoc petit tantum, ut sint concordes, sicut saepe in gubernatione Reipub. duo magni viri concordes fuerunt, ut Augustus et Agrippa, Epaminondas et Pelopidas, sed nominatim dicit: In nobis unum sint, id est, prius mentes Petri et Ioannis sint copulatae Deo, uni vero Deo sint alligatae, et unam doctrinam amplectantur. Deinde copulatae per unum Deum et unam doctrinam inter sese congruant. Haec valde significanter a Christo dicta sunt, nam nec manet plurimum concordia, nisi ad unum finem simili voluntate tendant. Cum enim incipiunt doctores ζυγομαχεῖν, et alius alium finem expetit, alius quaerit aliorum regum, favorem, nec voluntates sunt similes, sed audent discedere ab Evangelio tradito, et fingunt alii alias opiniones, ut constat multis modis concordiam turbari. Haec magna mala prospiciens Christus, tam ardenter orat, et eandem petitionem crebro ingeminat.

Ut habeant gaudium meum plenum.

Haec inquit precor, ut sciant se consolationem plenam, id est, veram, non destituentem corda in maximis periculis habere, id est, sciant te sibi affuturum esse, et certo collecturum et servaturum esse Ecclesiam, etiam repugnantibus omnibus imperiis, nec labores nostros inanes fore. Supra autem declaratum est, quid vocet perfectum seu plenum gaudium, videlicet veram et firmam consolationem, dissimilem humanis consolationibus. Ex antithesi res melius intelligetur: Saul humanis consolationibus se sustentat, videt adhuc se viribus antecellere, et esse in possessione regni, et habere filium bene meritum. Ratiocinatur igitur Davidem facile excludi posse. Sed humanae consolationes tandem eum destituunt. Ad David pulsus in exilium, ac destitutus omnibus humanis praesidiis, retinet hanc firmam consolationem, scit se habere remissionem peccatorum, scit se habere Deum propicium, ac in eo acquiescit, scit se non periturum esse. Haec consolatio in luctu ingenti, tamen dicitur plena, quia est firma. Intelligatur ergo plena seu perfecta non quantitate, sed firmitate.

Addam declarandae antithesis causa versiculum Virgilii sexto Aeneid.: Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem, egerimus, nosti. Hic versiculus imaginem continet totius vitae im-

piorum, et omnium solatiorum, quae expetunt. Tota vita nox est plena tenebrarum, in ignoratione veri Dei et permanentium bonorum, quaerunt autem falsa gaudia, id est, quae in magnis et veris doloribus non possunt recreare animos. Pompeio victo non leniunt dolorem ullae voluptates, aut ullae spes auxiliorum, et si quas habet spes, cito evanescunt. At econtra cum urbs Ierosolyma ab ingenti exercitu circumdata est a Sennaherib, qui antea decem tribus vicerat et dissipaverat, tamen Ezechias retinet firmam consolationem, scit Deum affuturum esse Ecclesiae suae, in hac consolatione acquiescit, non igitur habet falsa et fugacia gaudia. Piis qui fidei exercitia et invocationem intelligunt, haec antithesis non est obscura.

Non rogo, ut tollas eos de mundo.

Testatur et hoc dictum velle Deum, ut omni tempore in hac mortali vita, in qua tristis confusio est hominum et imperiorum, semper aliqua sit Ecclesia vera Deo placens. Duas igitur consolationes ex hac petitione sumamus: Alteram, quod cum certum sit mansuram esse Dei Ecclesiam, semper sciamus Deum efficacem esse per Evangelium, Deum nobis adesse, et promissiones semper ratas esse et fieri, et esse membra Ecclesiae Dei, et haeredes vitae aeternae eos, qui credunt Evangelio, et ministerium Evangelii semper esse efficax, sicut promittit Christus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Altera consolatio est, quod defensio promittitur adversus omnis generis furores, quibus Ecclesia oppugnatur. Si Deus mox abduxisset Apostolos ex hac vita, et ornasset eos aeterna gloria, esset ea quidem liberatio admiranda, sed haec multo mirabilior est, quod Ecclesiam omni tempore velut in mari rubro stantem inter fluctus et hostes servat, imperia plerunque sunt inimica Evangelio, et saepe immani crudelitate grassantur adversus omnia membra Ecclesiae. Praeterea maxima pars hominum contemnit, et odit veram de Deo doctrinam, inflammat diabolus multos, et in ipso Ecclesiae coetu, ut serant conturbationes dogmatum, aut certent ambitionibus et aliis cupiditatibus. Hinc existunt ingentia certamina, ac prudentes vident, Ecclesiam omnibus temporibus in talibus periculis versari, ac si staret assidue inter aquarum cumulos in mari rubro, nec ulla humana sapientia regi illa pericula possunt, nec sustinere ea ullum robur humanum potest. Sed pii hac se consolatione sustentent, quod sciunt iuvari ac defendi nos a Deo, sicut hic petitur: Serva eos a malo.

Sic et Esaias dicit de itinere Mosi per mare rubrum: Qui eduxit dextra Mosen, brachio maiestatis suae. Item: Spiritus Domini ductor eius fuit, etc. Hoc modo semper duci Ecclesiam per ingentia pericula, tanquam per undas ab ipso Deo certum est, et hac fide et invocatione Dei res tantae, quae longe superant vires nostras, sustinendae sunt. Saepe igitur cogitantes de nostris periculis, hanc precationem filii Dei recordemur, quae et tunc recitata et exaudita est, et assidue coram aeterno patre repetitur. Manet enim filius Dei intercessor assiduus, nec irrita est eius intercessio, sed impetrat nobis assidue auxilium, defensionem et liberationem. Ad cogitationem huius precationis adiungamus et promissiones, ut Esaiae 46.: Ego vos etiam in senecta gestabo, ego feci, ego feram, ego salvabo.

Santifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas.

Repetit expressius precationem de doctrinae veritate, ut Deus Evangelium, et veram ac puram Evangelii sententiam in Apostolis, et deinceps in ministerio servet, sicut et Esaias precatur cap. 8.: Obsigna legem in discipulis meis, id est, video tristissimas tenebras in populo Dei secuturas esse, et multos abiecturos esse doctrinam de Messia, de fide, de vera invocatione, de veris cultibus et recepturos ethnicas opiniones de imperio mundano Messiae, de cumulandis sacrificiis. Sed te Deus oro, verbum quod Prophetis tradidisti, serva in mentibus eorum, qui propheticam doctrinam audiunt, discunt, et amplectuntur, et quidem serva obsignatam, ne effundant, aut verbum ipsum, aut nativam sententiam, sicut Sadducaei, ne literam quidem Prophetarum recipiebant. Pharisaei videri volebant retinere literam, sed interpretationes falsas affingebant, ut adhuc Iudaeis et haereticis usitatum est.

Diligenter autem observandum est, quod nominatim petit servari doctrinam in discipulis, id est, in discentibus. Requirit igitur studium et cognitionem literae, vult nos auditores esse Prophetarum. In eo coetu discentium et amplecten-

tium prophetica scripta, erunt aliqui retinentes lucem doctrinae et nativam sententiam, non inter Sadducaeos aut alios, qui nec legunt nec discunt Prophetas. Quare amemus studium, audiamus pios et peritos interpretes, conferamus testimonia doctrinae, petamus mentes nostras regi et accendi a Spiritu sancto. Haec sunt discipulorum officia, et hoc studium est felix, et monstrat veritatem, sicut scriptum est Proverb. 2.: Si inclinabis cor tuum ad sapientiam, invenies eam. Nunc verba precationis Christi diligenter expende, et quotidie te ad hunc nostrum sacerdotem aggregato, et iisdem verbis toto corde petito. Sanctifica eos in veritate tua, id est, serva Evangelium et veram sententiam in mentibus invocantium te, et ipsa agnitione Evangelii sanctifica nos, id est, Non sinas esse otiosam noticiam, sed accende mentes et corda, ut vere ardeant in nobis timor Dei, fides, dilectio, et vere simus, non sine Deo, sicut Ethnici, et omnes alii impii, sed a te gubernemur, tibi serviamus, et invitemus alios ad veram agnitionem tui et veram invocationem. Sanctum enim opponitur profano, et significat id, quod est proprie dicatum usibus Dei, seu cum de homine dicitur, in quo habitat Deus, et incoat vitam aeternam, Simul igitur in hac precatione petitur, ut simus templa Dei, et Deus sit efficax in nobis per Evangelium. Et hoc dictum inter testimonia recenseatur, quae docent de efficacia ministerii evangelici. Et alludit verbo sanctificationis ad usitatam locutionem in Mose, de sanctificandis sacerdotibus, id est, segregandis a profanis et proprie dicandis Deo.

Addit autem Christus expresse, quid sit veritas, ut refutari fanatici spiritus possint, qui glorjantur se quoque veritatis doctores esse, imo se habere divinos afflatus, ut Marcion, Manichaei, Enthusiastae, Mahometus, et alii multi gloriati sunt. Sed his omnibus opponatur hoc dictum, Sermo tuus est veritas, illa sola doctrina per Christum tradita, et commendata Apostolis, est veritas de Deo. Extra hanc omnium sectarum doctrinae de Deo, sunt furores diabolici, non monstrant Deum, non sanctificant mentes. Meminerint igitur studiosi hoc dictum, quia discernit Ecclesiam ab omnibus aliis sectis, et damnat omnes opiniones de Deo, alienas ab Evangelio, et congruit cum hoc dicto: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Sicut me misisti in mundum.

Consolatio precationi mixta; est omnium efficacissima. Certum est filium Dei non frustra missum esse, cum Deus tot manifesta testimonia ediderit, ut ostenderet, hunc doctorem a Deo missum esse, se approbare hanc doctrinam, et vere daturum bona, quae promittit Evangelium. Nunc autem dicit Christus, se eodem modo Apostolos mittere, sicut ipse missus est. Non igitur frustra mittentur, non erunt inutiles vociferatores, non erunt turbatores politiarum, sicut de ministris Evangelii homines athei iudicant, imo in tanta infirmitate docentium, in tanta confusione Ecclesiae, omnium hominum animi anguntur, et quaerunt an prosit generi humano vox Evangelii, an vero tantum sit impostura, utrum plus prosit Paulus, an Phocylides, aut Theognis, aut Aesopus. Deinde quia vident turbari politias, dissensione de religione, multi etiam deterrentur ab Evangelii professione, quasi sit tantum fax discordiarum.

Adversus haec falsa iudicia humanae rationis colligenda sunt testimonia de ministerii efficacia et dignitate. Hic et infra filius Dei expresse affirmat, se mittere Apostolos eodem modo, sicut ipse a patre missus est, et supra aliquoties affirmat ministerium eorum efficax fore, ut cap. 14. dicitur cum gravissima asseveratione: Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, ille faciet, et maiora his faciet. Et cap. 15.: Elegi vos ut fructum faciatis, et fructus vester maneat. Et Paulus inquit: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. His et similibus testimoniis confirmemus mentes nostras, ut firmissime statuant ministerium Evangelii esse efficax, incoare vitam aeternam in omnibus qui agunt poenitentiam, et vere credunt Evangelio, et multa pericula vitae praesentis gubernare. Prodest igitur docere, audire, discere, amplecti Evangelium, etiamsi homines ἄθεοι videre volunt quid prosit, imo iudicant vocem Evangelii esse inanem fabulam, aut imposturam, aut facem seditionum.

Nec tantum ad Apostolos haec precatio Christi pertinet, sed ad omnes recte fungentes ministerio, imo ad omnes amplectentes Evangelium, sicut mox subiicit Christus: Oro non pro eis tantum, sed pro credituris per verbum eorum in me.

Ergo singuli ad nos ipsos accommodemus hoc dictum: Erit efficax Evangelium in te ipso, cum disces et amplecteris, erit efficax in aliqua parte hominum audientium, etiamsi multi furenter contemnent, aut ardentes odiis delere conabuntur, et magnae et multiplices fient hominum distractiones, et imperiorum perturbationes. Inter haec tristia spectacula, tamen hanc vocem teneamus: Sicut aeternus pater misit filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, et filius misit Apostolos, ut vere esset efficax Evangelium, ita nunc quoque Deus mittit pastores et doctores, vult nunc quoque efficacem esse Evangelii vocem, etiamsi accidentia missionis differunt, ut aliter vocatus est Paulus, aliter Timotheus, tamen substantiale semper est, et manet idem, scilicet ut Evangelium sit efficax. Ingens confusio rerum humanarum saepe perturbat imbecilles animos, ut cogitent omnia casu volui et agitari, sed tu intuens Ecclesiam, et scholas, sonantes vocem Evangelii, cogita, imo Deus certo adest Ecclesiae suae, gubernat et servat reliquias, mittit pastores et doctores, sicut misit Filium, Prophetas et Apostolos.

Et pro ipsis me sanctifico.

Semper in omni vita cogitandum est de applicatione sacrificii Christi, et intercessione pro nobis. Sic enim recte de mediatore et sacerdote Christi cogitabimus, cum videlicet etiam intuebimur eum pro nobis quoque intercedentem, et pro nobis applicantem sacrificium. Nam ad officium sacerdotis pertinet non solum offerre aliquid, sed mens accedat orans pro eo, pro quo fit sacrificium et testificans se pro illo hanc obedientiam praestare. Ideo hic Dei filius ponit verba applicationis, quae sunt praecipua verba totius Evangelii, sonantis inde usque a prima promissione ad omnem aeternitatem, imo sunt revelatio illius arcanae deliberationis aeterni patris, et filii, et Spiritus sancti, in qua statim post lapsum Adae et Evae, filius fuit deprecator pro genere humano et placator iustae et ingentis irae Dei.

Hunc sermonem in hoc magno et ineffabili agone repetit, inquiens: Ego sanctifico me pro eis. Quoties incipis preces dicere, quoties petis remissionem peccatorum, aut alia bona, primum illum sacerdotem mens intueatur, et in auribus tuis, lingua et pectore haec verba applicationis repetantur, ut statuas vere pro te quoque filium Dei factum esse victimam, et ipsum quidem pro te intercessisse, et pro te sacrificium suum applicasse. Nec vero inanis est filii Dei intercessio, non est inutile sacrificium: hac doctrina exuscitanda est fides in omni invocatione et in tota vita.

Verbum sanctifico, hoc loco sine ulla dubitatione a sacerdotibus et victimis sumtum est. Nam de utrisque dicebatur, ac tota praeparatio, mactatio, et oblatio victimae vocabatur sanctificatio. Sic Christus hic inquit: Ego me sanctifico, id est, segrego me ex toto genere humano, ut fiam hostia Deo dicata, et me praebeo mactandum, et tibi me offero, id est, propter tuam voluntatem sustineo hanc mactationem, tibi obedientiam meam declaro, non aliqua iniusta mea cupiditate moveor, ac proprie santificatio est ipsa voluntas obediens, ut dicitur ad Hebraeos 6.: Exauditus est propter reverentiam, id est, obedientiam praestitam Deo, ut ipse honore afficeretur. Et Psalm. 40.: In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui, et lex tua in medio cordis mei, id est, alias victimas offerri noluisti, sed me voluisti tibi obedire, huic tuo arcano decreto volens obtempero.

Fidelissime autem haec verba applicationis meminerimus: Pro eis. Item: Oro non pro eis tantum, sed pro credituris per verbum eorum. Hic palam affirmat Christus valere suum sacrificium, non tantum pro Apostolis, sed pro omnibus, qui Evangelium amplectentur, non deducit nos ad speculationes electionis, sed monstrat Ecclesiam, pro qua affirmat se fieri victimam, et expresse inquit, tibi, et omnibus aliis prodesse suum sacrificium, qui suo Evangelio credunt, sic in Psalm. 16. applicat suum sacrificium: Sanctis, qui sunt in terra, omnis voluntas mea in eis, id est, haec patior propter sanctos in terra, et hos vere diligo,

Sed hic sciamus de applicatione, oportere eam accipi fide, Christus pro omnibus applicat, sed nominatim dicit: Credituris, id est, ita vult tibi prodesse suum sacrificium, si fide statuas, huius sacrificii fructum ad te pertinere. Si statuas propter hoc ipsum sacrificium vere tibi placatam esse iram Dei, te vere recipi, exaudiri, et salvari. Ideo Paulus inquit, Rom. 3.: Iustificamur gratis ipsius gratia per redemtionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propi-

ciatorem per fidem in sanguine suo. Sic inquit: Tibi est propiciator, cum credis, quod propter ipsius mortem tibi Deus placatus sit.

Hanc doctrinam applicationis perpetuo et summa cura meminerimus, ac utraque pars a multis scriptoribus neglecta est, non monent, ubi Christus pro nobis applicaverit suum sacrificium, et ubi praecipuo munere sacerdotis functus sit, nam proprium summi sacerdotis officium est, applicare suum sacrificium. Postea multo minus tradiderunt, quomodo singuli sacrificii fructum sibi applicare debeant, hic finxerunt applicationes per Missas et alia opera, adversus quos errores diligentissime muniendae sunt mentes, et discenda est doctrina de fide, qua sibi unumquemque Deus vult hoc sacrificium applicare, ut antea ex Paulo citavi, ubi ait: Christum positum propiciatorem per fidem in sanguine ipsius, id est, fide statuendum pro nobis Christum mortuum esse, et nos sanguine eius ablutos esse.

Postquam de applicatione dixit, repetit precationem de effectibus: Ut unum sint in nobis, et ut ibi sint ubi ego sum, et videant gloriam meam. Rursus igitur tria petit, ut supra. Primum, ut doctrinae veritas et lux in Ecclesia maneat. Deinde, ut sit concors. Tertio, ut donetur aeterna gloria, et sint cohaeredes filii. Prima petitio in hac particula repetitur, ut sint unum in nobis, id est, primum consentiant nobiscum, sint illustrati nostra luce et veritate. Non vult concordiam coetus humani, ut est concors civitas Spartana contra Athenienses, sed vult prius copulatas esse omnium mentes cum Deo per Evangelium. Postquam autem cum Deo copulati sunt homines, tunc vult retineri concordiam doctrinae, et vetat turbari Ecclesiam. Postremo petit nobis aeternam gloriam. De his summis bonis in hoc ultimo agone Christus ardentissimo pectore, et ardentissimis verbis precatur, et eaedem sententiae subinde repetuntur, ut fit in magnis affectibus.

Sunt autem in fine flagrantissimi amoris verba erga aeternum patrem, et erga nos, quae etiam testimonium continent de natura divina in Christo, cum enim inquit: Quia dilexisti me ante conditionem mundi, affirmat idem, quod supra dixit: Glorifica me pater apud te aeterna gloria, quam habui apud te, antequam hic mundus esset. Fuit filius Dei ante hunc mundum, et aeterno amore dilectus est ante mundum, ergo non est creatura. Iam cum ille amor in voluntate aeterni patris verus et non simulatus sit, et tamen filius propter nos missus sit, ut fieret victima, et assumserit humanam naturam, et nos propter eum diligamur, necesse est verum et ingentem amorem esse erga nos, cuius magnitudinem nulla creatura eloqui satis potest. Necesse est tamen hunc tantum amorem saepe a nobis aliqua ex parte cogitari in ipsa invocatione, et accendi mentes fide et gratitudine. Frustra enim cogitamus de dilectione Dei, nisi haec fides accedat, videlicet, ut fiducia dilectionis propter filium statuamus nos ipsos recipi, exaudiri, et salvari. Haec doctrina de applicatione semper sit in conspectu, et quotidie exerceatur in invocatione, in omnibus negotiis, et periculis.

Caput XVIII.

Haec cum dixisset Iesus, egressus est.

Quoties de passione filii Dei dicitur: utile est rudiores commonefieri de hac triplici meditatione passionis. Prima est paedagogica, recitare, audire, cogitare mediocri attentione historiam, et quodam studio discendi, et excitandae poenitentiae in nobis, et fidei. Haec meditatio non est aspernanda, si sit sine superstitione, imo necesse est historiam disci, ac subinde repeti, et historiae cogitatio initium est ardentium motuum spiritualium, qui Deo placent. Et sicut Ecclesia saepe proponit historiam, ita singuli homines assuefaciendi sunt, ut saepe eam legant et audiant, et omnes partes historiae diligenter distribuant, et considerent, ut fiat familiarissime nota. Nam hac ipsa cogitatione accenduntur motus spirituales in corde, iuxta illud: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei, nec sit frigida, nec inerudita lectio, sed cogitentur causae divini consilii, quatenus in verbo Dei patefactae sunt, ipsa historiae series, effectus, applicatio, et tota Ecclesiae gubernatio inde usque a principio.

Sunt enim causae passionis Christi, obiectum quod movit voluntatem filii Dei, peccatum et tristissima damnatio generis humani, quod noluit prorsus perire filius Dei.

Impulsiva causa, Patris amor, et Filii intercessio deprecantis pro nobis, de hac causa inquit filius: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit pro mundo.

Finalis causa, ut magnae parti generis humani iusticia et gloria aeterna redderetur, et Deus haberet aeternam Ecclesiam, a qua agnosceretur et celebraretur, ut Psalm. 22. dicitur: Apud te laus mea, in Ecclesia magna confitebor tibi, vota mea reddam in conspectu timentium Deum.

Causa efficiens propter bonum finem, voluntas filii Dei et persona eius, volens hanc obedientiam, propter arcanum consilium aeterni patris, cuius ira non poterat alia hostia placari. Hac voluntate Christus ipse est sacerdos, sese offerens aeterno patri pro nobis.

Materia vero passionis, in qua, id est, subiectum, est ipse filius Dei, et distribuantur praecipuae partes, quae dolorem senserunt, nervi corporis senserunt cruciatus, quos afferebat laceratio, cor fugiebat mortem, et pars cruciatuum corporis penetrabat ad cor, sed maiores cruciatus erant animae, qui etiam cor et totum corpus languefaciebant. Nam anima naturali inclinatione abhorrebat a morte, et ut in aliis fortibus viris, semper magis causa aerumnarum excruciantur animi, quam ipsis aerumnis, sicut Davidem multo magis cogitatio culpae exercebat, quam ipsius exilii miseria. Ita in Christi anima causa passionis ingentes dolores ciebat, scilicet, quod sciebat Christus Deum irasci peccatis generis humani, et in se derivatam esse iram, ac si ipse se tantis sceleribus polluisset. Hunc arcanum et inenarrabilem dolorem ex causa passionis ortum, non intelligunt homines. Hic anima Christi luctata est, non solum cum cruciatibus corporis et cum morte, sed multo magis cum ira Dei, doluit filius Dei horribiliter offensum esse Deum et contumelia affectum, et agnovit in se derivatam iram esse, doluit et magnam partem generis humani non intellecto aut spreto hoc beneficio Dei, scilicet morte filii Dei, ruere in aeternum exitium. Sed hos dolores vicit haec consolatio, quod volens obediit patri, et expectavit auxilium Dei et liberationem, ut suo loco in historia dicetur, et supra diximus quaedam de Christi doloribus et lucta.

Causa instrumentalis et externa, non congruens cum fine, quem Deus constituerat, sunt diaboli et Iudaei, ac eorum satellites, qui ardentes furore et odio Dei, et omnium Prophetarum, etiam *Christum* delere conati sunt.

Effectus, placatio irae Dei, ut iusticiae Dei satisfieret. Non enim temere abiecta est ira, sed voluit Deus reddi *λύτρον*, quia omnis lex obligat aut ad obedientiam, aut ad poenam. Deinde sequuntur alii multi effectus, reconciliatio Dei et hominum, donatio iusticiae, Spiritus sancti et vitae aeternae, destructio operum diaboli, peccati et mortis.

Applicatio continet doctrinam poenitentiae et fidei. Primum vera et horribilis ira Dei adversus peccata nostra cogitetur. Cum enim voluerit filium fieri victimam pro genere humano, constat ingentem et non simulatam iram esse. Multa sunt tristissima testimonia irae Dei adversus peccata, ut mors et infinitae aliae calamitates hominum. Sed hoc testimonium longe superat omnia, quod in illo arcano consilio divino decretum est, ut filius Dei fieret victima.

Applicatio est igitur passionis, primum vere expavescere agnitione irae Dei adversus nostra peccata, sicut ipse dicit, Luc. 23.: Ne ploretis super me, sed plorate super vos et filios vestros. Deinde accedat et altera applicatio fidei, quae statuat mandatum aeternum Dei et immutabile esse, ut credamus propter nos filium Dei factum esse victimam, et nos recipi a Deo, cum credimus nobis remitti peccata propter ipsum. Hac fide incoatur vita aeterna in cordibus, quia haec consolatio liberat ea a pavoribus, et novam lucem ac vitam incoat.

Ad paedagogicam meditationem deinde et haec doctrina pertinet, quod videlicet applicationem nostram sequi debeant gratiarum actio, praedicatio, confessio, imitatio in cruce. Huc adiungatur et doctrina de sacerdotio Christi, de quo scriptum est: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Christus enim vere est summus sacerdos, cui haec definitio convenit. Sacerdos est persona, quae promissionem divinam habet, ut certo statuere possit se exaudiri, vocata mandato divino, ut doceat Evangelium, et oret, ac sacrificet pro aliis. Haec propriissime et primum competunt filio Dei, qui promissionem habet, qua certo scit se exaudiri, iuxta illud: Hic est filius meus dilectus, quo delector, et 1. Timoth. 2.: Unus mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus. Et hic filius protulit arcanum decretum de reconciliatione ex sinu aeterni patris, ut Ioan, 1. dicitur: Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit, et Ioan. 17.: Ego tradidi eis sermonem tuum. Quod autem oret pro nobis, verba aperte testantur, Ioan. 17.: Non pro eis tantum oro, sed pro omnibus, qui credent per

verbum eorum in me, et Esa. cap. 53. scriptum est: Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. Postremo et sacrificium pro nobis obtulit, suam mortem, et quidem id sacrificium pro nobis applicavit, sicut expresse inquit, Ioan. 17.: Pro eis ego sanctifico me, ut et ipsi sint sanctificati in veritate, et Matth. 20.: Filius hominis venit dare animam suam *λύτρον* pro omnibus. Haec autem applicatio fide apprehendenda est, ut supra dixi, et Act. 10. scribitur: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Hoc dictum postulat, ut fide accipiamus beneficium Christi, id est, statuamus vere nobis donari remissionem, propter huius mediatoris sacrificium et intercessionem. Huius totius doctrinae cogitatio est paedagogia quaedam, sed tamen non aspernanda, si fit sine superstitione. Nam per has cogitationes accenduntur motus spirituales.

Est igitur secunda meditatio, quae proprie vocatur spiritualis, et est salutaris, vere expavescere corda cognitione irae Dei adversus nostra peccata, et hanc iram cernere in filium Dei effusam, sicus Paulus inquit ad Rom. 8., oportere nos fieri similes imaginis filii Dei. Et ad Rom. 6.: Insiti sumus similitudini mortis eius. Item: Vetus noster homo simul crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati. Nec tamen maneant tantum pavores, sed accedere consolationem et vivificationem oportet. Ergo in hac spirituali meditatione etiam nova lux et gaudium sentiatur, cum fides statuit iram Dei placatam esse per filium, et propter filium nobis remitti peccata, et nobis reddi iusticiam et vitam, sicut scriptum est ad Rom. 6.: Sic oportet nos inseri similitudini resurrectionis Christi. Corinth. 2.: Per quem et simul resuscitati estis per fidem, efficaciae Dei. Et ad Philip. 3.: Ut inveniar in eo, non habens meam iusticiam, quae est ex lege, sed eam quae est per fidem Christi, quae est iusticia ex Deo per fidem, ut agnoscam eum, et potentiam resurrectionis eius, et societatem passionum eius.

Haec secunda meditatio diligenter discernenda est a tertia, quae est exemplaris, secunda apprehendit Christum propiciatorem et salvatorem, et pretium et causam nostrae reconciliationis, iusticiae et vitae aeternae, sed tertia, quae est exemplaris, intuetur Christum ut doctorem, cuius exemplis nos consolemur, et quem imitari studeamus, ut Davidis exempla nobis proponimus. Videmus Christum, Abel, Davidem, et alias sanctos, horribiles aerumnas sustinuisse. Sciamus ergo voluntatem Dei esse, ut Ecclesia sit subiecta cruci, nec nos abiectos esse, etiamsi dura patimur, imitemur et invocationem, quam illi in cruce exercuerunt, tolerantiam, spem, et alias virtutes. Haec exemplaris meditatio pia est, si non desit secunda. Neque enim recte agnoscit Christum, qui eum tantum putat doctorem fuisse, ut Mosen, aut tantum exempla ab eo petenda esse, ut a Davide, aut similibus.

Sed recte instituti in Evangelio, et intelligentes secundam meditationem, inde dulcissimam consolationem, et utiles admonitiones sumere possunt. Nam in hac ipsa historia passionis Christi imagines proponuntur pene omnium, quae accidunt Ecclesiae. Personae sunt hic, sancti, firmi et infirmi, hostium multa genera, hypocritae, tyranni, sacerdotes, principes, vulgus, pericula varia, manifesta violentia, insidiae occultae, proditio, amicorum fugae, *σαρκασμοὶ* in calamitate. Econtra vero pugnae, consolationes et liberationes mirandae sanctorum, et tristissimae poenae impiorum, ut Iudae. Denique haec historia quasi prophetia est, significans Ecclesiae omnium temporum similes calamitates, consolationes, et liberationes. Horum exemplorum consideratio pios erudire, et confirmare et consolari potest.

Historia.

Distribuam autem historiam in aliquot actus, et ut lectio sit magis perspicua, initio tempora annotabo. Certum est Christum crucifixum esse, 8. Calend. April. hoc est, die 25. Martii, ut nunc est usitata mensium ratio, anno Tyberii 18. fueratque iam Christus ingressus annum 34. Et quanquam dierum praecedentium ratio non certo constitui potest, tamen haec mediocris distributio aliquid lucis affert historiae.

Die 14. Martii videtur ingressus iter ex deserto, ubi Iohannes baptizaverat, unde a Iordane ad Iericho spatium est duorum miliarium germanicorum, in quo itinere caecum sanavit. Die 15. mansit apud Zachaeum. Die 16. iter fecit a Iericho ac Bethaniam. Nam Iericho distat a Ierusalem paulo plus quatuor nostris miliaribus.

Die 17. Martii Lazarus excitatur ante diem Palmarum. Die 18. fortassis mansit in Bethania.

Die 19. coena cum Lazaro in Bethania in sabbato. Die 20. dies Palmarum. Die 21. maledixit ficui, et in templo acerrimas conciones habuit, quae in Matthaeo extant. Die 22. coena in Bethania in domo Simonis leprosi. Die 23. pactio Iudae. Die 24. dies azymorum, esus agni, et institutio coenae Dominicae. Fuitque verus paschatis Mosaici dies a vespere eius diei, ad postridianum iuxta rationem Mosaicam. Quare Christus et legitimo die comedit agnum, et vero paschatis die crucifixus est. Die 25. crucifixio. Die 26. fuit in sepulcro. Die 27. resurrectio.

Ex hac tabella animadverti potest, quo die Christus agnum comederit, et deinde agonem ad montem Oliveti incoaverit, mons olivarum vicinus erat Ierosolymae in ea parte, qua urbs spectabat orientem, ac saepe celebratur, ut 2. Reg. 15. in fuga Davidis. Et quanquam de nomine Cedron disputant, tamen consentaneum est eandem appellationem esse, quae est in eadem historia Davidis. Exit igitur Christus eadem via, qua David olim oppressus ingenti dolore et luctu fugerat, exutus iam non solum regno, sed illa excellenti virtutis gloria, quam habuerat: sed multo tristius est iter Christi, qui ad longe difficilius certamen egreditur.

Sit igitur primus actus, lucta, et res gestae in horto, quae narrantur ab aliis Evangelistis copiosius. Matthaeus orditur eam narrationem a pavoribus: Coepit Iesus dolere, et vehementer angi animo, et Christus inquit: Tristis est anima mea usque ad mortem, inter hos dolores precatur, et tanta est lucta, ut cruentus sudor erumpat, mittitur et angelus ad eum confirmandum. Haec cum legunt homines profani, mirantur, cur tanta moesticia in viro forti extiterit, cum Socrates, imo interdum etiam puellae, ut Herculis filia apud Euripidem, dicantur maiori animi tranquillitate mortem adiisse et sustinuisse, sed Ecclesia cogitet causas, et discrimen mortis Christi, et aliorum hominum. Commune est hoc omnibus hominibus, cum mens praevidet mortem, ut anima et cor expavescant cruciatus et mortem. Quia natura universaliter fugit destructionem sui, ac servari et incolumis manere cupit. Sic et Socrates et Cicero vere dolent, quanquam aliqua moderatione regunt gestus externos, tamen inclusus est in anima et in corde dolor, qui nullius oratione satis describi potest. Et in hac naturae depravatione non solum naturalis quaedam est in Cicerone fuga mortis, sed etiam accedunt vitiosi affectus, succenset Deo, miratur, cur haec praestans natura tantis malis onerata sit, aegre amittit vitae voluptates. Ita in aliis alii accedunt inordinati motus. At in Christo, etsi est naturalis fuga mortis et dolor, tamen haec non sunt inordinata. Postea vero sunt dolores horrendi, quorum magnitudinem nec homines, nec angeli ulli possunt eloqui. Scit Christus Deum vere et horribiliter irasci peccatis, et hanc iram in se derivatam esse. Iacet igitur prostratus coram Deo, dolens se reum esse, ac si contaminasset sese horribili turpitudine, qua turpissimi cultores idolorum, homicidae, polluti libidinibus toto orbe terrarum se contaminarunt. Pro his peccatis nostris deprecator est, et luctatur cum ira Dei, ut semper partem irae deprecator in sese derivat, qui videtur malos sublevare, et minus irasci turpitudini, quam deberet, sicut Ioab vituperatur patrocinans Absoloni, sed hic dolor et lucta filii Dei, longe superat omnes omnium angelorum et hominum cogitationes.

Accesserunt et aliae causae tristissimi luctus, quod videlicet vidit suam gentem interituram esse, item quod vidit maximam partem generis humani ingratam fore pro hoc beneficio, tantae multitudinis aeternum interitum etiam vidit, et ingenti moesticia deploravit. Haec consideremus, cum hoc dictum legimus. Coepit dolere et angi animo, et singuli nostra peccata sciamus in Christum translata esse et auxisse eius dolores.

Supra autem respondimus ad obiectiones, quae breviter hic repetenda sunt. Prima est, in multis aliis viris et puellis non fuit tantus dolor in aditu mortis, quantus in Christo. Cur igitur ipse, cum habeat summam virtutum perfectionem, adeo expavescit? Respondeo: Nulla creatura potest sustinere magnitudinem irae Dei, tulit igitur filius Dei poenam, ne caeteri ferrent, ideo in Laurentio et aliis maior alacritas cernitur, quia causae praecipuae doloris in eis non sunt tales, ut in Christo. Beati quorum tecta sunt peccata, inquit Psalmus. Est igitur alacrior Laurentius, quia cum ira Dei derivata sit in Christum, Laurentio parcitur, ne eam cernat. Christus luctatus est et fuit λύτρον, ut nobis parcatur, quare Psalmus dicit: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit.

Secunda obiectio: Non obtemperare omnibus viribus Deo, est peccatum, in Christo est aliqua fuga mortis: Quomodo igitur dicitur obedientia integra in eo fuisse sine peccato. Respondeo breviter: Etsi haec lucta describi verbis non potest, tamen hoc retinendum est, quod dicitur ad Heb. 4., Christum tentatum esse secundum omnia, secundum similitudinem, sine peccato. Ac primum laceratio corporis ac nervorum lateraliter affert dolorem sine peccato. Est et in corde et voluntate naturalis moesticia fugiens mortem, quae in Christo sine vitio fuit, quia omnis natura onerata supra vires gemit, et expavescit magnitudinem oneris. Doluit Cicero, sed inordinate, dubitans an sit providentia, aut si esse providentiam cogitabat, irascens Deo, quod causa iustior vinceretur. Talis confusio dubitationum et blasphemiarum non fuit in Christo. Praeterea etiamsi alius in Christo maior dolor est, ut dixi, sensus irae Dei, tamen hic est sine indignatione et blasphemia adversus Deum, subiicit se Christus voluntati patris vera reverentia, sicut ad Heb. dicitur: Propter reverentiam exauditus est, id est, propter obedientiam non simulatam, sed a vera reverentia ortam, qua se filius aeterno patri volens ingenti amore generis humani subiecit. Huius tanti amoris cogitatio utinam in nobis aliquantulum accenderetur. Assumsit genus humanum filius, et se vocat fratrem nostrum, et fraterno amore vere ardet. Nihil enim simulatum aut ficticium est in Christo, et hoc tanto amore movetur, ut sese subiiciat horrendis poenis, et irae Dei pro nobis. Exuscitemus igitur nos huius amoris cogitatione, ut fiducia misericordiae ipsius erga nos accendatur, et nos quoque sensu aliquo gratitudinis moveamur, ut magis studeamus Deo obedire.

Tertia obiectio: Pugnantia non possunt in eodem esse. Cum autem Christus semper fuerit beatus, fuisse eum in excellenti laetitia sequitur. Quomodo igitur simul est tanta consternatio? Respondeo: Etsi alii discernunt partes seu potentias in Christo, et aliis tribuunt laetitiam, aliis dolorem, tamen simplicior responsio est, tempora discernere. Hoc fuit tempus, in quo beatitudo seu gloria non fulsit in filio, ut alias. Nunc enim quiescente natura divina, et non exserente suam potentiam, iacet humiliatus, et ut tristissima voce dicitur apud Esa: Percussus a Deo. His tribus argumentis consideratis, piae mentes de lucta Christi cogitantes, aliquo modo commonefiunt, quae fuerint illius doloris causae. Et singuli in magnis doloribus propriis istam luctam intueantur. Quod cum faciemus, non solum magis intelligi consternatio Christi poterit, sed etiam consolationem ab ipsius exemplo et victoria sumemus, tulit filius Dei tam horrendos cruciatus, feramus nos quoque. Sustinens autem pro nobis interpellavit, et nobis impetravit mitigationem et liberationem, sicut dicit: O mors, ero mors tua. Hac fide nos in nostris consternationibus erigamus, haec experientia illustrabit hanc doctrinam.

Iam ordine personas in primo actu consideremus. Christus sentit cruciatus ingentes, cum his luctatur, et precationibus se sustentat, et consolationem experitur, nam et angelus ad eum confirmandum mittitur. In hac lucta vere fit victima, seu agnus Dei sustinens nostra peccata. Tunc enim ira Dei in eum effunditur, ac tale quidem caput est Ecclesiae. Quid interim Ecclesia ait? Apostoli nec magnitudinem dolorum Christi intelligunt, nec valde anguntur animis, imo etiam somno vincuntur. At Christus obiurgat eos, quod non sint magis vigilantes et intenti, ac praecipit, ut orent Deum, ne opprimantur tentatione. Haec particula universaliter pingit securitatem et negligentiam magnae partis in Ecclesia, nondum sentientis aerumnas, etiam cum alii conflictantur ingentibus miseriis. Hic monet Christus, ut sciamus commune periculum esse, et petamus nos iuvari, regi, confirmari, ne aut securae mentes ruant in Epicureum contemtum, aut oppressae mole calamitatum evertantur desperatione, ut Eli, Saul, alii innumerabiles. Semper tamen aliqui sunt in Ecclesia, qui vere agnoscunt voluntatem Dei de peccato et de mediatore Christo, et intelligunt dolores Christi, et sentiunt aliquo modo similes dolores, et expectant liberationem, ut inde usque ab initio recitantur tristissimi luctus Adae, Noae, Abrahae, Mosi, Davidis, etc. Ipso tempore passionis Maria intellexit cur pateretur filius, et socia fuit dolorum, et constanti fide expectavit liberationem.

Econtra personae inferentes bellum Christo, quae sunt principales causae certaminum, sunt diaboli, impii sacerdotes et eorum doctores, et ex ipso coetu Christi proditores: deinde politici magistratus, et maxima pars populi, et alii alias habent causas. Diaboli ardent simpliciter odio

Dei et Christi, et ut Deo aegre faciant, in omnia membra Ecclesiae atrocissime saeviunt: Impii sacerdotes et doctores adversantur Evangelio, quia taxat falsas opiniones et commenticios cultus. Oderunt autem plerique homines reprehensionem, vel naturali superbia, quia nos amamus et nobis placemus, vel metuentes potentiae et quaestui. In proditoribus ut Doëg, Alcimo, Iuda concurrunt multae causae, odium diabolicum, cupiditas vindictae, spes potentiae et lucri. Politici magistratus metuunt mutationes regnorum, et qui ab impiis sacerdotibus magna commoda habent, cum eis colludunt, multi etiam palam sunt Epicurei.

Tales etiam causae incendunt populum, Epicureus contemtus Dei, superstitio, spes otii, lucri, benevolentiae potentum. Has et similes causas, quae irritant mentes adversus Christum, prodest considerare, ut adversus eas, animi imbecilles muniantur, et mali acrius refutari et obiurgari possint.

Adhuc narramus primi actus historiam in horto, ac diximus de lucta et precatione Christi, et de personis. Reliqua historia haec continet in eo loco. Apostolorum obiurgationem, de qua dictum est, et adhortationem ad precandum, quam diligenter nobis proponamus: Vigilate et orate, inquit, ne intretis in tentationem. Dolendum est sapientiam humanam plerunque in omnibus hominibus imaginari, nostra diligentia posse vitari laqueos diaboli, et graves lapsus. At dictum Ieremiae nobis sit in conspectu: Scio Domine, quod non est hominis via eius. Nihil facilius est homini, quam hallucinari, decipi, et errare. Ideo hoc dictum Christi saepe cogitemus, praecipit utrumque, vigilantiam et precationem, vult nos Christus esse intentos et circumspectos. Quia vero precari iubet, significat nostra circumspectione non posse omnes lapsus caveri, sed opus esse divina gubernatione, et magnam consolationem nobis propositam esse sciamus, quoties praecipitur precatio. Sequitur enim precationem non esse inanem, ut omnes Epicurei cogitant, non enim frustra praecipitur. Hac consolatione confirmati, simus ardentiores in precando, et petamus regi a Deo mentes nostras, pericula, et exitus periculorum.

Deinde in eodem loco sequitur osculum proditoris, quod significat simulatione amicitiae multos insidiari doctoribus Evangelii, et praecipua pars huius actus est prehensio Christi, in qua ipsa consideretur potentia divina, ut agnoscamus Christum pati non coactum humana potentia, sed volentem, sicut in Esaia scriptum est: Oblatus est, quia voluit. Cadunt enim milites prostrati una voce Christi.

Ad hunc actum pertinet et pugna Petri, in qua iterum consideretur error Apostolorum, qui adhuc somniabant imperium mundanum. Estque hic edita insignis vox, quae testatur Apostolos non gerere gladium, id est, ministerium Evangelii non esse potestatem gladii, ut vocant. Docet item ordinationem Dei esse, ut puniantur gladio omnes, qui sine legibus et contra vocationem gladio utuntur. Cum enim dicitur: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit, intelligantur accipere gladium hi, qui potestatem gladii non datum a legibus aut magistratibus exercere conantur, ut faciunt omnes, qui iniusta homicidia committunt, et omnes seditiosi. Est autem Christi dictum sumtum ex cap. 9. Genesis: Quicunque fuderit humanum sanguinem, per hominem fundetur et sanguis ipsius.

Nec sine gravi causa haec lex repetita est in hoc ipso extremo agone Christi, fortassis ut moneatur tota posteritas, ne praetextu Evangelii rapiat imperia, sicut Romani Pontifices fecerunt, et Anabaptistae, et saepe alii imperia quaesiverunt nulla legitima causa, sed tantum praetextu Evangelii. Simus igitur cauti, ne seditiosa consilia adiuvemus.

Significationes etiam sunt in ipso facto, Petrus dextram auriculam praecidit servo Pontificis. Ambitiosi doctores praecidunt auriculam, id est, offundunt dextrae auriculae falsas interpretationes, quibus confirmant seditiosa consilia, ut cum Romani Pontifices moverunt bella contra Germanicos Imperatores Henricos, finxerunt se libertatem suffragationis in eligendis Episcopis defendere, species fuit honesta, sed tamen non fuit iusta bellorum inferendorum causa.

Postrema pars actus huius in horto, est fuga omnium Apostolorum, quae est exemplum communis infirmitatis hominum. Hactenus de primo actu breviter dictum est: In quo valde multae partes sunt, quarum exhauriri doctrina non potest, videlicet ipse pavor et dolor Christi, confirmatio Christi, proditio Iudae, testimonium po-

tentiae divinae in Christo, prosternante cohortem una voce, prohibitio pugnae, sanatio vulnerati, imbecillitas Apostolorum.

Secundus actus sit confessio Christi, primum in domo Hannae, deinde in domo Caiphae, et accusationes, contumeliae et condemnationes, et Petri negatio ac poenitentia. Praecipua est autem quaestio, et an sit Messias, et an sit filius Dei Christus, plane respondet, et utrumque asseverat: Sum Messias, et sum filius Dei. Existimo autem ipsis fuisse distinctas quaestiones: quia Pharisaei non sentiebant Messiam natura filium Dei esse, maximeque fremunt audita hac confessione, eamque vociferantur blasphemam esse, et audacter ferunt sententiam, reus est mortis, ac statim addunt multas contumelias.

Primum autem hic observentur responsiones Christi, cum de doctrina interrogat summus sacerdos, taxatur a Christo, et remittitur ad auditores: Cur, inquit, me interrogas? Interroga eos, qui me audierunt. Haec verba non sunt tergiversantis aut defugientis confessionem, sed servat discrimen Christus inter manifestorum criminum condemnationem, et inquisitionem non manifestorum. De manifestis non interrogandum est, quid fateatur reus, aut non fateatur. Sed crimen diserte obiiciendum est, et vera testium autoritate confirmandum, praesertim de doctrina expresse ostendatur, quam sententiam impiam sparserit aliquis. Econtra vero in inquisitione arcanorum, primum praecedat fraterna admonitio, si suspicio praebuit occasionem. Deinde fiat inquisitio, si confirmantur suspiciones, nec dubium est hunc ipsum ordinem fori usitatum fuisse in synagoga, quia et Christus hanc formam sequitur, Matth. 18. Iuste igitur Christus reprehendit Pontificem, quod in causa manifesta non servet ordinem, aut si nondum manifesta est causa, non fuit iustum capere reum armata cohorte. Primum igitur lector hic consideret ordinem iudicii, et discernat causarum manifestarum condemnationem, ab inquisitione arcanarum, in qua fraternam admonitionem praecedere necesse est.

Ac intellexit sacerdotis minister reprehendi interrogationem, ideo dat colaphos Christo, inquiens: Sic respondes Pontifici? Hunc quoque refutat Christus, et hinc disputant rudes de tolerantia, et allegant dictum Christi: Si quis percusserit te in dextram genam, obverte ei et alteram. Hoc inquiunt non observat Christus, quia non tacet, sed expostulat et litigat cum servo, hanc cavillationem propter rudiores diluam. Utrumque praeceptum est, causam veram, praesertim doctrinae, confessione perspicua defendere, et simul animo paratum esse ad violentiam perferendam. Ita hoc loco Christus affirmat, se recte respondisse, aut si non recte respondi, inquit: Ostende causam, tu vero iniustam in me saevitiam exerces, hoc igitur exemplum meminisse prodest. Non est tolerantia tacere, et adversarii falsam et iniustam causam silentio confirmare. Imo, praesertim doctrinae confessionem oportet perspicuam esse, ut scriptum est: Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre coelesti. Deinde ubi de causa dixisti, quantum dici necesse est, mens sit parata ad tolerandas corporis lacerationes, quaecunque impendent, ut hic Christus sustinet varias contumelias et cruciatus. Nec dictum illud: Si quis percusserit te in dextram genam, intelligatur superstitiose de silentio, aut ipso gestu obvertendi alteram maxillam. Quia Petrus inquit: Patientes ubi opus est, id est, cum hostium furor in nos irruit, cor praestet tolerantiam, quae quid sit, alias saepe dicitur: Nos non iubeamus hostes in nos saevire. Hanc regulam in multis vitae negotiis scire et sequi utile est. Si famam tuam laedit aliquis, non necesse est te tacere, sed modeste excuses te, et refutes adversarium, si ille non cedit refutatus, nec defendunt te iudices, ut debebant. Christus suo dicto et exemplo consolatur te, ut scias cur tolerantia praestanda sit, et quomodo placeat Deo.

Post Christi expostulationem cum ministro, describitur Petri lapsus. In hac historia multiplex doctrina continetur. Primum commonefactio proponitur de nostra infirmitate. Secundo exemplum poenitentiae traditur, et testimonium de recipiendis iis, qui lapsi sunt. Tertio discrimen hic considerandum est inter negationem Petri, et blasphemias.

Primo de infirmitate nostra.

Certum est Petrum sanctificatum Spiritu sancto, sicut Matth. 16. ad eum dicitur: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in coelis est, et fuerat confirmata eius fides, spectata resuscitatione mortuorum, Lazari et aliorum, fecerat et

ipse miracula. Ideo fuit in Petro bonum propositum, ut haec verba testantur, Lucae 22.: Paratus sum tecum in mortem ire. Videbatur ergo in Petro mediocre robur fidei esse, et tamen exiguis terriculamentis ancillae et servorum perturbatus, abiicit confessionem. Talis erat David donatus Spiritu sancto, et confirmatus multis suis et alienis miraculis. Imo spectator etiam fuerat tristissimi exitus Saulis, quod exemplum proposuit Deus secuturis regibus, ut magis timerent Deum. Et tamen vincitur David flammis adulterii, et cumulat statim magna peccata. His exemplis infirmitatis commonefacti, emendemus securitatem nostram, et deponamus fiduciam nostri, discamus timere Deum, et petere auxilium et gubernationem divinam.

Teneamus in promtu et dicta de hac doctrina, Ioann. 15.: Sine me nihil potestis facere. Matth. 16.: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem: Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma. 1. Petr. ult.: Vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret. 2. Cor. 10.: Qui videtur stare, videat ne cadat. Matth. 12.: Veniens invenit domum otiosam, et assumit secum alios septem spiritus deteriores, et fiunt novissima hominis illius deteriora prioribus. Ad Phil. 2.: Cum timore et tremore vestram salutem operamini. 2. Cor. 3.: Non sumus sufficientes ex nobis cogitare aliquid, tanquam ex nobis. His et similibus dictis excitemus nos ad agnitionem nostrae infirmitatis, ad timorem Dei, ad petitionem auxilii, sicut totus Psalm. 119. talis doctrina et precatio est: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me. Item: Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis iniusticia.

Secundo consideremus exemplum poenitentiae. Apud Lucam cap. 22. haec verba leguntur: Et statim, loquente eo, gallus cantavit, et conversus Dominus intuitus est Petrum, et recordatus est Petrus sermonis Domini, et egressus foras, flevit amare. In his verbis describuntur contritio et causa contritionis. Amarae lacrymae significant dolorem in corde Petri agnoscentis tristem et magnum lapsum. Causa vero contritionis movens cor Petri fuit, quod Christum eum intuitus, accendit agnitionem huius tanti lapsus et dolorem. Ita fit contritio movente corda Spiritu sancto per verbum Dei.

Etsi autem non scribitur, ubi fuerit hoc biduo Petrus, quid egerit, tamen consentaneum est, eum fuisse in magno luctu, sustentavit autem se hac voce: Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua, haec scintilla fidei eum tantisper consolata est, donec postea resuscitatus Dominus magis confirmavit eum, inquiens: Petre diligis me? Pasce oves meas. Extat igitur testimonium, quod et labi possint renati, et lapsi rursus ad Deum converti, et quod vere recipiantur. Hoc testimonium nobis semper in conspectu sit, non solum ad refutandos Novatianos, sed etiam ad nos ipsos confirmandos, ut statuamus vere nos recipi, etiamsi multis et magnis sceleribus polluti sumus, et admoneant nos tales historiae de promissionibus: Exuberat gratia supra delictum. Item: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Tertio consideretur magnitudo lapsus: Petrus ter negat, et negationi sciens addit periurium, ut Marc. 14. expresse dicitur: Coepit execrari se et iurare. Hic quaeri solet quid intersit inter blasphemiam, et hunc lapsum, etsi alii a causis lapsus sumunt discrimen, quia metu supplicii superatus sit Petrus, et non odio Christi motus sit, ut Iudas, tamen nos iudicemus a posteriore. Cernitur Petri poenitentia, quae quidem mox secuta est lapsum. Non est autem blasphemia adversus Spiritum sanctum, quando sequitur vera poenitentia. Et ita nos universaliter iudicare debemus, etsi verum est alia peccata aliis atrociora esse, tamen omnia magna sunt, et longe tristiora, quam ut a nobis comprehendi eorum magnitudo possit. Deinde etsi omnia sunt magna, tamen sciamus mandatum Dei immutabile esse, ut non desperemus, sed redeamus ad Deum per poenitentiam, et fiduciam mediatoris Christi. Filius Dei longe potentior esse toto regno peccati credatur, qui hac fide redeunt ad Deum, hos statuamus non habere peccatum in Spiritum sanctum.

Non igitur fuit Petri lapsus blasphemia adversus Spiritum sanctum, sed Iudae, Caiphae, et similium furores, qui non redierunt ad Deum, fuerunt blasphemiae adversus Spiritum sanctum. Magis igitur in tali tentatione intuenda sunt mandata de poenitentia, et promissiones de fide, quam subtiliter quaerendae causae delicti. Lapsus ingens est, et horribiliter offendit Deum, etiamsi ex metu crucis, non ex odio Christi ortus est. Etsi enim fatendum est esse gradus peccatorum, tamen

non debent a nobis extenuari nostri lapsus. Quia omnes horribiliter offendunt Deum, et conscientia in vero agone, cum sentit iram Dei, longe aliter disputat de suis peccatis, quam otiosae mentes. Quantum fuit Adae et Evae peccatum, quo intelligebant totum humanum genus incidisse in aeternam iram Dei, nec tum videbant illum exemplum remissionis peccatorum, nec poterant aliud statuere, nisi se prorsus esse abiectos a Deo, sicut diabolos, donec rursus erecti sunt, data promissione remissionis propter filium Dei.

Retinenda est igitur sententia, quam dixi: Immutabile mandatum Dei esse, quantumvis magna sunt peccata, ut agentes poenitentiam redeamus ad Deum, fiducia reconciliationis propter Christum, nec propter magnitudinem nostri lapsus desperemus, sed statuamus longe anteferendam esse potentiam filii Dei omnibus hominum peccatis. Nec ad reliquos lapsus addamus etiam blasphemiam, quae accusat Deum mendacii, et negat remitti peccata, sicut Saul et Iudas ideo damnantur, quia non credunt sibi propter filium Dei peccatum remitti. Et Cain accusatur huius blasphemiae, quod non redierit ad Deum, sed addiderit etiam blasphemam vocem: Maius est peccatum meum, quam ut veniam assequi possim.

Haec breviter satis sit dixisse de hoc loco, qui ex praecipuis unus est in historia passionis, et doctrinam inprimis utilem tradit, quae nos admonet de nostra infirmitate, et consolationem necessariam proponit, quod Deus non velit desperare, quantumvis horribiliter lapsos, quia Petrum etiam cum periurio et execratione sui negantem, Christus respiciens, revocat ad poenitentiam, et admonet eum dulcissimae vocis, quam dixerat: Ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua. Hanc vocem sibi proponant piae mentes, ac sciant filium Dei pro singulis precatum esse, qui agentes poenitentiam, fide confugiunt ad ipsum, sicut supra clare dixit: Non pro his tantum rogo, sed pro omnibus credituris, et quidem in ipso sermone ad Petrum mandat ei, ut conversus, confirmet fratres. Dixi de locis, qui in hoc secundo actu descripti sunt, in quo diligenter consideranda est confessio Christi, quae est testimonium de filio Dei, palam et diserte fatetur se esse et Messiam, et filium Dei, habentem divinam naturam, et quidem de resurrectione, et de divina potentia clare concionatur: Videbitis filium hominis sedentem ad dextram maiestatis, et hoc ipsum dici a Christo, quod sit vere et natura Deus, intelligunt ipsi Pontifices, qui hanc vocem tanquam summam blasphemiam execrantur, ac ne quidem audiendum amplius iudicant, sed ut adversus manifeste blasphemum sine dubitatione pronunciant sententiam: Reus est mortis. Hic cogitetur quam horrendae tenebrae fuerint in illo coetu, qui vocatur populus Dei. Doctores et gubernatores praecipui tam sunt ignari promissionum et testimoniorum propheticorum de Christo, ut iudicent execrandam blasphemiam dici de Messia, quod sit filius Dei, sicut et alibi propter hanc ipsam vocem iudicant eum lapidandum esse. Minus mirandum est, sed aeque horrendum his postremis temporibus tantis tenebris oppressam fuisse Ecclesiam, tanquam praedictiones pictae sunt in hac ipsa historia, quae ostendit semper praecipue in Ecclesia esse hostes Christi Pontifices, qui pugnant de sua autoritate et potentia, oppressa luce verae doctrinae Evangelii de filio Dei.

Initium tertii actus ab ortu Solis sumamus. Nocte enim in aedibus Hannae et Caiphae, coram Pontificibus et Sacerdotibus confessio inter multas contumelias facta est. Nunc mane ducitur Christus ad magistratum politicum, ubi novum crimen ei obiicitur, plausibile apud ethnicum gubernatorem, videlicet hunc captivum fuisse autorem seditionum, et affectare regnum. Repetitur et alterum crimen, quod filium Dei se fecerit hic captivus. Duo igitur crimina omnium summa conferuntur in Christum, blasphemia et seditio, quorum alterum primam tabulam decalogi, alterum secundam evertit.

Recitemus autem breviter huius actus praecipuas partes: nam omnes enarrare nemo etiam in longissimo opere poterit. Primus locus est exemplum poenae, proditionis, cum Iudas horribiliter seipsum damnat, et sibi mortem consciscit, ut ingentes cruciatus abrumpat. Secundus, exemplum hypocrisis, quod Iudaei nolunt pollui ingressu in praetorium, interea vero polluunt se impio consilio interficiendi Messiae. Tertius, duplex accusatio, quod hic captivus sit blasphemus et seditiosus, sic inde usque ab initio certaminum Ecclesiae, cum imperiis et Pontificibus, Prophetae, Apostoli, et horum auditores, his duobus atrocissimis criminibus onerati sunt, quorum cogitatio homines moderatos multo durius excruciat, quam omnia crudelissima supplicia, quibus corpora lacerantur. Quartus, Confessio Christi de utroque

articulo. Fatetur se filium Dei esse, et fatetur se Regem esse, et declarat regnum, inquiens: Regnum meum non est de hoc mundo, atque ita discrimen regni Messiae, quod est aeternum, et regni politici, quod cessaturum est, tradit. Quintus, Quare Iudaei dicant: Nobis non licet interficere quenquam, ubi deploranda est horribilis miseria generis humani, quod non solum Iudaei, sed etiam Ethnici interficiunt Christum, ut significetur omnes homines reos esse mortis Christi, hoc est, propter omnium hominum peccata in toto genere humano Christum passum esse. Sextus, Herodes Christum contumeliis afficit ludens more Epicureorum, cum tamen dici vellet rex in populo Dei. Septimus, Confessio Pilati, quod hic captivus sit innocens, et rursus Pilati iniusticia hic describitur, qui ut aliquo modo dimittat Iudaeos placatos, innocentem Christum iubet flagellis caedi, et spinis coronari. Octavus, Vincitur Pilatus metu, cum minitantur Iudaei, se accusaturos ipsum apud Caesarem, quod hostem Caesaris dimittat. Nonus, Condemnatio Christi facta a Pilato, et dimissio Barrabae. Haec sunt praecipuae partes tertii actus, in quo consumuntur horae sex.

De primo.

Cum Iudas repraesentet omnium temporum haereticos, item desertores Evangelii, item consiliarios potentum, qui artificiosa specie alienant animos principum ab Evangelio, aut alienatos confirmant, et in eis odia inflammant, in poena Iudae iram Dei omnes homines metuant, et vitent causas huius tam horrendae poenae. Periit Arius effusis intestinis, ut Iudas, periit Iuliani praefectus, per os effuso stercore, et alii innumerabiles, nec desunt exempla nostrae aetati. Nam multi concionatores impii subito in ipsis concionibus extincti sunt. Timeamus ergo iudicium Dei, et in vera sententia Evangelii simus constantes, nec corrumpi nos sinamus pecunia, aut simulatione benevolentiae principum, aut spe bonorum, aut potentiae, ut adiuvemus furores eorum qui Evangelium oderunt.

De quarto articulo, videlicet de confessione Christi apud magistratum ethnicum, primum crimen est, quod seditiose vocet se regem. Hic Christus expresse fatetur se esse regem, et tamen addit interpretationem: Regnum meum non est de hoc mundo. Hic discamus refutare imaginationem pontificiam, et multorum politicorum hominum, qui cogitant Ecclesiam esse politiam similem regno, in quo oporteat unum aliquod visibile caput esse, armatum potentia, et potestate condendi leges et interpretandi, laxandi et astringendi leges divinas et humanas. Et hoc caput volunt alligatum esse certo loco, et electioni certi collegii, ut in aliis regnis. Cum natura homines intelligant politica, libenter transformant Ecclesiam in talem humanam politiam. Sed haec imaginatio refutanda est propter multa incommoda quae sequuntur, quia tyrannica potestas hoc praetextu constituitur, qualis fuit pontificia, quae multos impios cultus et idola constituit: deinde doctrina de cruce et promissiones spirituales obscurantur. Nam oculi intenti in politica bona, his amissis putant Ecclesiam a Deo abiectam esse.

Ideo teneamus veram et eruditam definitionem regni filii Dei. Regnum Chrisi est gubernatio Christi colligentis sibi Ecclesiam per ministerium Evangelii, omnibus temporibus mundi, et liberantis eam a peccato et aeterna morte, et sanctificantis eam dato Spiritu sancto, ut sit aeterna ipsius haereditas, et mirabiliter defendentis et regentis eam in hac vita, ut vere invocet, et agnoscat exaudiri preces, ac celebret Deum, et resuscitantis eam ex morte ad vitam et gloriam aeternam.

In hac descriptione dicitur Christum non otiosum esse, ut fingitur in politica κακοζηλίᾳ, sed vere efficacem esse, et sic saepe definit hoc regnum Paulus, ut ad Ephes. 1.: Ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus eius ac plenitudo, id est, integrum corpus Christi, omnia in omnibus perficientis. Aperte affirmat Christum efficacem esse in membris Ecclesiae, idem postea dicit: Sedet ad dextram patris, dans dona hominibus.

Hac igitur nos consolatione sustentemus, quod vere filius Dei nobis adest, iuvat et propugnat nos, sive habeamus externa praesidia, sive simus oppressi cruce. Non propterea abiecit nos filius Dei, credentes in ipsum, etiamsi sumus in mediis suppliciis. Haec consolatio et invocatio filii Dei, et vera exercitia fidei valde obscurantur politicis imaginationibus.

Ecclesia igitur in hac vita non est similis regno mundi, et tamen est coetus visibilis, quia habet externa signa, per quae agnoscentur membra, ubicunque terrarum sunt, videlicet Evan-

gelium, Sacramentorum administrationem, confessionem Evangelii, multa testimonia Spiritus sancti in invocatione et in afflictionibus. Cum enim velit Deus se et filium suum innotescere omnibus hominibus, et invocari in genere humano, vult Ecclesiam suam conspici et exaudiri. Quare non putemus Ecclesiam esse ideam Platonicam, quae nusquam conspici possit, sed ubicunque est coetus, revera fundamentum retinens, id est, articulos fidei, et non defendens pertinaciter idola, ibi est vere haereditas Christi, et aliqua membra electa sunt ad aeternam gloriam, etiamsi sunt dissimilia, alia imbecilliora aliis.

Quantum autem mali sit, transformare regnum Christi in politicum, hac ipsa imagine significatum est, quod Christus producitur in purpura et spinis coronatus. Nec dubium est hanc ipsam tristissimam speciem, ostensam esse hanc ipsam ob causam, quia hic error in Ecclesia late grassaturus esset. Romanus Pontifex multipliciter injicit purpuram Christo, et coronat eum spinis, ut cum affirmat imperia mundi petenda esse a sede Romana, ut in corona Rodolphi Imp. scripsit: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Sunt etiam spinae, canones de primatu et multis ceremoniis, quas fingit esse cultus, et quidem necessarios ad aeternam salutem. Sic peccant et Anabaptistae, qui leges de Platonica communicatione rerum, et de nova forma magistratuum et iudiciorum ferunt. Et passim alii indocti saepe tumultuantur in civitatibus de negotiis civilibus, alienis a ministerio evangelico, inter hos qui sunt sanabiles, intueantur Christum amictum purpura et coronatum spinis, et desinant tumultuari de negotiis alienis ab evangelico ministerio ne capiti Christi infigant et ipsi spinas, et eum contumelia afficiant, sicut milites illudentes inquiunt: Ave rex Iudaeorum. Haec de regni Christi et politici discrimine, etsi breviter hoc loco dicta sunt, tamen saepe sunt repetenda, quia mundus multipliciter in confusione huius discriminis peccat.

De quinto.

Cur Iudaei dicant: Nobis non licet interficere quenquam, non frustra fit mentio servitutis Iudaicae in hoc loco. Nam haec verba significant, qualis tunc gubernatio huius populi fuerit. Romani concesserant Iudaeis *αὐτονομίαν* in cultu et iurisdictione inferiori, sed demerant eis iurisdictionem superiorem, id est, iudicia rerum capitalium, ut norunt mediocriter docti, saepe in gubernatione has partes a diversis possideri. Ideo autem haec recitantur, ut discamus convenire hanc historiam ad tempus Messiae praedictum in Prophetis, qui praedicunt Christum venturum cessante regno Iuda paulo ante dissipationem secundam gentis Iudaicae, ut in Daniele clare dicitur. Hic vero etiam consideretur, quomodo Deus servet suam Ecclesiam in media servitute, ut discamus, non propter humana praesidia Ecclesiam manere perpetuo. Erat testimonium irae Dei, quod subiecerat populum Romanis, quorum imperia satis dura et cruenta erant, multi haeredes vitae aeternae crudeliter interficiebantur, et militum petulantia dissipabatur disciplina. Interim tamen, ut possent manere doctrina et cultus, Deus in inferiore iurisdictione voluit Iudaeis *αὐτονομίαν* concedi, sicut nunc sub Turcis sunt Ecclesiae in multis locis.

Hoc igitur exemplo discamus, non humanis consiliis aut viribus servari Ecclesias, et cum servitute opprimimur, sciamus tanquam poenam tolerandam esse, nec tamen propterea Ecclesiam a Deo abiectam esse, aut sine custode esse. Vagabantur et illo tempore, et antea in Iudaea exercitus Parthici, Romani, Herodiani, ac mirum est, in tantis latrociniis tamen defensas esse, et servatas virgines, et matronas Deum vere colentes, ut Elizabeth, Annam, Mariam, et alias innumerabiles. Ut igitur pii tunc servati sunt, et defensum est ministerium, Ita sciamus nunc quoque Deum Ecclesias servaturum esse, etiamsi fuerint oppressae servitute. Et quidem exemplum gentis Iudaicae significat, etiam nunc postremis temporibus duram et tristem servitutem futuram esse, quam ut Deus mitiget, oremus.

Caput XIX.

Actus quartus fere ab horae sextae initio exordiens, continet horas tres, et aliquanto amplius. Nam Christus hora nona mortuus est, cumque fuerint horae *καιρικαὶ* usitatae eo tempore sextam sciamus esse meridianam horam, deinde vero nonam, quae nobis est a meridie tertia. Continentur autem in hoc actu condemnatio facta a Pilato, supplicium Christi, dicta eius in cruce, mors et sepultura. Saepe autem iam dictum est, magni-

tudinem harum rerum non posse ullius oratione, aut ullis voluminibus exponi, sed assidue in omni vita repetendam esse cogitationem huius mirandi consilii Dei, et sacrificii Christi, et beneficii, propter quod filius Dei victima factus est, breviter tamen recitabo aliquas partes.

Primus locus est: Pilatus metuens, ne apud Caesarem accusaretur, contra conscientiam condemnat Christum, cum quidem prius multis signis ostendat se hanc ipsam condemnationem improbare, ait se hunc Iesum dimissurum esse, ut solebant in festo aliquem captivum dimittere, Sed Iudaei anteferunt latronem, et seditionis autorem, lavat et manus, et ait se innocentem esse, quod signum erat laesae conscientiae, nam revera sciebat se non esse innocentem: Faciens enim scelus, et consentiens, eandem poenam merentur. De hoc loco non dicam plura, sed hic caecitatem esse furorem Regum, Principum, et potentum omnium deploremus, qui simili modo saeviunt in Ecclesiam, incitati ab impiis sacerdotibus. Et quanquam volunt derivare culpam in sacerdotes, dicunt se oportere sequi autoritatem Ecclesiae, tamen revera sunt et erunt rei coram Deo, quia non solis sacerdotibus mandatum est, ut sciant Evangelium, sed omnibus hominibus dictum est de Christo: Hunc audite, et nominatim regibus dictum est: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

Nomen Gabbatha significat locum eminentem a vocabulo Gaba, quod est altitudo, et allegoria monet eminentia et summa imperia belligerari cum Deo, et in Christum et Ecclesiam saevire, sicut plerunque factum esse horribiliter tota mundi historia ostendit. Hic quoque tristissima voce Iudaei seipsos condemnant, dicentes: Se nullum habere Regem nisi Caesarem, palam negant Messiam, et vaticinantur se habituros Caesarem, id est, non Messiam salvatorem, sed Caesarem Titum, qui aliquanto post totam Iudaicam politiam magna crudelitate deleturus est. Significat autem Caesar idem quod crudelis, palam etiam clamitant: Sit sanguis eius super nos et filios nostros. Cohorrescere omnes pios necesse est, hanc vocem audientes, aut cogitantes: cum autem hunc tantum furorem huius populi consideramus, excitemur, ut veris et ardentibus votis petamus, ut a Deo gubernemur, ne in similem amentiam et furorem ruamus.

Secundus locus est. Milites educunt Christum, et imponunt ei crucem. Adiungunt autem ei Simonem Cyrenaeum, forte in via oblatum, quem cogunt ut adiuvet Christum, postea adduntur et duo latrones una crucifigendi. Nomen Golgatha significat vel acervum, id est, locum excitatum, seu lapidibus, seu cespitibus: vel ipsam calvam cranii, seu capitis humani, quod alibi in textu Hebraeo scribitur Golgatha. Cum autem omnia membra longius enarrare non possim, nunc tantum de Simonis Cyrenaei allegoria dicam, cum id exemplum, quod videtur exiguam circumstantiam continere, tam diligenter recitatum sit. Significat autem hic Simon semper in afflictionibus Ecclesiae aliquos esse, cum principes, tum doctores, tum alios homines pios, qui partem crucis gestant, ut nunc, cum reges irati delere Evangelium, et interficere doctores conantur, aliqui principes et gubernatores, in aulis et civitatibus magna pericula et aerumnas sustinent, in defensione Ecclesiarum et docentium: imo etiam noster ordo scholasticus vere partem crucis gestat, et constat nomine Simeon significari auditorem. Studiosi discentes Evangelium simul implicantur periculis, multi nunc pii scholastici magnas miserias sustinent propter Evangelium, sed Deus reddet eis praemia, sicut et huic Simeoni reddidit. Nam filios eius Alexandrum et Rufum postea ad munus Evangelii vocavit.

Tertius locus est concio Christi ad mulieres, quae eiulantes comitantur Christum gestantem crucem. Non enim tantum atrocitas supplicii consideranda est, sed etiam causae, et sermones Christi interim habiti, qui amplissimam doctrinam continent. Est autem concio poenitentiae, primum reprehendens mulieres nondum intelligentes, cur Christus hunc agonem sustineat, deinde horribiles poenas praedicens, quae et hunc populum et omnes impios oppressurae sunt: tertio collationem faciens afflictionum Ecclesiae et impiorum. Ac duo priora membra satis perspicua sunt, mulieres communi mediocrium hominum στοργῇ deplorabant Christi calamitatem propter ipsum. Non norant causas, videlicet pati Christum propter nostra peccata. Necesse est autem omnibus hominibus hanc doctrinam tradi et inculcari, nostris peccatis Deum vere irasci, propter nostra peccata metuendas esse poenas, nostra mala agnoscenda et deploranda esse. Rursus autem sciendum, tolli nostra mala per Christum. Stultitia est autem, ut dicitur, foris sapere, id est, ignorantem propria mala, deplorare aliena, ut Priami aut Hectoris, et tamen

haec stultitia communis est maximae parti hominum. Hinc illa sunt: Medice cura te ipsum. Item: *ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.* Item: Odi sapientem, qui sibi non sapit. Primum nostras miserias agnoscamus, et discamus, quae remedia Deus nobis tradiderit.

Nec obscurae sunt tristissimae conciones de poenis impiorum, quarum hic fit mentio: tunc dicent montibus, Cadite super nos. Hic non solum Ierosolymorum excidium cogitemus, sed etiam similia exempla omnium temporum, quae ostendunt saepe accidere hominibus tristiora morte ipsa, ut parentibus multo tristius morte est videre saeva supplicia natorum, expetitur igitur mors, ut finiantur poenae, quantum igitur mali est post hanc vitam, cumne morte quidem finiri possunt? haec monet Christus non tantum has mulieres, sed totum genus humanum. Ac praecipua tot spectaculorum horribilium in hac vita causa est, quia Deus vult conspici iram suam adversus peccata, vult nos commonefieri, ut Psalmus 39. inquit: Propter iniquitates corripis homines, intueamur ergo nostras et alienas calamitates, ut timor Dei in nobis excitetur.

In tertio membro dicitur: Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? id est, si viridis et foecunda arbor extirpatur, quid fiet de arida et sterili? Qua figura significatur haec collatio, cum membra Dei, quae fructus Deo placentes ferunt, ut Abel, Ieremias, Baptista, sustineant magnas calamitates, quid fiet de impiis? Congruit haec Christi concio cum dicto Salomonis, Prov. 11.: Si iustus in terra recipit, quanto magis impius et peccator? Ad quae 1. Pet. 4. adduntur haec verba: Iudicium a domo Dei incipit. Hic autem reclamat humana ratio, offendi se hac ipsa confusione, quod bonis male sit, et malis bene, disputant mentes aut casu omnia ferri, nec regi res humanas providentia, aut gubernationem iniustam esse: hanc disputationem philosophia non satis explicare pötest, quae non novit primos fontes humanarum miseriarum, sed hi monstrantur in doctrina Ecclesiae. Cum ergo sic argumentatur ratio: Iustis bene esse debet, iniustis male: Ieremias, Baptista, sunt iusti, ergo bene esse eis debeat. Hic respondet Ecclesia, primum de maiore, verissima est maior, est enim lex Dei, ut primum praeceptum testatur, et quidem adeo vera est, ut Deus non tantum perituris bonis compenset iusticiam, seu obedientiam, sed aeternis, ut sint firma, et non pereuntia praemia. Sed quo ordine fiat haec distributio, Evangelium docet, quod simul affirmat omnes homines morti, et aliis calamitatibus subiectos esse, quia omnes circumferimus peccatum. Nunc igitur ad minorem respondendum est: Ieremias, Baptista, et similes sunt iusti, scilicet imputatione propter filium Dei mediatorem, sed nondum sunt iusti tota novitate, imo magna et tristis caligo, et multi morbi adhuc in cordibus omnium sanctorum in hac vita haerent. Vere autem irascitur Deus peccato, et hanc iram praecipue ab Ecclesia vult intelligi. Ideo premit Ecclesiam in hac vita magis, quam reliquam hominum fecem, postea accedunt et aliae plures causae, videlicet quod vult has ipsis sanctorum afflictiones testimonia esse de vita aeterna. Cum enim Deus testetur se approbare Paulum in hac vita, cum per eum resuscitat mortuos, et tamen sinat eum interfici ab inquinatissimo tyranno, necesse est postea restare iudicium, in quo Deus ostendet se non oblitum esse Pauli, et anteferre Paulum teterrimo tyranno. Sed haec doctrina de causis alibi copiosius recitata est, nunc ad textum redeo. Christus admonet mulieres de ira Dei adversus peccata omnium hominum, ac testatur etiam puniri. Quod vero ipse patitur, ideo fit, quia ipse est mediator et intercessor, quid in sese derivavit iram Dei adversus nostra peccata, sicut Baptista inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Quartus locus est ipsa crucifixio, ubi in primis observandum est dictum, quod citat et illustrat Paulus Gal. 3.: Maledictus omnis qui pendet in ligno, quae verba ex cap. 12. Deut. sumta sunt, ubi expresse additum est: Maledictus a Deo, qui pendet in ligno, sic alibi de poenis non loquitur scriptura. Nam poenae ipsae non faciunt homines reos, id est, propter poenas non irascitur Deus hominibus, sed propter peccata. Cur igitur de hac poena tam atrociter loquitur Deus? Existimo tantum propter mortem Christi hoc dictum esse, ut intelligatur in hunc derivatam esse maledictionem, cui genus humanum subiectum fuit, id est, hunc sustinuisse poenam debitam iusticiae Dei, et ita pro nobis persolvisse *λύτρον.* Caeterum quam tristis appellatio sit dici maledictum a Deo, id non potest verbis explicari, sed discamus pia meditatione, cum querelas in Psalmis et alibi legimus. Item cum ipsi aliquo modo nostra peccata aspicimus ac expa-

vescimus, metuentes vere nos a Deo abiici in aeternam damnationem. Etsi dolebat David se ex regno eiici a filio, quem valde diligebat, motam esse seditionem, et se exui gloria sapientiae et iusticiae, quam habuerat, tamen hi dolores non erant summi. Alia multo maior moesticia excruciabat eum, quod videbat suum delictum causam esse tantorum scelerum et scandalorum, in quibus multi, qui fuerant sancti, horribiliter perierunt. Hic sese iudicabat esse pestem Ecclesiae et populi Dei, et molem peccatorum tantam sentiebat, ut agnosceret se non posse eam sustinere, metuebat igitur se abiectum esse a Deo, ut Saulem aut alios tyrannos, qui fuerunt vasa irae Dei. Hi dolores Davidis aliquo modo declarant atrocitatem huius descriptionis, cum dicitur Christus factus esse maledictum, sed haec a profanis aut securis mentibus non intelliguntur. Ideo et nos peccata nostra aspiciamus, et cogitatione irae Dei, et horribilium poenarum expavescamus, ita fiet, ut aliquo modo hanc doctrinam intelligamus, imo hic pavor et hic dolor est vera meditatio passionis Christi.

Quintus locus: Multa sunt dicta Christi in cruce, sed concio praecipua est ad latronem, et spectaculum ipsum est insigne. Latrones duo sunt imago totius generis humani, quod totum est morti subiectum, sed pars liberatur per Christum, pars manet in morte. Ita totum genus humanum ibi pendere cogitemus, ut revera omnes variis calamitatibus et morte illam ipsam speciem latronum referimus. Quod autem impius latro medio supplicio tamen ludit, et Christum venenatis ironiis subsannat, manifestus furor est in tanto cruciatu et ipsa morte petulanter ludere, sed huius amentia significat similem esse omnium impiorum securitatem in toto genere humano. Nero secure ludit et deridet Deum, nec sentit se in mediis inferis et tristissimis miseriis esse.

Econtra alter latro agnoscit delictum suum et causam poenae, non est securus, non ludit, ut ille subsannator, sed iudicat se a Deo puniri, et insuper metuit aeternas poenas, clare enim dicit: Nos iuste plectimur. Magnis igitur doloribus et pavoribus excruciatur, sed interim cum cogitat quis sit hic vir iustus, qui dictus est Messias, qui nunc est supplicii socius, quaerit veras consolationes, et fortassis accenduntur hae eius cogitationes, cum videt Deum mirandis prodigiis significare se spectatorem esse huius supplicii, et fore se iudicem. Nam hoc colloquium habetur, cum iam medio die solis lumen extinctum est, ut ex Lucae narratione apparet. Agnoscit igitur hunc iustum virum esse Messiam, et primum palam discernit eum a se, altero socio supplicii, affirmat eum nihil mali fecisse. Deinde ipsum alloquitur, ac faciens mentionem futuri ipsius regni, ostendit, qui credat, videlicet hunc virum, etiamsi nunc pendeat in cruce ac moriturus sit, tamen non interiturum esse, sed victurum, et vitam aliis ipsum invocantibus daturum esse. Denique rectius intelligit doctrinam de Messia, quam omnes Pharisaei. Agnoscit in vita Ecclesiam in cruce esse, sed habituram per hunc Dominum vitam, iusticiam, et gloriam aeternam. Petit igitur ab eo haec bona, inquiens: Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Haec sunt verba fidei eluctatae iam ex doloribus, morte, pavoribus, et intelligentis summam doctrinae Evangelii. Respondet autem Christus, tanquam pronuncians absolutionem, et eum recipiens in Ecclesiam, et quidem iusiurandum addens: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso, id est, in loco Ecclesiae beatae, quae novam et aeternam lucem, sapientiam, iusticiam et gloriam habet.

Hic est ordo colloquii, quod sciamus propter multas causas recitari. Principio testatur Deum servare Ecclesiam, et semper aliquos excitare confessores, etiam tunc cum hostes triumphant, et putant deletam esse. Tunc dissipata erat Ecclesia, Christus ipse pendet in cruce ac moritur, mater luctu et moesticia impeditur, ne multa loquatur, Apostoli diffugiunt. Tali tempore in tanta dissipatione incipiunt concionari sol et scopuli hiscentes, et fit Apostolus hic latro, de sublimi concionans toti generi humano.

Secundo, conversio et salvatio huius latronis imago est conversionis et salvationis singulorum electorum. Non putes te aliter ingressurum esse vitam aeternam, quem hic latro ingreditur. Non fingas te afferre merita ad Deum, sed sumus rei irae Dei, et mortis aeternae omnes, ut hic latro, sicut Paulus inquit, Roman 3.: Ut omne os obturetur, et reus sit totus mundus Deo. Hunc latronem menti tuae proponas in contritione, fide, absolutione, cruce, et bonis operibus. Harum partium omnium exempla hic pro-

posita sunt. Contritio est agnitio peccati, quod ait latro se iuste puniri, et dolet se Deum offendisse, et sentit iram Dei, hac ipsa poena commonefactus, et quidem publice fatetur peccatum suum, et praedicat iudicium Dei iustum esse. Haec omnia pertinent ad contritionem, ut illae voces Danielis 9.: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei.

Fidem eius clarissime ostendit petitio: Memento mei Domine, quando venies in regnum tuum. Vere enim intelligit hunc socium supplicii, quanquam iam moriturum, tamen esse Messiam tollentem peccata et mortem, et redimentem genus humanum hac sua morte, sicut ex Esaia potuit aliqua dicta meminisse: petit igitur ab eo remissionem peccatorum et vitam aeternam. Et ut fides eius confirmetur, audit dulcissimam absolutionem: Hodie mecum eris in paradiso. Iam vide in eo incoatam obedientiam. Inerudite enim dicitur nulla fuisse bona opera huius latronis post conversionem, verum est, non potest petere remissionem peccatorum propter ulla bona opera, ideoquae proponitur nobis, ut doceat nos de gratuita reconciliatione, sed iam conversus habet magnas virtutes. Contritio ipsa et dolor propter peccatum, et confessio tribuens Deo insticiam, sunt bona opera, et testimonia accensae in eo dilectionis Dei. Deinde fides ipsa bonum opus est, cum quo necesse est dilectionem Dei, et multa bona opera coniuncta esse. Accedit et intellectus doctrinae de cruce et patientia, scit iam genus humanum propter peccatum in mortem et calamitates mersum esse, nec tamen propter calamitates reiici homines, sed Deum postulare hanc obedientiam, et recipere confugientes, et Spiritu sancto sustentare. Et iam in ipsa consolatione, cum cor fide erigeretur, dicit hanc ipsam sententiam, quae est apud Esaiam capite ultimo, quae affirmat Deum habitare cum contritis. Didicit igitur hanc Evangelii sapientiam non monstratam in lege, et longe positam supra et extra philosophiam et captum humanae rationis, et iam corpore pendens in cruce ac moriens, tamen vere vivit vita aeterna, laetatur agnitione Dei et Messiae, et praestat Deo hanc obedientiam vera tolerantia, et expectat novum Messiae regnum in paradiso. Longe igitur superat sapientia et virtutibus, non solum Pharisaeos, sed etiam Apostolos.

Postremo et externa bona opera habet, confessionem peccati sui, et iusti iudicii Dei, invocationem Christi, et obiurgationem adversarii. Nam refutare maledicentes Evangelio, est opus praeceptum in his sententiis, Lucae 9.: Quem mei pudebit et meorum sermonum, hunc confundet filius hominis. Et Psalm. 118.: Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Pertinet autem exemplum ad omnes homines, ut discant opus necessarium esse profiteri fidem, et eam declarare refutatione blasphemiarum.

Etsi igitur homines profani et potentes talibus refutationibus offenduntur, tamen sciamus hoc officium necessarium esse, et vere placere Deo, et hanc consolationem nos in scholis meminerimus, quae plurimum incurrunt in odia potentum, propter tales refutationes.

Sextus, postrema pars est epitasis omnium maxime terribilis. Hic iam obscurato Sole contra naturae ordinem, et dura saxa sine ulla vi humana rumpuntur, et mortui divinitus vita recepta prodeunt, filius Dei inter clamores et preces moritur: cum tota rerum natura moveatur, coelum et terra, dolendum est nos adeo duros esse, ut tantae rei cogitatione non contremiscamus. Oremus igitur Deum, ut nostras mentes accendat, ut aliquo modo voluntatem Dei, quod filium victimam fieri voluit, et hoc sacrificium omnium summum consideremus, et intelligamus in hac ipsa tam tristi poena ostendi iram Dei, adversus nostra peccata, et rursus proponi misericordiam. Quia haec mors est propiciatio pro nobis. In hac cogitatione vere expavescamus agnitione irae Dei, et rursus in pavoribus erigamur fide, et agamus gratias, quod hoc sacrificio filii Deus placatus nos recepit. Haec supra aliquoties dicta sunt, sed nunc in extremo agone Christi maxime repetenda sunt, qui legi et cogitari a piis sine aliqua animi consternatione non potest.

De hac Eclipsi Solis notum est eam factam esse tempore oppositionis Lunae et Solis, quia populus Iudaicus celebrat Pascha in medio mense lunari. Cum autem certum sit usitato ordine naturae eclipses Solis tantum in coniunctione Lunae et Solis fieri, manifestum est hanc eclipsin Solis prorsus contra naturae ordinem factam esse. Fuit igitur testimonium Dei significantis se spectatorem esse huius necis, et se vindicem fore. Significatum est etiam omnibus hostibus Christi lu-

cem eripi, et futuros eos in horrendis et aeternis tenebris et poenis.

Sed non ipsa laceratio corporis, non horrenda suspensio in cruce, sic feriunt animos cogitantes de passione Christi, sicut hic tristis clamor:

Deus Deus meus, quare derelinquis me?

Qualis est haec querela in filio Dei? An indicat se desertum et abiectum esse? Haec verba ex Psal. 22. sumta sunt, qui totus considerandus est, si aliquo modo volumus cogitare, quam tristis sit haec sententia. Dixi autem supra aliquoties de doloribus Christi, et de eorum causis, sive obiectis. Primum naturale et commune est omnibus, quod laceratio corporis affert dolorem, sic etiam Laurentius dolebat, sed cum in corde sentitur laetitiae propter Dei praesentiam et favorem, minus excruciatur illis externis doloribus. Secundo, naturale et commune est omnibus horribili consternatione fugere mortem, sed obruitur haec etiam consternatio laetitia cordis, quod statuit nos Deo placere, et intuetur vitam aeternam et non dubitat se iam Dei conspectum, et consuetudinem Christi et omnium sanctorum transire. Hic clamat Paulus: Cupio dissolvi, et Stephanus laetatur, videns Iesum stantem ad dextram Dei.

Cur igitur maior dolor est Christi? Quia ipse alio obiecto horribili premitur, quod non sentiunt Laurentius et Stephanus, quodque Christus ideo tulit, quia nos ferre non possumus. Ipse enim sentit non possumus. Ipse enim sentit non tantum lacerationes corporis, et illam naturalem mortis fugam, sed sentit peculiares terrores, quibus ostendit ipsi DEUS iram adversus peccata nostra, sicut aliquando in vera contritione sentiunt pii horribiles pavores, seu confusiones, seu consternationes, quasi abiiciantur a Deo, de qui bus pavoribus inquit Ezechias: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Et David inquit: Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi confirmasti super mea manum tuam: Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

At ut aliquo modo hic dolor a nobis agnoscatur, aut propria peccata aspiciamus ipsi, aut cogitemus Davidem horribili dolore oppressum, cum agnoscit se causam praebuisse his tantis peccatis et scandalis, quae lapsum ipsius secuta sunt: Propter meum peccatum, inquit, Deus iratus, permisit moveri seditionem, et quidem a meo filio, seditionem secuta est coniugum mearum contaminatio, et multa caedes in toto regno, et alia multa scelera quae comitantur intestinas discordias, et innumerabiles animae oppressae sunt aeterna ira Dei propter seditionem. Multi sancti propter scandalum moesticia mortui sunt. Multi sancti etiam contagio seditionis excusserunt Spiritum sanctum, et oppressi sunt aeterna ira Dei, nec dubium est aliquas Davidis coniuges moerore extinctas esse. Hanc tantam molem malorum intuens David, cogitat se pestem esse Ecclesiae Dei, et vas irae, et fortassis in aeternum abiectum a Deo.

In tali dolore aliqua imago est dolorum Christi. Nam ut David sustinet terrores propter propria peccata, ita filius Dei sustinet terrores propter nostra peccata, quasi ipse se tot nostris sceleribus polluisset: derivat enim in sese iram Dei, quae alioqui nos opressura erat. Estque significata haec tanta res multis dictis. Esaias inquit: Percussum esse a Deo, qua descriptione significat non tantum humana saevitia laceratum esse Christum. Uritur Laurentius, nec excruciatur in corde tanquam a Deo abiectus. Alia res multo tristior est, indicare se a Deo tanquam vas irae abiectum esse. Ita luctans secum Christus in cruce, edit hanc tristissimam vocem: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? quasi dicat, non lamentor propter corporis lacerationem, aut propter mortem, sed propter aliud longe tristius malum, quod tu me relinquis, quod non sentio in corde laetitiam, quam sentiunt alii sancti, quos consolaris. Imo sentio te horribiliter irasci peccatis generis humani, propter quae ego nunc reus sum, coram te inquam: Non esset mihi acerbissimum mundi iudiciis improbari, sed tuam iram sentire triste est. Etsi autem non potest magnitudo dolorum Christi, aut verbis humanis exponi, aut cogitatione comprehendi, tamen necesse est pios aliquo modo eos considerare, ut discamus iram Dei adversus peccata, et aliquo modo celebremus magnitudinem oneris, quod pro nobis Christus sustinuit. Et cum Deus haec per Prophetas et Apostolos saepe repetat, vult certe sonare hanc doctrina in Ecclesia. Ideo excitemus mentes ad harum maximarum rerum cogitationem, et oremus Deum, ut lucem in cordibus nostris accendat, ut hunc Christi agonem, et hoc tantum beneficium magis magisque intelligamus, et pro eo gratias agamus.

Septimus locus de matre commendata Iohanni. Nam multis aliis partibus huius historiae, quia minus obscurae sunt, non addam interpretationem, ut omnes intelligunt per sarcasmos significari audaciam et furores hypocritarum et Epicureorum, omni tempore superbissime deridentium Christum, Evangelium, et Ecclesiam. Per divisionem vestium, tum haereticos dilacerantes Evangelium, et varie ludentes dictis Christi, tum vero etiam alios impios, ut Iulianum, et similes, qui facultates Ecclesiae, quibus ministros tunc ali necesse erat, rapuerunt, sed his omissis, dicam de matre commendata Iohanni.

Primum hic cogitemus de fide et fortitudine matris, longe superat robur humanum haec fortitudo, quod adest mater spectatrix talium suppliciorum filii, et non extinguitur dolore. Nec credibile est ullam matrem in toto genere humano tale spectaculum perferre potuisse, aut posse. Necesse est igitur in ea magnam lucem, et magnum robur fidei fuisse. Meminerat conceptum, norat Prophetarum praedictiones de sacrificio Messiae, et melius eas intelligebat quam Apostoli, cogitabat resuscitatum Lazarum, et alia exempla. Ideo sciebat hoc sacrificium filii singulari et inenarrabili consilio Dei fieri, et esse λύτρον pro toto genere humano. Nec minus lugebat genéris humani peccata, quam ipsius filii mortem, sed in his doloribus obediendum esse Deo norat, et expectabat resuscitationem filii. In haec tuo bona obiecta, id est, in voluntatem Dei et resuscitationem intuenti fide, aliquantulum leniebatur magnitudo doloris. Meminerimus autem hoc exemplum in nostris afflictionibus, ut obedientiam et fidem praestare nos quoque discamus.

Secundo typus hic consideretur, sicut Christus matrem Iohanni commendavit, ita Ecclesiam omnibus piis, et praecipue doctoribus et gubernatoribus commendat. Semper multi et magni dolores sunt Ecclesiae, id est piorum et imbecillium, nam et dissidiis dogmatum laceratur, et sentit tyrannorum saevitiam. Hic pii doctores sanent ambigentes, aut errantes, praemuniant imperitos, confirment imbecilles, evolvant obscuras et intricatas quaestiones, ne homines implicíti dubitationibus incidant in desperationes. Audiant et pii principes filium Dei in ipsa cruce concionantem, ut suis officiis matrem Ecclesiam foveant, tueantur, iuvent. De hac re saepe traduntur praecepta, ut Psalm. 41.: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Hoc praeceptum Psalmi conferamus ad hanc imaginem, in qua lucet φιλοστοργία Christi, non solum erga matrem, sed etiam erga universam Ecclesiam. Nam propter nos fit haec publica commendatio tali tempore, et Christus revera diligit ut matrem totam Ecclesiam, ex qua assumsit naturam humanam, quod est manifestum et certum testimonium ingentis amoris erga nos.

Octavus locus est sepultura Christi, de qua praecipue tempus consideretur. Christus toto sabbato est in sepulcro. Etsi typus sabbati veteris multa significat, tamen etiam hanc quietem filii Dei in sepulcro significavit. Tunc enim vere quievit Deus mirabili modo, cum illa natura humana, cui unita est divina, verissime moritur. Nam ut Petrus inquit: Christus passus est carne, sed tamen interea divina natura humanae unita quievit, ut pati et mori humana posset, sicut inquit Irenaeus: Hoc est, non exeruit suas vires, sed obedivit aeterno patri in hac humilitate. Verum est enim, et semper ita docuit Ecclesia, naturam divinam nec a corpore Christi, nec ab anima discessisse, etiam post mortem. Ideo Damascenus inquit: Quod semel assumsit λόγος, nunquam postea dimisit, nec a corpore, nec ab anima Christi unquam separata est divina natura filii Dei post assumtionem, et tamen revera haec persona, quae est Christus, mortua est, quia anima a corpore separata est, sicut textus inquit, Matth. 27.: Clamans voce magna, expiravit. Interea quievit natura divina unita et corpori et animae. Haec arcana sapientia in vita aeterna discenda erit, nunc ut traditur in verbo, amplectenda est fide, nec potest aut cogitatione humana comprehendi, aut explicari verbis. Sed haec admiranda quies in morte et sepulcro, est obedientia in arcano Dei consilio decreta, quae et causa fuit et significatio futurae resurrectionis, et nobis haec miranda quies, id est, obedientia meruit reconciliationem et vitam aeternam, et nostram mortem, quae fuisset res damnata, fecit iam quietem, Deo placentem, et iter ad vitam aeternam. Sine Christo mortui homines iacuissent, et iacent in inferno, sed morientes in Christo iacuerunt et iacent in sepulcro Christi. Imo nos omnes statim postquam in hac vita facta est conversio ad Deum, iacemus in sepulcro Christi,

patimur hanc carnalem naturam mortificari, et fide expectamus resurrectionem. Haec doctrina proposita est in sepultura Christi. Sed ab otiosis et Epicureis ridetur, nec intelligi potest, nisi ab iis, qui in magnis doloribus quaerunt consolationem, et agnoscunt se condi non in infernum, sed in Christi sepulcrum, in quo sciunt placere Deo hanc quietem, eamque iter esse ad vitam aeternam. Ideo non addam longiorem enarrationem, quia haec in veris doloribus discenda sunt, sed tamen commonefieri pios utile est.

Hic etiam quaeritur de articulo descensus ad inferos, quid sit ille descensus. Primum ante mortem intelligunt aliqui descensum ad inferos, ipsam humiliationem, qua Christus horribilem sensum irae Dei adversus peccata nostra sustinuit. Aliqui ipsam mortem et sepulturam intelligunt, sed nos simpliciter sentiamus Christum revera resuscitasse patres, ut Petrus dicit, praedicasse spiritibus, qui erant in carcere. Hunc congressum cum patribus iuxta Petri dictum intelligo descensum ad inferos, nec curiose haec disputare volo, sed modesti et pii cogitent arcana quaedam de miranda morte et resurrectione Christi, quam spectarunt et patres resuscitati, significari in dicto Petri, quae non sunt planius recitata.

Caput XX.

Una autem die sabbati.

Quintus actus historiae huius de morte et resurrectione Christi continet gloriosum exitum tantorum agonum, qui praecesserunt. Nunc enim narratur resurrectio filii Dei Domini nostri Iesu Christi, qui post mortem die tertio divina potentia resuscitatus revixit, integre restituta in ipso natura humana et exuta mortalitate. Hic autem disseritur de triduo, de quo breviter respondeo: Synecdochen esse, hoc est, etsi non sint integri singuli dies huius tridui, tamen parte aliqua singulorum iacuit corpus in sepulcro. Depositum est enim a cruce post horam nonam καιρικὴν, quae nobis est tertia. Parte igitur aliqua diei sextae corpus fuit in sepulcro, Deinde sequens dies spatium est a vespera ad vesperam, et hic dies integer est. Voluit enim haud dubie propter singularem significationem integro sabbato quiescere.

Tertius dies incoatur vespere post meridiem sabbati, fuitque corpus in sepulcro eo vespere et nocte, et aurorae tempore, quae noctem illam secuta est, ita et bona pars tertii diei etiam comprehenditur. Haec brevis accommodatio sufficiat: Non enim audiendi sunt homines leves, qui cavillationes acerbas de tridui computatione comminiscuntur.

Potius de ipsa resurrectionis gloria et efficacia dicamus, quae egregie pingitur antithesi. Mulieres veniunt ad monumentum, ut ungant mortuum corpus. Hoc officium significat cultum legis et universam iusticiam legis, ut discipuli alicuius Prophetae, bene sentientes de mortuo, et iudicantes iniuste interfectum esse ostendunt suum amorem erga mortuum. Sic illae mulieres tantum cogitant hunc suum doctorem mortuum esse, et hoc officio ornare eum student, quod tamen tantum esset inutilis quaedam mortui rigatio. Talis est cultus legis, disciplina mediocri diligentia laborat, ut praestet aliqua officia, sed haec utcunque serviunt huic mortali vitae, et non tollunt mortem, estque imago illustrior accommodata ad doctrinam. Lex sine Evangelio tantum huic miserae et mortuae concionatur, et utcunque disciplina coërcet haec mortua membra.

Hanc partem antithesis confer iam ad efficaciam resuscitati filii Dei. Hic iam non ungendus est, sed alio modo colendus, revixit ut deleto peccato, deleta morte nobis reddat iusticiam et vitam, et vult agnosci dator iusticiae et vitae, et testatur aeternum patrem constituisse, ut haec bona propter hunc mediatorem, et per hunc mediatorem fide accipiamus. Hanc fidem vult nos afferre Deus ad hunc resuscitatum Dominum. Finis est iam officiorum, quae mortuos perfundunt, ille ipse resuscitatus Messias, iusticiam nobis reddit, non illam mortuae naturae servatricem disciplinam, sed aliam iusticiam, quae est lux et vita aeterna.

Hac igitur antithesi considerata, discamus quare resurrexerit filius Dei, quae sit efficacia resurrectionis, ubi nunc sit, quale regnum sit huius viventis Messiae, ut autem saepe alias, ita et Rom. 4. concionatur Paulus de efficacia resurrectionis, conferens mortem et resurrectionem: Traditus est, inquit, propter delicta nostra, et resuscitatus est propter iusticiam nostram, id est, mors est sacrificium, quo filius sustinens poenam legis, et se derivans iram patris adversus nostra

peccata, meretur nobis remissionem peccatorum. Sed resurrectio incoat vitam immortalem in Christo, qua iam vivens regnat ad dextram patris, et est efficax, mittit et gubernat Evangelii ministros, dat Spiritum sanctum audientibus et amplectentibus Evangelium, intercedit pro nobis, et dat remissionem peccatorum, exaudit nos invocantes, defendit et servat Ecclesiam suam, depellit diabolos, et eius organa, tyrannos, fanaticos spiritus, et alios impios, denique resuscitat mortuos, et dat vitam aeternam iis, in quibus fide in hac vita incoata est iusticia, et coniicit in aeternas poenas omnes qui perseverant in contemtu Dei. Haec admiranda opera omnia sunt effectus resurrectionis, quos fide nobis applicare discamus, quandocunque corda vere consternata conspectu peccatorum luctantur cum diffidentia et desperatione, sciamus aeternum et immutabile mandatum Dei esse, ut confugiamus ad filium Dei resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris, et credamus nos recipi et exaudiri. Ideo resurrexit, ut exaudiat, ut sit efficax, ut iuvet hanc miseram massam generis humani, quam sibi copulavit aeterno foedere. Non est mortuus et otiosus Dominus, ut fingunt mentes sine luce Evangelii, sed vere est opitulator et salvator, vere adhuc clamat: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Quam difficilis res sit in veris doloribus excitare hanc fidem, experientia monstrat, et tamen necesse est disci haec certamina, et in eis confirmari fidem, intueri in filium Dei resuscitatum et Ecclesiam praesentem, perinde ac si oculis corporis eum cerneremus, et adiunctum nobis complecteremur. Ut autem haec fides excitari possit, necesse est doctrinam agnosci de fide, qua gratis propter Christum accipitur remissio peccatorum. Donec enim haerent in mentibus opiniones ex lege sumtae, non recipi nos, non exaudiri, nisi satis sit meritorum, non potest mens erigi vera consolatione, et vero intellectu beneficiorum resurrectionis.

Stabat autem Maria foris.

Praecipue de resurrectione haec consideranda sunt. Primum ipsa historia resurrectionis. Secundo effectus, scilicet, quod per Christum resuscitatum, et propter eum redduntur iusticia et vita aeterna, ut dictum est. Tertio applicatio quae fit in hac vita per fidem, qua credimus vere nos recipi propter hunc resuscitatum Dominum, et credimus eum esse assiduum intercessorem pro nobis, et nos iuvari ab eo et defendi. Et cum haec fides sit incoatio vitae aeternae in nobis, necesse est eam in invocatione in periculis et actionibus huius vitae quotidie crescere.

Quarto illustria testimonia, videlicet omnium qui viderunt Christum et alios resuscitatos. Fuit enim manifesta et dulcissima familiaritas, per dies 40 Christi et multorum resuscitatorum, cum Maria matre Christi, Apostolis, et quingentis fratribus. Nec ullo unquam tempore a principio generis humani tanta gloria conspecta est ab hominibus in hac carne mortali adhuc viventibus, quantam viderunt sancti illis 40 diebus. Voluit enim per tot dies inter suos commorari et conspici, ut confirmarentur eorum mentes de resurrectione, ac certo statuerent vere revixisse Christum, nec observatum esse inane spectrum, saepe assedisse totos dies apud Mariam, primas illas matronas, Evam, Saram, Rahel, Leam et alias, et singulas de suae aetatis periculis et divinis liberationibus locutas esse, imo ettiam de filio Dei saepe olim conspecto a primis parentibus, et de illa gloria aeternae vitae, qua iam se videbant donatas et ornatas esse. Saepe complexae sunt Mariam tanquam filiam, eique gratulatae sunt quod mater esset filii Dei, et gratias egerunt quod in filii passione ingentes dolores una sustinuisset. Est igitur testimonium resurrectionis, consensus et asseveratio tot hominum, qui his 40 diebus familiares fuerunt Christo et aliis resuscitatis sanctis. Deinde horum testimonium confirmatur omnibus miraculis, quae postea in Ecclesia per Apostoles et alios testes facta sunt. Quinto considerentur dicta Prophetarum de resurrectione, quae ait Lucas, Christum in via ad Emaus enarrasse. Sexto consideretur Apostolorum infirmitas, qui non solum ante resurrectionem valde dubitaverunt, sed etiam postea vix confirmari potuerunt, et tamen in hac infirmitate non abiiciebantur, quia doctrinam et testimonia avide audiebant. Hoc exemplum saepe multumque cogitemus, cum nostram infirmitatem intuemur, et agamus Deo gratias, quod recipit infirmos. Sed sciamus etiam oportere nos dociles esse, audire et meditari Evangelium, et in veris exercitiis magis magisque accedere fidem. Haec sex capita breviter recensui, ut praecipui loci doctrinae de resurrectione magis in conspectu

sint, quorum cogitatio ad alendam fidem, et ad exercitia fidei utilis est. Non recitabo singulas ostensiones, singula colloquia, sed obscuriora dicta ex praecipuis excerpam. Prima ostensio facta est mulieribus, quia ut per eas mors primum pervasit in genus humanum, ita Christus voluit eis primum ostendere restitutionem vitae aeternae, et languidioribus prius opem fert Christus, ut sciamus eum humilia et imbecillia vere diligere, iuxta illud: Calamum quassatum non confringet. Quare autem dicit? Ne me tangas, quia nondum ascendi ad patrem meum, sane miranda oratio est. Sed haec videtur esse sententia praecepti: Reprehenditur mulier, quod desiderio humano expetit complexum Christi, et somniat eum revixisse, ut rursus inter amicos vivat, ut antea, et praesentia visibili se exhilaret, nondum scit fide praesentiam invisibilis Christi deinceps agnoscendam esse.

Nondum enim ascendi ad patrem meum.

Duae sunt interpretationes, quae utcunque declarant hanc connexionem. Usitata haec est: Prohibeo contrectationem corporalem, quia ascendam ad patrem, nec fruemini deinceps hac visibili consuetudine, cui vos multum humanorum affectuum miscuistis. Laetabamini mea praesentia, ut pueri dulcium parentum conspectu, qui sciebatis vos meo patrocinio tutiores esse, sed nunc dabo vobis Spiritum sanctum, cum ascendero ad patrem, ut me alio modo complectamini, ero praesens inter vos, sed fide me cernetis, et fide complectemini, non affectibus puerilibus ut antea. Haec usitata interpretatio facit antithesin contrectationis corporalis, quae fiebat in consuetudine visibili, et fidei complectentis Christum, quia iam non cernitur oculis corporis.

Altera vero interpretatio, ut mihi videtur, simplicior est, quae facit antithesin duarum contrectationum, seu visibilium conversationum. Nunc inquit: Prohibeo contrectationem, quia stulta somnias consuetudinem, qualis antea fuit, quae nondum erat vita aeterna, sed alia erit consuetudo, propter quam missus sum, et nunc revixi, scilicet vita aeterna apud patrem, ibi me et patrem cernes oculis coram, et complecteris. Illud igitur tempus novae contrectationis cogita, nunc nos pueriles complexus et affectus omitte, sic videtur esse concinna connexio: Ne tangas me, quia nondum ascendi ad patrem, quasi dicat: Tunc contrectabis me, cum ascendero ad patrem, videlicet, cum te, et reliquam Ecclesiam adduxero ad patrem. Aliud regnum, alia vita restat vobis danda, in qua fruemini patris consuetudine et mea, et ad hanc sententiam quadrant quae sequuntur.

Ascendo ad patrem meum, et patrem vestrum.

Quasi dicat, aliud regnum, aliam consuetudinem, conversationem et contrectationem expectato. Qualis autem hae sint consolationes, discendum est in assiduis exercitiis fidei et spei, promittit aeternam consuetudinem cum Deo, hanc intuentes, ac sperantes, interim sustineamus labores et aerumnas, et simul sciamus nunc nobiscum esse Messiam nostrum, et fide amplectendum, etiamsi nec cerni corporis oculis, contrectari manibus potest, adest tamen, ut nos gubernet et iuvet.

Sicut misit me pater.

Multa testimonia resurrectionis narrantur a scriptoribus historiae evangelicae, quae meminisse utile est, sed nunc breviter haec quae sunt in narratione Ioannis, percurram. Primo vespere eius diei, quo resurrexerat Christus, venit ad totum coetum Apostolorum, qui una erant Ierosolymae, et cum salutasset eos, et manus et latus ostendisset, in eodem colloquio incipit eis concionari de ipsorum ministerio, dat eis Spiritum sanctum, et addit mandatum de remissione peccatorum, id est, summam Evangilii eis exponit. De his tribus membris ordine pauca dicenda sunt.

Primum sciamus hic confirmari ministerium Evangelii, et promitti efficaciam Dei per vocem omnium docentium Evangelium incorruptum: Sicut misit me pater, et fuit per me efficax, vocavit et collegit aeternam Ecclesiam: ita ego mitto vos, ero per vos efficax, vocabo et colligam aeternam Ecclesiam. Haec sententia congruit cum illo dicto: Qui vos audit, me audit. Hanc doctrinam et consolationem teneamus, ac vere statuamus Deum efficacem esse per vocem Evangelii et velle ut promissionibus Evangelii nos sustentemus, quasi ipse nos sua voce de coelo alloqueretur. Haec consolatio saepe inculcanda et cogitanda est.

Deinde idem dictum affirmat, Apostolos non mitti, ut imperia armis occupent. Et discernit ministerium Evangelii ab imperiis. Expresse enim dicitur: Sicut misit me pater, constat autem

Christum missum esse sine armis et regiis exercitibus.

Tertio, consolatio pro doctoribus et discentibus traditur, quod videlicet, sicut adfuit Christo pater, ita certo adfuturus sit reliquis fungentibus ministerio Evangelii.

Quarto, necessitas serviendi ministerio Evangelii ex hoc dicto discenda est, et taxanda monachorum, et similium opinio, qui putant cultum Dei aut sapientiam esse, fugere publicam administrationem, et abdere se in latebras, iuxta illud: λάθε βιώσας. Cum autem filius Dei ex sua arcana sede prodierit, ut doceret, et ederet testimonia doctrinae, ut fieret victima, et miserit Apostolos, ut ex omnibus gentibus colligeret Ecclesiam, etiamsi hoc sine magnis tumultibus fieri non poterat, ideo nobis quoque praecipit, ut vocati fungamur ministeriis, nec abdamus nos in latebras. Hae consolationes piis utiles sunt, quia saepe nobis obstrepunt hae cogitationes, cur in hanc aciem venisti? cur tanta mole periculorum et miseriarum te onerari passus es? cur non fugis ex his miseriis? vel tandem, quis iuvat te? Adversus has tentationes omnes opponamus has consolationes: Sicut misit me pater, sic mitto vos. Item: Qui me confessus fuerit coram hominibus, eum confitebor coram patre meo coelesti.

Insufflavit in eos.

Brevibus verbis historia gravissima recitatur, quae et testatur Christum natura Deum esse, et significat qualis sit Spiritus sanctus, et quod sit ministerii evangelici gubernator. Primum dare Spiritum sanctum, qui vitam aeternam, lucem, et iusticiam aeternam incoat, est vere et proprie Dei. Hic Christus suo afflatu dat Spiritum sanctum ex sese, ergo vere et natura Deus est. Secundo, qualis sit, docet verbum inhalavit. Etsi perspici divina natura non potest, tamen Deus discernens personas, et sumens imagines a proprietatibus hominis, aliquo modo ostendit, qualis sit natura divina, et qualia sint discrimina personarum. Et cum vocabulis utatur Deus, quae aliquo modo intelligimus, vult nos ita agnoscere et invocare Deum, et cum discernere a commentitiis numinibus. Filius vocatur λόγος et imago patris, significatur ergo, nasci filium cogitatione patris sese intuentis, et gignentis sui imaginem, sicut in homine cogitatione gignitur imago rei cogitatae: Ita in humana cogitatione aliquo modo adumbratur, qualis sit generatio filii, et quod sit imago. Et quia Deus vocabulis utitur sumtis ex humana natura, vult nos hanc similitudinem cogitare, ut aliquo modo discrimina personarum considerentur. Magna est autem dignitas humanae naturae, quod Deus has picturas suae naturae in nobis condidit.

Sic et nomen Spiritus indicat aliquo modo, unde procedat, et qualis sit Spiritus sanctus. Et in hoc Christi exemplo res est illustrior, ut in mente hominis sunt cogitationes et imagines rerum, quas cogitamus: sic in corde sunt spiritus, id est, halitus, et motus, ut in amore, ira et aliis affectibus experimur, ubi cor magno motu fundit spiritus. Ut igitur filius Dei est imago a mente genita: ita spiritus est a voluntate patris et filii, seu amor seu amoris ardor et halitus, quo se pater et filius mutuo complectuntur, et quo angelos et homines complectuntur. Ideo et in hac historia Christus halitu largitur Spiritum sanctum, quia a voluntate spiritus procedit, et cum voluntate cor in Christo copulatum est, in quo ardet amor erga nos.

In hac similitudine, seu pictura multa discuntur. Primum aliquo modo monstratur discrimen generationis, et spirationis in divinitate. Generatio est proprie a mente, spiratio est a voluntate. Deinde significatur, cur filius vocetur imago, quia mens gignit imagines. Item λόγος est filius, quia est imago, significatur etiam magnitudo amoris Dei erga eos, quibus datur Spiritus sanctus. Quia ut spiritus ex nostro corde effusus in osculo nuncius est veri amoris, et transfusio naturae nostrae, ita sciamus verum, non simulatum amorem esse, cum Deus in nos spiritum ex sese transfundit, sicut in Ioele dicit: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Admonemur item quam miranda similitudo sit divinae naturae in homine. Et quantum malum, has Dei imagines, seu similitudines in natura humana contaminare, et a Deo avellere. Haec et alia multa pii hoc loco cogitare possunt considerantes dari Spiritum sanctum ipso halitu. Estque hoc sciendum, cum halitu, seu flatu, seu emissione spiritus corporalis ex pectore Christi, revera simul fuisse ipsum Spiritum sanctum, personam tertiam divinitatis, ut haec vere congruant: Effundam de spiritu meo. Haec breviter recensui, ut lectores invitentur ad piam de his tantis rebus cogitationem.

Quorum remiseritis peccata.

Dixi tria in hoc loco praecipue consideranda esse, vocationem ad ministerium Evangelii, donationem Spiritus sancti, et summam Evangelii. Haec coniuncta sunt in Ecclesia, ministerium, Spiritus sanctus, et remissio peccatorum. Et cum audimus nominari remissionem peccatorum, simul complectamur donationem Spiritus sancti, vitae aeternae, et omnes promissiones proprias Evangelii, quod recepti a Deo exaudiamur, iuvemur, et defendamur a Deo. Denique omnia beneficia Evangelii comprehenduntur appellatione remissionis peccatorum. Nunc igitur summam Evangelii tradit discipulis, cum hanc voluntatem Dei eis exponit, Deum vere auferre, et delere peccata omnium, quibus voce, et ministerio docentium Evangelium, fit remissio. Hic legis et Evangelii discrimen apud se quisque cogitet, ita hic locus fiet illustrior. Lex enim est doctrina praeceptorum Dei, praecipiens quales nos esse, et quae facere, et omittere oporteat, et postulans integram obedientiam, ac denuncians iram Dei, et aeternas poenas omnibus, qui non praestant integram obedientiam. At Evangelium est praedicatio poenitentiae, et promissio exhibens propter Christum gratis remissionem peccatorum, reconciliationem et imputationem iusticiae, donationem Spiritus sancti et vitae aeternae, et has promissiones fide accipi oportet. Cum igitur longissime differant haec doctrinae genera, ut saepe dictum est, diligentissime cavendum est, ne confundantur. Cumque Christus hic det mandata de remissione peccatorum, intelligamus gratuitam remissionem, ut saepe a Paulo declaratur.

Secundo sciamus hoc ipsum ministerii Evangelii, esse ministerium spiritus, id est, Deum vere efficacem esse per hoc ministerium, vere dare Spiritum sanctum, per vocem et agnitionem Evangelii, vere trahere et movere corda, ut fiamus haeredes vitae aeternae. Etsi autem humanae sapientiae valde mirum videtur, res tantas effici per verbum, et non postulandos esse in hac vita alios contuitus Dei, tamen nobis certissimum sit haec ita effici per verbum, ideo scriptum est: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item 1. Corint. 3.: Evangelium est ministerium spiritus. Huc adiungantur et verba Christi hoc loco recitata: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Hic affirmat clare auferri peccatum per vocem Evangelii, quam sonat minister, id est, Deus vere eam approbat, et per eam dat Spiritum sanctum. Haec testimonia de praesentia et efficacia Dei per ministerium, necesse est habere familiarissime nota, ut et nos ipsi in invocando acquiescamus, et hunc Deum intueamur, qui se in hoc verbo patefecit. Et sciamus non quaerendos esse alios contuitus Dei, et execrandos esse furores Enthusiastarum, qui omisso verbo, sibi ipsi fingunt speculationes et afflatus, et aberrant a Deo.

Tertio disputatur hic de privata absolutione, an haec quoque approbata sit hoc testimonio. Breviter respondeo: Ministerium Evangelii est annunciatio remissionis peccatorum, quae offertur omnibus credentibus in Christum. Haec annunciatio potest fieri, aut in genere pro multis, ut in concione ubi audiens, et in vera poenitentia se erigens voce Evangelii, fide accipit certo remissionem peccatorum et Spiritum sanctum, sicut Cornelius et alii in publica concione accipiebant Spiritum sanctum. Aut potest fieri privatim, cum singulis petentibus annunciatur remissio, ut Christus absolvit mulierem in domo leprosi. Et Paulus absolvit, et iubet absolvi incestum. Itaque certissimum est, privatam absolutionem esse Evangelii vocem, confirmatam et hoc ipso dicto: Quorum remiseritis peccata, etc. Semper igitur fuisse eam in Ecclesia manifestum est, nam et Petrus Alexandrinus citat morem Ecclesiae superioris, contra furores Meletii et Catharorum, quae lapsos privata absolutione semper recepit, imo Prophetae eam etiam in veteri testamento, intelligentes Evangelium, administrarunt, ut Nathan privata absolutione annunciat Davidi remissionem peccatorum, Daniel regi Babylonico Nabuchodonosor.

Sed ignari Evangelii, vociferantur solius Dei esse remittere peccata, Haec cavillatio est insulsissima, quia ut in baptismo minister loco Christi recipit hominem, et vere remittit peccata tanquam gerens vice Christi, ita in annunciatione Evangelii, nihil sua aut humana autoritate agit minister, sed pronunciat sententiam a Deo ipsi commendatam. Nec intelligunt, quid sit ministerium Evangelii, qui propter illam insulsissimam cavillationem abolent privatam absolutionem.

Thomas autem unus ex duodecim.

Multae narrationes testimoniorum omittuntur in recitatione Iohannis, quae extant in historiis Lucae et aliorum, quas et nos hic omittemus, et de hac ipsa historia Thomae breviter dicam. Omitto etiam curiosam disputationem, de cicatricibus vulnerum, an hae maneant in corpore resuscitato, ac tantum respondeo, Christum ostendisse se, quia pro sua magna bonitate voluit magnam dubitationem infirmi discipuli sanare. Tres autem hi loci praecipui sunt in hac historia: Primus, magna infirmitas et dubitatio in Apostolis. Secundus, confessio confirmati Apostoli, asseverans Christum esse Deum. Tertius, doctrina de fide, quod recte invocetur Deus, cum tantum fide per verbum eum intuemur, et agnoscimus et compellamus hunc Deum, qui se per Evangelium, et misso filio crucifixo et resuscitato patefecit, etiamsi non accedunt aliae illuminationes, aut novae revelationes.

De hoc articulo valde necesse est omnes invocantes erudiri, quia disputant secum infirmae mentes, quem Deum alloquantur, quomodo eum discernere debeant ab ethnicis et commentitiis numinibus, et an satis sit eum intueri fide agnitum per verbum, sed priores duos locos breviter absolvam.

Exempla dubitationum et infirmitatum in Apostolis proponuntur nobis propter duas causas. Prior est, ut agnoscamus vere peccata reliqua esse in renatis in hac vita, et vere doleamus nos circumferre tantam caliginem et infirmitatem, nec efferamus nos quasi nihil in nobis vitii sit, et quasi Deus iniuste nos oneret poenis, sicut hypocritae fremunt adversus iudicium Dei. Altera causa est, ut cum videmus Apostolos quanquam infirmos, receptos et sanatos esse, sciamus et nos vere recipi et sanari, ideo Paulus ad Rom. 14. inquit de infirmo: Deus enim eum assumsit. Haec consolatio piis grata et necessaria est.

Sed sciamus duplices esse infirmos. Dociles, hi recipiuntur et sanantur, videlicet audientes Evangelium, et suas cogitationes frenantes et captivantes in obsequium Christi. Alii vero sunt indociles, qui pertinaciter anteferunt Evangelio suas cogitationes. Hi non recipiuntur, sed abiiciuntur inter hostes Evangelii. Sicut et ipsi se declarant esse hostes, et discedunt a Christo, ut illi auditores, qui Ioannis 6. dicunt: Durus est hic sermo.

Dominus meus et Deus meus.

De secundo loco. Postquam Christus ostendit se, et magna bonitate sanavit discipuli infirmitatem, sese exhibens contrectandum, iam confirmatur auditor, et tanta lux in eo accenditur, ut profiteatur hunc Messiam esse Deum. Intelligamus enim vocabulum Dei proprie hoc loco, cum testimonia Ioannis 1. et alibi congruant, nec faciamus appellationem ambiguam. Arbitror autem consuetudine Prophetarum iungi duo nomina, Domini et Dei, quia cum in Ecclesia oporteat discerni invocationem et compellationem veri Dei a commentitiis ethnicorum numinibus, Prophetae hunc Deum, patefactum in Israël per verbum traditum Patribus et Prophetis, certo nomine, non usitato gentibus alloquuntur, et iungunt has appellationes Iehova Deus noster, ut in Psalm. 20.: Nos autem in nomine Iehova Dei nostri invocabimus, quasi dicat, huius unius Dei, qui vere Deus est, conditor omnium rerum, qui se patefecit in hoc populo, et dedit promissiones, vere exaudit, iuvat, et salvat.

Beati, qui cum non viderint, credunt.

Dictum est supra hoc in loco tradi doctrinam maxime necessariam de agnitione et invocatione Dei: Quaerunt enim anxiae mentes, quid invocent, quomodo magis invocemus nos verum Deum, quam Plato aut Xenophon, qui etiam cogitant se invocare unam mentem aeternam, opificem et servatricem mundi, et generis humani. Quaerunt idem, an satis sit sic alloqui Deum, intuentes hunc, qui se per Evangelium patefecit, et quomodo de voluntate eius statuere debeamus, et an satis sit acquiescere in verbo Dei. Mallent enim humanae mentes coram cernere visibilem speciem Dei, quam certo intuentes scirent se non aberrare a Deo. Mallent et consolationes audire coram, ut Moyses intuetur visibilem speciem, et de singulis negotiis accipit clara voce Dei traditas sententias. Sic nos etiam coram et familiariter videre et audire Deum cupimus. De his quaestionibus recte erudiri pias mentes necesse est.

Monachi breviter respondent, semper de omnibus his quaestionibus dubitandum esse, an satis sit sic invocare Deum, alloquentes hunc Deum, qui se per Evangelium patefecit, an vero

nos exaudiat, an acquiescendum sit in promissionibus. Ad haec omnia ethnico more respondent Monachi et Mahometistae, dubitandum esse. Econtra vero Enthusiastae et Anabaptistae, cum videant hanc dubitationem ethnicam esse, iubent petere, ut visibilis species nobis ostendatur. Sed error utrorumque detestandus est, et quaerenda vera et firma doctrina de fide, et discendum quid sit fides.

Sic igitur respondeo: Primum non petendam esse speciem Dei visibilem, nec dubitandum esse an recte Deum invocemus, sed tunc vere et recte Deum invocamus, cum mens alloquitur illum Deum, qui se patefecit dato Evangelio, et misso filio Domino nostro Iesu Christo. Haec invocatio discernit Xenophonteam et Paulinam, et placet Deo, et quod satis sit sic invocare, docet hoc dictum: Beati qui cum non viderint, tamen credunt, et congruunt ad hanc doctrinam omnia dicta de fide. Rom. 5.: Fide accedimus ad Deum, et Rom. 10.: Prope est verbum in ore tuo. Tantum nos ad hoc verbum deducit, in hoc vult cogitari Deum, et hac fide eum compellari, nec aliud requirit. Deinde de voluntate plurimum refert hoc firmissime teneri, acquiescendum esse in promissionibus, perinde ac si novae voces de coelo inter tonitrua et fulmina ut in monte Sina, sonarent. Etsi autem difficile est nobis sic acquiescere, et magna lucta est cordis disputantis, an vere haec sit voluntas Dei erga te quoque, quam in promissione tradidit, ut cum dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, et ego reficiam vos, tamen confirmanda est mens dictis de fide, Rom. 5.: Iustificati fide pacem habemus, et similibus dictis.

Nec aliae illuminationes extra Evangelium quaerendae aut poscendae sunt. Haec necessaria et salutaris doctrina de agnitione et invocatione traditur in hoc dicto: Beati qui non videntes credunt, et magis perspicua fiet huius dicti sententia, et fiet illustrior utilitas, si eam saepe cogitabimus inter invocandum.

Caput XXI.

In postremo capite narrat plura facta, in quibus Christus se post resurrectionem Apostolis clarissime ostendit. Nos omnia testimonia collecta, saepe repetamus ad confirmandam fidem nostram. Deinde cum fere in singulis conciones aliquae sint, insignem doctrinam continentes, has quoque contemplemur. In hac historia quae hic recitatur, tres sunt loci praecipui: Primus de ministerio datur mandatum ministris, ut diligant Christum, et pascant Ecclesiam. Secundus de discrimine disciplinae et crucis. Tertius de vocatione, ut suae quisque vocationi obtemperet, nec relinquat suam, aut frangatur animo, etiamsi alium aliter vocari videt.

De primo loco, videlicet de mandatis, quae dantur Apostolis, ut diligant Christum, et pascant gregem, sciamus hic regulam tradi, continentem praecipuas virtutes omnium docentium in Ecclesia. Prior est, ut diligant Christum, id est agnoscant, et vera fide invocent Christum, et diligant eius doctrinam, nec magis ament suam potentiam, opes, voluptates, quam Christum. Hoc fundamentum nisi sit in doctore seu gubernatore, nec doctrinam constanter defendet, nec caeteras partes ministerii fideliter administrabit, ut multi ambitione et cupiditate vindictae, sparserunt et spargunt falsa dogmata, quia magis amant gloriam suam, quam Christum et veritatem Evangelii, et nunc manifestum est monachos, propter quaestum tueri impios cultus mortuorum, et suas Missas, et alias superstitiones. Ut igitur doctores integritatem et fidem in ministerio Evangelii praestent, prius in eis Christus dilectionem flagitat. Haec plana et perspicua sunt, quia nemo fideliter servit ulli domino, nisi diligat eum.

Quod autem ex hoc loco sumta sunt argumenta de primatu Romani pontificis, brevissima responsio est piorum: etiamsi iure divino Romanus episcopus esset summus, tamen necesse esset ab eo dissentire, cum defendat dogmata pugnantia cum Evangelio, et idola, ut Paulus inquit: Si quis angelus de coelo aliud Evangelium praedicabit, anathema sit. Manifestum est autem atroces errores et idola defendi a Romano episcopo, et eius satellitibus. Ita Ieremias, et Zacharias, et alii dissenserunt a suis pontificibus, tametsi manifestum erat Leviticum Pontificem iure divino superiorem esse caeteris sacerdotibus. Hac responsione primum pii se confirment in horum temporum controversiis.

Deinde facile est respondere ad vitiosas connexiones, ad Petrum nominatim dicitur: Pasce oves meas, ergo caeteris Apostolis anteponitur. Neganda est consequentia. Nam alibi communia mandata dantur omnibus, ut Lucae ultimo, et supra in Iohanne: Quorum remiseritis peccata,

remittentur. Nec coniectura illa firma est, Petrus plus diligit, ergo ei tribuitur maior potestas. Potest enim sine potestate maior dilectio esse in privato, quam in gubernatore, denique ministerium Evangelii est mandatum docendi Evangelii et administrandi sacramenta, non est potestas similis politicae. Nam potestas politica habet mandatum tuendi disciplinam et pacem, iuxta certas leges, vi corporali, et habet certum populum, quem cogit ad obedientiam, et potest ferre novas leges congruentes rationi, utiles suo imperio. Non est autem ministro Evangelii talis potestas, non habet autoritatem ferendi novas leges extra Evangelium, nec vi aut excommunicatione cogendi alios ministros ad leges extra Evangelium latas.

Non est igitur fingenda potestas alicuius episcopi similis regno potestati, ut de Romano pontifice fingunt. Haec satis sit de hac quaestione breviter monuisse.

De secundo loco, scilicet de discrimine disciplinae et crucis. Cum esses iunior, inquit Christus, cingebas te ipse, etc. Ut saepe alias, ita et in hoc colloquio taxat Christus stultam persuasionem Petri, qui expectabat iam post resurrectionem Christi illud aureum imperium, quo putabant Iudaei se domitis gentibus summam potentiam et opes possessuros esse. Imo, inquit, nunc initium erit ingentium afflictionum. Antea cingebas te ipse, nunc alii cingent. In hoc loco discernatur disciplina rationalis a cruce. Disciplina est diligentia regendi externos mores, iuxta mandata Dei, hoc est, utcunque seipsum cingere. Etsi autem hanc disciplinam Deus praecipit, ut dicitur: Lex est bona legitime utenti. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit, tamen tantum est externum opus, quod etiam in impiis esse potest. Sed crux dicitur afflictio, non accersita nostra voluntate, sed aut orta a tyrannis conantibus delere Evangelium, aut sequens communem infirmitatem naturae hominum obnoxiae morbis, paupertati, infamiae, et aliis doloribus, non accersitis nostra voluntate. Toleratur autem propter obedientiam Deo debitam, et ad eam obedientiam accedunt fides, spes, et invocatio. Talium afflictionum tolerantia in sanctis vocatur sacrificium et mortificatio, et longe maior et difficilior res est, quam disciplina paedagogica, de qua prius dictum est: Cum esses iunior, cingebas teipsum.

Praemonet igitur Christus Petrum, ut deponas illud dulce somnium de potentia et opibus, et se praeparet ad crucem. Saepe autem alias dictum est, in sola Ecclesia Dei extare doctrinam veram de cruce, et firmam consolationem. Ethnici et alii ignorantes Evangelium, nec causas norunt, unde sint tantae calamitates, tam praestantis naturae hominum, nec norunt efficacia remedia vere sanantia dolores cordis. Sed Evangelium et causas ostendit, et remedia, ac saepe alias integra doctrina de hoc loco recitata est, quam certe oportet omnes semper in conspectu habere, ut teneant in magnis doloribus veras consolationes.

Si eum volo manere, etc.

Dixi in tertio loco contineri doctrinam dignissimam memoria de vocatione, cum diversa sint in Ecclesia dona, et diversae vocationes, ne aut desperatione frangamur, aut invidentia incendamur, propter alios antecellentes, aut prava imitatione seu *κακοζηλίᾳ*, aut *πολυπραγμοσύνῃ*, deserta nostra vocatione, in alienas irruamus, haec late patent in vita, ut exempla ostendunt. Nos quia nostra dona non sunt paria Prophetarum et Apostolorum donis, angimur et dubitamus, an Deo placeamus, an Deus velit adesse nostro curriculo. Haec imbecillitas eiicienda est, et serviendum firma fide, etiamsi dona nostra sunt exigua. Praeterea Cain, Saul, incenduntur invidentia. Hoc malum usitatum est non solum in Ecclesia, sed etiam in aliis hominum coetibus. Pompeius dolet crescere Iulium, et se quasi inferiorem duci, ideo facilius impellitur ad movendum bellum civile, ac ut in imperiis seditiones et bella civilia omnibus aetatibus ex invidia et cupiditate vindictae orta sunt: ita saepe in Ecclesia motae sunt falsae opiniones, et magnae dissipationes factae sunt, ut invidi alios crescentes loco moverent, et ex fastigio excuterent. Sic Arius dolens alium sibi praelatum esse in electione Episcopi, movit certamen de filio Dei. Et haec nostra aetas vidit exempla aliquorum, quos constat tantum livore incitatos esse, ut moverent, aut propugnarent falsas opiniones ad labefactandam eorum autoritatem, qui antecellere existimabantur. Cum igitur valde commune malum sit, invidere melioribus, et saepe horrenda incendia Ecclesiae, et imperiorum inde oriantur, discendum est, quale sit hoc malum, quae sint semina,

quae sint coniunctae pestes, ut maiore prudentia repugnemus omnibus his morbis. Semen est superbia, ut in Saule, Pompeio, et similibus, qui volunt antecellere omnibus. Deinde sequitur invidentia, quae removere parem, aut crescentem conatur: deinde ut antagonista loco moveatur, quaeritur occasio eius premendi, seu confictis calumniis, ut fingit Saul Davidem invadere regnum, se palam arma capiuntur. Haec vitia omnia damnata sunt a Deo, superbia, invidentia, iniuria. Difficile est autem acrib. naturis frenare hos impetus, sed exemplum illustri alieni a superbia et invidentia est Ionathan, hunc nobis proponamus, hunc imitemur. Hic primum est humilis, quia timore Dei agnoscit suam infirmitatem, nec appetit regnum, imo scit nihil esse maius in hominum vita, quam gubernationem praesertim populi Dei. Scit etiam hoc ipsum regnum Dei donum esse, nec invadendum esse ab ullo homine, sed hunc habiturum esse, cui Deus suo consilio traditurus esset, sicut patri Saul tradiderat: deinde non est invidus, postquam videt Davidem a Deo ad hanc gubernationem vocatum esse, non studet eum loco movere, sed cedit ei, et sese ei subiicit, et gaudet alium praestantiorem electum esse, cuius gubernationem videbat futuram feliciorem gubernatione proximi temporis, quam Saul et ipse tenuerant. Postremo nec iniuriis afficit Davidem, sed eum vere diligit, veneratur, et defendit adversus patrem. Idque propter multas causas facit, scit se debere Davidi dilectionem, scit se ei nunc subiectum esse, ut regi, scit etiam propter publicam utilitatem concordiam tuendam esse, et eum regem qui a Deo vocatus est, adiuvandum esse. Has Ionathae virtutes diligenter consideremus, et nostros impetus, si quando aemulationum semina oriri videmus, timore et invocatione Dei reprimamus. Ita Christus revocat Petrum ad considerationem propriae vocationis: Tu me sequere vocantem, nec certato aemulatione aut livore cum alio, si quem tibi praecurrere existimas, etc. Tertium membrum est de prava imitatione, κακοζηλίᾳ et confusione ministrorum, viderunt multi exempla Prophetarum, qui diversis locis sacrificaverunt. Id imitati sunt contra regulam, et putabant se cultum Deo singularem praestare, quia Prophetae ita sacrificaverant, sed imitatio erat umbrae externae, et non prophetici spiritus. Ita omnibus temporibus multi peccarunt in Ecclesia, prava imitatione. Iudaei mactarunt filios abusi exemplo Abrahae, multi deseruerunt coniuges et magistratus, et concesserunt in eremos prava imitatione. Sic prava imitatione creverunt abusus coenae Domini, cumulatae sunt Missae, et secutae venditiones earum. Denique ut in omnibus rebus prava imitatio periculosa, et saepe perniciosa est, ita maxime in cultibus cavendum est, ne stulta imitatio gignat, aut confirmet errores.

Saepe etiam aemulatione ministeria confunduntur, Episcopi omisso munere ecclesiastico, voluerunt pares esse principibus, et saepe concionatores volunt regere politica negotia aularum, aut civitatum, et doctores literarum, cum vident disputationes de religione plausibiliores esse, quam doctrinam inferiorum artium, fiunt subito Theologi. Haec ambitio valde perniciosa est Ecclesiae et universae vitae humanae, ideo frenanda est, et semper tenenda regula: Si illum volo maiorem esse, quid a te, tu me sequere. Suam quisque vocationem intelligat et in ea serviat, eamque ornet, sive sit humilis, sive ardua, sicut usitate dictum est: Spartam nactus es, hanc orna. Hanc metam non tantum humana sapientia, sed multo magis divinis praeceptis circumdatam nobis esse sciamus, quia Petrus expresse praecipit, ne simus ἀλλοτριοεπίσκοποι, et Paulus eruditissime inquit, 1. Thess. 4.: Hortamur vos fratres antecellere magis et singulari studio curare ut quiescatis et agatis propria. Valde significantibus verbis usus est. Profanos homines ambitio invitat, ut extra vocationes erumpant, ut Antonius non contentus est societate imperii cum Octavio, sed solus vult regnare oppresso socio: aut moveant non necessaria, etiamsi superiores vocationes non videntur appetere, ut C. Gracchus multis novis legibus latis turbabat Rempubl. Agraria, iudiciali, et aliis. Est enim vitiosa ambitio, cupiditas gloriae, quae non appetitur ordine, cum videlicet quaeritur applausus qualiumcunque, tentatis actionibus supra vires aut extra vocationem, fiducia propriae sapientiae, aut suarum virium. Hanc vitiosam ambitionem saepe damnat Spiritus sanctus, ut ad Rom. 12.: Dico autem per gratiam, quae mihi data est, omnibus, qui sunt inter vos, ne sentiant de se supra quam oportet, sed sentiant de se modeste, ut cuique distribuit Deus mensuram fidei. Et ad Galat. 6.: Si quis putat, se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum decipit.

Cum igitur haec stulta ambitio malum sit pluribus usitatum, et a multis putatur esse animi magnitudo, Paulus contrariam ambitionem opposuit, id est, contrarium modum quaerendae gloriae, et retinet nomen ambitionis, *φιλοτιμίας*, quod est quidem commune ad vitium et virtutem, etiam veteri more loquendi, sed tamen ideo, ut esset illustrior admonitio, nomen idem retinuit, quod erat apud ambitiosos plausibilius et gratius, quasi dicat, sit sane praeclarum quiddam ambitio seu gloriae cupiditas, nec vitupero gloriam, aut gloriae cupiditatem, sed sit recte ordinata: Gloria est approbatio conscientiae recte iudicantis, et aliorum recte iudicantium. Haec approbatio appetenda est, sed conscientia recte iudicans non approbat impetus eorum qui suscipiunt res supra vires aut extra vocationem, stulta sui fiducia. Nemo recte iudicans laudat Antonium aut C. Gracchum aut similes, sed conscientia recte iudicantis approbat voluntatem servientem vocationi et intra has metas se continentem propter voluntatem Dei, et quia videt, infirmitatem humanam non posse molem gubernationis sustinere. Qualis fuit voluntas Ionathae, ultro credentis regnum Davidi. Talem vult esse *φιλοτιμίαν* in nobis contrariam illi, qua ardent profanae mentes, quae multa movent non necessaria, aut erumpunt etiam extra vocationem. At vos quiescite, inquit, id est, non movete non necessaria, et facite proprias operas, id est, facite officia sua quisque vocationis. Haec tota doctrina de frenanda ambitione et *πολυπραγμοσύνῃ* quam necessaria sit in Ecclesia Dei et in omni gubernatione nequaquam obscurum est. Saepe enim Ecclesiae et imperia ambitione, saepe *πολυπραγμοσύνῃ* eversa sunt. Praemoneri igitur homines utile est, ut errantes impetus coërcere discant, et regant consilia mandatis Dei, timore Dei et fide, invocatione Dei, sicut scriptum est: Commenda Deo vitam tuam, et ipse faciet.

Finis.

XIII. ANNOTATIONES PHIL. MEL. IN EPIST. PAULI AD ROMANOS ET AD CORINTHIOS.

Enarraverat Melanthon Ep. Pauli ad Rom. et ad Corinth. in schola Witebergensi anno 1521 et 22. *Luthero*, in cuius manus venerant chartae, scriptae a studioso iuvene quodam, qui Melanthonem in schola docentem audiverat et calamo suo dicta exceperat, ita placuit argumentum chartarum, ut eas, inscio et invito Melanthone, traderet typographo excudendas. Prodierunt itaque:

Annotationes Phil. Melanchthonis in Epistolas Pauli ad Romanos et ad Corinthios. Impressum Norimbergae per Joh. Stuchs. 10. Kalend. Novembr. Anno XXII. (21. pl. 4.)

Recusus est libellus saepius, videlicet:

1) Annotationes Phil. Mel. in Epistolam Pauli ad Romanos unam, et ad Corinthios duas. Argentorati apud Hervagium, mense Januar. 1523. 8. — Ibid. apud eund. tertia Non. Maii 1523. — item sexto Calend. Sept. 1523. — item denique Cal. Febr. 1524.

2) Annotationes Ph. Mel. — — — mense Martio 1523. 18 pl. 4. (sine indicio loci et bibliopolae).

3) Annotationes — — — — Basileae apud Th. Volff. Pridie Non. Augusti 1523. 19 pl. 8.

4) Annotationes Philippen Melanchthons. Verzeichnung und kürtzliche Anzeygung des rechten und eigentlichen Verstands der Epistel, die St. Paulus zu den Rhömern geschrieben hat. Verdeutscht. (In fine) Vollendet in der Kaiserl. Stadt Augsburg. Anno M.D.XXIII. (1. Alph. 7 pl. 4.) — Annotationes oder Anzeygung Philippi Melanthonis über die erste Epistel St. Pauli zu den Korinthiern. Verdeutscht (s. l.) 1524. 12 pl. 4. — Annotationes — — — über die andere Epistel St. Pauli zu den Korinthiern (s. l.) 1524. 4. 8 pl. (Habentur hi libri rariss. in Bibliotheca Duc. Goth.)

5) Auslegung der Epistel St. Pauli eine an die Römer, und zwo an die Korinthier, gedeutscht. Wittenb. 1527. (1 Alph. 15 pl.) — Vertit librum Joh. *Agricola*, ut ex praefatione eiusdem intelligitur.

Has annotationes operibus Melanthonis propterea inserere noluimus, quod ipse eas non probavit, sed potius repudiavit. Scripsit enim in epistola nuncupatoria quam commentariis suis in epist. ad Romanos, a. 1532 editis praemisit, (vid. Vol. II. p. 601.) de isto libello haec:

„Ante aliquot annos edita est sylvula quaedam Commentariorum in Romanos et Corinthios meo nomine, „quam ego *plane non* agnosco. Hanc ut *opprimerem* paravi enarrationem locupletiorem in Romanos,"

PHIL. MEL.
DISPOSITIO ORATIONIS IN EPIST. AD ROM.

Prodiit hic liber primum:

Dispositio orationis in Epist. Pauli ad Romanos, auctore Philippo Mel. Haganoae per Jo. Secerium. 1529. 8. 2 $^1/_2$ pl. Inscripta est Hermanno, Comiti Novae Aquilae. (Epist. vid. supra Vol. I. p. 1043.)

Recusus est libellus:

1) Dispositio orationis in Epist. Pauli ad Romanos. Autore Phil. Melan., item eiusdem Pauli ad Rom. Epistola versu heroico reddita per Berthramum Damianum *Brunovicanum* (s. ind. loci) 1529. 8. 11 pl.
2) Disposit. orat. — — — Haganoae apud Jo. Secerium, anno 1530. m. Septb. 8.
3) Dispositio — — Witebergae apud Jos. Clug. 1530. 5$^1/_2$ pl. 8. (aucta a Melanthone.)
4) Dispositio — — — (sine ind. loci et bibliop.) 1539. 8. Repetita etiam in Operibus Melanth. Basil. T. II, p. 355. et in Opp. Mel. Witebergae a *Peucero* editis T. IV. p. 3., unde illam hic hausimus.

DISPOSITIO ORATIONIS IN EPISTOLA PAULI AD ROMANOS AUCOTRE PHILIPPO MELANCHTHONE.

Argumentum Epistolae Pauli ad Romanos.

Valde prodest in universae scripturae lectione observare, quod duplex sit iusticia. Altera est politica, sic enim docendi causa vocabimus, cum opera bona, seu civilia, ratio humana efficit. Nec videt aliam iusticiam ullam humana ratio. Itaque iudicat eiusmodi opera sufficere coram Deo ad iustificationem. Nec cultum Dei alium ullum existimat, nisi opera illa civilia praestare, non furari, non occidere, non mentiri, non moechari, obtemperare magistratibus, moderari voluptates. Et talibus operibus statuit placari iram Dei. Interea non videt immunditiem cordis humani, quod vacat metu Dei, fiducia erga Deum, et habet concupiscentiam et omnis generis malos affectus. Semper igitur dissensio fuit piis cum mundo. Pii aliam quandam iusticiam praeter illam hypocrisin operum docent. Mundus contra ita defendit hypocrisin operum, ut doceat illa opera placare iram Dei, et iustificare coram Deo. At Evangelium longe aliam iusticiam ostendit, quae vocatur iusticia fidei. Nam Evangelium docet Christum filium Dei pro nobis datum esse, et iusticiam coram Deo esse, credere quod peccata nostra propter Christum nobis condonentur, seu quod propter Christum recipiamur in gratiam patris. Interea arguit nostra peccata, et non tantum externa delicta, sed etiam immunditiem cordis damnat. Ostendit humanum cor vacuum esse metu Dei, vacuum fiducia erga Deum. Ostendit turpitudinem concupiscentiae flagrantis in membris nostris. Itaque negat nos posse placare iram Dei hypocrisi nostrorum operum, et aliam iusticiam prorsus arcanam et incognitam mundo nobis monstrat, videlicet eam, quam Paulus vocat iusticiam fidei. Atque haec ita concipitur. Cum verbo arguuntur peccata, et perterrefiunt corda nostra, si in his terroribus crediderimus nobis ignosci peccata, et in gratiam patris nos recipi propter Christum, iuxta Evangelium. Ea fides erigit et consolatur perterrefactas mentes. Ea fides est vere iusticia coram Deo. Ea fides placat iram Dei. Nulla nostra opera placare possunt. Et cum fidem concepimus, iam vere scimus Deo nos curae esse, nos a Deo defendi, audemus invocare Deum, et petere et expectare auxilium. Nec sine certamine contingit haec fides. In omni vita dimicare nos oportet cum incredulitate nostra, et haesitantem conscientiam verbo et fide erigere. Haec res prorsus est ignota mundo, qui nullam iusticiam videt, nisi politicam, quare maxima pars hominum hanc doctri-

nam irridet ac damnat non intellectam. Et homines philosophi, si qui volunt videri non abhorrere a Christiana pietate, tamen somniant Evangelium nihil docere aliud, nisi politicam iusticiam, sicut Aristotelis ethica docent, aut Cato, aut Phocylides. Hi sententias scripturae de iusticia fidei, varie cavillantur et eludunt. At sancti viri norunt territis mentibus nullam esse propositam firmam consolationem, nisi in fide. Opera nostra non possunt conscientiam reddere tranquillam, sicut testatur David: Non ingredieris in iudicium cum servo tuo. Cum itaque tanta sit dissensio rationi humanae cum Evangelio, Paulus scripsit epistolam ad Romanos, in qua hanc controversiam complexus est, ut de loco praecipuo Christianae doctrinae non tantum Romanos, sed omnes Ecclesias doceret. Nam nisi hoc loco cognito, non potest intelligi, cur venerit Christus. Voluit igitur Paulus tanquam methodum Evangelii proponere. Quantum autem conducat in omni doctrina methodum tenere, non ignorant homines mediocriter literati. Tota doctrina Christiana versatur circa hunc locum, quomodo coram Deo iustificemur, seu quid sit iusticia Christiana. Haec definitio caput et summa est universae doctrinae Christianae, quare hanc definitionem patefaciendam et illustrandam suscepit. Haec satis sit hoc loco de consilio Pauli, et de argumento Epistolae dixisse.

Propriae pertinet haec Epistola ad genus didacticum, quia finis eius est, ut doceat nos, quid sit iusticia coram Deo. Potest tamen ad iudiciale genus referri, quia hoc quoque ad docendum accommodatum est. Status Epistolae finitivus est. Nam iusticia Dei definitur hoc modo. Iusticia Dei est credere, quod propter Christum recipiamur in gratiam patris, sine nostris meritis, etc. Vocat autem sua phrasi iusticiam Dei hanc, qua Deus reputat nos iustos, seu qua nos sumus iusti coram Deo, opponitur enim carnali seu humanae insticiae, quae sic appellatur ab efficiente causa, qua caro se iustificat, aut iustam efficit.

Et quia optimum interpretandi genus est *οἰκονομίαν* orationis ostendere, seriem omnium locorum, propositionum et argumentorum annotavimus, ut genuina sententia Pauli cerni possit, et intelligi quomodo consentiant inter se singula membra disputationis. Nam conscientiae ita muniendae sunt, ut certo sciant sententiam scripturae de tantis rebus, ut firma et certa praesidia habeant, ad quae in tentationibus se recipiant.

Loci exordii.

Exordium continet locos, quibus benevolentia de more captatur.

Benevolentia.

In priore affectus est, coniunctus cum praeconio Romanorum: Ago gratias Deo, quod creditis. Posteriore loco officium defert illis: Cupiebam ad vos proficisci, ut vos docerem, sed sum impeditus. Et subiectum est legans epiphonema ex generali sententia ex officio Apostoli ductum: Graecis et Barbaris sapientibus et insipientibus debitor sum. Nam boni Episcopi pro viribus iuxta omnes discere cupientes, adiuvare debent, et attemperare se captui discentium. Aliter tractandi sint imbecilles, aliter isti quos apparet esse firmiores.

Attentio.

Est et additus locus attentionis ab Evangelii dignitate: Non pudet me Evangelii, tametsi mundus oderit, aut aspernetur. Quam sententiam confirmatio seu *αἰτιολογία* sequitur, quia Evangelium est potentia Dei, id est, per Evangelium Deus est efficax, movet corda ad credendum, et eam fidem imputat pro iusticia. Et addita est eius rationis comprobatio ex definitione Evangelii, nam Evangelium docet iusticiam, quae coram Deo iustificat. Dialectici caput artis esse docent, recte definire, ac definitionem diligenter inculcare discenti. Hic igitur meminerit lector quid Evangelium sit, quid in summa contineat, quis proprius ac praecipuus Evangelii locus sit. Ita facile intelligi poterit, quomodo a lege, quomodo a philosophia differat. Nam Evangelium patefacit iusticiam fidei, quod coram Deo iusti habeantur, qui credunt se propter Christum in gratiam recipi. Lex aliam quandam iusticiam docet, philosophia civilitatem morum tradit, procul igitur ab Evangelio distant. Quanquam autem infra ponatur propositio, et totius disputationis status aliquanto pluribus verbis demonstretur, tamen et hic exordio summam disputationis, velut proponens, brevibus verbis inseruit, quod Evangelium patefaciat iusticiam, nempe quod credere in Christum, iustificet et pacificet corda.

Propositio.

Fides est iusticia. Additum est Prophetae testimonium: Iustus ex fide vivet.

Propositionis expolitio, et repetitio.

Quia pluribus verbis principalem propositionem, quam modo leviter attigit, explicabit, ideo praeponitur quaedam propositio, per quam gradum ad principalem facit. Est autem velut ex contrario sumta. Homines natura non sunt iusti, nec possunt operibus suis iustificari. Huic deinde opponit principalem propositionem: Fide iustificantur homines. Priorem his verbis proponit. Evangelium arguit omnes homines quod sint impii, seu contemtores Dei et peccatores. Nam Evangelium praedicat poenitentiam, quare statim initio arguit peccata.

Huic generali propositioni est subiecta rhetorica distributio, quae partitur propositionem in membra. Gentes accusantur et Iudaei. Haec membra ordine tractantur, Gentes non glorificaverunt Deum. Amplificat ab effectibus, nam impietatis fructus postea per congeriem recensentur, qui non glorificant Deum traduntur in reprobum sensum, ut ruant in varia peccata, fiant moechi, homicidae, fures.

Caput II.

Obiter hoc loco inseritur occupatio, quare Paulus discedere ab instituta propositione videtur. Diligenter autem consideret lector, ubi Paulus ad propositum redeat, ut perpetuum ordinem disputationis observet. Et tanquam dissimulans egressiones, in quas nonnunquam paulisper expaciatur Apostolus, meminerit principalia disputationis membra, et det operam, ut illa recte connectat et coagmentet. Est autem occupationis sententia. Quomodo arguis omnes homines, cum multi apud Gentes honeste vixerint, ut Socrates, Aristides, Cato, Pomponius Atticus, Iudaei etiam legis opera faciunt. Videtur igitur iniusta Evangelii vox, quod omnes sint peccatores, quod sine Evangelio nemo sit iustificatus. Paulus respondet, eos qui honesta opera fecerunt, tamen fuisse hypocritas. Evangelium autem arguit, non tantum externa delicta, sed multo magis impura corda. Et sumta est occasio occupationis ex illa sententia, reos esse non tantum qui faciunt, sed qui etiamsi non faciant, tamen consentiunt, id est, in corde impuros adfectus habent.

Nostris temporibus quidam similiter disputant adversus eos, qui fidei iusticiam defendunt. Negant omnes homines natura sub peccato esse, et contendunt quod bonis operibus iustificari queant. Hi tantum externam et civilem iusticiam requirunt. At Evangelium ostendit corda esse impia, sine fide, sine timore Dei, propterea aliam quandam iusticiam patefacit Evangelium.

Huic obiurgationi — addita est adhortatio, qua etiam hypocritas vocat ad poenitentiam. Et sicut in locis suasoriis utimur comminationibus, ita Paulus adiecit comminationem. Incredulis ira etc. Et a personis amplificatio accedit, Iudaeos et Gentes pariter iudicari, quia qui sine lege peccant, sine lege pereunt, qui in lege peccant, per legem iudicabuntur.

Sequitur correctio, cum ante dixisset, Gentes sine lege peccare, corrigit et interpretatur id dictum, Gentes habere legem in cordibus scriptam. Et definit eam legem, conscientiae iudicium esse, quae vel excusat vel accusat opera. Hic locus planissime docet, quid sit lex naturae, quam sic vocant in scholis. Est enim iudicium illud naturale mentis, quod vel probat vel improbat opera.

Ecce autem tu Iudaeus.

Redit ad institutam distributionem, ad alterum membrum absolvit, quod Iudaei sint impii, tametsi opera legis faciant. Et amplificat hoc membrum per congeriem multorum vitiorum, et per antitheses, in quibus significat illos foris facere legis opera, et tamen corda immunda habere.

Caput III.

Hic vero magna difficilisque quaestio exoritur. Nam cum pariter condemnet Iudaeos ac gentes, necesse est quaerere, quid conducat lex, cur Iudaei populus Dei vocentur. Si lex non iustificat, quare lata est? Si Iudaei non praestant gentibus, quare vocantur populus Dei? Nihilne inter Iudaeos ac gentes interest? Inseritur igitur paucis verbis haec quaestio. Ad quam bifariam respondet: Et quod mireris, videntur responsiones inter se pugnare. Primum ait, Iudaeos multum praestare gentibus. Deinde velut retra-

ctans proximam sententiam inquit, Iudaei nihil praestant gentibus.

Sed intelligemus has sententias non pugnare inter se, si consideraverimus ubi praestent Iudaei, ubi non praestent. Excellunt, inquit, quod ad promissiones attinet. Num est aliquid habere verbum, ac promissiones ad eos pertinere. Caeterum nihil excellunt Iudaei, quod ad meritum attinet. Non enim iustificatur suo cultu, aut operibus legis. Nondum tamen satis explicat hanc quaestionem, cur lata sit lex, tantum obiter et in transcursu attingit, et significat Iudaeos a gentibus separatos esse, non ut isto cultu mererentur iusticiam, sed quia oportuit existere certum aliquem populum, in quo promissiones de Christo revelarentur, in quo testimonia de verbo Dei manifesta et certa extarent, infra Cap. 5. et Cap. 7. latius exponet, quod lex non sit lata, ut iustificet.

Obiter etiam quaestiones aliae quaedam inseruntur. Si promissiones pertinent ad Iudaeos, cur tam pauci crediderunt? Hanc quaestionem infra in cap. 9. repetit. Nunc velut intempestivam omittit ac properat ad principalem propositionem, ne videatur oblitus instituti sui. Ac sane prudentia est videre quomodo paulisper evagatus redeat ad propositum.

Hic ergo recurrit ad membra distributionis, et ut in Epilogo seu conclusione fieri debet, coniungit utrumque membrum: Omnes homines tum Iudaei, tum gentes sunt sub paccato, id est, sunt rei mortis aeternae, habent vere peccatum, contemtum Dei, et concupiscentiam. Nec possumus a peccato, aut aeterna morte liberari nostris operibus, aut lege. Addit testimonia ex Psalmo et aliunde. Et in fine est addita propositionis interpretatio quaedam, ut intelligamus non tantum aperte flagitiosos accusari, sed etiam illos ipsos, qui bonis operibus conantur mereri iustificationem. Ideo inquit: Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Hanc sententiam in primis oportet meminisse, quia nonnulli hunc Pauli locum civiliter interpretari conantur, et disputant Paulum non hoc velle, quod omnes homines natura sint sub peccato, sed tantum accusare illos, quorum mores aperte mali sunt. Et quia magna huiusmodi multitudo est, aiunt eum synecdoche uti, et omnes arguere, cum interim aliqui boni sint, quorum mores non possint reprehendi, ut Pomponius Atticus, Aristides hos contendunt naturae viribus et operibus iustificari. Sed Paulus hanc calumniam refutat, ac ne quis synecdochen comminisci posset, exceptionem diserte repudiat, et illam hominum partem revocat ad universalem propositionem: Omnes sunt sub peccato. Et quo clarior esset res, non de personis loquitur, sed de re, quae exceptionem videtur parere. Ex operibus legis, inquit, nemo iustificatur. Non poterat magis proprie loqui Apostolus. Et in tanta proprietate sermonis, tamen quaerunt isti quod cavillentur. Hoc ipsum, inquit, quod excipis ego complector, ego accuso, ego damno. Itaque contra Pauli sententiam hoc loco synecdochen confingunt. Sed error inde oritur, quod somniant in Pomponio Attico et similibus non esse peccatum. Et iusticiam Dei vocant tantum civiles mores, non etiam requirunt noticiam Dei, fidem seu fiduciam erga Deum, breviter operibus secundae tabulae contenti sunt, primae tabulae οὐδεὶς λόγος. Non sentiunt peccata esse in Attico, ignorationem Dei, diffidere Deo, vacare metu Dei, confidere propria prudentia etc.

Accedit brevissima occupatio de usu legis. Necesse est enim lectori non stulto in mentem venire hanc quaestionem. Quod si legis opera non iustificant, cur igitur lata est lex? videtur extreme absurdum, legem ferre, si legis opera non iustificant. Paulus respondet et novam ac inauditam mundo sententiam ponit. Lex lata est, ut per eam cognoscatur peccatum, ut arguat peccatum, non ut aboleat. Porro cognoscere peccatum est vere terreri conspectu peccati. Nondum enim norunt peccatum, qui non expavescunt: nondum enim apud se vere sentiunt, quod Deus offensus irascatur. At peccatum est, quod offendit Deum, et cui Deus succenset. Sed de usu legis infra copiose docebit lectorem.

Status totius Epistolae.

Nunc demum pervenit ad principalem propositionem, quae est huius totius Epistolae status. Ut autem architectus totam aedificii formam in animo inclusam habet, et videt quomodo omnes inter se partes consentiant. Ita nos in legendis gravibus disputationibus, omnium propositionum atque argumentorum seriem oportet animo complecti. In primis autem meminisse statum necesse est, qui continet negotii summam, ad quem omnia argumenta tanquam ad caput referuntur. Et quem-

admodum illi, qui iaculantur ad certum scopum dirigunt telum, ita omnis animi cogitatio ad statum, velut ad scopum dirigenda est. Proinde in hac Epistola inprimis observandus est hic locus, haec principalis est totius causae propositio, haec definitio est Christianae iusticiae, quod iusticia sit credere, quod propter Christum in gratiam patris recipiamur, quod Christus sit redemtor et propiciatorium, quod propter eum gratis, sine nostris meritis iustificemur, si credamus.

Propositio aliquanto pluribus verbis vestita est. Accedunt enim circumstantiae. Haec iusticia quae patefit in Evangelio, olim et a Prophetis praedicata est. Item ex contrario. Christus apparuit sine lege.

Est et haec particula inter insignes huius Epistolae sententias magnopere observanda, quod *sine* lege revelata sit iusticia Dei. Docet autem non venisse Christum, ut legem ferret, ut per nostra opera mereremur iusticiam: sed venisse, ut gratis sine nostris meritis credentes iustificaret. Memini scholasticos anxie quaerere, quas leges praeter decalogum antea revelatum, Christus tulerit. Atqui nulla nova lex quaerenda est. Hic manifeste Paulus separat ab Evangelio legem, ac docet Christum adferre iusticiam gratis sine nostris meritis, Christum non esse legislatorem, sed redemtorem. Lex per Moisen data est, per Christum donatur remissio peccatorum et Spiritus sanctus. Addita est circumstantia etiam, ad quos pertineat iusticia revelata in Evangelio. Ait enim in omnes, et super omnes credentes, et repetit primam propositionem, omnes peccaverunt, et omnes sunt vacui gloria Dei, id est, noticia Dei, fiducia erga Deum. Sumsit ornamentum etiam ex typis. Christus est propositus, ut sit propiciatorium, sed per fidem, quasi dicat, Christum esse verum illud propiciatorium, per quod patet aditus ad patrem. Sicut apud propiciatorium in tabernaculo promiserat Deus, se auditurum esse vota et preces pontificis: sed cesso omnes propositionis circumstantias recitare. Non enim scribo commentarium. Caeterum meminerit lector propositionis summam, et eam dialectico more comprehendat. Iusticia coram Deo est, credere quod propter Christum donetur nobis sine nostris meritis iusticia, et remissio peccatorum. Atque haec definitio est iusticiae Christianae. Sic enim docendi causa vocabimus, cum Paulus vocet iusticiam Dei, scilicet, qua nos coram Deo iusti sumus, seu qua nos Deus reputat iustos. Clarius haec intelligentur cum definietur etiam humana iusticia seu civilis iusticia, quae colligitur nostris viribus et operibus, et cum fiet comparatio definitionum. Quantae autem consolationes in hoc loco territis conscientiis propositae sint, nullà vox humana pro dignitate explicare potest. Etiamsi desint opera, tamen credamus nos propter Christum a patre in gratiam recipi gratis. Nam haec iusticia sine lege patefit, blasphemia est in Christum, et propiciatorii prophanatio, non accipere consolationem, non erigi, oblata per Christum iusticia, sed desperare, quia desint nobis opera bona. Est et blasphemia eligere opera hac spe et opinione, ut per ea iustificemur. In hanc sententiam sequitur amplificatio, exclusa est gloriatio.

Sumta est autem amplificatio propositionis ex finali causa. Si opera legis iustificarent, finis operum esset mereri gratiam. Esset et fiducia nostri seu gloriatio finis. Nunc cessante causa, ut aiunt, cessat effectus: operibus nostris adimitur iustificatio. Ergo adimitur nobis fiducia nostri, et gloriatio. Non ideo magis meretur iustificari Ioannes quam Magdalena, quia Ioannes continenter vixit. Atque hic obiter repetitur propositio: Arbitramur hominem iustificari fide, et excludit contrarium, sine operibus legis. Ad hunc modum detrahit fiduciam nostris operibus et satisfactionibus. Sequeretur enim fiducia nostri, tanquam finis, opera si iustificarent.

Brevis occupatio addita est: Num abolemus legem? Nam omnibus sanis hominibus, cum audiunt non mereri nos operibus iusticiam, non magis Ioannem mereri iusticiam, quam Magdalenam: necesse est in mentem venire, quod liceat turpiter vivere, quod lex ita aboleatur, ut peccandi licentia concedatur. Paulus breviter respondet ad hanc obiectionem, nam infra eadem quaestio copiose tractabitur. Imo inquit, non abolemus legem, sed perficimus, quia lex requirit a nobis iusticiam coram Deo. At qui in Christum credit, iam est iustus coram Deo, habet ergo legis finem, tametsi peccatum adhuc in carne haereat. Et tamen idem vere iam agnoscit Deum, vere sentit Deum nobis adesse, servare ac defendere credentes. Haec primae tabulae impletio est. Item concipit omnis generis bonos affectus, ita secundae tabulae obedit, datur enim Spiritus

sanctus, qui novos motus in animis et nova opera parit.

Confirmatio. Cap. IV.

In omni disputatione propositionem sequi debet confirmatio, in qua exponuntur argumenta, quae propositioni fidem faciunt. Et hanc docentium consuetudinem Paulus secutus est. Sic igitur hoc caput legi debet, ut non divellatur a propositione: semper enim oportet propositionem ob oculos versari, ut dialectica consuetudine cum argumentis coniungatur, eaque claudat. Nam Paulus brevi genere orationis usus est, quare vix unquam reperias apud eum integrum syllogismum, habet crebra et densa enthymemata, quae a lectore parum attento non statim cerni possunt, nisi dialectico more distinguantur et explicentur.

Est autem exorsus confirmationem a quadam occupatione, ut viam sibi sterneret ad Abrahae exemplum. Iudaei enim sentiebant Abraham circumsisione et aliis bonis operibus meritum esse iusticiam. Nam cum circumsisio nominatur, totus cultus intelligi debet, et in his etiam opera moralia. Itaque neutiquam obscuris verbis affirmat, Abraham non habuisse laudem coram Deo propter iusticiam carnis, id est, propter honesta opera, quae natura suis viribus efficit. Coram hominibus iustificat civilis iusticia, non coram Deo.

Primum argumentum ab exemplo ductum est, Abraham pater est populi Dei, in quo forma iustificationis proposita est. Porro Abraham fide iustificatus est, igitur et caeteri fide iustificantur, non operibus. Et accedit testimonium ex genesi: Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iusticiam. Definitionem colligit ex verbis scripturae. Nam in sacris literis plurimum valent testimonia scripturae. Nec de voluntate Dei iudicari potest, nisi ex verbo Dei. Ideo convenit allegari scripturam et per eam ostendi, quod Deus pronunciet fidem esse iusticiam nostram, quae ipsi placeat. Quidam βέβηλοι cavillantur hunc locum, et disputant Paulum abuti Genesis testimonio, quia detorqueat ad fidem in Christum, cum illic non fiat Christi mentio, sed posteritatis. Sed illi calumniatores nihil intelligunt fidem esse, nisi historiae noticiam. At scriptura vocat fidem, quae credit Deum esse placatum, propicium, quae confidit auxilio Dei, quae audet expectare et poscere auxilium a Deo. Talis erat Abrahae fides. Et semper ista fides complectitur Christi noticiam, quod pater nos recipiat in gratiam, non propter nostra merita, sed propter Christum. Et norat Abraham promissum semen esse, in quo benediceretur gentibus. Itaque cum laudatur fides Patrum quam in corporalibus bonis exercuerunt, tamen semper coniungi debet fiducia gratiae ac misericordiae Dei. Quomodo enim possunt corporalia bona a Deo expectare isti, qui non sentiunt se habere Deum propicium ac placatum. Norant autem patres omnes se recipi in gratiam a Deo propter promissum Christum, sciebant non placari iram Dei nostris meritis aut operibus. Quoties igitur hic fidei nomen usurpatur, intelligi debet, non tantum historiae noticia quod Christus passus sit, sed etiam causae cognitio, cur sit passus Christus. Nam id quoque ad historiam pertinet. Norunt daemones etiam et impii homines Christum passum esse, sed non credunt sibi patrem propter Christum placatum esse, se diligi ac defendi a Deo. Sed redeo ad Pauli argumentationem.

Postquam recensuit verba Genesis, incipit urgere emphasin vocis, imputare, et definit imputationem esse gratuitam. Ita ex illo loco Genesis nova argumenta nascuntur, dum eum interpretatur, et amplificat. Quod autem imputatio sit gratuita, ostendit ex Psalmo. Erit igitur secundum argumentum ex Psalmo ductum:

Iustificatio est remissio peccatorum:
Ergo iustificatio non contingit ex nostris operibus.

Item, iustificatio est, non imputari peccata: Ergo iustificatio non est ex nostris operibus.

Consequentiae ratio est, quia necesse est omnia opera eiusmodi esse, quae pro peccatis imputari possent, siquidem nihil est aliud iustificatio, quam non imputari peccata. Etiamsi bona opera habeat quispiam, tamen ita iustus erit, si non imputetur peccatum, iuxta Davidis definitionem. Ergo illa ipsa bona opera sunt eiusmodi, ut pro peccatis imputari possint. Mira huius argumenti subtilitas est, et ad consolandas et erigendas territas mentes magnopere conducit, intelligere hanc iustificationis definitionem, quod iustificatio proprie sit remissio peccatorum. Nec intelligi ista possunt, nisi in veris pavoribus et vera poenitentia, ubi facile est sentire, quomodo

nullum opus nostrum sustentet nos et consoletur adversus iudicium Dei.

Tertium argumentum sumtum est ex ordine causae et effectus. Abraham iustificatus est ante circumcisionem, Ergo circumcisio non iustificat. Nam causa prior est effectu.

Et ut cogitationi lectoris tacitae satisfaciat, addit quis sit usus circumcisionis. Est signum, inquit, iusticiae fidei. Hinc discimus, quis sit usus sacramentorum. Sicut verbo fides concipitur, ita signis erigitur et confirmatur. Ut praeclare Augustinus ait: Sacramentum est verbum visibile, docens eundem usum esse verbi et sacramenti.

Quartum argumentum ductum est ex causarum natura. Iusticia est promissa Abrahae, sine lege. Nam lex postea est: Ergo lex non iustificat. Verum hoc argumentum non pertractatur hic, sed in Galatis.

Quintum argumentum est ex causa finali.
Frustra promittitur iusticia, si nos ipsi possumus eam efficere,
Sed est promissa a Deo,
Ergo nos non possumus efficere iusticiam.
Sextum argumentum ex natura relativorum ductum est:
Omnis promissio fide accipitur,
Iusticia est promissa,
Ergo iusticia est fide accipienda.

Hoc argumentum diligenter observandum est ad tractandas promissiones in universa scriptura, ut ubique sciamus fidem requiri, ubi promissiones dantur. Et sciamus fidem non in opera nostra, sed in verbum et veritatem Dei collocandam esse. Adparet etiam ex hoc loco Paulum vocare fidem, non tantum historiae noticiam, sed multo magis fidem quae assentitur promissioni Dei. Augustinus hunc locum alicubi dextre tractavit, et recte perspexit Apostoli sententiam.

Septimum argumentum ex contrariis effectibus sumtum est.
Lex iram parit.
Non igitur parit gratiam.

Antecedens declarari per soriten potest, quem Paulus instituit, sed non absolvit.

Lex cum violatur accusat et perturbat conscientiam.

Perturbata conscientia fugit ac timet iudicium Dei.

Odit igitur Deum. Paulus suo more tantum antecedens enthymematis posuit. Lex iram efficit, consequens non addit. Plus autem lucis haberet oratio, si non interdum relinquerentur huiusmodi mutila argumenta, et pendentia. Quare boni artifices compositionem et periodos adhibent, ad absolvenda argumenta. Porro sententia horum verborum est. Lex iram efficit, id est terrores conscientiae, desperationem, et odium Dei. Hinc facile intelligi potest, quod lex non iustificet, siquidem desperationem et odium Dei, non pacem conscientiae, et amorem Dei gignit.

Conclusio confirmationis est. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio. Hic obiter lectori in memoriam redigit sextum argumentum, promissionem non futuram firmam, si conscientia debeat ad opera respicere. Semper enim ambiget conscientia, an habeat propicium Deum. Semper enim dubitabit, utrum haec opera, quae effecit, sufficiant, si tamen opera aliqua effecerit, in quibus nihil videt vitii. Proinde non habebit conscientia firmam consolationem adversus desperationem, nisi nuda promissione Dei sustentet se. Ad hoc absurdum est, cum Deus promiserit, non confidere veritate Dei magis, quam nostris operibus. Has sententias brevissime complexus est Paulus, cum inquit, ut sit firma promissio.

Post conclusionem amplificat institutum exemplum Abrahem, ex quo propemodum omnia argumenta nata sunt. Et fidem Abrahae gravissimo encomio ornat, ut in hac imagine ostendat, quomodo fides versetur circa res positas extra conspectum rationis, et supra naturam.

Postremo exemplum ad nos accommodat, iuxta artis praecepta, inquiens nostra causa haec scripta esse de Abraham, et formam iustificationis in illo ostensam esse.

Cap. V. *Epilogus.*

In omni disputatione praecipua membra sunt, Propositio, et confirmatio. In quem lectorem semper oportet oculos atque animum defigere. Quare ad reliquas partes contemplandas, ita properent oculi, ut tamen ad superiora membra saepe respiciant. Est autem Epilogus mira arte factus. Primum repetitur propositio, postea amplificatur ab effectibus fidei. Efficit enim fides tranquilli-

tatem conscientiae, et erigit in omnibus pavoribus et afflictionibus. Tertio addita est consolatio.

Propositionis repetitio est. Iustificati ex fide.

Effectus fidei, pax est erga Deum, seu gaudium conscientiae. Ideo sequitur: Pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Pergit effectus commemorare, haec fides sustentat et consolatur nos in afflictionibus. Et hic facit rhetoricam gradationem, seu ut Graeci vocant *κλίμακα*, ut clarius cerni possit, ubi fides exercenda sit.

κλίμαξ.

Tribulatio patientiam.

Patientia probationem.

Probatio spem efficit.

Spes autem non confundit.

In prioribus gradibus ponit causam, cur Deus adfligat, scilicet, non ut perdat, sed ut occasionem habeamus exercendae fidei, et ut in his duretur et confirmetur fides, seu spes. Nihil enim opus est fidem a spe subtiliter divellere, sunt enim cognati affectus.

Addit causam efficientem fidei, nam Spiritus sanctus effusus in sanctos efficit fidem, ut sentiant se a Deo diligi.

Deinde consolatio sequitur, ab amplificatione amoris Dei erga nos sumta. Nam desperabundae conscientiae dubitant de amore Dei erga nos. Has erigit Paulus, amplificatione amoris Dei. Et sunt enthymemata ex maiore ducta. Si recepti sumus in gratiam, cum adhuc peccatores essemus, quanto magis iustificati nunc servabimur? Hoc enthymema repetitur. Et sunt insertae amplificationes ex genere mortis. Nemo cum debet, libenter moritur. At Christus mortuus est pro nobis, quibus nihil debebat.

Hactenus quaestio, Quid sit iusticia Christiana, agitata est, et absoluta contentio, quam sic vocant rhetores. Nam confirmatio, quae est in contentione praecipua pars, pertractata est, et additus Epilogus, qui clauderet disputationem. Nunc veluti novum librum instituet, nam finita contentione, incipit simplices voces explicare, quae in hac controversia praecipuae sunt. Estque haec, ut Aristotelico more dicam, *ἀνάλυσις μεθοδική*. Supra posuit propositionem, omnes esse sub peccato. Nunc dissolvit membra propositionis, et docet unde sit peccatum et qui sint effectus peccati. Docet item, qui sint legis effectus. Item, quid sit gratia. Atque hi sunt praecipui loci doctrinae Christianae, quos qui non tenet, non potest intelligere vel quid sit Evangelium, vel cur apparuerit Christus. Diligenter igitur meminerit lector, superiorem Epistolae partem fuisse quandam contentionem. Hanc vero quae sequitur, pertinere ad eam Dialecticae partem, quae simplices voces definit, ac veluti novum librum esse, qui tamen aliquid lucis afferet contentioni supra absolutae.

Comparatio Peccati, Legis et Gratiae.

Hic incipit de causa peccati dicere: Propterea sicut per unum hominem etc. Et ordine has sententias tradit.

Causa peccati.

Peccatum per Adam propagatum est in omnes posteros.

Effectus peccati.

Per peccatum mors pervasit ad omnes homines.

Αἰτιολογία.

Quia omnes peccaverunt.

Circumstantia quam diu.

Etiam cum lex data esset, tamen manserunt peccatum et mors in mundo, nec abolevit lex peccatum et mortem.

Circumstantia, ad quos.

Mors saevit in illos etiam, qui non admiserunt actualia peccata, ut vocamus.

Hic locus testatur omnes homines nasci cum peccato. Id nunc vocant peccatum originis, Paulus non addidit cognomen, tametsi de peccato originis haud dubie loquitur. Sed apte eodem nomine peccatum originis et fructus complectitur. Postea sancti viri coacti sunt discernere appellationes, peccati originalis et actualis, cum impii Pelagiani nomen peccati detorquerent tantum ad actualia flagitia, non ad naturae morbum, sicut nostra aetate quidam prophani doctores philosophantur.

Unde gratia.

Gratia, et donum per gratiam, per unum Iesum Christum exuberat in multos.

Nomen gratia significat remissionem peccatorum, seu ut grammatice exponam, favorem. Donum per gratiam significat Spiritum sanctum, qui effunditur in corda eorum, quibus peccata remittuntur, qui sanctificat et vivificat et novam

creaturam gignit. Quoties gratiae mentio fit, haec duo complectitur scriptura, remissionem peccatorum, et donationem Spiritus sancti, ut infra rursus in octavo capite clare dicetur. Errant igitur qui disputant aliquos in gratia esse tametsi Spiritum sanctum non habeant.

Comparatio peccati et gratiae.

Longe uberior est gratia, quam peccatum, quia gratia abolet multa peccata, tum originale tum actualia, quantumvis atrocia. Et tametsi peccatum haereat in sanctis, tamen vincit gratiae magnitudo, nec peccatum regnet, et occidat eos, magna consolatio in hoc loco posita est. Nam cum uberior sit gratia, quam peccatum, sentire debemus, nulla tam atrocia esse peccata, quae non superet amplitudo gratiae.

Effectus gratiae.

Gratia non modo peccatum abolet, sed etiam mortem. Si unius Adae delicto mors regnavit, multo magis regnabunt in vita per unum Iesum Christum illi, qui exuberantem gratiam et donum iusticiae accipiunt. Observa in particula, multo magis αὔξησιν gratiae, quod superet peccati vim et magnitudinem.

De lege.

Cur lata est lex? nam ratio humana indicat leges ideo ferri, ut prohibeant peccata. Sed Paulus longe aliter pronunciat de lege: Per legem abundavit peccatum. Hanc sententiam aliquanto post declarabit in 7. capite. Et quomodo valde absurda videtur, nunc statim mitigat ea quae obiici possunt, quae tamen, ut facilius intelligantur, nos antea breviter de legis officio dicemus.

Legis duo sunt officia: Primum est cohercere impios. Vult enim Deus politica iusticia contineri malos, ne noceant: de hoc effectu legis loquitur Paulus ad Timotheum, ubi ait, legem iniustis positam esse. Neque vero haec disciplina est iusticia coram Deo, sed tantum ad politiam ac magistratus pertinet. Et omnes leges latae ab hominibus, ab his qui tenent respublicas scriptae etiam a Philosophis, tantum de hac externa disciplina intelligi debent, quae quidem est necessaria, tametsi non est iusticia coram Deo. Nec Paulus sic intelligi debet, cum ait, lege augeri peccatum, quasi nolit coherceri foris impios et carnales, aut sentiat incitari homines, ut plura delicta foris admittant.

Alterum officium legis est ostendere peccatum, et terrere conscientias. Hoc cum fit, corda naturaliter irascuntur iudicio Dei, et concipiunt odium Dei. Sic lex auget peccatum, ut infra exponet Paulus. Negat itaque disciplinam externam esse iusticiam, et docet legem ut plurimum efficiat, tantum terrere conscientias, et occidere. Sicut ad Corinthos scribit: Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati lex. Hinc quaestiones illae oriuntur in cap. sexto.

Digressio. Cap. VI.

Cum sententia iam posita de lege et operibus valde absurda videatur, reclamat humana ratio. Si nihil prosunt bona opera ad iustificationem, indulgebimus igitur genio, et peccabimus. Satis erit credere in Christum. Ita tandem fiet multo locupletior gratia, quia si pergimus peccare, plura peccata abolebit. Prorsus eadem obiiciuntur et nunc istis, qui defendunt iusticiam fidei. Prudenter enim vidit Paulus, quomodo abhorreat haec doctrina a iudicio rationis. Quidam prophani homines Paulum adeo putant crassum fuisse, ut non viderit se parum consentanea rationi dicere, et miras hyperbolas comminiscuntur, ut medeantur eius orationi, ne dissentiat ab humano iudicio. Ille vero et vidit se aliena a iudicio rationis tradere, et ne quis suspicari posset, has sententias ei λεληθότως et parum animadvertenti excidere, agitat argumentum rationis, et prolixe rhetoricatur, et non tantum illius seculi, sed omnium temporum calumniis respondet.

Prima occupatio.

Obiectio. Si bona opera non merentur iustificationem, pergamus igitur peccare.

Responsio sumitur ex duobus locis. Ex causa finali, et ex causa efficiente.

Ex causa finali fit inversio. Imo ideo iustificati estis, ut bene operemini. Ut si quis hoc modo argumentetur. Labor non prodest aegroto, Ergo etiam curatus nihil agam. Respondendum erit per inversionem ex causa finali: Imo ideo curatus es, ut deinceps labores.

Statim subiicit causam efficientem, ubi quoniam est antithesis, ideo duo membra sunt sententiae. Ego duobus syllogismis includam totam Pauli sententiam.

Syllogismus negativus.

Mortua natura non est efficax:

Vetus natura in vobis est mortua. Nam vetus homo crucifixus est cum Christo:

Ergo vetus natura in vobis non debet esse efficax.

Syllogismus affirmativus.

Nova natura debet habere novos fructus:

Vos non tantum mortui estis, sed etiam vivificati cum Christo, ut in nova vita ambuletis:

Ergo debetis novos fructus afferre et bene operari.

Epilogus est. Non ergo regnet peccatum. Continet autem adhortationem, miscentur enim disputationibus interdum loci suasorii. Propositio est epilogi: Non regnet peccatum etc.

Αἰτιολογία addita est a possibili, seu facili, quia peccatum non dominabitur vobis. Ergo potestis iam bene operari. Antecedentis sententia est. Habetis iam conscientias certas de Dei benevolentia: Certo scitis Deum vobis adesse, vos adiuvare. Non absterret vos peccatum, quia condonatum est. Ad haec non habet vires, ut ad mala opera rapiat eos, qui a Spiritu sancto gubernantur. Fortior est Christus, quam peccatum.

Paulus probat hoc antecedens his verbis: Non estis sub lege, sed sub gratia, Ergo peccatum non dominabitur vobis. Consequentiae ratio esset obscura, si tantum diceret, non estis sub lege. Nunc quia addit: Sed sub gratia, facilis est intellectu: nam sub gratia esse, est habere Deum placatum, defensorem, adiutorem. Is non sinet nos a peccato vinci.

Secunda occupatio.

Et tamen, quia excidit ei nova vox et absurda in speciem: Non estis sub lege, ideo paulisper in ea mollienda commoratur, priusquam a digressione ad institutum redeat. Omnes sapientes viri, omnes qui tenent respublicas, omnes sani homines magno consensu iudicant humanum genus interire oportere, nisi legibus contineretur. Itaque haec tribunitia vox: Non estis sub lege, videtur indigna esse bono viro, et seditiosa et prorsus intolerabilis. Paulus egregie satisfaciet lectori. Sed ego quoque obiter duxi lectorem monendum esse, Paulum hic loqui de lege, quatenus ea conamur mereri iusticiam coram Deo. De politia nihil hic dicit, quam infra amplissimis laudibus ornavit. Nam Evangelium nullo modo dissipat politias, sed maxime munit eas, et praecipit civiles ordinationes religiose servare. Tantum hoc docet, non iustificari nos illa civili iusticia coram Deo. Sed venio ad Pauli responsionem.

Quid ais Paule? Si non sumus sub lege, ergo licentiam das peccandi? Sic enim mundus intelligit legis abrogationem. Hoc loco Dialecticus requirit definitionem, quid sit legis abrogatio, utrum sit concedere licentiam peccandi. Paulus negat concedi licentiam peccandi. Sed addit confutationem obiectionis sumtam non ex definitione, verum ex circumstantia: Quibus sit abrogata lex. Privilegia enim non ad omnes pertinent, sed ad certas personas. Ita libertas pertinet non ad impios, sed ad iustos. Interea voluntas Dei est, ut impii coërceantur, et sint lege tanquam carcere septi.

Ex circumstantia, Quibus.

Unusquisque obtemperat illi, cuius est servus:

Vos estis servi iusticiae:

Ergo debitis iusticiae obtemperare.

Minorem confirmat ex natura oppositorum.

Vos desiistis esse servi peccati:

Ergo estis servi iusticiae. Ut si quis argumentetur: Tenebrae pulsae sunt, ergo lux est. Reliqua oratio in hoc capite est minoris expolitio. Nam multis verbis declarat, quomodo fuerint servi peccati, quales fuerint peccati fructus, quae poenae peccatum sequantur. Item quales nunc parere fructus debeant, postquam agnoverunt Christum. Est autem insita quaedam correctio: Humanum dico. Videt enim Paulus desiderari definitionem, quid sit legis abrogatio: Videt se tantum suasorio argumento uti, cum longior disputatio requiratur. Sed ut temperet se ad captum lectoris, consulto fugit subtiliorem disputationem. Et tamen interim in hoc suasorio argumento urget hoc, quod solis iustificatis lex sit abrogata. Et subindicat, quid sit legis abrogatio. Non est enim concedere peccandi licentiam, sed habere iusticiam, remissionem peccatorum, habere conscientiam coram Deo pacatam et tranquillam, unde fit, ne absterriti Deum fugiant et oderint, sed diligant et ab eo expectent omnia bona, et ei cupide obtemperent. Contra esse sub lege, est a lege coërceri, accusari et condemnari: Odit autem iudicium et

poenam caro, ergo et Deum odit. Itaque Paulo idem est, esse sub lege, esse in carne, esse servum peccati.

Sed initio Capitis septimi clarius tractabitur circumstantia, Quibus. Nam superius argumentum magis ad suasorios locos pertinet. Hoc quod sequitur, magis dialecticum est.

Caput VII.

Qui primi distinxerunt capita, magis secuti sunt numerum versuum, quam materias. Sed lectori videndum est, ne res cohaerentes imprudens divellat. Initium huius capitis ad proximam digressionem pertinet, et continet alteram responsionem, qua satisfit obiectioni, de licentia peccandi. Si non sumus sub lege, Ergo conceditur licentia peccandi. Confutatio supra instituta est, nunc additur altera ratio.

Tantum mortui desierunt esse sub lege:

Ergo ita vobis abrogata est lex, si estis mortificati in Christo.

Antecedens declarat exemplo quodam. Est autem hoc antecedens: Lex dominatur vivis. Exemplum: Mulier alligata est marito, tantisper dum vivit maritus.

Et quia in exemplo duae sunt partes, duo fiunt enthymemata. Sicut mulier si mortuo marito priore, nupserit alteri, iure manet apud posteriorem. Ita vos exemti servituti priori et redacti in potestatem Christi, iure apud Christum manetis. Augustinus valde sudat hic in accomodanda similitudine ad causam, sed facile est videre, quomodo conveniat. Servitutis comparatio est. Sicut mulier uno marito alligata est, sic nos naturae peccatrici dum vivit alligati sumus. Si mulier mortuo marito alteri nupserit, posteriori erit alligata. Ita vult Paulus ostendere nos exemtos a priore servitute, Christo alligatos esse. Neque vero necesse est in similitudine omnes partes ad unguem congruere.

Paulus utriusque enthymematis consequens complectitur, sic inquiens: Itaque fratres et vos mortificati estis legi per corpus Christi, hoc ad primum antecedens pertinet, ut sitis alterius etc. Deinde repetit eadem consequentia, sed cum amplificatione, sumta ex causa, quid lex efficiat in carne viva. Quo loco significat lectori, quid sit legis abrogatio, seu quid sit non esse sub lege. Viventibus in carne opus est lege, ut coërceantur. Sed tamen in iisdem lex exuscitat affectus peccatorum, odium Dei et desperationem. Ubi ergo peccatrix natura est mortificata, quorsum opus est lege, quae vel coërceat, vel accuset? Est ergo esse sub lege, coërceri a lege, condemnari, et incitari ad odium Dei et desperationem. Et legis abrogatio est non concedere licentiam peccandi, sed liberare a damnatione et auferre odium Dei, ac auferre desperationem. Id fit, cum donatur remissio peccatorum. Illa vero contingit carne mortificata in Christo, et fit mortificatio, cum cognito peccato perterrefiunt animi, qui cum apprehendant remissionem peccatorum per fidem, iterum concipiunt consolationem et Spiritum sanctum, qui novam vitam gignit. Et hic est digressionis finis.

De legis effectu.

Quid igitur dicemus? Estne lex peccatum? Hic redit Paulus ad institutam methodum, seu ad comparationem institutam supra in quinto Capite. Et meminerit lector tanquam dissimulata digressione, hunc locum de legis effectu coniungendum esse cum illa methodo.

Et ut fieret illustrior ac conspectior locus, coepit ab interrogatione. Estne lex peccatum? quasi dicat, supra dictum est, peccatum augeri lege: item, modo dixi, quod lex exuscitet affectus peccatorum. Videtur igitur lex malum quiddam esse. Respondet, negans legem malam esse. Et subiicit, quis sit proprius effectus legis, videlicet ostendere peccatum.

Deinde addit rhetoricam translationem, quod lex non augeat peccatum per sese. Transfertur enim culpa a lege, in naturae nostrae vitium, et in ipsum peccatum. Cum enim lex ostendit peccatum, natura irata iudicio Dei, incipit irasci Deo et desperare.

Instituit autem προσωπογραφίαν. Erat enim opus proponere personam, in qua ostenderet effectus legis et peccati. Itaque suum exemplum proponit, et narrationem quandam texit, in qua cerni potest, quid efficiat lex.

Ego vivebam aliquando sine lege, id est, ego eram securus hypocrita: somniabam me legem egregie perficere.

Postea venit lex, tunc enim est vere lex, cum non in parietibus scripta est, sed cum accusat, cum terret.

Hic peccatum revixit, id est, ut vidi me damnari a lege, hic coepit natura irasci iudicio Dei etc.

Conclusio translationis. Lex est bona, sed peccati et vitiatae naturae culpa est, quod non iustificat, tantum terret, et confundit, et incitat ad desperandum. Et hoc ideo fit, ut conspici peccati turpitudo ac magnitudo possit, ut videamus, nobis alia iusticia opus esse, quam legis iusticia.

Occupatio. Quomodo auget lex peccatum, cum coërceat, cum multi legi obtemperantes honeste vivant. Tempestiva occupatio est, et ad hanc disputationem recte intelligendam valde necessaria. Lex, inquit, spiritualis est, id est, lex Dei non est politica tantum, sicut somniant homines, sed requirit affectus, et iudicat affectus. Politicae legis foris coërcent, et his satisfit, cum civiliter vivitur, cum honesta opera in speciem fiunt. Sed legi Dei non satisfit per externa opera. Lex enim requirit noticiam Dei, timorem Dei, fiduciam erga Deum, corda casta, amantia proximi. Non satisfacit lege Dei Pomponius Atticus, aut Pharisaeus ille in Luca, tametsi legis opera diligenter perficiant. Corda enim sunt vacua metu Dei, fiducia erga Deum, amore Dei et similibus affectibus.

Origenes ridicule exponit. Lex est spiritualis, id est, allegorica, cum Paulus supra ex Decalogo posuerit exemplum: Non concupisces. Mihi videtur valde conducere ad perspicuitatem, si per collationem exponatur. Lex est spiritualis, id est, non est tantum politica, spiritus enim significat affectus, seu motus spirituales, qui ad Deum feruntur. Sed Origenes et eius amatores cum audiunt legis mentionem fieri, nihil intelligunt, nisi politica. Cum disputant, Utrum possibile sit naturae viribus legem facere, tantum somniant quaeri de furto, de caede, de adulterio. Primae tabulae nunquam venit in mentem. Sed lector Christianus sciat, Paulum non disputare hic de politia. Alia res agitur, videlicet de iusticia coram Deo. De prima tabula praecipua est quaestio, et de motibus cordis erga Deum. Pudeat homines, qui Christiani dici volunt, sic oblivisci decalogi, ut cum de iusticia Dei disputant, nihil requirant, nisi secundam tabulam, et politica opera. Haec dixi, ut diligentius observet lector, quid Paulus vocet legem, et cur dicat esse spiritualem. Neque nos nunc Origenis interpretationes primi refellimus, sed maximi viri in Ecclesia veteri damnaverunt eius scripta. Sic enim scribit de eo Epiphanius: *καὶ ὅσα μὲν ἐν προσομιλίαις, καὶ διὰ τῶν προοιμίων εἰς ἤθη τε καὶ εἰς φύσεις ζώων τε καὶ τῶν ἄλλων εἴρηται, μέσος φερόμενος, πολλάκις χαρίεντα διηγήσατο, ὅσα δὲ εἰς δόγματα ἐδογμάτισε, καὶ περὶ πίστεως καὶ μείζονος θεωρίας, τῶν πάντων ἀτοπώτατα τῶν πρὸ αὐτοῦ, καὶ μετ' αὐτὸν εὑρίσκεται.*

Ego autem sum carnalis venundatus sub peccatum, id est, mancipium, seu captivus peccati. Haec est collatio nostrae naturae cum lege. Lex est spiritualis, requirit motus spirituales, noticiam Dei, fiduciam erga Deum, obedientiam, patientiam in afflictionibus. At natura nostra carnalis est, carnalia tantum intelligens, tantum appetens carnalia, contemnens Deum, odio habens iudicium Dei, quaerens praesidia vitae carnalia, collocans fiduciam in propriis viribus, iusticia, sapientia, in opibus.

In reliqua parte narrationis describit Paulus, quomodo etiamnum decertet cum peccato. Vult enim ostendere, quod peccatum ita haereat in natura carnali, ut nec renati semel universum exuant.

De gratiae et effectu gratiae.

Caput VIII.

Hactenus de legis effectu dixit, et ostendit, quod lex non iustificet, tantum perterrefaciat conscientias, et pariat odium Dei, et desperationem. Item ostendit quomodo peccatum haereat in natura. Nunc de gratiae vi loquitur.

Propositio: Nulla condemnatio his, qui in Christo Iesu, non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Dixi supra gratiam duo complecti, remissionem peccatorum, seu favorem Dei, et donationem Spiritus sancti. Hic igitur coniungit haec duo Paulus. Primum ait non esse condemnationem. Non dicit, non est peccatum, significat enim adesse peccatum in sanctis, sed remitti propter fidem in Christum. Secundo, id peccatum etiam vinci Spiritu sancto, qui donatur credentibus.

Sequitur seu ratio, seu expolitio propsitionis, de effectu Spiritus sancti.

Quia lex spiritus vitae in Christo Iesu liberat me a lege peccati et mortis, id est, gubernatio Spiritus sancti, qui vivificat, qui fide in Christum concipitur, non sinit dominari peccatum et mortem. Tametsi adsint peccatum et mors, tamen non dominantur. Peccatum non potest adigere ad desperationem, mors non potest absorbere, quia Spiritus sanctus, qui fide in Christum concipitur, sustentat, consolatur, et vivificat in illis terroribus. In vocabulo legis hic *μετάληψις* est: significat enim non scripturam aliquam, sed gubernationem, addit enim, lex spiritus vitae, id est, gubernatio, quae fit per spiritum vivificantem.

Αἰτιολογία ex contrario.

Cum lex fieri non posset propter carnis imbecillitatem, Deus misit filium suum, qui satisfaceret pro peccato, ut iustificatio legis impleretur in nobis, et daretur Spiritus sanctus.

Amplificatio per contentionem seu Antithesin naturalium virium, et efficaciae Spiritus sancti.

Prima Antithesis.

Qui secundum carnem sunt, carnalia sapiunt, amant, quaerunt carnalem sapientiam, iusticiam, tranquillitatem, voluptates, opes. Confidunt rebus carnalibus, humana prudentia, iusticia, viribus, opibus. Tres enim gradus sunt rerum, quas expetit caro. Primus est rerum honestarum, sapientiae et iusticiae humanae. Secundus est rerum utilium, gloriae, opum, potentiae et tranquillitatis. Tertius est voluptatum.

Qui secundum spiritum sunt, sapiunt spiritualia, id est, norunt voluntatem Dei, confidunt Deo, gaudent obtemperare voluntati Dei in cruce etc. Spiritus enim significat Spiritum sanctum, qui effunditur in eos qui credunt. Et Spiritualia significant non ea, quae ratio efficit, sed novos motus, in quibus apprehenditur Deus, qui cum sit spiritus, spiritu cernitur. Caro significat totam hominis naturam, rationem cum sensu et appetitu, *λόγον* et *ὁρμήν*. Et prorsus a Paulo dissentiunt, qui somniant Spiritum significare rationem, et ex Evangelio philosophiam quandam humanam faciunt, nihil praeter rationis opera requirentes. Multa sunt argumenta in hoc capite, quae confirmant quod spiritus non significet rationem. Nam Paulus aliquanto post ait: Vos in carne non estis, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in vobis. Item, si quis spiritum Christi non habet, is non est Christi, Ergo qui spiritum Christi non habet, etiamsi ratione utitur, etiamsi philosophiam sequitur, nondum tamen iustus est coram Deo. Neque vero spiritus Christi significat rationem nostram, sed Spiritum sanctum, infra enim testatur se loqui de spiritu, quem accipiunt sancti. Sed non est huius loci persequi hanc disputationem, tantum monere lectorem volui, ut prophana glossemata repudiet. Nam hoc totum caput Pauli sceleste contaminatum est ab Origene et aliis, cui tanquam iurati in verba Origenis *ὑπερασπίζουσι τῆς φιλοσοφίας αὐτοῦ*: sed horum intempestiva philosophia, dum tribuunt iustificationem viribus rationis, inde oritur, quod nihil requiri putant in homine, nisi civilia opera. Et haec vident aliquo modo in potestate rationis esse. Sic obliviscuntur primae tabulae, quae de timore Dei et fiducia in Deum et aliis spiritualibus affectibus praecipit. At Paulus de tota lege et de iusticia coram Deo, non de politia loquitur. Iam philosophia ipsa clamitat, quod ratio nihil possit de Dei voluntate statuere, quod non possit confidere, nisi rebus praesentibus etc. Sed redeo ad Paulinam Antithesin.

Secunda Antithesis.

Sensus carnis mors est, de noticia et appetitu intellige, quamvis bona noticia rationalis de moribus, quamvis bona opera ratione effecta, sunt mors, non sustenant, non vivificant in iudicio Dei.

Sensus spiritus vita est et pax, intellige de noticia et affectibus. Vero nosse Deum, vere confidere Deo, vivificat, et reddit pacatam conscientiam, et est vita aeterna, ut Christus ait: Haec est vita aeterna, ut noscant te Deum verum et quem misisti Iesum esse Christum.

Ratio Antithesis.

Sensus carnis inimicicia est adversus Deum, qui legi Dei non subditur, neque enim potest legi Dei subiici. Manifesta sententia est, quod naturales hominis vires non possint legem Dei facere. Hic iterum admoneo lectorem primae tabulae, ad quam si respexerimus, facile intelligi poterit hoc quod ait Paulus, sensum carnis inimicitiam esse adversus Deum. Ratio enim nihil statuit de voluntate Dei, non timet Deum, non confidit Deo,

sed confidit rebus praesentibus, humana sapientia, humana iusticia, opibus, viribus.

Apostrophe ad Lectores.

Qui in carne sunt Deo placere non possunt, vos autem non estis in carne, sed spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in vobis. Tantum mutata persona repetit antithesin, et declarat se spiritum vocare, non aliquam rationis partem, sed Spiritum sanctum, qui natura Deus est, donatum credentibus, ut gignat noticiam Dei in eis, gignat novos motus et novam vitam. Et vocat nunc spiritum Dei, nunc spiritum Christi, ut significet et Christum natura Deum esse, quia largitur Spiritum sanctum. Est autem haec personae mutatio quaedam perorationis, quae mox sequitur, παρασκευή.

Peroratio seu Conclusio.

Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Hic finis est methodi, in qua explicavit peccati, legis et gratiae effectus. Nunc postquam lectorem de praecipuis locis doctrinae Christianae docuit, addit perorationem, sed ex suasorio genere sumtam. Semper enim primum docendus est auditor, quid res sit. Postea incitandus est, ut doctrinam ad usum transferat. Est autem haec peroratio initio adhortoria, deinde consolatoria.

Propositio.

Debitores sumus non carni.

Ratio ducitur a praemio et poena: Pertinent autem praemia et poenae in suasoris causis ad locum utilitatis. Dialecticus ad finalem causam accommodat: Si quis hic cavilletur, benefaciendum esse, non metu poenae, sed propter voluntatem Dei, huic nihil respondebo, nisi has argutias in tam gravi causa, intempestivas esse. Sancti in poenis iram Dei cernunt, in praemiis gratiam.

Secunda ratio sumta est ex causa efficiente, et potest in suasoriis ad locum a possibili referri.

Spiritu sancto mortificate actiones carnis, quia Spiritus sanctus est vobis datus, ut ab eo gubernemini. Paulus ponit maiorem et minorem, conclusionem non addit, quam prudens lector facile potest attexere. Properat enim Paulus ad consolationem, ut videbimus.

Filii Dei aguntur Spiritu sancto,
Vos estis facti filii Dei, accepto Spiritu sancto,
Ergo oportebit et vos agi ac gubernari a Spiritu sancto.

Hypocritae ratione coërcent aliquo modo cupiditates crassiores, et quandam simulationem civilium officiorum praestant. At Spiritus sanctus iugulat contemtum Dei, fiduciam rerum praesentium et similes pestes.

Consolatio.

Minori attexit κλίμακα seu gradationem, qua pervenit ad consolationem.

Si sumus filii, sumus etiam haeredes.

Si sumus haeredes Dei, sumus cohaeredes Christi.

Si sumus cohaeredes Christi, ergo similiter pati convenit, ut similiter glorificemur.

Est itaque haec propositio in consolatione: Si una patimur: Si non esset illigata propositio argumento, forma esset magis puerilis: Oportet nos una pati cum Christo.

I. Ratio ducitur a praemiis, quia amplissima praemia contingent. Et amplificat praemia collatione. Nullo modo respondent praesentes afflictiones magnitudini praemiorum et gloriae, quae revelabitur tunc cum redierit Christus ad renovandam totam rerum universitatem. Ex haec circumstantia temporis nascitur ei nova ratio.

II. Ratio, ab exemplo universitatis rerum sumitur. Tota creatura expectat renovationem, interea nobiscum patitur, Ergo et nos non gravemur expectare redemtionem. Est autem gravissimum πάθος, quod naturae rerum tribuit rei maximae sensum, quem humana ratio nullo modo comprehendit. Significat enim ideo dolere rerum naturam, quia interea diabolus et impii abutuntur mundo. Et subindicat futurum, ut hoc abusu liberetur natura rerum. Vide igitur quomodo diversa argumenta ex eadem re ducant ratio et Spiritus sanctus. Epicurei sic ratiocinantur: Impii bene habent, Ergo Deus non curat humana: Paulus contra ratiocinatur. Non est possibile, hanc totam rerum naturam ad abusum conditam esse. Impii nunc abutuntur mundo, Ergo necesse liberato mundo, impios dare poenas.

III. Ab exemplo Apostolorum: Nos qui accepimus primitias Spiritus sancti, angimur, et

cum mundo, cum desperatione et diabolo decertamus, Ergo nec vos abiicite spem, in afflictionibus aut tentationibus.

IV. A definitione spei. Ducitur autem ex causa formali, hoc est, ex modo salvationis, et Syllogismus integer est. Spes est earum rerum, quae non videntur, Vos estis spe salvi facti, Ergo expectare convenit promissa bona. Fortasse sentit conscientia peccatum, diffidentiam et alia mala. Sciat igitur adhuc expectandam esse perfectam iusticiam, et alia bona.

V. Ab auxilio Spiritus sancti in suasoriis causis refertur ad locum a possibili. Spiritus sanctus adiuvat infirmos, Ergo non sinet vos succumbere. Etiamsi caro aegre ferat afflictiones, aegre pendeat ab auxilio Dei, malit habere praesentia auxilia etc., tamen Spiritus sanctus facit, ut obtemperemus voluntati Dei, et ab eo expectemus liberationem. Est et hoc gravissimum *πάθος*: Interpellat gemitibus inenarrabilibus.

VI. A voluntate Dei. Sumitur autem ab obiecto, seu causa efficiente. Et est argumentum maxime proprium huic negotio, quia causa pavoris ac desperationis est, quod videtur Deus irasci ac deserere. Hic igitur contraria causa, contrarium obiectum proponitur. Conclusio primo loco ponitur, afflictiones ad bonum cooperantur. Sequitur ratio ex voluntate Dei.

Quos vocavit Deus, hos vult similes fieri imaginis filii sui:

Filius est per crucem glorificatus:

Ergo et vos per crucem glorificabit. Voluntatem patris in imagine filii ostendit. Et postea addit amplificationem bonae voluntatis Dei ex multis signis collectam, quae ut motum haberet aliquem, crebras interrogationes addit. Plenus enim locus est ardentissimis affectibus, quibus intuens in imaginem Christi et magnitudinem misericordiae, commotus est animus Pauli.

Quid dicemus ad haec? *ἀδύνατον* est, id est, nihil possumus dicere quod efficacius consoletur. Quid dicemus amplius, quid praeterea requiremus? quam ipsius benevolentiam et amorem erga nos? Amat nos, signum, quia dedit filium pro nobis omnibus.

Amplificatio. Omnia cum illo donavit, victoriam adversus diabolum, peccatum et mortem.

Sequuntur reliqua signa. Deus iustificat nos, Christus sedet ad dextram Dei et pro nobis interpellat. Conclusio: Ergo vincemus in afflictionibus, quia Deus diligit nos. Nam amor Dei erga nos maior est, quam ut sinat nos succumbere aut perire. Gradus sunt in interrogationibus, ut sonus orationis esset plenior: quis contra nos, quis accusabit, quis condemnabit, quis separabit nos ab amore Dei erga nos?

Quae tandem oratoria virtus deest in hoc loco, argumenta sumta sunt ex propriis locis. Est enim singularis prudentiae, videre qui sint in causa loci proprii et qui perfectissime docent auditorem, quosque maxime requirit auditor. Sunt autem definitionum et causarum loci maxime proprii. Obiecta sunt causae affectuum, et cient motus animi, quare hic copiose tractat argumentum ab obiecto sumtum. Causa pavoris et diffidentiae est, in animis hominum, obiectum, quod voluntas Dei proponitur nobis abalienata. Paulus contra docet, non esse abalienatam, afflictiones non esse irae signa, sed magis gratiae.

Auget terrores et hoc obiectum: nihil nisi peccatum et mortem sentimus. Nondum sentiuntur iusticia, vita aeterna. Paulus respondet per concessionem ex modo salvationis, ut doceat hos terrores, et peccati sensum, non excutere iusticiam et salutem. Spe enim salvati sumus.

Levant terrores et auxilia, item commemoratio de exitu et praemiis. Nam hoc modo in suasoriis a facili et utili argumentamur. Vidit igitur Paulus, quid maxime prodesset in causa, et haec egregiis figuris ornavit, proposuit exemplum naturae rerum, addidit amplificationes, ubi maxime oportuit. Nam tota res in eo posita est, ut proponatur nobis voluntas Dei non alienata, ut possimus vere statuere, quod diligamur a Deo, quod curet nos, quod non abiecerit nos: ideo amorem Dei erga nos multis verbis amplificat.

Finis methodi.

Caput IX.

Poterat desinere Paulus. Absolvit eam totam iustificationis doctrinam et pertractavit eos locos, in quibus est Evangelii summa, quosque in primis tenere nos oportet. Sed quia hic quaestio oritur de Electione, voluit hanc quoque attingere: quaeritur enim, si nostra opera nihil merentur, cur eligit Deos alios, alios non eligit. Et hanc quaestionem maxime agitabant tunc lu-

daei, ut qui cultum Dei habebant, qui gloriabantur se mereri iusticiam.

Itaque disputabant promissiones de Christo non esse impletas, quia non contigisset ipsis salus et Spiritus sanctus, qui cultum Dei habebant, qui iusticiam mereri videbantur.

Paulus igitur a querela orditur, et deplorat Iudaeorum defectionem. Postea docet, nostra merita non esse causam electionis.

Querela est: Veritatem dico etc. Vehementer doleo quod Iudaei pereunt, ac optarim meo interitu eos redimere. Hic statim subiicit correctionem, Non quod exciderit sermo Dei, id est, non sic sunt abiecti Iudaei, ut nulli queant servari, ut promissiones factae illi populo irritae sint. Imo firmissimae sunt promissiones, quare non dubium est, quin ad hunc populum pertineat salus.

Deinde sequitur Propositio principalis huius disputationis. Non omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël, neque omnes sunt filii, ideo quia sunt Abrahae semen. Sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, filii carnis non sunt filii Dei, sed filii promissionis reputantur in semen. Haec est propositio, sed implicata primae probationi, quemadmodum fieri solet. Infra autem aliquoties in conclusionibus et epilogis repetitur propositio. Conclusio enim nihil est, nisi repetitio status. Est autem haec sententia propositionis: Filii Dei fiunt electione, non natura, aut meritis nostris

De Praedestinatione.

I. Ut autem appareat hanc perpetuam esse scripturae sententiam, ducit argumenta inde usque a prima electione, ubi Abrahae posteritas a reliquis gentibus separata est. Et est primum argumentum. Scriptura inquit: In Isaac vocabitur semen. Ergo filii Dei tantum sunt, qui a Deo eliguntur. Si natura aut merita facerent filios Dei, quid opus esset promissionibus? Cum igitur promissio efficiat, ut aliqui fiant filii, ergo non est res nostrarum virium. Aut si est penes naturam fieri filios, quare Isaac eligitur, Chaldaei, Aegyptii aut alii non eliguntur, qui non minus civiliter vivebant iuxta naturam, quam Abraham, Isaac? Ut si quis ratiocinetur, cur nos ad Evangelium vocavit, non vocavit Alexandrum Macedonicm, Augustum, Socratem, Pomponium Atticum, qui certe non minus civiliter vivebant quam nos. Hic necesse est causam reiicere in voluntatem Dei.

II. Argumentum. Iacob electus est, Esau repudiatur, priusquam aliquid boni aut mali fecissent. Hinc Paulus conclusionem effecit, quae manifeste negat merita nostra causam electionis esse. Ergo opera non erant causa, sed voluntas vocantis. Non addam hic quomodo cavillentur ista nonnulli. Tantum hoc meminerit lector, si opera secutura in vita erant causa electionis, non licuit dicere Paulo, non ex operibus.

Occupatio.

Vidit Paulus hanc de electione sententiam abhorrere a iudicio rationis: ideo argumentum a ratione sumtum obiicit, quo nihil opus erat, si Paulus sensisset merita nostra causam electionis esse. Dicat enim aliquis: Si David et Saul iuxta nihil merentur, iniquus igitur est Deus, qui hunc eligit, illum non eligit. Non videtur haec inaequalitas et *προσωποληψία* in optimam naturam Dei cadere. Si merita omnium paria sunt, cur non sunt paria praemia aut pares poenae? Iudicem maxime decet aequalitas, sic enim inquiunt Graeci: *ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ.*

Paulus mitigat hanc obiectionem hoc modo.
Deus non reddit paria paribus:
Igitur videtur esse iniusticia.

In hoc argumento maior distinguenda erit. Iusticia est reddere paria, cum debitum solvitur. Nam in donando nihil opus est paria dare paribus.

Minor non cohaeret cum maiore, maior enim loquitur de debito. Minor loquitur de beneficiis, quae gratis donantur, Deus non reddit paria, scilicet, quia quibusdam donat salutem. Tunc accusari iusticia posset, si Deus deberet hoc beneficium omnibus, sed quia non debet, non est iniusticia, quod aliquos liberat, misericordia magis est, ut si princeps eximat poenae aliquos condemnatos, clementia erit. Interim non est iniustus, si reliquos similiter condemnatos, non eximat poenae.

Diluit igitur Paulus obiectionem per translationem, eligere est misericordiae, non est debitum. Igitur accusari iusticia non potest. Et citat locum Exodi, ut ostendat gratis donatum beneficium esse, electionem non debitum: Miserebor etc.

Addit Epilogum, in quo ponit principalem propositionem huius disputationis. Nam in epilogis repetuntur propositiones, imo interdum

initio dissimulata propositio, primum in conclusione clare ponitur: Id hic factum est. Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Non nos meremur eligi voluntate aut cursu, hoc est, operibus nostris, sed beneficium est misericordiae Dei gratis donatum.

Citat aliud testimonium, quo probat non esse nostrarum virium, mereri salutem. In hoc excitavi te etc. consequens est, Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat, id est, non est nostrarum virium iustificatio, sed misericordiae Dei, cum non miseretur Deus, perseverant in impietate homines.

Secunda occupatio.

Iterum inserit obiectionem, videtur enim extreme absurdum, dicere, quod non sit nostrarum virium iustificatio. Si nos non possumus iustificari, nisi contingat misericordia. Et misericordiam Deus non impertit omnibus, Cur igitur accussat nos Deus? Inclemens est, qui impossibilia exigit, qui punit homines cum videatur culpa abesse, quia non possunt benefacere.

Nihil respondet ad hanc obiectionem, sed repudiat eam veluti indignam, hanc figuram vocant ἀποδίωξιν, cum argumento difficili nolumus respondere, et, ut videamur consulta praeterire, reiiciamus tanquam intempestivum, aut indignum. Ita hic Paulus significat indignam esse obiectionem, ait nos non debere expostulare cum Deo, quia Deo liceat uti creaturis pro arbitrio. Addit de luto et figulo similitudinem, ut fiat clarior ratio repudiatae obiectionis, videlicet quod nihil debeat nobis Deus, quare non debeamus eum accusare, et tanquam in ius vocare.

Est in hoc loco ἀνανταπόδοτον, quia non videtur absoluta constructio. Si Deus volens ostendere iram, toleravit vasa etc. Circumductio ita erit integra, si repetatur ex superiore, non est tuum reprehendere eius consilium.

Hic incipit recitare testimonia de vocatione gentium, et de defectione Iudaeorum. Supra enim dixi Iudaeos disputasse, quod ad ipsos pertinerent promissiones, non ad gentes, quod ipsi cultu suo mererentur gratiam. Sed hoc scandalum multo etiam magis movit imbecilles, quod tam pauci ex Iudaeis crediderunt. Itaque disputabant hunc non esse Christum, quem praedicabant Apostoli, quia promissiones de Christo ad universum populum, aut certe ad maximam populi partem perventurae essent. Nunc paucos tantum et quidem infimos homines gloriari se adeptos esse tam magnifica promissa. Non videbatur respondere hic eventus tantis promissionibus, quas ad universum populum pertinentes, paucos tanquam per seditionem invadere existimabant. Colligit igitur Paulus testimonia de vocatione gentium, et de defectione Iudaeorum et obiter meritis rursus detrahit honorem.

Caput X.

Supra coepit de reiectione Iudaeorum dicere, in hoc loco consumet et duo sequentia capita: nihil igitur novi hic instituit, sed pergit dicere de Iudaeorum defectione, et aliquanto post testimonia plura recitabit. Sed non potest vir sanctus tantae calamitatis meminisse, seu irae Dei tantae, sine acerbissimo dolore animi, ideo addit affectus, causam etiam erroris ostendit Iudaeis, ut hac sublata, aliquos ad Christum pertrahat.

Initio ἦθος est, seu affectus, Ego optime volo Iudaeis, et pro eis oro.

Causam erroris tollit, putant iusticiam coram Deo esse opera sua. Neque sane potest aliter humana ratio iudicare, quam quod opera nostra et quidem a Deo mandata, reddant Deum placatum.

Obiter hoc loco inseritur collatio iusticia legis et iusticiae fidei. Et sumta est collatio ex definitionibus. Nam cum dixisset Iudaeos nimium tribuere iusticiae legis, profuit addere definitiones iusticiae legis et iusticiae fidei.

Iusticiam legis definit ex verbis Levitici: Qui fecerit ea, vivet in eis. Iusticiam fidei definit ex verbis Deuteronomii: Iusticia fidei est, habere verbum in corde et ore, verbum inquam quod praedicamus de Christo.

Alii aliter tractant hanc collationem. Ego collationis statum positum esse iudico in his membris: Facere, et Verbum habere in corde. Haec membra definitionum opponi inter se arbitror. Vult enim insignem differentiam earum proponere, et diserte docere, quod opera non sint iusticia Dei, ut errorem Iudaeorum clare reprehendere intelligatur. Iusticia legis est facere, id est, externa opera ratione imitante legem efficere. At iusticia fidei est, Habere verbum in corde et ore, quasi dicat: Vos somniatis iusticiam Dei esse opera vestra, Nos vero longe aliam

iusticiam tradimus: non enim instificant opera nostra coram Deo. Alia quaedam iusticia est, qua coram Deo iustificamur, nempe, credere in Christum, hunc quisquis apprehendit, is habet finem legis, id est, summam legis, hoc est, est iustus coram Deo, satisfecit Deo.

Eleganter autem ornavit definitionem ex contrario. Iusticia est, non dicere in corde, quis ascendet in coelum, aut quis descendet in abyssum? hae figurae continent rationes humanas, et depingunt cor incredulum. Nam ratio argumentatur hoc modo: Non possum ascendere in coelum et coram videre voluntatem Dei, ergo non credam me Deo curae esse, non assentiar Deum nos respicere, Deum nobis hoc modo placari iuxta verbum. Nec descendi in abyssum, hoc est, non vidi quomodo mortui degant, quomodo redire ad vitam possint. Igitur non assentiar quenquam reviviscere posse, aut a morte liberari. Ratio enim ducit argumenta ex his, quae sensu comprehendit. Haec impietas cordis haeret in omnibus hominibus natura.

Opponit igitur contrarium, habere verbum in corde, id est, vere assentiri, quod hoc verbum, quod praedicant Apostoli, verum sit, quod propter Christum recipiamur in gratiam patris, quod propter Christum contingat iusticia, vita, propter Christum vere simus Deo curae, quod defendamur a Deo et servemur.

Epiphonema, corde creditur ad iusticiam, et ore fit confessio ad salutem. Repetitur autem effectus fidei, scilicet, quod fides iustificet, non opera. Et additur testimonium ex Propheta: Omnis qui crediderit non pudefiet. Citatur et aliud testimonium: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Suo more annectit gradationem, qua declarat modum iustificationis, et fidei causam, seu quomodo fides concipiatur. Dialectici tradunt soriten versari in causis et effectibus. Est autem sorites gradationi affinis. Ideo Paulus, cum vellet ostendere fidei causam, instituit gradationem hoc modo.

Nemo invocat, nisi credat:
Nemo credit, nisi audiverit verbum:
Non potest audiri verbum, nisi praedicetur.

Non potest praedicari verbum, nisi mittantur a Deo qui praedicent. Et recitat testimonium, in quo Propheta praedixit futurum esse, ut mittantur, qui novum verbum spargant in mundum, in quo annuncientur gratia et pax, non ira. Nam lex antea iram Dei ostendit. Hic de alio verbo vaticinatur Propheta, quod praedicat remissionem peccatorum, et gratis offert iusticiam credentibus. Docet autem fidem sic contingere, si audiamus verbum Dei, et quidam humana voce praedicatum. Est igitur causa efficiens fidei verbum, quo impellit et movet Deus corda ad credendum. Sine verbo non contingit Spiritus sanctus. Et ut ministerium verbi Dei commendaret, addidit missionem quoque.

Multas ac magnas utilitates decerpere pius lector ex hoc capite potest. Supra valde clara ponitur definitio fidei, in qua cerni potest, quid sit fides. Natura enim et vis fidei valde clare depingitur, cum dubitationes illae mentis impiae reprehenduntur. Quis ascendit in coelum? Qua via patet reditus mortuis ad vitam? Est enim fides, quae certo statuit de voluntate Dei, Deo nos curae esse, Deum nobis ignoscere iuxta hoc verbum, tegi et defendi et servari nos a Deo. Item separat iusticiam fidei a iusticia legis, et soli fidei tribuit iustificationem, alteri generi clare adimit.

Deinde gradatio de modo iustificationis, seu de fidei causa magnopere observanda est contra fanaticos homines, qui contemnunt ministerium verbi, qui, omisso verbo, novas illuminationes requirunt, qui suis speculationibus conantur Deum comprehendere, qui somniant Spiritum sanctum concipi aut operari in nobis per nostras speculationes sine verbo Dei, qui somniant Spiritum sanctum concipi per praeparationes certorum operum. Tales haeretici fuerunt olim ἐνθουσιασταὶ, et alii multi. Et nostris temporibus sunt Anabaptistae, et alii qui ministerium verbi contemnunt, et somniant Spiritum sanctum dari sine verbo Dei. Itaque publice prodest hic locus ad retinendum ministerium verbi Dei.

Prodest et privatim in tentationibus piorum. Nam aegre pendet mens a solo verbo, et requirit alias consolationes, illuminationes, non audet se tantum verbo sustentare. Ut igitur sciamus non esse alias consolationes requirendas, iubet nos ad verbum respicere, ac sentire, quod haud dubie haec sit Dei voluntas iuvandi nos, quae in verbo ostenditur. Et ne requireretur alia illuminatio, testatur se loqui de verbo praedicato humana voce, de corporali verbo, quod legitur, quod personat in auribus. Ideo diserte ait Moses: Ver-

bum quod est in ore tuo. Et Paulus: Verbum quod praedicamus. Item, coniungit auditum, praedicationem, et missionem. Et Propheta pedes laudat, ut testetur se laudare verbum praedicatum voce istorum, qui mittuntur a Deo. Hos pedes contaminant et conspuunt isti, qui negant Verbum et Sacramenta prodesse ad consolandas et confirmandas conscientias. Sed haec fortasse convenit in commentario tractare, non in hoc opere, fuit tamen obiter admonendus lector, ne res tantas hoc loco positas negligenter praeteriret.

Postea redit ad Iudaeorum defectionem, cum ait: Sed non omnes obediunt Evangelio, et addit testimonia, quae vaticinantur de Iudaeorum ruina. Nam cum offendat imbecilles paucitas credentium, opus est adversus id scandalum opponere scripturas, ut iudico Dei id accidere sciant.

Caput XI.

Correctio est, in qua mitigat ea, quae de ruina Iudaeorum dicta sunt, et consolatur, ne desperent, ac putent omnes abiectos esse.

Propositio. Non abiecit Deus populum suum.

I. Ratio ab exemplo proprio. Ego sum Israëlita, et tamen credidi, Ergo non est abiectus populus.

I. Ex sententia Eliae ducta. Sicut Eliae temporibus reliquiae electae erant, hoc est, exigua pars populi: sic et hoc tempore reliquiae eripientur ac salvabuntur, hoc est, exigua et infima pars populi.

Addit autem amplificationem de causa electionis, quod merita nostra non sint electionis causa. Et fecit Paulus enthymema prorsus rhetoricum. Sic maxime vocant argumentationem, quae constat ex disiunctivis. Si contingit iustificatio meritis, non est gratia. Si contingit per gratiam, non potest contingere meritis. Sed est gratia, Ergo non possumus mereri. Concludit igitur electos consequi iustificationem. Amplificat antithesi, Caeteri autem sunt caeci facti, habent spiritum compunctionis, id est, iratum et exacerbatum animum. Oderunt Evangelium, quia arbitrantur Evangelio dissipari ipsorum politiam, indigne ferunt ab Evangelio iusticiam et sapientiam eorum damnari, sicut nunc acerbe oderunt nos isti, qui sibi sapientiae et sanctitatis opinionem detrahi putant.

Propositio repetitur. Num ita lapsi sunt, ut tota gens sit peritura? Non. Et additur ratio ex causa finali.

Lapsi sunt aliqua ex parte, ut reciperentur gentes ad provocandos Iudaeos:

Ergo non sunt ideo lapsi, ut haec tota gens abiiceretur.

Antecedens argumenti callide invertitur, ut hinc alia ratio colligatur, quae ostendat Iudaeos non esse abiectos.

Lapsus Iudaeorum non fuit per se causa, cur vocarentur gentes. Sed magis incolumitas Iudaeorum fuit per se causa vocationis gentium: Ergo Iudaei non sunt abiecti. Antecedens probatur ex causa finali vocationis gentium.

Gentes receptae sunt, ut provocent Iudaeos ad credendum christo: Ergo restant Iudaei venturi ad Christum. Quid enim opus esset provocare, si totus populus abiectus esset? Ita ex verbo provocandi, quod est in testimonio Mosi, ratiocinatur reliquos esse electos in populo Iudaeorum. Sed ut inversio melius intelligi possit, abscribam exemplum.

Inopia non est causa laboris.

Spes victus magis est causa laboris.

Dialecticus enim non resistit in privatione, sed quaerit ultimam causam, quam convenit certam rem esse.

Sic lapsus Iudaeorum non coëgit, ut gentes reciperentur.

Sed incolumitas Iudaeorum coëgit, ut gentes reciperentur, quod videlicet reliqui erant in hoc populo electi. Vocat igitur *πλήρωμα* incolumitatem populi, qui catenus est incolumis adhuc, quatenus reliquos habet electos quocunque tempore. Vocat *ἥττημα* quatenus habet damnandos.

Addit *ἀποστροφὴν* ad gentes: Vobis dico etc. Hic proximum argumentum amplificat suo exemplo. Ego etiam, inquit, hoc magis laboro, ut gentes ad Christum pertraham, ut provocem et meo et gentium exemplo Iudaeos. Nam cum videbant Iudaei Evangelium inter gentes efficax esse, cogebantur agnoscere, hunc esse Christum, quem Apostoli praedicabant, praesertim cum de Christo etiam extarent prophetiae, quod gentes ei adhaesurae essent. Et repetit inversionem supra incoatam. Si abiectio eorum esset reconciliatio mundi, id perinde esset, ac si vita ex morte sumeretur. Nam *εἰρωνικῶς* absurditatem vult significare, quasi dicat, Absurdum esset sen-

tire, quod abiectio Iudaeorum profuisset. Id perinde esset, ac si quis diceret, mortem prodesse. Nos utemur nostro exemplo. Absurdum est dicere, inopiam prodesse, magis convenit ut dicamus, spem rei bene gerendae prodesse. Ita Iudaeorum casus non profuit per se. Alia causa quaerenda est, quae profuerit, videlicet voluntas servandae gentis.

IV. Argumentum, ex promissionibus ad gentem pertinentibus. Primitiae sunt sanctae, Igitur et massa sancta est. Radix est sancta, Igitur et rami sunt sanctae, id est, promissio patribus facta est, Igitur ad eorum posteritatem pertinet.

Sequitur adhortatio ad gentes, ne contemnant Iudaeos, neve putent gentes praelatas esse, quia meliores fuerint Iudaeis, aut arrogent sibi aliquam meriti laudem.

Propositio habet antithesin. Ne sis superbus, sed time. Ratio ex maiore. Si non pepercit Deus Iudaeis, qui erant peculiaris populus Dei, multo minus tibi parcet, si abieceris timorem ipsius.

Inserit obiter vaticinium, quo probat non esse abiectos Iudaeos, quia sint reliqui in eo populo electi, qui subinde sint credituri in Christum, dum Evangelium inter gentes praedicatur. Et confirmat Esaiae testimonio, quod reliqui sint electi. Christus delebit peccata Iacob, Ergo necesse est aliquos posteros Iacob converti ad Christum.

Conclusio.

Iudaei sunt inimici, quod ad praesentem statum attinet, ut per eam occasionem gentes vocentur. At sunt amici secundum electionem.

Ratio, quia dona Dei et promissiones Dei non mutantur. At Iudaei habent promissiones, habent igitur et electos.

Epiphonema. Conclusit Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur. In hoc epiphonemate colligit pares esse causas Iudaeorum et gentium, ut utrisque adimat gloriam meriti. Caeterum uberrima consolatio proponitur in hac sententia. Cum cernimus peccatum, interpretamur signum irae ac damnationis esse. David cum considerat adulterium suum, iudicat se lapsum esse, quia sit abiectus a Deo. At Paulus mutat hanc peccati significationem. Peccatum admonet misericordiae. Ideo lapsus est David, non quia abiectus erat, sed ut gloria misericordiae Dei fieret illustrior, neve tribueret honorem meritis. Propemodum habet similem usum haec sententia, ut illa: Vivo ego, nolo mortem peccatoris. Ubi iureiurando testatur Deus, se velle ignoscere. Necesse est autem, ut Deo, et quidem iuranti, credamus. Ita in hac sententia promittitur omnibus misericordia. Et ne quem absterreret peccatum, significat hoc ad gloriam misericordiae pertinere, non ad iram, quod sub peccatum conclusi sumus, si tamen Christo credimus.

Postremo adiecta est exclamatio, seu potius admiratio. Nam Apostolus miratur Dei consilium, quod exiguam partem hominum, quod hos qui non praestant ingeniis aut sapientia ad Evangelium vocat. Vetat autem scrutari causas, et iubet cedere sapientiae Dei, ac detrahit honorem meritis.

Hactenus doctrina de iustificatione tradita est et agitata propositio, quod iustificemur fide, non operibus nostris. Meminerit autem lector hunc esse praecipuum Evangelii locum, sine quo intelligi non potest, cur venerit Christus. Venit enim non ut legem ferret, ut certis operibus insticiam mereremur, sed ut donaret gratis iusticiam et Spiritum sanctum credentibus. Et Evangelium proprie vocari debet, haec de iustificatione doctrina, et prudenter a lege discerni. Et quia hic locus nusquam perinde illustratus, ut in hac Epistola danda est opera, ut eam nobis quam familiarissimam faciamus. Porro ut architectus totius formam aedificii in animo complecti solet, ita nos totius scripti tanquam ideam, quandam in animum includere debemus, ut Apostoli sententiam penitus perspiciamus. Ad eam rem multum conducet in tam longa disputatione nosse seriem omnium partium ac sententiarum, quare spero hanc meam operam studiosis iuvenibus profuturam esse. Semper autem in hanc Epistolam intueri nos oportet: semper oportet habere positam ob oculos hanc sententiam, quod fide in Christum iustificemur coram patre. Non enim poterit conscientia pacata esse, nisi teneat hanc sententiam. Quoties orabimus, primum in hanc Epistolam intuendum est, ut erigamus nos ac sciamus nos exaudiri, si credimus in Christum non propter merita nostra. Nam nisi huc respicimus,

absterrent nos peccata nostra, ut neque expectare quidquam a Deo audeamus. Olim ita legebatur haec Epistola, ut illa tam longa disputatio superior nihil ad nostra tempora pertinere putaretur: sed dicebatur esse scripta propter rixas illorum temporum de Iudaeorum ceremoniis. Nos vero sciamus, ut Evangelium ad omnes aetates pertinet, ita hanc Epistolam ad omnes aetates pertinere, quae praecipuum Evangelii locum explicat. Est autem hic mos Paulo, ut initio tradat doctrinam iustificationis, quae contigit per fidem. Postea subiiciat praecepta de moribus. Quanquam enim non iustificant opera, tamen quoniam in corpore degimus, sine operibus haec vita transigi non potest, et fides debet se exercere ut ostendere in cruce et bonis operibus. Sequitur igitur tanquam novus liber, continens legem magis, quam Evangelium. Et quia legis doctrina non ignota est humanae rationi, ideo multae sententiae reperiuntur in Hesiodo, Phocylide et aliis, similes his quae sunt apud Paulum. Neque ideo putandum est nihil interesse inter Christi doctrinam et philosophiam. Legem enim seu praecepta de moribus potest philosophia aliqua ex parte tradere. At Evangelium prorsus non novit humana ratio, quod gratis coram Deo iustificemur, cum credimus nos in gratiam a patre propter Christum recipi. Quid autem efficiat lex, supra dictum est. Et tamen Apostoli cum tradunt praecepta de moribus, longe aliter tradunt, quam Philosophi. Multas enim sententias aspergunt de voluntate Dei, et de Christi beneficiis. Ad haec docent in his insidiis diaboli, non posse nos mores regere, nisi spiritu Christi gubernemur et fide resistamus diabolo.

Caput XII.

Superiorem Epistolae partem collocavimus in genere iudiciali, versatur enim in docendo. Sequentia capita, quae sunt velut appendix illius disputationis, pertinent ad genus suasorium, quia continent praecepta de moribus. Nec opus est hic subtiliter quaerere rationem dispositionis. Non enim perinde cohaerent membra, ut in disputatione, sed singula praecepta, novae propositiones sunt, aut si quis hoc mavult, novi libri. Et tamen si quis in tanto acervo, methodum aliquam aut rationem tenere cupit, ut in pauca capita conferre, et ordine complecti omnia praecepta possit, is habet Pauli exemplum, qui contrahit omnia in secundam tabulam decalogi. Nam doctrina fidei, in qua superior Epistolae pars consumitur, pertinet ad primam tabulam. Neque sane methodus de moribus ulla magis exacta concipi potest, quam decalogus est.

Nos tamen etiam partiemur praecepta, iuxta vitae genera. Ut enim alia est privata vita, alia publica, seu ut Philosophi appellant politica, ita duplicia hic praecepta sunt. In duodecimo capite recitat praecepta magis ad privatam vitam pertinentia. Sequens caput ad politicam vitam pertinet, docet enim nos de magistratu. Caput 14. de scandalis admonet, ne offendamus libertate nostra imbecilles fratres. In reliquis duobus capitibus pollicetur, ut fit in epistolis, officium suum Romanis, et adscribit salutationes.

Propositio generalis est complectens crucem et bona opera. Praebete corpora vestra hostiam Deo, et cultum rationalem etc. Hic vides aliter tradi praecepta a Philosophis, aliter ab Apostolis. Nam Paulus inserens amplificationem propositioni, fidem etiam requirit. Significat enim opera et afflictiones debere hostias esse. Non sunt autem hostiae apud impios. Sed apud hos qui credunt Deo placere afflictiones nostras et opera, quia Christi membra sumus, et gubernari a Deo, tum afflictiones nostras, tum opera. Et λογικὴ λατρεία opponitur non modo pecuinis victimis, sed etiam omnibus humanis exercitiis et operibus, quae sunt sine timore Dei et sine fiducia. Nam λογικὸν non significat hominem, ut in scholis hominem describunt, animal rationale, sed significat cogitantem, ut sit λογικὴ λατρεία, in qua cogitatur, seu cernitur, seu apprehenditur Deus per verbum ἄλογος latria, cum corda non sentiunt timorem Dei, non eriguntur fide, non norunt Deum, etiamsi egregia opera praestent conatu rationis, cum interim dubitent, an respiciat nos Deus, an exaudiat etc.

Deinde recenset praecepta, in quibus non sine magna causa primo loco posuit, ut suae quisque vocationi serviat, et nihil sine verbo Dei doceat, nihil suscipiat sine mandato Dei.

Postea commemorantur varia officia caritatis, et ad extremum prohibet vindictam. Ubi meminerit lector, privatam vindictam prohiberi. Nam Evangelium non prohibet vindictam legiti-

mam, quae a magistratibus exercetur, sed approbat eam, et amplissimis laudibus ornat, ut ostendet proximum caput.

Caput XIII.

Propositio. Unusquisque obediat suo magistratui. Rationes addit ductas ex dignitate magistratus, et ex poena quae ulciscitur contemtum magistratus. Hic rursus apparet Paulum aliter tradere praecepta de moribus, quam tradunt Philosophi. Docet enim nos de voluntate Dei, quod *πολιτεία* sit ordinatio divina, sicut vices temporum, hyems, aestas, dies, nox et hi perpetui cursus ac motus siderum, a Deo, et conditi sunt, et conservantur. Ita ordinavit Deus et conservat *πολιτείαν* in mundo, magistratus et leges.

Multi fuerunt fanatici homines etiam nostris temporibus, qui contenderunt non licere Christiano gerere magistratum, quia Evangelium saepe prohibeat vindictam. Itaque magistratum senserunt latrocinium ac iniustam vim esse. Adversus hanc impiam ac seditiosam opinionem munit nos Paulus, ac docet magistratum, esse ordinationem divinam, seu opus Dei bonum, quare fit, ut hi qui gerunt magistratum, tractent officium licitum et honestum.

Nemo verbis consequi potest quantas afferat utilitates, tum magistratibus, tum subditis haec doctrina. Nam magistratus bona conscientia suum officium facere possunt, cum sciunt, suum vitae genus, suam procurationem Deo placere. Et audent a Deo expectare ac petere auxilium, quoniam ipsius gerunt vicem, ut defendat et gubernet suos ministros. Nulli exercitus, nullae arces, magis munire principes in tot periculis et insidiis diaboli queunt, quam haec fiducia auxilii divini. Deinde nulla ratio efficacius movet animos hominum, ut magistratui pareant, quam si sciant Dei ministrum esse, et venerandum esse, ut alias res sacras, et hanc obedientiam non hominibus, sed Deo praestari. Ut sacris ceremoniis honorem habemus, quia verbo Dei nobis commendatae sunt, et certa beneficia Dei nobis per eas exhibentur: ita magistratui habent honorem piae mentes, quia verbo Dei commendatus est, et agnoscunt beneficia Dei, ius, et tranquillitatem per illos nobis contingere.

Ad haec intelligunt non posse humana vi magistratum opprimi, quia sciunt eum a Deo defendi. Et quia poena seu vindicta opus Dei est, nihil dubitant quin seditiosi poenas daturi sint, etiam si vires magistratui ad puniendum deesse videantur. Ad hunc modum alit reverentiam erga magistratus et leges haec Pauli doctrina. Quid simile in Platonis republica legitur? Paulus docet leges et magistratus ordinationem Dei esse. Plato damnat praesentem reipublicae formam, fingit novam *πολιτείαν*, et nihil congruentem ad rationis humanae iudicium, dicit convicia regibus, tanquam scurra.

Et extant quorundam libri scripti his proximis annis, ubi falso irridentur principes, saepe etiam vitae genus taxatur, tanquam pugnans cum Evangelio. Et natura moventur omnes homines, cum vitia principum considerant, cum regnorum mutationes intuentur, ut suspicentur humana violentia sine consilio Dei imperia et constitui et retineri. Adversus huiusmodi scandala opponendus est hic Pauli locus, ut assuefaciat nos, ut ex animo magistratus vereamur, et magnificiamus. Et optarim hos qui docent Evangelium, hunc locum diligenter et sedulo tractare et illustrare. Caeterum quod vindicta alicubi prohibetur, id tantum de vindicta privata intelligi debet. Nam hic diserte excipiuntur magistratus, vindicta appellatur divina, quam exercent magistratus, ut sciamus vere opus Dei esse administrationem politicam.

Est et emphasis in voce: Ordinatae sunt. Nam ordinatio significat formam imperii, hoc est, leges, iudicia, poenas, contractus: proinde adprobat non tantum magistratus, sed leges etiam et totam formam reipublicae, scilicet coniugia, rerum divisionem, contractus, iudicia. Haec omnia complectitur, ut sciamus nos civilibus rebus bona conscientia uti posse, sicut utendum est victu, vestitu, aëre, luce. Neque sane minus ad vitam corporalem existimemus necessarias esse civiles ordinationes, leges, contractus, iudicia, magistratus, quam victus est, aut aër quem haurimus. Quare non cum magistratibus, sed cum tota natura humana bellum gerunt Anabaptistae et alii, qui publicas leges vituperant, qui damnant iudicia, qui somniant pietatem, et quam proclive sit hic errare. Quare duxi monendum esse lectorem, ut hoc loco muniat pectus adver-

sus fanaticas opiniones, quas serit diabolus, ut Evangelium reddat invisum, et ut excitatis seditionibus dissipet Ecclesias et respublicas.

Doctrina Christiana hoc nomine fuit invisa magnis viris inter Ethnicos, quod vindicta prohibita indicabant magistratus et iudicia e repub. tolli, impunitatem improbis et facinorosis concedi, et vincula pacis et civilis societatis rescindi. Ad haec putabant in Evangelio Platonicam quandam communicationem facultatum praecipi, quae prorsus a natura humani generis abhorret.

Hic nostri laborant in confutando. Nonnulli respondent haec praecepta ad perfectos pertinere, ne vindictam exerceant, ut communicent facultates, fingunt circulos, alios imperfectorum, alios perfectorum, sed haec non satisfaciunt adversariis. Et donec haeret in Ecclesia opinio, quod perfectio sit in huiusmodi operibus, nunquam deest materia tumultuum. Exoriuntur enim fanatici homines, qui improbant magistratuum officium, qui damnant civilem vitae consuetudinem. Tales opiniones sparsae in imperitos, multorum conscientias perturbant, et maximos motus cient.

Quare utile est hos errores radicitus ex animis hominum evellere. Id ita fiet, si recte doceantur homines de iusticia fidei, quod perfectio non sit in externis vitae observationibus, sed in timore ac fide, quod liceat in externa consuetudine vitae uti omnibus civilibus rebus, sicut victu aëre, et similibus rebus naturalibus, quod Christus iusticiam aeternam tradat, quae contingit per fidem. Interea non aboleat civilia officia, sed maxime probet et requirat ea, et velit nos religiose servire politicis ordinationibus. Cum cognoverint homines, quid sit regnum Christi, et quid intersit inter regnum Christi, et regnum mundi seu *πολιτείαν*, et quod Evangelium severissime praecipiat, ut honos habeatur potestati, ut ex animo et cum timore Dei obtemperemus, ea res plurimum ad retinendam publicam pacem, et dignitatem magistratuum profuerit. Porro haec Epistolae Pauli copiose nos de utroque regno docet, quit sit regnum Christi, et quid de politia sentiendum sit. Ac possit aliquis hoc modo partiri Epistolam, quod in priore parte doceat nos de regno Christi, in posteriore doceat de politia. Olim uterque locus in doctrina Monachorum iacuit obrutus plusquam Cimmeriis tenebris. Nunc Dei beneficio iterum patefacti et illustrati sunt.

Quorsum autem pertineant sententiae de vindicta, saepe alias diximus. Maxime enim ad confirmandos magistratus valent. Toties idem repetit Christus, ut discant discipuli non esse violandos magistratus. Prohibet enim illis vindictam, qui non sunt in magistratu, quique somniabant novum regnum mundi. Sicut adhuc Iudaei sperant se imperio orbis terrarum potituros esse. Hunc errorem voluit Christus eximere discipulis, quare toties vetat ulcisci. Sed de his sententiis alibi diximus. Itaque cum magistratum, cum fasces, cum imperii signa intueris, cum audis leges recitare, cum vides exerceri iudicium, aut lege homines inter se contrahere, memineris haec esse Dei ordinationem, quam nisi a Deo conservaretur, non posset consistere adversus diaboli saevitiam, qui cum sit homicida, assidue incitat improbos ad perturbandam hanc pulcerrimam harmoniam humani generis. Itaque agas gratias Deo, qui ut perpetuum solis cursum, ita *πολιτείαν*, ordinavit, et ores ut tranquillitatem retineat, et gubernet animos principum, ut recte et feliciter imperent. Si quid est vitii in principibus, nos accusemus, qui cum Deo simus ingrati, et contemto magistratu hoc beneficium corrumpamus, non sumus digni quibus contigerint utiliores principes. Nam quod Poëta inquit: Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi, vere dictum est: sed illud est verius, principes saepe affligi propter nostra peccata.

Verum dicat aliquis: Cum probat Paulus gentium politias, uteturne Christianus etiam Milesiorum aut Sybaritarum legibus, de prostituendis novis nuptis etc. Vidit Paulus hoc obiici posse, propterea etiam addidit de officio magistratus, et de legibus, quales esse debeant. Debent autem bonum opus honore afficere, et punire flagitia. Quae vero sint bona opera, lex naturae iudicat: Ergo concedit Paulus, ut gentium legibus utamur, quae sunt consentaneae rationi. Confusio ordinationis divinae est, probare manifestam turpitudinem.

Sed non est huius instituti explicare singulas particulas textus, sunt enim uberrimae. Conclusio apud Paulum est. Ideo necesse est obedire, non tantum propter iram, sed propter conscientiam, hoc est, ut breviter dicam, si potes

effugere latronem, nihil peccas, sed etiam si possis effugere poenam magistratus, tamen non debes detrectare imperium, hoc est quod ait, non propter iram tantum, sed propter conscientiam. Et quidem ait, Necesse est obedire. Sicut autem magistratibus, ita et legibus suis singuli pareant. Romanis legibus pareant isti, quorum magistratus Romano iure utitur. Saxonicis legibus pareant isti, quorum magistratus Saxonico iure utitur. Unusquisque utatur sui magistratus legibus in contrahendis rebus. Theologi superstitiose disputant, qui contractus sint probandi, cum ea res ad Theologorum iudicium non pertineat, sed ad magistratus cognitionem. Licet uti contractibus omnibus, quos magistratus approbat, seu quos leges approbant, sicut uti licet aliis politicis ordinationibus. Et ut magistratus non debet esse *μισάνθρωπος*, sed multa concedere temporibus, et leges ad aequitatem flectere, ita in iudicandis contractibus, non est quaerendum *ἀκριβοδίκαιον*, et alligandae conscientiae ad unam aliquam exactissimam formam. Ac valde prodest ad conscientias consolandas tenere hanc generalem regulam, quod ut aliis politicis ordinationibus licet uti Christiano, ita in contractibus satis est recepta iura seu iudicium magistratus sequi. Hoc docere Theologus debet, quemadmodum docere debet, quod aegrotis liceat uti medicina, quod debeant honorem habere corpori. Illud ad Theologum non pertinet, quae pharmaca danda sint laborantibus febri, aut pleuritide. Nam hae artes subiectae sunt iudicio rationis, et habent certos artifices, non docentur in Evangelio. Sic negotia *πολιτικὰ* subiecta sunt iudicio rationis, et quidem magistratus, non docentur in Evangelio. Apud Strabonem video *φόρον* appellari certum reditum ex possessionibus, qui penditur magistratibus, *τέλος* autem vectigal, seu tributum superindictum, ac videtur Paulus ordinaria onera voluisse complecti.

Epilogus praeceptorum.

Contrahit praecepta in decalogum, et decalogi secundam tabulam in praeceptum de dilectione proximi. Diliges proximum etc. Addit adhortationi argumentum ex debito sumtum a nova revelatione verbi, quam luci comparat. Ex ea metaphora ducit argumentum. Ea sunt agenda, in quae luce decent.

Caput XIV.

Hortatur tolerare imbecilles in fide, et eos paulatim erigere, ut fiant firmiores. Hortatur et infirmiores, ne temere iudicent de firmioribus. Propositio. Infirmum in fide adiuvate, ne relinquatur in fide ambiguus. Ad expositionem propositionis pertinet: Unusquisque in sua sententia certus sit, id est, nihil faciendum ambigua conscientia. Nam cum dubitas, utrum Deo placeat id quod suscipis, et suscipis tamen, id certe est contemnere Deum. In eandem sententiam in fine addit *γνώμην*: Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Caput XV.

Initio conclusionem proximae adhortationis continet. Addit rationem ab exemplo, sicut Christus tulit nostra errata, sic nos fratrum imbecillitatem feramus. Amplificatio. Quae scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut spem habeamus per consolationem scripturarum. Consulto videtur in fine adiecisse hanc sententiam, ut admoneret nos de dignitate ministerii verbi, ut sciremus non esse alias illuminationes requirendas, sed hoc verbo, quod scriptum extat, erigendas mentes et consolandas esse. Vere igitur ad nos pertinere statuamus huiusmodi promissiones in scriptura: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te etc.

Additus est et epilogus, qui colligit Evangelium ad Iudaeos ac gentes pertinere. Fuit enim et haec controversiae pars, ut supra apparet, utrum Evangelium pertineat ad hos, qui legem non observant. Et citantur hic testimonia de vocatione gentium. Deinceps ascribit quaedam de officio suo, monet etiam, ne recipiant doctrinam repugnantem huic suae doctrinae. Et indicat, qua arte mali doctores fucum faciant, nempe per *χρηστολογίας* et *εὐλογίας*. Graeci vocant *χρηστολογίας* blandos sermones, ut sunt benigne pollicentium et assentatorum: *εὔλογα* vocant probabilia, quae non temere dicuntur, sed habent rationes in speciem versimiles sicut solet impia doctrina rationis argumenta plausibilia colligere.

Ita geminis artibus fallunt impii doctores, assentantur cupiditatibus populi, ut olim mona-

chi pollicebantur divitias cultoribus Annae, promittebant coelum induentibus cucullum, et nunc Anabaptistae mira specie humilitatis se commendant vulgo, damnant omnes magistratus, omnia publica iura, omnem doctrinam. Haec cum natura vulgus oderit, magnum momentum adferunt ad impellendos animos. Sed altera pars imponit etiam prudentioribus quod afferunt erudite cogitata, quae non abhorrent a iudicio rationis, ut cum docent, quod opera nostra satisfaciant pro peccatis, quod iusticia Dei nihil sit nisi haec civilium operum simulatio. Haec defenduntur argumentis in ratione natis, sed nos sequamur Pauli admonitionem, et nulla dogmata recipiamus contra scripturam. Nam in iudicio Dei non potest humana mens consistere sine verbo Dei. Christus exuscitet corda nostra, ut vere agnoscamus ipsum, et dissipatas Ecclesias redigat in concordiam piam et perpetuam.

Amen.

XIII. 2. PHIL. MEL. COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

Ut opprimeret libellum „Annotationum" in Epist. ad Romanos, suo nomine editum, Melanthon anno 1532 edidit commentarios in eandem epistolam, quorum prima editio inscripta est Alberto Archiepiscopo Moguntino, posterior autem editio dicata Philippo Landgravio Hassiae.

Prior editio sic inscripta prodiit.

Commentarii in Epist. Pauli ad Romanos recens scripti a Phil. Melan. anno 1532. Impressum Witebergae in edibus Iosephi Clug. 33 pl. 8. — Epistolam nuncupatoriam ad Albertum Archiepiscop. dedimus supra in Epist. Vol. II. p. 611.

Haec prior editio repetita est:

1) Commentarii — — — — Anno 1532. (In fine:) Excudebat Marpurgi in Campo Elysio Franciscus Rhodus. Anno 1533. (1 Alph. 9 pl. 8.)

2) Commentarii — — — Additus ad finem Commentariorum Graecus textus. Ex offic. Seceriana. Anno salutis 1533. die 8. mens. Mart. (1 Alph. 6 pl.)

3) Commentarii — — — — Haganoae 1535. (1 Alph. 4 pl. 8.)

Posterior editio multo locupletior prodiit ineunte anno 1540 et dicata est Philippo Landgravio Hassiae. Epist. nuncupat. vid. supra Vol. III. p. 896. — Sic fuit inscripta:

Commentarii in Epist. Pauli ad Romanos hoc anno 1540 recogniti et locupletati autore Phil. Mel. Witebergae apud Joh. Clug. M.D.XL. mense Martio. (1 Alph. 13 pl.)

Praemissa est huic libro uberior expositio doctrinae de iustificatione hominis coram Deo, quae monente Melanthone a Vito Dieterico vernacula lingua separatim etiam prodiit inscripta: „Ein gewisser und klarer Unterricht von der Gerechtigkeit, die für Gott gilt. Gezogen aus den Schriften der Propheten und Apostel, neulich durch Hrn. Philipp Melanthon lateinisch gestellt, und durch M. Vitum Dietrich verdeutscht. Wittenberg durch Hans Lufft. 1541. 18 pl. 4. — Porro in fine ad cap. 14. epist. ad Romanos Melanthon inseruit his commentariis libellum ab ipso anno 1539 editum: De Ecclesiae auctoritate et de Veterum scriptis. Viteb. apud Joh. Clug. 1539. 9 pl. 8. quem libellum dicaverat Alberto Duci Borussiae. Vid. supra Vol. III. p. 722.

Repetita est haec posterior forma libri:

1) Commentarii in Ep. Pauli ad Rom. — — — Adiecta sunt prolegomena admodum utilia cum praefatione ad illustriss. Principem Hassorum. (In fine:) Argentorati apud Cratonem Mylium. 1540. mense Martio. (1 Alph. 14 pl. 8.)

2) Commentarii in Ep. — — — Argentorati 1544. 8. Hunc librum *Peucerus* inseruit Operibus Melanth. Vitebergae editis, Tom. III. p. 279—1091, unde eam hic transscripsimus.

COMMENTARII IN EPISTOLAM PAULI AD ROMANOS.

Argumentum Epistolae Pauli ad Romanos.

Duae sunt epistolae partes: prior continet longam disputationem: in posteriore sunt praecepta de moribus. Ac multi tantum hanc postremam pagellam de moribus censent nunc lectu dignam esse, eamque legunt ut Hesiodi aut Phocylidis poëma. Superiora nihil arbitrantur ad nos pertinere, quia putant tantum rixas esse de Iudaicis ceremoniis, de quibus nunc nemo litigat. Sed longe aliter sentiendum est. Prior pars habet disputationem maxime necessariam omnibus seculis et universae Ecclesiae. Continet enim praecipuos et proprios locos doctrinae Christianae, discernit Evangelium a Lege et a Philosophia, monstrat beneficia Christi, remissionem peccatorum gratuitam, liberationem a morte aeterna, imputationem iusticiae, donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. De his tantis rebus concionatur, non tantum litigat de ceremoniis. Nec absurdam, nec novam interpretationem gigno. Ipsa series disputationis Paulinae efficit hanc sententiam, quam reddo. Est autem ab ipso apostolico sermone sumenda sententia, non alia imaginatio adfingenda contra sermonis proprietatem. Deinde nostra interpretatio aptissime consentit cum perpetua doctrina tradita in Prophetis et Evangelio. Extant et vestigia in Ambrosio, Basilio, Augustino, Gregorio, et Bernardo. Denique iudicium Ecclesiae nostram interpretationem comprobat: videlicet piae et peritae conscientiae agnoscunt in veris certaminibus statuendum esse, nos non propter nostra bene facta, non propter legem, sed gratis propter Christum consequi remissionem peccatorum et imputationem iusticiae, fide, id est, fiducia promissae misericordiae propter Christum. Hac sententia deleta in Ecclesia, quantae tenebrae sequuntur? Non intelligi possunt beneficia Christi, non conspici discrimen legis et Evangelii, non firma consolatio conscientiarum, non vera invocatio retineri potest. Quod autem Paulus de hac ipsa sententia concionetur, satis liquet ex ipsius sermone. Retinemus igitur τὸ ῥητὸν, quia ad id congruunt consensus reliquae Propheticae et Evangelicae scripturae perpetuus, et eruditiores patres, et iudicia peritarum et piarum conscientiarum in Ecclesia. Haec omnia cum consentiant, satis firma testimonia nostrae interpretationis habemus, nec calumnias Mensingeri, Mustelae, Campani, aut aliorum pertimescimus, qui vociferantur nos adfingere Paulo novam et absurdam sententiam, ac interea ipsi inflectunt Pauli dicta ad civiles et humanas opiniones, de iusticia et moribus, ac magnam prudentiae laudem esse putant, excogitare concinnam interpretationem, quae cum philosophia, cum communi sensu omnium impiorum congruat. Fingunt Paulum haec velle, homines propter fidem, id est, professionem historiae de Christo, et bonos mores, habere condonationem peccatorum, et dici iustos. Ac iusticiam coram Deo esse hanc qualemcunque disciplinam quam praestant homines, et hanc legi Dei satisfacere: reiiciunt haec paradoxa, naturam hominis vitiatam esse, et non posse legi Dei satisfacere: et hanc naturae infirmitatem, dubitationem de Deo et caeteros morbos, quos complectitur peccatum originis, esse vere peccata coram Deo. Superbe derident ea quae de peccato originis dicimus, revocant nos ad philosophiam: Et in summa, non aliud imaginantur esse iusticiam coram Deo, aut quam lex Dei postulat, nisi illam ipsam disciplinam, qua contenta est philosophia. Hanc opinionem Pelagius professus est, sed semina sparsa sunt in commentariis Origenis. Et cum sit opinio consentanea iudicio rationis humanae, quae non est experta vero pavores et consolationem veram in poenitentia, facile homines haec πιθανὰ amplectuntur. Ita semper Prophetis fuerunt certamina

cum hypocritis, cum sacerdotibus, qui docebant populum iustum esse legis operibus, et hac opinione cumulabant ceremonias et alia exercitia. Ideo Psalmi toties inculcant hanc sententiam, quod nemo sit sine peccato, ut Psalmo 142.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Psalmo 129.: Si iniquitates observaveris, Domine quis sustinebit? Et Psalmo 31.: Dixi confitebor adversum me iniusticiam meam Domino. Et Daniel: Tibi Domine iusticia, nobis confusio. Postquam monstrarunt iudicium Dei adversus peccatum et hypocrisin, deinde rursus erigunt nos, iubent nos agnoscere promissam misericordiam, testantur fiducia misericordiae donari veniam, recipi nos in gratiam, ut inquit: Sustinuit anima mea in verbo eius, id est, promissione. Speravit anima mea in Domino: quia apud Dominum misericordia, id est, quia vere vult misereri, iuxta promissionem suam. Et in talibus concionibus saepe fit mentio fidei, ut secundo Paralip. 20.: Credite in Deum vestrum, et securi eritis, ubi non tantum historiae noticiam volunt intelligi, sed fidem vocant fiduciam misericordiae promissae, et sine hac fiducia reiiciunt invocationem et omnes cultus. Ut igitur Prophetae omnes inculcant hanc doctrinam, ita Paulus eandem causam agit. Non hoc agit unum, ceremonias omittendas esse: sed cum error de retinendis ceremoniis oriatur ex hoc fonte, quod hypocritae imaginabantur homines lege iustos esse, ideoque omissa doctrina de gratuita imputatione, contendebant quaerendam esse iusticiam per opera legis. Quare Paulus revocat quaestionem ad fontem, sicut et Prophetae faciunt, et monstrat quis sit usus legis, et non de solis ceremoniis loquitur, sed de tota lege, ac praecipue de decalogo. Nam minime satisfit decalogo, quare de eo praecipue haec dicta accipi oportet: Lex iram efficit: Per legem agnitio peccati. Docet igitur lege ostendi et argui peccatum, non tolli. Deinde addit hoc proprium esse Christi beneficium, auferre peccatum, sicut Esaias inquit: Et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. Et Ioannes: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Significat enim hunc unum esse agnum, id est, victimam divinitus destinatam ad placandam iram Dei. Non igitur propter legem aut ullas hostias alias consequuntur homines condonationem peccatorum, sed gratis, fiducia huius hostiae, scilicet filii Dei, qui morte sua pro nobis satisfecit legi, et abolevit maledictionem. Ideo inquit: Nunc autem sine lege iusticia Dei apparuit, id est, donatur imputatio insticiae propter Christum, non propter legem. Lex antea extabat, nec est nunc a Christo allata, qui aliud adfert longe maius beneficium, sicut Ioannes inquit: Lex per Mosen data est, Gratia autem et veritas per Iesum Christum facta est, id est, Christus donat nobis gratiam, hoc est, remissionem peccatorum gratis, et efficit in nobis veram Dei agnitionem, verum amorem, veram fiduciam, veram invocationem. Sic congruit nostra interpretatio cum perpetuo consensu propheticae et apostolicae scripturae, et cohaerent membra disputationis, iuxta hanc nostram interpretationem. Origenica turpissime dilacerat Pauli orationem, nec retinet nativam verborum significationem. Nihil adversariis nostris significat haec oratio Pauli: Fide iustificamur. Excusant eam per synecdochen, et affingunt prorsus alienam interpretationem: Fide, id est, noticia historiae, iustificamur, id est, praeparamur, ut praecepta discamus, quibus postea mereamur imputationem iusticiae. Multo absurdior est interpretatio huius dicti: Sine lege apparuit iusticia Dei, id est, sine lege naturali, sed attulit Christus novas quasdam leges, qualis haec est: Nesciat sinistra quid agat dextra tua. Error, inquiunt, foecundus est. Alioqui tam puerilis et inanis interpretatio nulli sano in mentem venire posset. Sed desino persequi ineptias. Collatio nostrae interpretationis et contrariae satis ostendet, in utra rectius membra cohaereant, in utra conservetur proprietas sermonis, utra consentiat cum Prophetis et Evangelio. Idque ut diligenter considerent lectores, etiam atque etiam omnes adhortor. Non enim cupio vincere *ἐρήμην δίκην*. Conferant studiosi interpretationes, conferant ad reliquos sacros libros, sed ita, ut pie, non calumniose iudicent: quod si facient, non dubito nobis suffragaturos esse. Qua in re etiam hac diligentia opus est, ut attendant quid vere et proprie in sacris literis significent haec vocabula, Fides, Iustificari, Iusticia, Peccatum, Lex, Evangelium. Linguam suam dedidicit Ecclesia inter Monachos et alios indoctos, ac prorsus, ut apud Euripidem Tyndarus ad Menelaum inquit: *βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις*. Sic diuturna servitus Ecclesiae apud Monachos linguam mutavit. Nec facile est restituere veras significationes: magna enim vis est consuetudinis. Flagellant me sycophantae Mensingerus, et Coch-

laeus, de vocabulo Fidei, item de vocabulo Iustificationis, et tota via deerrant. Disputat mecum et alius quispiam, cuius in Republica magna est autoritas, an Fides significet fiduciam misericordiae. Quis non deploret Ecclesiae tenebras? Tanta fuit Episcoporum et docentium incuria ac socordia, ut illarum vocum, quas quotidie in ore habebant, significationes obliviscerentur. Mutatis autem rerum notis, etiam res amissae sunt, et secuta sunt deliria multiplicia. Video autem et nunc exoriri multa prava ingenia, quae vel propter curiositatem, vel propter ambitionem, ea quae nunc in Ecclesiis nostris recte traduntur, et optima fide ac simpliciter explicata sunt, rursus novis praestigiis conturbare et obruere studebunt. Quare propter Christum oro et obtestor omnes pios, qui in studiis versantur, ut simplicem veritatem patefactam in Ecclesiis nostris ament ac tueantur, quam quidem, quantum possum, illustrare et munire cupio, ut ad posteros propagetur. Cum autem argumentum Epistolae ad Romanos utcunque recitaverim, et quaedam de vocum significatione observanda admonuerim, visum est adiicere interpretationem vocabulorum quorundam, et integram controversiam exponere de iustificatione. Nam haec προλεγόμενα aliquid lucis addent argumento. Et cum lector totam causam simul animo complexus fuerit, facilius perspiciet veram, firmam et necessariam Ecclesiae esse: ac animadvertet rectius, quomodo in Paulo membra disputationis cohaereant, cum prius quasi ideam aedificii in mente conceperit.

Summa doctrinae in propheticis et apostolicis scriptis traditae de iustificatione coram Deo.

Conatus sum alibi in locis communibus theologicis, quanta potui simplicitate et perspicuitate, doctrinam de iustificatione, traditam in scriptis propheticis et apostolicis, explicare: Neque hic alia dicam. Sed quoniam propria est huius Epistolae Paulinae haec materia, repetam res easdem, et fortassis alicubi aliquid dicam verbis planioribus. Apud Philosophos insticia universalis vocatur obedientia iuxta omnes virtutes, id est, externa disciplina honesta, quam homo suis viribus efficere potest. Hanc et Paulus vocat iusticiam legis, ac insticiam operum. Saepe autem diximus Deum postulare, ut externa disciplina honesta coërceantur omnes homines, sicut Paulus inquit: Lex est posita iniustis: Ac punit Deus violantes diciplinam, ut homines periuros, contumeliose loquentes de Deo, seditiosos, homicidas, moechos, fures, mendaces. Verum est autem quod inquit Aristoteles: Nec Hesperum nec Luciferum formosiorem esse insticia, id est, honesta disciplina. Est enim egregium ornamentum hominis, nec aliud praestantius decus efficere haec infirma natura hominis potest. Sed tamen sciendum est, hanc disciplinam nequaquam satisfacere legi, sed esse tenuem quandam umbram legis, sicut Paulus erudite docet 2 Cor. 3. cum ait: Iudaeos intueri Mosen velata facie, id est, non perfusos esse fulgore legis, hoc est, non lucere in eis noticiam Dei, et perfectam obedientiam, sed externa opera qualiacunque effici. At lex Dei flagitat, non tantum externa opera, sed perfectam obedientiam. Facile igitur intelligi potest neminem esse iustum coram Deo, id est, acceptum propter disciplinam externam, sicut clare inquit Paulus: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Id dictum detrahit laudem iustificationis non tantum ceremoniis, sed etiam moralibus operibus, ac loquitur de tota disciplina. Porro de hac externa disciplina, de illa velata Mosi facie, philosophia et leges humanae disserunt: non quaerunt quomodo coram Deo iusti, id est, accepti simus. Nec comminiscendae sunt Philosophorum sententiae cum Paulina. Tribuatur suus locus huic carnali iusticiae, hoc est, coërceantur impii hac disciplina, vagentur Philosophi in coetu populi, et velatam Mosi faciem intueantur, non ascendant in montem ad Deum. Maneant in hac turba et Origenes et caeteri qui eum sequuntur, et velatam Mosi faciem intueantur, cum non aliam insticiam, nisi carnalem doceant. Cum igitur ratio non videat, quomodo coram Deo iusti reputemur, Evangelium praedicat aliam iusticiam, non notam rationi, sed Patribus revelatam a Deo, et postea per Prophetas magis magisque patefactam, ac tandem per Christum et Apostolos sparsam in mundum. Ideo Ioannes inquit: Deum nemo vidit unquam: sed filius Dei, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis, quasi dicat: Hanc voluntatem Dei, quod Deus gratis velit ignoscere, et dare vitam aeternam propter filium, nulla creatura, nulla ratio humana deprehendere potuit: sed tantum per Filium haec voluntas patefacta est. De hoc admirando beneficio concionatur Paulus, quod exponam breviter. Est et Chri-

stus, ut convenit artifici, aptissime complexus Evangelii summam ac methodum, cum iubet praedicare poenitentiam et remissionem peccatorum in suo nomine. Itaque ministerium Evangelii primum arguit peccata, sicut Christus inquit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato etc. Hic cum mens agnoscit peccatum et iram Dei, ac veris terroribus expavescit, Evangelium proponit consolationem, et eam vocem quae est ipsius Evangelii propria, scilicet promissionem beneficii Christi, monstrat mediatorem filium Dei, sicut Ioannes eum monstrabat, inquiens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, iubet statuere, quod propter hunc mediatorem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, certo nobis donetur remissio peccatorum, et imputatio iusticiae: non propter ulla nostra opera seu merita, sed gratis fide, id est, cum credimus illa vere nobis ac certo propter Christum donari. Cum hac fide nos erigimus, et sustentamus intuentes Christum, consequimur vere remissionem peccatorum, et reputamur iusti, id est, accepti coram Deo, et donamur Spiritu sancto, et efficimur filii Dei, ac haeredes vitae aeternae, ut Ioan. 1. scribitur: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius. Haec sunt plana et perspicua, et ad usum conscientiarum accommodata, ac conspici in exemplis possunt. David reus adulterii et caedis, cum a Propheta accusaretur, oppressus est ingentibus terroribus. Postea erigitur voce absolutionis, cum ait Propheta: Dominus abstulit peccatum tuum, non morieris. Hanc vocem audiens, credit sibi peccatum remitti, non propter suam dignitatem aut merita, sed gratis per misericordiam, ac scit promissam esse liberationem a peccato, et a morte, propter venturum liberatorem: scit Christum fore hostiam pro peccatis humani generis, sicut in Psalmo ait: Tu es sacerdos in aeternum etc. Hac fide se sustentans, fit iustus, id est, acceptus coram Deo ad vitam aeternam. Sic Lucae 7.: Mulier venit lacrymans ad Christum, agnoscens sua peccata: postea illi inquit Christus: Vade in pace, fides tua salvam te facit. Ita hi duo motus in conversione describuntur, pavores, et fides. Vulgo pavores vocant contritionem: sed sciendum est, pavores non mereri condonationem peccatorum, imo nisi accederet fides, mens oppressa terroribus, rueret in aeternam mortem: sicut Saul, Iudas perierunt, cum non erigerent se fide et agnitione misericordiae inter terrores. Et hoc vult dictum Pauli de lege: Lex iram efficit, id est, incutit horribiles terrores, quales saepe describuntur in Psalmis, et Ezechias inquit: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Adferrent igitur hi pavores exitium et aeternam mortem, nisi accederet fides paulatim erigens animos, intuens in promissiones Christi, atque ita Christum apprehendens. Haec certamina quanta sint, monent Psalmi. Quomodo videmus luctantem secum Davidem, cum clamitat: Domine ne in furore arguas me. Miserere mei Domine. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, neque in inferno qui laudet te. Non abiicias me inter damnatos, qui uruntur horribili et aeterno odio tui, et tibi maledicunt. Ne in hunc coetum hostium tuorum abiiciar. Et Psal. 41.: Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam adhuc laudabo eum. De his tantis certaminibus hic quoque Paulus concionatur, nec tantum litigat de suilla carne, aut simil. ritib. Clamitat omnes esse sub peccato. Haec sententia de terroribus concionatur: deinde monstrat Christum, inquit, nos gratis fide iustificari etc. Et ut sciamus eum loqui non de otiosis cogitationibus, sed de fide luctante cum pavoribus, inquit: Iustificati fide, pacem habemus, item: Accessum ad Deum etc. Item: Fide agnoscimus nos diligi a Deo. Cum igitur adeo apte ad reliquam scripturam propheticam haec Pauli dicta congruant, quae perversitas est aliam sententiam Paulo affingere? Sed pergo. Cum haec sententia, quam recitavi de conversione hominis et iustificatione, perspicua et plana sit, et in vita usum habeat, et sit rata et immutabilis sententia Evangelii, patefacta patribus, adversariorum partim deploranda est caecitas, partim detestanda pertinacia, qui nostram interpretationem damnant. Atque hic obtestor per Christum omnes pios, ut expendant, quid in utraque parte dicatur. Adversarii fatentur oportere existere terrores, sed de fide aliter loquuntur: volunt adesse noticiam historiae, sed iubent dubitare de remissione peccatorum: et si cui contingit, aiunt contingere propter merita. Ita simpliciter abolent Evangelium, quod docet propter Christum contingere hoc beneficium: et ut sit certum, edita est promissio, et mandat Deus, ut promissioni credamus ac assentiamur, eamque ad nos pertinere statuamus. Hanc esse veram et perpetuam Evan-

gelii sententiam fateri necesse est. Et refutat Paulus errorem de dubitatione, cum docet promissionem oportere fide accipi. Rom. 4.: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Et iubet, ut Deo tribuamus laudem veritatis, sicut Abraham non dubitavit diffidentia. Et 1. Io. 5.: Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso: qui non credit Deo, mendacem facit eum etc. Ergo cum dicimus, fide contingere beneficia Christi, necesse est intelligi, quod contingant propter Christum, et assentiendum est promissioni divinae ac credendum vere nobis praestari promissa. Quare fides non tantum significat historiae noticiam, sed significat fiduciam promissae misericordiae propter Christum, assentientem promissioni divinae. Talem fidem requirit Paulus, quae credat omnibus articulis Symboli, videlicet quae credat propter filium Dei passum et resuscitatum dari nobis remissionem peccatorum: nam ad hunc articulum, tanquam ad causam finalem, superiores referendi sunt. Cum in precationibus adversarii recitant hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, secum ipsi pugnant: iubent dubitare, et tamen audiunt praecipi, ut credant remissionem peccatorum. Ac scio quosdam, quos hic ipse articulus admonuit, ut consolationem admitterent, et cogitarent assentiendum esse promissioni Dei, et abiicerent doctrinam Monachorum, de dubitatione et meritis.

Sed quare additur particula *Gratis*, non propter opera nostra, sed propter Christum? Imo vero de hac particula Gratis praecipue dimicant conscientiae et Prophetae ac Apostoli. Complectitur autem duo: Excludit merita nostra, et proponit Christi merita. Hic enim vel praecipue cerni potest, primum magnitudo irae Dei adversus peccatum, quod nulla hostia placare Deum potuit, nisi mors filii. Rursus lucet amoris magnitudo, quod filium pro nobis dedit. Utrunque autem in agone conscientiam tenere opus est: videlicet, Deo proponenda esse Christi merita: propter Christum petendam et expectandam esse gratiam, non propter nostra merita. Nam et certaminis illius epitasis haec est: Non quaerit mens perterrefacta, an aliis benemeritis ac dignis Deus velit esse propicius. Adsentitur Deum bonum et misericordem esse, sed dignis, qui non habent peccata, aut qui maiora habent merita: nam legis noticia nobiscum nata docet, Deum bonum esse, sed erga dignos. Illud vero quaerit, an Deus mihi indigno velit esse propicius. Hic intuenda est particula *Gratis*, ut statuamus vere Deum remittere peccata propter Christum gratis, non propter ulla nostra opera aut merita. Et haec particula *Gratis* monstrat discrimen Evangelii ac Legis. Lex etiam concionatur Deum esse bonum, misericordem: sed addit conditionem dignitatis, seu meriti, ait Deum propicium esse his, qui sine peccato sunt. At Evangelium removet conditionem nostrae dignitatis, seu meritorum: testatur Deum propter Christi merita gratis nobis reconciliari, non propter ulla nostra merita, cum haec fides, id est, fiducia misericordiae nititur Christo. Solemus autem interdum pro exclusiva: Gratis iustificamur fide, uti hac formula: Sola fide iustificamur, ubi haec particula non excludit caeteras virtutes ne adsint, sed excludit opinionem meriti, seu conditionem dignitatis, seu excludit illas a causa iustificationis, hoc est, acceptationis, ut postea copiosius dicam. Ac reipsa prorsus idem est dicere: Fide sumus iusti, et, Fide gratis sumus iusti, et, Sola fide sumus iusti. Nam fides existere nulla potest, si fiducia debeat niti dignitate nostra, seu meritis, aut partim Christo, partim meritis, ut fingunt aliqui. Excutitur fides, si cogitandum erit: ita propicius erit Deus, cum satis meritorum habebis. Ergo non potest niti fides, nisi promissione Dei, monstrante Christum, propter quem pollicitus est pater certo se nobis fore propicium. Et cum Paulus quaerit, utrum fide an operibus iustificemur, fidem intelligit fiduciam misericordiae promissae propter Christum: hanc opponit in universum dignitati nostrae, quasi interroget: Utrum statuere debeas tibi remitti peccata, et te filium Dei esse propter tuam dignitatem, propter ullas virtutes tuas, qualitates, aut actiones, an vero statuere debeas tibi remitti peccata, et te esse filium Dei per solam misericordiam, propter Christum? Proinde reipsa est exclusiva, cum ait: Fide iustificamur, id est, non propter dignitatem nostram. Quare si quis vere volet iudicare, agnoscet reipsa idem significari, Fide iustificamur, et gratis iustificamur, fide, et sola fide iustificamur. Haec obiter adieci de formulis sermonis, ut significatio diligenter expendatur. Caeterum quoquo modo loquemur, illud videndum erit, ne res obruatur. Sententia exclusiva retinenda est, de gratuita acceptatione: haec enim discrimen inter Legem et Evangelium efficit, ut dictum est. Dixi de par-

ticula Gratis, de qua et hoc considerent pii, merita tolli ac reiici, non quia nos nihil agamus, sed ut promissio nobis sit certa, quae fieret incerta, si penderet ex conditione meritorum: item ut debitus honos Christo tribuatur: item quia etiamsi quid agimus, tamen procul absumus a perfectione legis. Oritur autem fides a verbo Dei, videlicet ab Evangelio, quod proprie est, in quo beneficia Christi nobis tum promittuntur, tum adhibentur. Nihil enim posset mens humana statuere de remissione peccatorum, si Deus non revelasset hanc suam voluntatem certo verbo, seu certa promissione.

Sciendum est autem hanc evangelicam promissionem universalem esse, quod eo necesse est admoneri pios, quia pavidae mentes de his duabus quaestionibus maxime disputant, videlicet de dignitate et de electione. Primum quaerimus an indignos recipiat: deinde etiamsi essemus digni, cogitamus tamen Deum suos quosdam amicos elegisse, quibus haec beneficia velit impertire: dubitamus an ad nos quoque pertineat: veremur nos non esse in numero illorum. Ita ambigit humana ratio de voluntate Dei. Nam et Philosophi adsentiuntur, Deum paucis quibusdam, videlicet heroicis viris favere, et eorum eventus gubernare, sed reliquos homines negligi a Deo cogitant. Prorsus hoc modo cogitat mens de praedestinatione, ut vocant. Sed hanc humanam opinionem taxat vox coelestis. Hoc differt Evangelium a philosophicis opinionibus et a lege, quia aliter monstrat Dei voluntatem, ostendit Deum vere et indignos velle recipere, et omnibus offerre gratiam, modo ut credant promissioni. Quare discant pii, promissionem esse universalem, sicut testantur innumera dicta, ut: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis. Rom. 3.: Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes credentes. Item Roman 10.: Idem Dominus omnium dives in omnes etc. In has universales includamus nos singuli, et vere ad nos pertinere beneficia promissa statuamus. Itaque in quaestione, de iustificatione, seponantur aliquantisper disputationes de praedestinatione. Exordiendum est ab Evangelio, quod et arguit omnes, et offert omnibus gratiam promissam, propter Christum, et quidem gratis offert, modo ut fide accipiant. Intueamur ergo in verbum quod est universale, nec sinamus nos a promissione avelli speculationibus de praedestinatione. Non enim iudicandum est de voluntate Dei, sine ipsius verbo. Et ut promissiones sunt universales, sic intelligo hoc dictum: Deus vult omnes homines salvos fieri, sicut in promissionibus offert omnibus salutem. Sed humana voluntas in his qui nolunt credere, repugnat promissionibus. Illi autem qui se promissione sustentant, vere sibi tribui beneficia Christi statuant, ne Deum accusent mendacii. Cumque vocem Evangelii accipiunt, et se sustentant, simul efficax est Spiritus sanctus per Evangelii vocem, iuxta illud: Fides ex auditu est. Et ad Gal. 3.: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Ita cum perterrefactae mentes fide eriguntur, concipiunt Spiritum sanctum. Haec est conversio quae in Evangelio vocatur regeneratio, quae haec tria complectitur, remissionem peccatorum, iustificationem seu imputationem iusticiae, et donationem Spiritus sancti ac vitae aeternae. Dixi autem de motibus qui a piis intelligi possunt, de terroribus et consolatione, quae fit fide. Quare haec Paulina sententia nec absurda, nec intricata est, nec otiosas argutias continet, sed est perspicua, consentanea reliquis Prophetarum et Evangelii concionibus: et res maximas proponit, quas pii in vita experiuntur, et quarum cognitio Ecclesiae necessaria est. Nunc adiiciam brevem vocum enarrationem, legis, Evangelii, peccati, iustificationis, gratiae, fidei.

Plurimum autem differunt lex et Evangelium. Nam lex est doctrina, qua Deus praecipit quales nos esse oporteat, et quae facienda, quae vitanda sint. Et quanquam politia Mosaica deleta sit, tamen manet lex moralis, quae est una et eadem omnium temporum, cum eius noticia nobiscum nascatur. Voluit enim Deus aliquam esse noticiam in homine, quae indicaret peccatum. Ac semper omnibus temporibus voce legis arguitur peccatum in praedicatione poenitentiae. Ideo Paulus dicit: Per legem cognitio peccati. Nec tantum loquitur de ceremoniis, ut quidam fingunt, sed praecipue de decalogo seu lege morali: Haec enim semper, et omnes accusat. Nam longe aliter de lege divina sentiendum est, quam de moribus vitae civilis. In vita civili tantum flagitatur externa disciplina: at lex Dei requirit perfectam obedientiam, interiorem et exteriorem, ut testatur praeceptum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde etc. Et sic Matth. 5.: Christus legem interpretatur. Cum autem haec natura hominum, morbo originis vitiata, non possit

praestare perfectam obedientiam, lex ostendit iram Dei adversus peccatum, accusat et damnat omnes homines praeter Christum, qui, ut inquit Paulus, liberavit nos a maledictione legis. Liberavit autem non tantum Iudaeos aut caeteros, qui post editam vel abolitam legem Mosaicam salvati sunt, sed etiam patres ante Mosen. Ergo illi etiam fuerunt sub lege, hoc est, sunt accusati et perterrefacti iudicio legis naturalis: et periissent, nisi tenuissent promissiones de Christo, propter quem sciebant promissam esse liberationem a peccato et a morte. Rident fortassis homines politici haec, cum dicimus legem divinam flagitare perfectam obedientiam, neminem legi divinae satisfacere posse, quia in natura hominis ignoratio et contemtus Dei haerent, videntur haec inepta Philosophis et humano more iudicantibus: sed hoc ipsum agunt Prophetae et Apostoli, volunt homines agnoscere magnitudinem peccati, quod non vere agnoscunt et glorificant Deum, docent hoc peccatum esse causam maximarum aerumnarum et calamitatum, quibus haec infirma natura oppressa est, et quaerere veram iusticiam, et liberationem a peccato ac a morte, per Christum donatam. Caetera de lege, studiosi qui discendi causa haec lecturi sunt, sumant ex Locis Communibus, quos edidi. Evangelium praedicat poenitentiam et promissionem gratiae ac vitae aeternae. Diligenter autem a lege discerni debet promissio. Et quanquam lex habet suas quasdam promissiones, tamen et illae differunt a promissione, quae est propria Evangelii. Et promissiones legis requirunt conditionem perfectae obedientiae, ut in primo praecepto dicitur: Benefaciam diligentibus me. Sed evangelica promissio de remissione peccatorum, iustificatione, et donatione vitae aeternae, est gratuita, oblata propter Christum, sine conditione meritorum nostrorum seu dignitatis nostrae. Nulla vox humana eloqui potest magnitudinem huius beneficii, quod Deus per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum nobis impertit, scilicet ut deleto peccato, et abolita morte, fruamur conspectu Dei in aeterna vita, iusticia et laetitia. Huius beneficii promissio tantum revelata est divinitus, sicut Ioannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Etsi enim aliqua legis noticia nobiscum nascitur, tamen Evangelii noticia nequaquam nobiscum nascitur. Ratio humana per sese nequaquam videt hanc Dei voluntatem, videlicet Deum missurum esse Filium suum, ut fiat victima pro Ecclesia, Deum velle gratis remittere peccata. Haec longe extra conspectum humanae rationis posita sunt. Ideo diligenter discerni debent dicta legum a promissione evangelica. Apud Phocylidem, Hesiodum, et similes leguntur aliqua legum dicta. Sed evangelica promissio de gratuita remissione, vel de filio Dei, nusquam legitur in his, qui rationis iudicium seu lumen naturae humanae tantum sequebantur, Imo cum quaedam noticia legis nobiscum nascatur, mens ipsa in nobis accusat peccata, nec aliud cogitat, nisi Deum punire et abiicere iniustos: hoc est enim legis iudicium, ac iuxta legem verum est. Sed ingenti certamine in poenitentia voci legis, et naturali iudicio nostro opponi debet promissio gratuita misericordiae, anteferenda legi, quia Christus liberat a lege. Ut cum Adam lapsus esset, et accusaretur, nihil aliud iudicare potuit, nisi quod lex ostendebat, se periturum esse, quia non obtemperasset Deo. Sed prodit Deus, et quanquam subiicit genus humanum morti corporis et caeteris aerumnis, tamen proponit consolationem, pollicetur liberationem a peccato et morte, ac restitutionem generis humani. Ait enim fore, ut semen mulieris conterat caput serpentis. Hac voce dicta, filius Dei movit cor Adae, et novam illi lucem ac vitam indidit. Tunc enim filius Dei constitutus est custos, gubernator et servator Ecclesiae, tunc belligerari coepit cum diabolo. Et ut diabolus immani saevitia grassatur in genus humanum, perdit plurimos, et odio Dei praecipue conatur delere Ecclesiam, et calcaneo nostro venenatos dentes infigit, ut saepe experimur, ita rursus filius Dei efficax est in credentibus, et reprimit diaboli furorem, restituit et liberat Sanctos. Non videt mundus hoc certamen, sed plurimorum horrendi lapsus, et tristissimae ac tragicae calamitates, et deinde gloriosae liberationes, ut Davidis et aliorum, ostendunt quale sit hoc certamen. Nec aliud significant verba in Genesi: Semen conteret caput serpentis, quam hoc ipsum quod Ioannes inquit: Ad hoc exhibitus est filius Dei, ut destruat opera diaboli. Sic intellexit Adam promissionem, sic deinceps omnes Patres crediderunt propter hoc promissum semen sibi remitti peccata, se liberandos esse a peccato, et a morte aeterna. Hac fide erant iusti, non legis impletione: hac fide erige-

bantur in omnibus periculis et terroribus. Et quidem norant hunc Dominum sibi adesse, sicut Iacob diserte inquit Genes. 48.: Angelus qui liberavit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: praedicat enim eum Dominum, per quem a cunctis malis liberatus est, et ab hoc petit, ut benedicat posteris. Haec nunc possunt aliter, nisi de filio Dei intelligi. Et Paulus ait, filium Dei comitatum esse castra populi Israël. Ioannes etiam inquit, omnia per hunc filium facta esse, et lucem in tenebris fulsisse. Omnes triumphi adversus diabolum parti sunt per hunc filium. Noë servatus, defensus Abraham, excitatus Ioseph, liberatus populus ex Aegypto, Daniel etiam cum eo colloquitur. Sic Evangelium Apostolorum concionatur de Christo, testatur esse victimam, liberatorem et salvatorem, et iubet nos confidere hoc duce et liberatore. Sicut et plurimae sententiae in Prophetis docent, ut Psalm. 2. inquit: Osculamini filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Ac sine hac fide, id est, fiducia misericordiae promissae propter filium, nulla est vera Dei invocatio, nulli veri cultus. Nam per hunc Pontificem habemus aditum ad patrem, ut saepe scriptum est. Execranda est igitur caecitas illorum, qui fingunt Evangelium esse legem continentem praecepta quaedam de mutua dilectione, requiri autem fidem, id est, noticiam historiae de Christo, et hunc habendum esse pro doctore: ut Socrates aut Phocylides tradiderunt bona praecepta. Et imaginandum homines esse iustos propter illa dilectionis officia, sed tamen dubitandum esse, an Deus ignoscat nobis, an exaudiat nos, an aliquid sit ei negotii nobiscum. Ita Monachi et nunc quidam Philosophastri transformant Evangelium in academicam philosophiam, id est, doctrinam de operibus: et iubent dubitare de promissionibus divinis, nec docent fidem, id est, fiduciam, quae nititur Christo liberatore, petit et expectat propter ipsum beneficia promissa necessariam esse. Rogo igitur omnes pios lectores, si amant Christum, ut hic considerent discrimen legis et Evangelii, Mosi et Christi, et diligenter cogitent, quae gloria tribuenda sit filio Dei, qui sint veri honores, quos ei tribuerunt. Patres Adam, Iacob, Prophetae et Apostoli. Ab his discamus Christum adesse suae Ecclesiae ducem, gubernatorem, liberatorem, salvatorem, defensorem adversus diabolum: discamus et fide accipienda esse beneficia Christi, et meminerimus Evangelium esse vocem promittentem et exhibentem haec beneficia, sicut inquit Paulus: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, Evangelium offert nobis gratiam et vitam aeternam, gratis propter Christum, non propter legem. Et per hoc Evangelium Deus vere est efficax, dat Spiritum sanctum, incoat in nobis novam lucem et vitam aeternam.

Peccatum non significat tantum actiones vitiosas, sicut Philosophi de vocabulo indicant, sed complectitur etiam ingentem imbecillitatem, quae nobiscum nascitur, quae vocatur peccatum originis, quod etsi securi homines indicant leve malum esse, imo Philosophi ne malum quidem esse arbitrantur, tamen longe aliter iudicandum est. Non sunt levia mala tenebrae ac dubitatio de Deo, an curet humana, an puniat, an alat, an iuvet, an exaudiat homines: Item vacare metu, amore Dei, amare nos ipsos neglecto Deo, mirari nostram sapientiam, ludere opinionibus fugiendis de Deo, Epicureis aut superstitiosis, habere impetus varie errantes, aversos a Deo, et pugnantes cum lege Dei. Haec esse ingentia mala, ostendunt poenae. Nam propter haec mala Deus subiecit genus humanum morti, punit et coërcet ingentibus calamitatibus. Deinde cum Deus nulla victima placari voluerit, nisi filii morte, necesse est ingens esse malum, quod tanto pretio redimendum fuit. Mirum est tantum in animis humanis stuporem esse, ut hunc morbum non agnoscant. Quare Deus patefieri eum sua voce ac doctrina voluit. Huic assentiamur, nec audiamus cavillationes Sophistarum, qui rident Sardonium risum, et morbum extenuant, leviter curant hostiam Christum, aut etiam prorsus contemnunt. Ab illa impia philosophia decet nos animis atque auribus abhorrere.

Iustificare Hebraica phrasi usitate, est iustum pronunciare vel reputare, ut Ebraice diceretur: Populus Romanus Scipionem accusatum a Tribunis iustificavit, id est, absolvit, seu iustum pronunciavit. Ita in his Pauli disputationibus certo sciamus iustificationem significare remissionem peccatorum, et acceptationem ad vitam aeternam, sicut satis perspicue testatur caput quartum ad Romanos, ubi definit iustificationem esse remissionem peccatorum. Est ergo, Fide iustificamur, idem quod reputamur iusti a Deo propter Christum, cum credimus. Et vocabulum, Iusticia, non hic significat iusticiam legis, seu obe-

dientiam universalem, seu nostras qualitates, cum dicitur: Fide donatur nobis iusticia, sed significat imputationem insticiae, seu acceptationem. Et iustus hoc modo relative intelligatur, pro accepto ad vitam aeternam. Sed sciendum est, in remissione peccatorum simul donari Spiritum sanctum, ut supra dixi, cum fide nos erigimus. Ita cum iustificatione coniuncta est donatio Spiritus sancti, qui non tantum unam virtutem, fidem, sed etiam caeteras incoat: timorem, dilectionem Dei, amorem veritatis, castitatem, patientiam, iusticiam erga proximum, ut postea de operibus dicam. Sed hae virtutes non merentur remissionem peccatorum, nec sunt iusticia propter quam persona sit accepta, quae adhuc multum habet infirmitatis. Porro cum conscientia perterrefacta quaerit, quomodo iustificemur, non hoc quaerit quas habeamus virtutes, sed quomodo consequamur remissionem peccatorum, et reconciliationem cum Deo. De voluntate Dei erga nos angitur, non contemplatur proprias virtutes, non opponit illas iudicio Dei. Ideo qui iustificationem interpretantur infusionem virtutum, non attendunt hic quaeri de remissione peccatorum, et de pace conscientiae erga Deum, seu de reconciliatione. Quaerimus quomodo iustificemur, id est, unde habeamus remissionem peccatorum, quare statuendum sit, Deum nobis propicium esse. Necesse est igitur, iustificationem intelligi remissionem peccatorum et acceptationem divinam seu imputationem iusticiae.

Gratia significat gratuitam acceptationem, seu misericordiam promissam propter Christum, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti, ut Roman. 5. inquit Paulus: Quanto magis gratia Dei, et donum in gratia. Ubi cum nominat gratiam, intelligit gratuitam reconciliationem, deinde donum in gratia, intelligit donationem Spiritus sancti et incoationem vitae aeternae. Nam in remissione peccatorum, ut dixi, datur Spiritus sanctus. Estque profana philosophia Pelagii execranda, qui contendebat sine actione Spiritus sancti homines fieri filios Dei, et haeredes vitae aeternae. Saepe igitur gratiae nomine significatur auxilium et actio Spiritus sancti. Verum principalis significatio est gratuita acceptatio, ut cum dicimus: Paulus per gratiam consecutus est remissionem peccatorum, id est, Paulus gratis propter Christum consecutus est remissionem peccatorum. Ac repudianda est Monachorum enarratio, qui finxerunt interpretationem ex diametro pugnantem cum Paulo: Per gratiam consequimur remissionem, id est, consequimur propter nostras virtutes. Quod enim gratia significet praecipue gratuitam acceptationem propter Christum promissam, testantur multa dicta, ut: Non estis sub lege, sed sub gratia. Sentit enim iustos, etsi habent peccata, tamen non accusari, quia sint sub gratia, id est, accepti iam ex placentes propter Christum. Non enim vult eos sentire, quod placeant propter suos habitus.

Rom. 4. Ideo ex fide ac secundum gratiam, ut firma sit promissio. Porro conscientia non est certa propter nostros habitus seu virtutes nostras, sed propter gratuitam misericordiam promissam. Quare huic loco nequaquam conveniet Monachorum interpretatio, qui gratiam tantum interpretantur nostras virtutes.

Rom. 5. Ubi abundavit peccatum, magis exuberavit gratia, id est, gratuita misericordia magis conspicitur, cum magnitudo peccati nostri conspicitur, et intelligimus nos gratis, non propter aliqua merita consequi remissionem peccatorum.

Ad Ephesiòs 1. Praedestinans nos per Iesum Christum, iuxta beneplacitum suae voluntatis, ad laudem gloriae gratiae suae. Hic certe vult celebrari non nostras virtutes, sed gratuitam misericordiam Dei.

Ad Galatas 2. Non sperno gratiam Dei: si enim ex lege est iusticia, frustra Christus mortuus est. Non hoc dicit: Magnifacio meas virtutes, sed gratuitam misericordiam magnifacio, qua mihi propter Christi mortem statuo Deum placatum esse.

2. Thessalon. 2. Dedit nobis spem bonam in gratia. Non iubet sperare propter nostras virtutes, sed propter gratuitam misericordiam promissam propter Christum.

Ad Hebraeos 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, id est, promissae misericordiae. Satis enim liquet, hic intelligi non posse gratiam de nostris virtutibus.

Denique nota est eruditis phrasis Hebraici sermonis, qua observata, facile erit iudicare de significatione vocabuli. Deinde nemo ignorat Paulum hanc ipsam ob causam inculcare vocabulum gratiae, ut statuamus nos placere Deo propter Christum, non propter nostras virtutes. Id

interpretatio Monachorum prorsus invertit, cum iubent sentire, gratia nos, id est, propter virtutes nostras iustificari.

Inest autem in vocabulo *Gratiae* exclusiva, quae, ut supra dixi, diligenter observanda est. Nam discrimen Legis et Evangelii praecipue facit particula exclusiva, gratis propter Christum. Excluditur autem, ut dixi, non poenitentia seu caeterae virtutes, sed conditio dignitatis seu meriti, ut mentes perterrefactae habeant firmam consolationem. Nec dulcescunt animis promissiones, nisi illis semper includamus particulam *Gratis*. Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Si adiiciam, si dignus erit, deterrebitur animus. Ideo Evangelium clamitat de particula gratis: Invoca etiam si es indignus, quia propter Christum gratis salvabuntur invocantes Dominum. Sic in Psalmo: Quia apud Dominum misericordia. Si adiiciam, erga dignos, refugit conscientia. Sed Evangelium iubet intelligi gratuitam misericordiam certo promissam propter Christum, quasi dicat: Ne refugite, sed accedite ad Deum, accipite fide propositum munus: nam propter Christum gratis vult Deus vobis ignoscere. Idque decretum certum et immutabile est. Si quis cogitat incertum esse, contumelia filium Dei afficit, qui est pignus huius promissionis. Sed fide accipi munus oportet.

Haec ideo repetivi, quia plurimum refert, hanc exclusivam diligenter illustrari, ut discrimen Legis et Evangelii recte conspici possit, et ut piae mentes cogitent sibi firmam consolationem propositam esse, et se exuscitent ad fidem et invocationem in omnibus negotiis et periculis. Nam in quotidianis aerumnis haec fides exercenda est. Nec intelligi Evangelium sine his exercitiis potest, nec existit vera invocatio sine hac fide, de qua iam toties dicimus, sicut Christus inquit: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, id est, fiducia nominis mei, hoc faciam. Hoc necesse est discrimen esse inter Ethnicam invocationem et Christianam. Ethnici invocant dubitantes, an Deus curet humanas preces, an afficiatur nostris aerumnis. Sic invocare est contumelia Deum adficere. Et tamen tales sunt illi clamores impiorum in templis, et Monachi iubent in invocatione dubitare. Sed his erroribus opponendae sunt sententiae, Rom. 5.: Per hunc habemus accessum in fide

Eph. 3.: Per quem audemus accedere confidenter, per fidem in ipsum.

Et Roman. 8.: Qui sedet in dextra Dei, ut interpellet pro nobis. Ideo nemo potest ad Deum accedere, nisi hoc Mediatore et Pontifice perferente nostras preces. Sicut et Roman. 10. dicitur: Quomodo invocabunt eum, in quem non credunt? Iacobus inquit: Petat in fide non haesitans. Matth. 21.: Quidquid petieritis in oratione credentes, accipietis. Ergo ut Deo praecipuum, verum et gratum cultum, videlicet, invocationem praestare possimus, necesse est teneri et cognosci hanc doctrinam de fide et de gratuita misericordia.

Venio ad vocabulum Fidei, de quo in primis multi nobiscum litigant. Mirum est autem tantam in Ecclesia caliginem fuisse, ut genuina significatio huius vocabuli, quod omnibus in ore semper fuit, quo omnium aures personant, pene amissa sit. Ad id malum accedit iam aliud deterius. Errorem inveteratum difficile est ex animis hominum evellere, et quidam sycophantae, ut Cochlaeus et alii tueri conantur. Verum quoniam sycophantae non quaerunt veritatem, sed suo morbo serviunt, non duxi iam cum eis rixandum esse. Nec vero defugio iudicium piorum et eruditorum. Nam adeo perspicue prophetica et apostolica dicta ostendunt, quid significet fides, ut refragari nemo sanus possit. Significat igitur fides, non tantum noticiam historiae, sed fiduciam misericordiae promissae propter Christum, seu assentiri promissioni gratiae.

Est igitur assensus in intellectu, et velle hanc divinam consolationem, et in ea acquiescere, cum audimus nobis Deum propicium esse propter filium Iesum Christum. Quare cum dicitur: Fide iustificamur, non est imaginandum, nos fide iustos esse propter ipsius virtutis dignitatem. Sed correlative intelligi haec oratio debet: Fide iustificamur, id est, per misericordiam propter Christum placemus Deo. Sed hanc misericordiam fide apprehendimus seu agnoscimus, et nobis accommodamus. Nam fides seu fiducia, etiamsi assentior esse qualitates, tamen ut caetera adfectuum nomina fiunt relativa, ut Amor relative se habet ad id quod amamus, metus ad obiectum quod formidatur, ita fiducia ad suum obiectum quo nititur. Haec Dialectica nota sunt etiam pueris, quae Mensingerus scurra indoctus et impurus, Thersitica impudentia calumniatus est. Sed pro-

voco ad sanorum et eruditorum iudicia, qui relativa secundum dici, ut vocantur, intelligunt, et animadvertunt quis sit usus harum puerilium praeceptionum in controversiis gravioribus. Ut igitur haec oratio correlative intelligitur: Fiducia thesauri sui dives est tranquillo animo in annonae difficultate, id est, propter thesaurum suum dives est tranquillo animo: ita cum audis: Fide iustificamur, mox veniat in mentem correlativa, Per misericordiam propter Christum iusti reputamur. Ideo enim dicitur Fide, id est, fiducia *Christi*, seu fiducia misericordiae propter Christum promissae, iusti sumus. Ac memini aliquoties me interrogatum esse, cur dicendum sit: Fide sumus iusti, si velimus hominum per misericordiam esse iustum. Ad id respondeo, has esse correlativas orationes: Fide sumus iusti, et: Per misericordiam sumus iusti. Sed necesse est fidei mentionem fieri, quia oportet aliquem motum esse, quo accipimus munus, et nobis applicamus. Et cum fidem nominamus, mens intueatur Christum, et cogitet gratuitam misericordiam propter eum promissam, ac statuas te iustum reputari, non propter ullas tuas virtutes, seu actiones, sed propter aliud extra nos, videlicet, propter Christum mediatorem, sedentem ad dextram patris, interpellantem pro nobis. Interea hic ipse motus fidei in animis nostris, non est otiosa cogitatio, sed luctatur cum terroribus peccati, cum morte, dimicat cum diabolo, qui horribilibus modis oppugnat infirmas mentes, ut vel ad contemtum Dei, vel ad desperationem eas impellat: sicut Cain, Saul, Iudas, et innumerabiles alii, postquam statuerunt se a Deo abiectos esse, furenter oderunt *Deum*. Alii fiunt Athei seu Epicurei, ut Pharao, cum in magnis aerumnis aspernantur verbum Dei, et consolationem divinam: nec sustentant se fide, sed fracti animis cedunt diabolo, sicut clamitant impii in rebus adversis: Sunt nobis nulla profecto numina, cum caeco rapiantur secula casu. Sed qui audiunt Evangelium, qui norunt Dei opera esse, deducere ad inferos et reducere, in tali agone sustentant se fide, confugiunt ad ducem Christum. Hunc norunt esse victorem, qui conterit caput serpentis: seu, ut alibi dicitur, destruit opera diaboli, ac semper inde usque ab initio adfuit suis. Quare adiuti a filio Dei, vincunt diabolum, nec deficiunt a Deo. Nam hac de re dimicatur, diabolus urget animos, ut a Deo deficiant: econtra fides dimicat ne admittat *Deum*, ne avellatur a Deo, statuit esse Deum, qui etsi punit, tamen addidit promissionem gratuitam misericordiae propter filium suum, dedit filium adiutorem, promisit aeternam salutem. Cernitur ergo Deus in verbo suo, et mens in verbum intuens, fide confirmata non deficit a Deo, sed agnoscens eius misericordiam invocat eum, expectat liberationem, et subiicit se voluntati Dei, nec ab eo sinit se avelli. Et laus victoriae est ducis Christi, qui adiuvat suos, sicut ipse inquit: Sine me nihil potestis facere. Haec qui in vita et in invocatione experiuntur, intelligere doctrinam de fide possunt, et simul diiudicare norunt, quod iusti, id est, accepti Deo simus propter Christum, et tamen interea in nobis accendi oportet fidem, quae est vera agnitio Dei, nec sine acerrimo certamine retineri potest.

Nunc igitur addam testimonia, quae ostendunt fidem non tantum significare noticiam historiae, sed fiduciam misericordiae, dimicantem cum desperatione et contemtu Dei.

Rom. 4.: Paulus confert promissionem et fidem, tanquam correlativa, docens oportere promissionem accipi fide. Ergo fides significat fiduciam, quae nititur promissione divina. Hoc testimonium adeo perspicuum est, ut nullis calumniis labefactari possit. Ideo ex fide et secundum gratiam, ut firma sit promissio, id est, flagito fidem, qua accipiatur promissio reconciliationis.

Ephes. 3.: Per quem audemus accedere confidenter per fidem eius. Quod requiris lector testimonium illustrius? iam enim non cum sycophantis litigo, sed pios et candidos lectores alloquor, hos adhortor, et propter Christi gloriam obtestor, ut haec testimonia diligenter expendant. Paulus hic fidei naturam declarat tribus insignibus vocabulis: ait nos fide habere *παῤῥησίαν, προσαγωγὴν καὶ πεποίθησιν*. Haec non competunt noticiae historiae, quae potius deterret, si cogitandum est, tunc nos accessuros ad Christum, cum erimus digni. Necesse est igitur fidem intelligi fiduciam misericordiae. Nec Cochlaei cavillatione labefactari poterit haec interpretatio, qui inquit: Si idem essent fides et fiducia, non adiungeret tanquam effectum, fiduciam per fidem. O acumen Carneadeum. Motus in corde describitur unus pluribus verbis. Et cum fides sit hic motus quo ad Deum accedimus, certe non potest

esse tantum noticia historiae, quae magis deterret mentes, ut dixi. Sic etiam Rom. 5. loquitur: Per quem habemus accessum fide.

Rom. 5.: Iustificati fide pacem habemus. Noticia historiae nequaquam adfert pacem conscientiae, sed potius auget pavores, cum retinetur legis opinio. Quod est enim signum terribilius irae Dei adversus peccatum, quam quod Deus non alia victima placari voluit, nisi morte filii? Haec cogitatio auget pavores, cum existimamus Christi beneficium non pertinere, nisi ad eos qui satis meritorum adferunt. Ergo cum fides erigat mentes perterrefactas et consoletur, necesse est intelligi fiduciam misericordiae. Et cum Paulus satis ostendat se loqui de fide luctante cum pavoribus, non possunt eius dicta de sola historiae noticia intelligi.

Colos. 2.: In quo et resuscitati estis per fidem efficaciae Dei. Ait nos sanctificatos esse fide, id est, fiducia, quod Deus sit efficax in nobis.

Ioannis 5.: Qui non credit Deo, mendacem eum facit, quia non credit testimonio, quod Deus vitam aeternam dederit, etc. Refert fidem ad promissionem, et postulat ut promissioni credatur, cui si quis non adsentitur, is Deum accusat mendacii, quasi non praestet promissa. Porro adsentiri promissioni, est fiducia misericordiae.

Romanos 4.: Qui praeter spem in spem credidit. Quaeso te Christiane lector, an non hoc loco necesse est interpretari verbum, credidit, de fiducia? Nihil opus est procul quaerere significationem. Laudatur Abraham, quod crediderit Deum facturum esse promissa, etiamsi natura repugnabat. Sic oportet pios de fide institui, ut cum destituimur humanis praesidiis, tamen a Deo expectemus auxilium, non amittamus Deum. Et aliquanto post in eodem capite opponit fidem dubitationi. Abraham non dubitavit diffidentia. Loquitur de fide luctante cum dubitatione, in accipienda promissione.

Marci 9.: Credo Domine, opem fer diffidentiae meae. Hic non agitur de noticia historiae, sed de fiducia, qua expectabat pater liberationem filii. Sic in exemplis evangelicis plerunque fides significat fiduciam petentem et expectantem beneficia: ut in mulieris Cananaeae historia Matth. 15. quae bis repulsa a Christo, et quidem cum convicio, tamen preces non omittit, ac mirabili sapientia refutat dictum Christi, fatetur se indignam esse beneficio, sed tamen propter Domini bonitatem expectat munus. Huius mulieres ethnicae fidem Christus gravi testimonio ornat inquiens: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi ut petis. Quid hic et in similibus historiis dubitemus, fide significari fiduciam petentem et expectantem beneficia: quae cum lucere debeat in invocatione, necesse est pios de ea recte doceri. At Monachi iubent historiam meminisse, deinde aiunt dubitandum esse, utrum Deus sit nobis propicius, an respiciat nostras preces. Haec doctrina prorsus cum exemplo isto laudatissimo mulieris et similibus pugnat, et veros cultus *Dei*, veram invocationem abolet.

Descriptio fidei, ad Ebraeos 11. ostendit et ibi fide significari fiduciam, quia inquit: Fides est ὑπόστασις, id est, expectatio rerum sperandarum. Haec est vere Grammatica vocis enarratio, ut omnes eruditi norunt. Porro expectatio illa est fiducia promissionis.

Actor. 15.: Fide purificans corda eorum. Constat autem noticia historiae non purificari corda. Et ibi mox interpretatur dictum: ait nec patres, nec ullos habuisse corda pura propter legis iusticiam: sed ait sic purificari corda, si credant se per gratiam Domini Iesu Christi purificari. Testatur ergo fide significari fiduciam, quae nititur misericordia promissa propter Christum.

Rom. 10.: Omnis qui credit in eum, non confundetur. Hic Paulus ipse discernit beneficium Evangelii a lege, ac loquitur non de sola historiae noticia, sed de fiducia, qua statuimus certo Deum nobis propicium esse propter Christum, non propter legem. Eadem sententia saepe repetitur in Prophetis. Psal. 2.: Osculamini filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Hic intelligi fiduciam necesse est. Iubet enim agnosci filium Dei, iubet nos confidere hoc Domino. Cum autem non possit assui conditio legis, nam fides non potest partim niti Christo, partim lege, necesse est fidem intelligi fiduciam, quae statuit nos per filium Dei liberari a peccato et a tyrannide diaboli.

2. Paralip. 20.: Credite Domino Deo vestro, et securi eritis. Stabat exercitus in procinctu, et iubebatur petere et certo expectare auxilium a Deo. Quare ibi non agitur de noticia historiae, sed praecipitur fiducia, quae petat auxilium a Deo. Haec testimonia satis liquide ostendunt vocabulo fidei significari fiduciam. Et plura

exempla studiosi deprehendent in lectione Prophetarum. Non ignoro autem, posse reperiri praestigias ad eludenda haec testimonia. Et mira nunc est ingeniorum petulantia, alii reprehendent haec ambitione, alii malevolentia, alii odio verae pietatis. Sed oro et obtestor pios lectores, ut hanc interpretationem diligenter expendant, et considerent, ea deleta, sequi ingentia incommoda, eripi conscientiis firmam consolationem, aboleri veram invocationem, obscurari beneficium Christi. Tollenda est ex omni vita sophistica, sed maxime arcenda ab Ecclesiis, nec ferendi sunt ingeniorum ludi, quae fingunt, pictorum more, quidquid libet. Simplex veritas necessaria Ecclesiae retineatur, et hanc curemus incorruptam transmitti ad posteritatem. Hoc officium Deus ab omnibus ac praecipue a gubernatoribus doctrinae, aut Reipub. postulat, et Ecclesiae debitum est: Nec ullus cultus Deo gratior est. Sic igitur et sententiae citatae a Paulo intelligantur: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam, id est, Abraham agnovit se non esse iustum propter legem, aut virtutes suas, agnovit infirmitatem naturae, quae parit multa vitia, dubitationes de Deo, et varie errantes cupiditates, meminit etiam errata sua inter Chaldaeos admissa, ubi impiis cultibus contaminatus est. Sed quia postea audivit promissionem de semine, et Deus ei dixerat: Ego ero protector tuus, statuit sibi per misericordiam donari remissionem peccatorum, et se habere Deum propicium, defensorem et salvatorem. Ita iustus pronunciatur fide, id est, fiducia misericordiae divinae, etiamsi videt naturam infirmam et vitiosam esse. Saepe autem fides non solum dimicat de remissione peccatorum, seu de acceptatione, sed etiam versatur circa externa obiecta: ut fides Davidis circa monomachiam cum Goliath. Haec exempla etiam huc pertinent: semper enim hanc fidem expectantem auxilium corporale, praecedit fides accipiens remissionem peccatorum. Non statuit mens adiuvari nos a Deo, nisi prius statuat propicium esse. Haec regula ostendit Paulum recte citare testimonia de fide, et nos in invocatione erudit.

Addam et scriptorum veterum dicta. Augustinus inquit: Ex lege timemus Deum, fide confugimus ad misericordiam. Recte Augustinus, nec potest hoc de sola noticia historiae intelligi.

Chrysostomus in commentario Epistolae ad Rom. cap. 4. Fide, inquit, non solum diligimus Deum, sed etiam nos ab ipso diligi credimus, quanquam multipliciter reos, et nobis peccata remitti, et hic cultus praestantior est caeteris, ac magis glorificat Deum, quam caeteri cultus operum, ut non furari, non occidere. Etsi saepe Chrysostomus extra viam currit, tamen hoc dictum iure celebratur. Nam fidei naturam perspicue et ut ita dicam, vivis coloribus illustravit, cum ait, credendum esse, quod diligamur a Deo, quanquam *ὑπεύθυνοι*, et accipiamus remissionem peccatorum, *καυχᾶται γὰρ πάλιν ὁ πιστὸς, οὐχ ὅτι τὸν θεὸν ἐφίλησε μόνον γνησίως, ἀλλ' ὅτι καὶ πολλῆς παρ' αὐτοῦ τιμῆς ἀπήλαυσε καὶ ἀγάπης, ὥσπερ γὰρ αὐτὸς αὐτοῦ ἠγάπησε, μεγάλα περὶ αὐτοῦ φαντασθεὶς, τοῦτο γὰρ ἀγάπης δεῖγμα, οὕτω καὶ θεὸς αὐτὸν ἐφίλησε μυρίοις ὑπεύθυνον ὄντα, οὐχὶ κολάσεως ἀπαλλάξας μόνον, ἀλλὰ καὶ δίκαιον ἐργασάμενος.*

Digna et Bernhardi vox est quae celebretur, cuius haec sunt verba in concione de Annunciatione: Necesse est primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Sed adde adhuc ut credas, et hoc, quod per ipsum peccata *Tibi* donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus. gratis iustificari hominem per fidem. Extant et similes sententiae aliquot apud hunc, quanquam recentem scriptorem, sed tamen non rudem spiritualium exercitiorum: in quibus didicit acquiescere conscientiam non posse, nisi fide statuat gratis remitti peccata propter Christum. Intelligit igitur fidem, ut nos, de fiducia. Dixi autem supra, nos complecti noticiam historiae, seu omnes articulos fidei, et cum fides intuetur hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, necesse est, fiduciam concipi, quod hoc beneficium vere accipiamus. Nam caeteri, qui tantum intelligunt fidem, historiae noticiam, non credunt hunc articulum: Remissionem peccatorum, sicut et palam iubent dubitare de remissione peccatorum.

Satis multa opinor de vocabulo dixi, quae piis, candidis, et amantibus veritatem satisfactura esse spero. Nunc reprehendenda est sophistica Origenis, Monachorum, et multorum aliorum, qui *κατὰ συνεκδοχὴν* dici arbitrantur: Fide iustificamur, id est, propter noticiam historiae de Christo, seu professionem et caeteras virtu-

tes, seu universalem obedientiam sumus iusti. Sic intelligunt fidem, et laudari professionem a Paulo arbitrantur, quia etsi communis est professio cum flagitiosis, tamen sine ea caeterae virtutes, ut in Turcis, non placerent Deo. Ita haec synecdoche transformat Evangelium in legem, transfert gloriam Christi ad nostras virtutes, delet consolationem conscientiarum, abolet doctrinam veram de fide, id est, fiducia misericordiae. Imo Monachi etiam iubent dubitare de remissione peccatorum. Vident enim in humanis mentibus naturaliter haerere dubitationes de Dei voluntate. Ideo confirmant eas, nec putant esse vitia, tenebras nobiscum natas, prorsus ut academici Philosophi seu Pyrrhonii. Copiosius igitur infra in Commentario refutabo hanc synecdochen, pugnantem cum tota disputatione Pauli. Nos retinemus τὸ ῥητὸν apud Paulum: Fide iustificamur gratis, id est, consequimur remissionem peccatorum et imputationem iusticiae coram Deo, non propter ulla nostra merita, sed fide, id est, fiducia misericordiae promissae propter Christum. Non igitur affingimus Paulo synecdochen, nec mutamus eius concionem, sed ab ipso discimus, retinemus sententiam, quam et sermonis proprietas, et series disputationis efficiunt. Spero enarratis vocabulis, intelligi propositionem: Fide gratis iustificamur. Valde autem prodest piis, huius propositionis certa testimonia, ac confirmationes in promtu et in conspectu habere, tum ad erudiendas mentes, tum ad excitandam fidem atque invocationem. Ideo alibi multas sententias ex Paulo congessi de hac propositione. Hic satis sit monstrasse praecipua loca. In fine capitis tertii ad Romanos, diserte et multis tradit hanc propositionem Paulus: deinde accommodat ad propositionem, ut series disputationis postulabat, gravissimas et eruditissimas confirmationes, quae quidem infigendae sunt animis, ut fidem accendant, et nobis praeluceant in omnibus periculis.

Dixi de iustificatione, et de fide. Nunc breviter adiiciam doctrinam de bonis operibus seu de nova obedientia, quae fidem sequi debet. Quaeruntur autem haec quatuor. Quae opera facienda sint? Quomodo fieri possint? Quomodo placeant? et, an propter novam obedientiam renati sint iusti? id est, accepti Deo ad vitam aeternam, seu, an sint sine peccato, et digni vita aeterna propter propriam munditiem. Quarto quaeritur de discrimine peccatorum: Quae excutiant gratiam, fidem, et Spiritum sanctum? Quae dicantur venialia?

De prima quaestione, Quae opera facienda sint. Rectum est deducere mentes ad verbum Dei, ut sciant totam vitam in certamine conscientiae, et in actionibus regendam esse verbo Dei, sicut inquit Propheta: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Respondeo igitur facienda esse opera nobis a Deo praecepta. Et certum verbum proponatur, videlicet, Decalogus ut in novo testamento repetitus et enarratus est, etsi qua alia praecepta sunt de moribus in concionibus Christi et Apostolorum. Hoc eo dicendum est, ne putent homines licere fingi cultus et opera nostro arbitrio sine mandato Dei, sicut Enthusiastae omnibus temporibus, hoc est, olim Monachi, et nunc Anabaptistae, omisso et abiecto verbo Dei, opera elegerunt suo iudicio, postea affinxerunt se sic incitari a spiritu, nec esse lege spiritum impediendum. Hinc secuta est horribilis Anabaptistarum ἀνομία. Porro infra dicetur, quid sit esse liberatum a lege, nunc illud breviter dico, renatos fide, ut dictum est, accipere Spiritum sanctum, ut in eis incoëtur nova obedientia, lux, et vita aeterna, quae est quaedam in nobis incoatio legis divinae. Ideo dicitur in Propheta: Dabo legem meam in corda eorum. Haec incoatio necessario sequi fidem debet, sicut testantur multae sententiae: Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Item: Nisi abundaverit iusticia vestra, etc. Item: Fornicatores, adulteri, non possidebunt regnum Dei. Et Spiritus sanctus movet corda per verbum Dei. Ideo regenda est obedientia certo verbo Dei, cui debemus obtemperare, sicut Paulus inquit: Debitores sumus, ne secundum carnem vivamus. Nec potest existere fides sine poenitentia: quia fide accipienda est remissio peccatorum. Non autem petit remissionem is, qui delectatur scelere contra conscientiam. Neque vero tantum externa disciplina flagitatur, sed incoatio interioris obedientiae, scilicet pii motus cordis consentientes cum lege Dei.

Adversarii nostri cum de bonis operibus vociferantur, clamitant de puerili diciplina, de modestia in vestitu, in cibo et potu, interdum de eleemosynis aliquid dicunt. Interea de operibus primae tabulae silentium est, de quibus, cum ignorent doctrinam de fide, nihil dicere possunt. Sed Deus flagitat utriusque tabulae officia. Vult

nos expavescere agnoscentes iram adversus multiplicem infirmitatem, et infinita errata nostra. Vult nos reconciliatos per filium credere, quod receperit nos in gratiam, quod velit nos servare, nobis opitulari. Hac fide vult invocari, vult a se peti et expectari auxilium iuxta Psalmum 49.: Invoca me etc., vult nos fide ab ipso pendere, non quaerere praesidia contra eius voluntatem. Hi sunt arcani cultus, et proprii Christianorum, quos intelligere nos oportet, et quorum exempla conspiciuntur in illis excellentibus viris, quos Deus nobis tanquam magistros proposuit in Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Samuele, Davide, Ieremia, Daniele, et similibus. Vult item nos ardere studio cognoscendi, propagandi et ornandi Evangelii. Ad hunc cultum docet omnes praecipue conditos, renatos et vocatos esse, sicut ait Petrus: Vocati ex tenebris, ut enarretis ac celebretis beneficia Dei. Et in Psalmo 34.: Confitebor tibi in Ecclesia magna. Et Psalm 115.: Vota mea Domino reddam coram omni populo, in atriis domus Dei nostri. Vult nos in professione Evangelii praestare constantiam, in afflictionibus obedientiam, et ab ipso petere ac expectare auxilium. Vult nos cavere, ne nostris erratis aut malis exemplis scandala excitemus, vult nos refutare ac odisse impia dogmata, non colludere cum organis diaboli, quae conantur delere Evangelium. Sed non institui hic enarrationem decalogi, in quem tamen pios semper intueri oportet, et considerare quam multa, magna et ardua officia complectatur.

De secunda quaestione: At in hac nostra infirmitate quomodo effici possunt opera tanta, interiora et exteriora? Etsi exterior disciplina utcunque praestari potest humana diligentia, tamen motus spirituales effici non possunt sine Spiritu sancto: ideo cum fide eriguntur corda, datur Spiritus sanctus, ut in animis accendat novam lucem, et exuscitet motus pios, convenientes legi Dei, iuxta illud Pauli: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Et Zachariae 12.: Effundam super habitatores Ierusalem spiritum gratiae et precum. Venustissime significavit Propheta praecipua officia Spiritus sancti in cordibus piorum, et praecipuos cultus. Nominat spiritum gratiae, quia cum fide erigimur, a Spiritu sancto adiuvamur, ut statuamus nobis Deum esse propicium, et nos vicissim ipsi acceptos esse. Primum ergo significat fidem excitari a Spiritu sancto, in quo motu dat nobis testimonium, ut ait Paulus. Cum fide iam agnoscimus misericordiam et praesentiam Dei, invocamus eum, et nos ei subiicimus, ac caeteros veros cultus praestare incipimus, quos omnes nomine precum complectitur: hic enim est summus honos. Satis igitur intelligi potest, fidem, de qua nos loquimur, etiam incoationem esse reliquae interioris obedientiae, et ut vocatur, boni propositi. Nec incoari posset primum praeceptum, quod concionatur de ira Dei adversus peccatum, non de gratuita condonatione, nisi prius audito Evangelio statueremus nos fide propter Christum gratis consequi remissionem peccatorum.

Intuetur autem fides filium Dei regnantem, et scit illum non otiosum esse, sed assidue belligerari cum diabolo, qui non desinit summâ saevitia et astutia grassari in membra Christi, pellicit insidiis in peccata, in tristes casus, ut inde pertrahat in desperationem, offundit errores, confirmat Epicureas opiniones, quae blandiuntur levibus ingeniis. Incitat tyrannos, ut gigantea audacia conentur delere nomen Christi, et exerceant iniustissimam crudelitatem. Cum autem satis constet longe imbecilliorem esse humanam naturam, quam ut tam vigilantem ac rabidum hostem sine coelesti auxilio vincere possit: ideo fides meminit regni Christi, scit eum post primam promissionem semper adfuisse piis, cum dictum est: Semen mulieris conteret caput serpentis, quam sententiam Ioannes reddit his verbis: Christus apparuit, ut destruat opera diaboli. Adfuit Iacob et benedixit ei, et confirmavit eum Spiritu sancto: adfuit Danieli, et quidem cum eo colloquitur. Sic regnat igitur, ut suis membris adsit, confirmet ea suo spiritu, et tegat contra insidias et impetus diaboli. Quales autem et quam gloriosae sint tales victoriae, significant exempla Davidis, Ezechiae, Danielis, et similia: et ostendet hos triumphos Christus in resuscitatione mortuorum, etsi mundus nunc res tantas negligit et deridet. Sed pii haec praelia non omnino ignorant, ac singuli in suis periculis fidem exercere debent, et agnoscere ac invocare ducem Christum, et fiducia ipsius praeliari cum diabolo, nec oblivisci verba Ioannis: Christus in hoc apparuit, ut destruat opera diaboli. Hinc intelligi potest, fidem non esse otiosam speculationem, sed lucem gubernantem omnes actiones et omnia pericula. Possumus igitur incoare obedientiam adiuti a filio

Dei regnante, qui adest nobis tanquam dux, et Spiritum sanctum impertit: Non enim cogitandum est Christum regnare otiosum sicut fingunt Poëtae, Iovem otiosum in coelo convivia agitare. Tales sunt tenebrae in mentibus hominum de Deo. Sed hi errores luce Evangelii et fide emendandi sunt. De his fidei exercitiis, et de vera invocatione quid possunt dicere adversarii nostri, qui pro Evangelio de fide, docent nos Pyrrhoniorum philosophiam de dubitatione.

De tertia quaestione. Haec minus explicata est in veteribus quam priores, cum sit maxime necessaria. Manet in renatis ingens imbecillitas, minus timent Deum, quam oportuit, non ardent fide et dilectione, interdum quaerunt humana praesidia aliter, quam concessum est, errant, sunt negligentes in officio, fiunt insolentes in secundis rebus, habent immoderatos affectus, amores, odia, appetunt inconcessas voluptates, in afflictionibus fremunt adversus Deum, dubitant de misericordia Dei, anguntur diffidentia, inflammantur iniusta cupiditate vindictae, non ardenter student gratitudinem suam Deo declarare, non agunt gratias flagranti pectore pro tot beneficiis, non satis magni aestimant Evangelium, frigide adiuvant Evangelii propagationem, non afficiuntur publicis calamitatibus Ecclesiae et Reipublicae, non faciunt vota pro Ecclesia, pro Principibus, incenduntur iniustis studiis quaerendarum opum, honorum, potentiae, invident aliis quos vident antecellere virtute, aut aliis bonis, et aemulatione. Interdum scandala excitant: sicut aemulatio contumaciam peperit in sorore Moisi et Aarone. Haec non sunt levia mala existimanda, sed sunt vitia pugnantia cum lege Dei, et digna morte aeterna, et oriuntur a magnis pestibus et peccato originis, videlicet ex ignoratione Dei, et aversione humanae voluntatis a Deo, de quibus vitiis, cum inquit Paulus: Sensus carnis est inimicitia adversus Deum, non levem deformitatem describit, sed ingens et atrox malum. Constat igitur neminem legi Dei satisfacere praeter Christum, et in sanctis manere vitia pugnantia cum lege Dei, quae sunt peccata digna aeterna morte, nisi condonentur. Hoc cum ita sit, non tantum in scholis, sed in omnium piorum mentibus haec quaestio perpetuo agitatur, et non vulgaria pericula et certamina movet: An Deo placeat, et quomodo placeat imperfecta et contaminata obedientia. Ideo necesse est pios de hac quaestione recte doceri in utramque partem. Hypocritae, ut est naturae infirmitas, sibi placent, admirantur suas virtutes, extenuant naturae infirmitatem, ac putant se sine peccato esse, et legi Dei satisfacere, se dignos esse vita aeterna, ac mereri vitam aeternam. Tales sunt non modo hypocritarum cogitationes, sed omnium hominum iudicantinm secundum rationem. Sic Plato, sic Cicero disputant de immortalitate animae, puriores animas, quae minus habent contagii a corporibus, hoc est, quae modestius vixerunt, subvolare in aethera, sed pigriores, quae plus contagii a corporibus habent, hoc est, quae voluptatibus corporis se inquinaverunt, humi circa sepulcra vagari. Quid aliud reipsa dicunt Monachi, cum iactitant merita sua? Etsi autem ratio humana non aliter iudicat suo lumine, tamen verbum Dei testatur neminem legi satisfacere, accusat homines confidentes propria iusticia, et proponit mediatorem filium Dei, necesse est igitur arrogantiam et securitatem hypocritarum reprehendi. Rursus pavidis conscientiis opus est vera consolatione, ut discant Deo non placere diffidentiam, sed fidem: discant idem quomodo vita, mores, seu opera placeant: nam haec quoque placere oportet. Petrus in cymba perterrefactus, inquit: Exi a me Domine, quia peccator sum. Etsi in ea consternatione animi, quid diceret, non attendit, tamen, ut fit in subitis motibus, sine simulatione expressit, quod animus sentiebat, fugiebat Deum, intuens suam indignitatem: sic omnes homines conspecta indignitate sua, fugiunt Deum, et putant se recte facere, quod indigni nolint ad Deum accedere. Hunc errorem infixum humanis animis reprehendit vox Evangelii, quae iubet accedere quanquam indignos, sed fretos mediatore filio Dei. Etsi igitur necessaria est nova obedientia, ut dictum est, ac iusticia bonae conscientiae, tamen renati non satisfaciunt legi, et manet in eis morbus originis: qui, ut saepe iam dictum est, nequaquam existimetur leve malum, et hic morbus gignit innumerabiles pravos affectus. Haec cum sint vitia digna morte aeterna, renati etiam post conversionem, non sunt iusti, id est, accepti Deo ad vitam aeternam, propter proprias virtutes, sed per misericordiam gratis, fiducia mediatoris Christi. Item non merentur vitam aeternam suis operibus seu virtutibus. Sed statuere debent se fieri haeredes vitae aeternae propter Christum gratis fide: etsi fidem, ut dictum est,

semper sequi debet nova obedientia. Quod autem sancti non satisfaciant legi, et quod maneant in eis peccata, testantur sequentes sententiae.

Psalm. 142.: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

1. Ioan. 1.: Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

Rom. 7.: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati. Ac saepe ibi repetit Paulus vocem peccati, significans illum morbum esse vitium vere pugnans cum lege Dei, et dignum morte aeterna, nisi fide peteret condonationem. Ac loquitur non de levi tantum corporis titillatione, sed de acerrimis motibus animi, tubitantis de voluntate Dei, abhorrens a cruce, non erecti fiducia et laetitia in Deo: ut erigimur laetitia, et acquiescimus, cum videmus corporalia praesidia. Et ex hac diffidentia oriuntur multa prava consilia etc. Ideo usus est duobus verbis admodum illustribus, *ἀντιστρατευόμενον*, dicit morbum hostili more grassari, sauciare mentem diffidentia, terroribus, superbia, fiducia propriae sapientiae ac iusticiae, securitate, et incendere flammas varietate cupiditatum. Ac non videatur hostis contemnendus. *αἰχμαλωτίζοντα*, opprimit infirmos animos, et capit, etsi capti liberantur per Christum, ut Moises captus erat, cum ad rupem haesitaret ac diffideret. David captus erat, cum iuberet numerari populum, aliquo humano errore: vel quia gloria movebatur, quod suis rebus gestis regnum auxisset, vel ob alias causas. Sed omitto exempla: non enim desunt piis multa domestica exempla, ipsi experimur, quam sit assiduus hostis, et quam saepe opprimat animos praeter opinionem nostram. Nam et diabolus simul oppugnat pios.

1 Corinth. 4.: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum, quasi dicat: Etsi iusticia bonae conscientiae est necessaria, tamen propter eam non sum iustus, id est, acceptus coram Deo ad vitam aeternam, sed fide in Christum.

Christus iubet sanctos petere remissionem peccatorum: Et dimitte nobis debita nostra. Item inquit: Dicite, servi inutiles sumus etc.

Psalm. 129.: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Agnoscit se habere peccata, et tamen statuit se placere Deo per misericordiam, et expectat salutem, ideo addit: Sustinuit anima mea in verbo eius, id est, promissione divina me sustento, accedo ad eum, expecto salutem, et in eo acquiesco, confidens ipsius bonitate quod me servaturus sit.

Psalm. 18.: Delicta quis intelligit? ab occultis munda me. Constat autem ibi Prophetam, ut alibi, et de seipso, et de caeteris sanctis loqui: Illi ipsi quos vocat servos Dei, sanctificati per Spiritum sanctum, ornati excellentibus donis, versantes in fidei exercitiis, in gubernatione maximarum rerum, ut Abraham, Ioseph, Moises, Samuel, David, Esaias, una voce sic clamitant: Delicta quis intelligit? ab occultis munda me. Quare detestanda est arrogantia hypocritarum, qui iactitant se suis operibus mereri vitam aeternam, et quidem, ut ipsi loquuntur de condigno.

Psalm. 31.: Dixi confitebor adversum me iusticiam meam Domino, et tu remittis peccatum meum: De hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Palam testatur sanctos oportere petere condonationem praesentium vitiorum et erratorum.

Iob. 9.: Verebar omnia opera mea.

Exodi 34.: Et innocens non est coram te innocens, id est, etsi humano iudicio non potest accusari, tamen a te accusari potest.

Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei, id est, agnosco nos habere peccata, et iuste abs te puniri. Deinde addit: Nobis confusio, tibi autem misericordia et propiciatio, id est, agnosco nos esse peccatores, sed tu propter promissam misericordiam, rursus exaudi, et libera nos. Eandem sententiam aliquanto post repetit, ac nobis exemplum fidei et invocationis proponit: Non propter iusticiam nostram petimus, sed propter misericordiam tuam magnam. Hae conciones magno consensu repetuntur in sacris libris, semper accusatur nostra infirmitas, et iubemur fide confugere ad misericordiam, propter promissum mediatorem filium Dei. Sic et Paulus non aliquam partem hominum accusat, sed simpliciter affirmat omnes homines praeter Christum esse reos coram Deo. Ideo inquit: Ut omne os obstruatur, et totus mundus sit reus coram Deo. Item: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Item: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Has sententias pii sibi proponant, ut agnoscant infirmitatem nostram vere peccatum

esse, et expavescant metu irae Dei adversus peccatum: ita crescat in nobis poenitentia. In prima concione de postremo iudicio dicitur in Genesi: Peccatum quiescet, donec revelabitur. Hic descripta est securitas totius generis humani, negligens iudicium Dei. Quiescit, inquit, peccatum, id est, quia Deus differt poenas, omnes homines erunt otiosis animis, contemnent minas, sed tamen tandem peccatum proferetur, ibi non quiescet, sed incutiet aeternos terrores mentibus, adferet horribilia supplicia. Est igitur infixa animis omnium securitas. Haec est causa, cur omnes homines extenuant suam infirmitatem, nec magnitudine mali moventur, etsi gravissimi lapsus sanctorum, et ingentes calamitates hominum admonere nos debebant, ut statueremus Deum vere irasci huic vitio, et moveremur voce Spiritus sancti, arguente hoc peccatum.

Ut igitur placeat incoata obedientia, haec tria concurrant. Primum statuendum est personam gratis fide Christi placere. Deinde agnoscamus infirmitatem nostram vere esse peccatum, et vere doleamus nos habere haec vitia: sed rursus erigamus nos et credamus nobis ea condonari propter Christum, postquam fide facti sumus filii, et placere incoatam obedientiam, non propter propriam munditiem aut dignitatem, sed propter mediatorem Christum: qui cum sit pontifex noster, iam nostras preces et cultus ad patrem perfert, sic docet Petrus: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Ornat honorifica appellatione bona opera, cum vocat hostias: haec enim vox convenit propriis cultibus Dei: et quidem vocat spirituales hostias, hoc est, motus excitatos in corde a Spiritu sancto. Et tamen hos cultus non ait aliter acceptos esse, nisi per Iesum redemtorem ac pontificem, pro nobis assidue interpellantem. Hoc modo docendi sunt pii, et excitandi ad bene operandum. Deus condidit genus humanum ad societatem, praecipue propter hanc causam, ut inter homines innotescat, ut doctrinam de Deo et de filio Dei alii aliis tradere possint, ut recte et eleganter Stigelius:

Utque alios alii de relligione docerent,
Contignas pietas iussit habere domos.

Itaque et officia varia hominibus attribuit, gubernationem Ecclesiae, scholarum, coniugium, educationem liberorum, gubernationem politicam, bella, contractus. Praeterea subiecit Ecclesiam ingentibus afflictionibus. Ad quid haec tanta varietas operum instituta est? ad hoc ipsum, ut luceat et crescat fides in his difficultatibus et periculis. Credat nos non ad perniciem a Deo conditos esse, sed velle eum nos recipere et salvare propter Christum. Invocet, et statuat adesse Christum ducem, qui reprimat diabolum, adiuvet nos in privata et publica vita. Gubernator Ecclesiae clamitet: Domine labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam. Doctor iuventutis cogitet quam atrociter minatus sit Christus his, qui scandala excitant perniciosa pueris, oret ut Christus regat studia et mores. Intelligant sua pericula patresfamilias. Boni Principes cogitent se debere Ecclesias recte constituere, regere mores populi, punire Epicureos, latrones, impudicos, fures, mendaces: ius dicere, ut suum quisque teneat. Studet autem diabolus praecipue turbare Ecclesias et imperia, armat tyrannos contra Ecclesiam, ideo ardeat fides in Principibus, quae credat Christum ipsis opitulaturum esse, ac destructurum opera diaboli. Denique ut invocatio, ita fides praelucere omnibus actionibus debet. Quanquam autem virtutes, aut opera piorum non merentur remissionem peccatorum, nec vitam aeternam, seu non sunt pretium vitae aeternae, nemo enim satisfacit legi, et Christi meritum non in opera nostra transferri debet: et promissio fieret incerta, si penderet ex conditione nostrae dignitatis, tamen nova obedientia sequi fidem necessario debet: et quidem incoatur, cum fide accipimus Spiritum sanctum. Et excutiuntur fides et Spiritus sanctus, amissa nova obedientia, cum contra conscientiam violantur mandata Dei. Nam fides et propositum contra conscientiam, agendi, non possunt simul esse. Huc pertinent dicta plurima de operibus: Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Universa obedientia debet esse confessio, id est, referri ad celebrandam gloriam Christi, et ad propagandum Evangelium. Etsi igitur propter Christum iusti sumus et haeredes vitae aeternae, tamen adesse haec obedientia debet, et placet ut dictum est, nec posset sine ea obedientia retineri fides. Ideo et alibi inquit Paulus: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Propter Christum donatur vita aeterna, sed donatur credenti: in quo fide incoatur vita aeterna, quae incoatio est nova obedientia. Dignitas nostra excluditur, ut suus honos Christo tribuatur, et ut promissio sit certa,

et habeamus firmam consolationem contra desperationem. Erat igitur et in latrone conversio in cruce nova obedientia, aderat poenitentia: quaeritur enim se peccasse. Et mira lux fidei in hoc abiecto homine exorta est, ostenditque Deus hoc exemplo se mirabiliter in extremis difficultatibus Ecclesiam conservare et restituere. Apostoli dilapsi dubitabant de Magistro, viderant magnitudinem calamitatis, quare cogitabant desertum esse a Deo: sed hac specie non deterretur latro, quo minus ab eo salutem petat, audierat paulo ante vocem hanc: Pater remitte eis. Audierat et quaedam eius facta et genus professionis. Videbant naturam rerum, obscurato sole et terrae motu de eo testimonium dicere. Magno igitur impetu eum invocat, inquiens: Memento mei Domine, cum in regnum tuum veneris. Quanta haec fidei lux erat: hunc supplicii socium et morientem iam agnoscit esse Messiam remittentem peccata, et daturum vitam aeternam, abolita morte et regnaturum post hanc vitam. Apostoli antea in reb. secundis cogitaverant fore regem, pulsis Romanis. At hic una morientem praedicat regnaturum esse post mortem. Vicissim igitur et Christus testatur se regnaturum esse, se esse datorem vitae aeternae, et proponit latroni absolutionem et Evangelium de vita aeterna, ut fidem eius accendat et confirmet: Hodie eris mecum in Paradiso. Hac voce confirmatus latro, agnoscit se non propter sua merita, sed propter hunc dominum habere vitam aeternam. Et simul cum hac fide et consolatione, incoatur in eo vita aeterna, quae est nova obedientia erga Deum. Videte quaeso, nam hic Apostolus pendens, e sublimi concionatus est non tantum illi coetui qui tunc aderat, sed universae Ecclesiae venturae. Quam illustris imago proponitur, ex qua discendum est, gratis nos salvari propter Christum fide, et tamen adesse oportere poenitentiam, ac caeteros bonos fructus. In hoc latrone conspiciuntur poenitentia, fides, invocatio, confessio seu concio. Constat autem haec esse praecipua bona opera et summos cultus Dei. Addidit et aliud insigne opus, ac praecipue necessarium, quandocunque Christo maledicitur. Duriter castigat maledicum, et defendit gloriam Christi. Ita et nos vero animi ardore taxare debemus impios doctores, tyrannos et eorum satellites, qui Christo convicia dicunt. Ac mihi saepe in mentem venit hunc concionatorem praecipue significare postremis Ecclesiae temporibus, quare eum diligenter audiamus, et exemplum eius attente consideremus, ac imitemur.

Postquam autem si placet, ut dixi, nova obedientia, etsi vita aeterna propter Christum gratis donatur, tamen etiam compensat nostros labores, actiones et aerumnas. Ideo Christus inquit: Merces vestra copiosa est in coelis. Et quanquam non merentur vitam aeternam, tamen merentur sua praemia corporalia et spiritualia, quae contingunt tum in hac vita, tum post hanc vitam. Cum enim velit Deus inter homines conservare Ecclesiam, impertit multa corporalia beneficia. Est opus victu, pace civili, et aliis vitae commodis. Est et spiritualibus beneficiis opus, prudentia, eruditione, fortitudine, successibus in vocatione. Ideo Christus inquit: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Et Paulus: Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae. Et Marci 10.: Recipiet centuplum in hac vita, sed cum persecutione. Et praeceptum quartum ait: ut sis longaevus super terram. Et Christus: Date, et dabitur vobis. Et Matth. 10.: Qui dederit potum aquae, uni ex minimis, propter doctrinam, non perdet mercedem. Denique passim extant in concionibus Prophetarum promissiones de corporalibus et spiritualibus beneficiis, ut Esaiae 33. dicitur de piis: Panis eis dabitur, et regem videbunt florentem, id est, habebunt victum, tranquillas respublicas etc. Vidua Sareptana excepit hospitio Eliam Prophetam, cum annona esset arctissima. Hic primum mulieris fidem specta, deinde opus: postremo praemia admiranda. Propheta iubet sibi praeberi quantulum erat cibi reliquum, et addit promissionem, ut ostendit lectio historiae. Huic voci obtemperat mulier, tametsi videbat praeter has reliquias nihil superesse. Hanc liberalitatem non exercuisset mulier, nisi fide erecta, cogitasset Deo obediendum esse, iuvandum Prophetam, et vicissim expectandum beneficium a Deo. Accipit igitur praemium fidei et eleemosynae, alitur familia divinitus donec laxior facta est annona, restituitur et mortuus filius, quo miraculo magis confirmata est fides matris, et adolescens ad pietatem vocatus, quem quidem Epiphanius scribit fuisse Ionam Prophetam, qui postea regi Assyrio in Ninive concionatus est, et verbum Dei late et feliciter propagavit. Ita omnibus temporibus sancti acceperunt non solum spiritualia beneficia, sed

etiam pleraque corporalia, ad conservationem Ecclesiae, et alii aliis muneribus ornati sunt, ut Deo visum fuit. Paulum tantisper servat incolumem, dum vult eum fungi ministerio, et interea curat ei hospicia et caetera vitae commoda. Sic et Paulus ad Corinthios de pestilentia scribit, castigari eos ea poena propter vitia sua: si agerent poenitentiam poenas cessaturas esse. Sicut et Zacharias inquit: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, id est, mitigabo calamitates ac poenas, si agetis poenitentiam. Nec de uno tantum opere loquitur, sed de vera conversione et fructibus. Ex his satis intelligi potest, et quomodo placeat incoata obedientia, et quae habeat praemia. Accendere autem studium bene operandi multa debent, mandatum Dei, item quod fides extinguitur amissa obedientia, item quod praesentibus et aeternis poenis puniuntur, et amissio fidei, et caetera delicta. Item saepe caecitate et peccatis delicta puniuntur. Rursus non solum promissio invitet ad credendum, et ad retinendam fidem, sed etiam mandatum Dei. Praecipit enim ut credamus filio. Invitet ad exercendam fidem in bonis operibus, quod sine exercitiis non crescit fides, ut ostendit similitudo de talento. Et recte illud Augustinus: Dilectio meretur augmentum dilectionis, non enim loquitur de imputatione, sed de donis. Dona crescunt usu, et merentur incrementa. Invitet et magnitudo misericordiae Dei, quod hanc miseram, mendicam, et tam varie contaminatam obedientiam, tamen approbat, et per eam se honore affici indicat. Invitent et alia praemia necessaria vitae et Ecclesiae, et suo loco expetenda, quae fidei exercitiis proposita sunt, ut victus, pax, boni successus in vocationibus, in studiis, in gubernatione Ecclesiae et Reipublicae, liberorum pietas, virtus, et felicitas. Haec sunt ingentia praemia, sed tanta est mundi caecitas, ut non solum mandato Dei, et mentione aeternarum poenarum ac aeternae salutis leviter afficiatur, sed etiam non satis intelligat quantum opus sit corporalibus beneficiis, et quantum referat eis recte uti. Oremus igitur Deum propter Dominum nostrum Iesum Christum, qui interpellat pro nobis, ut nos exuscitet ad veram pietatem, erudiat et gubernet nos dato Spiritu sancto. Sicut pollicitus est se daturum Spiritum sanctum petentibus.

De quarta quaestione. De discrimine peccatorum. Nam cum dicimus reliquias peccati manere in renatis, et simul esse fidem, necesse est discerni peccata, ne quis putet adulteria et similia flagitia cum fide existere posse. Dixi autem in locis communibus, aliquanto prolixius de discrimine peccati mortalis et venialis. Ideo hic paucis admonebo lectorem. Cum fide iustificati sumus, sequi debet in renatis iusticia bonae conscientiae. Hunc gradum aperte et saepe constituit doctrina Christi, ut 1. Timoth. 1.: Summa mandati est, dilectio ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Et rursus eodem capite: Milites bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Et 2 Corinth. 1.: Gloriatio nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. Et 1. Ioan. 3.: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad Deum, docet enim non posse invocare Deum istos, qui habent propositum violandi mandata Dei contra conscientiam. Et 2. Petri 3.: Cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam. Ideo et ad Galatas 5. dicitur: Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, impudicitia, idolatria etc. Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Ideo enim vocat manifesta, quia facta damnat, quae scientes contra conscientiam admittunt. Quare et Paulus Rom. 8. discernit peccata: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si actiones carnis mortificabitis spiritu, vivetis. Sunt in sanctis actiones carnis, id est, vitiosi affectus: his cum repugnant spiritu, id est, non hypocrisi, sed cum vero timore Dei et vera fide coercentur vitiosi affectus, manent sancti in gratia, retinent Spiritum sanctum et fidem. Neque haec fiunt sine magno certamine in animis. Variae sunt mundi illecebrae, turbulenti impetus sunt in carne nostra. Et diabolus intentus est in occasiones, per quas impellere animos possit. Ideo vigilantia nobis opus est, et fide ac invocatione. Nam victoria est Christi, in nobis vincentis diabolum. Sed tamen accedere nostra disciplina debet, et fide petendum est auxilium, sicut Petrus inquit: Vigilate, quia diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret. Et de disciplina: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. Timor Dei repugnet pravis cupiditatibus et illecebris: Fides petat auxilium et condonationem infirmitatis, colligat argumenta, quae ostendunt magnitudinem et poenas peccati, perpetuas et praesentes. Ut Ioseph solicitatus illecebris dominae, non sine certamine restitit et furori mulieris, et insidiis diaboli. Vidit diabolum hoc

agere, primum ut ipsum scelere pollutum avelleret a Deo, spoliaret dono prophetiae, et aliis divinis ornamentis, excitaret scandalum ad infamandam doctrinam, quam Ioseph profitebatur, ut Deo malediceretur, et extingueretur ibi vera religio, quae recens illuxerat. Tantam ruinam una haec voluptatula traxisset. Nam diabolus longe prospicit, et telas texit nobis postea inextricabiles, ut David expertus est, et multi pii experiuntur. Haec argumenta omnia colligens Ioseph, erexit se fide contra illecebras et pericula, et cum ipse disciplina se coërcuit, tum vero petivit coeleste auxilium. Ita noster dux filius Dei, per Ioseph superavit ac fregit diaboli conatus. Cum hoc modo pii repugnant infirmitati, et fide petunt auxilium et condonationem, non amittunt gratiam, Spiritum sanctum et fidem. Et talis infirmitas vocatur vulgo peccatum veniale in sanctis.

Alii sunt lapsus contra conscientiam, quos vocant Graeci *φονικὰς ἁμαρτίας*. Et Paulus ait: Manifesta sunt opera carnis, videlicet, cum contra conscientiam violat aliquis mandata Dei, vel indulgens pravo affectui ac non repugnans: ut Saul oderat Davidem, vel addens externum facinus: ut David rapuit alterius uxorem. Talia delicta committentes amittunt gratiam, contristant et excutiunt Spiritum sanctum, et abiiciunt fidem, ac nisi poenitentiam agant, et rursus ad fidem convertantur, morientes abiiciuntur in aeternos cruciatus. Neque opus est huc adferri disputationes de praedestinatione. Nos de nostris factis, et de voluntate ac iudicio Dei, iuxta verbum Dei expressum pronunciare debemus. Si David non resipuisset, fuisset abiectus in aeternos cruciatus, sicut Saul. Securitas alte infixa est animis hominum, praesertim otiosis. Ideo cavendum est, ne huic malo indulgeamus, quod variis praetextibus confirmatur. Proponamus nobis verbum Dei, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Id testatur amitti gratiam, et excuti Spiritum sanctum per tales lapsus, ut Roman 8.: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Matth. 12.: De diabolo redeunte ad eos, a quibus eiectus fuerat: vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima peiora prioribus. Matthaei 13. de semine quod strangulatur mundanis illecebris, primae ad Corinthios sexto: Ne erretis, scortatores, idolatrae, moechi, fures, regnum Dei non possidebunt. Et testatur se concionari iis qui antea consecuti fuerant beneficia Christi. His praecipit, ut caveant ne ea amittant. Item primae ad Corinthios decimo: Non fiatis idolatrae, non scortemur, sicut quidam illorum scortati sunt, et perierunt uno die viginti tria millia hominum. Ad Galatas quinto: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Et deinde: Qui in carne seminat, metet interitum: Qui seminat in spiritu, metet vitam aeternam. Primae ad Timotheum quinto: Si quis suorum curam non habet, fidem abnegavit, et est infideli deterior. Ad Ebraeos decimotertio: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Secundae Petri secundo: Si cum effugissent inquinamenta mundi per agnitionem Domini et servatoris Iesu Christi, rursus illis impliciti superantur, fiunt eis posteriora deteriora prioribus. Matthaei decimo: Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram patre meo coelesti. Matthaei vicesimoquarto: Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit. Matthaei vicesimoquinto: Discedite a me maledicti in ignem aeternum: Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc. Primae ad Corinthios decimotertio: Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Etsi non propter nostras virtutes aut opera iusti, id est, accepti sumus Deo, tamen necesse est in nobis existere incoatam obedientiam, iuxta illud: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Primae Ioannis tertio: In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli: Qui non facit iusticiam, non est ex Deo. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Filioli, nemo decipiat vos. Qui facit iusticiam, iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Humana securitas extenuat magnitudinem nostrorum lapsuum, sed vide quam hae sint atroces minae. Quid potuit dici terribilius, quam quod inquit: Qui facit peccatum, ex diabolo est, hoc est, captivus est diaboli, agitatur et impellitur ab eo, desertus a Spiritu sancto, abiectus a Deo. Sicut etiam eventus testantur. Quantum unus lapsus Davidis scelerum et calamitatum peperit? Postquam vicit libido, rapta alterius coniuge, maritum iubet interfici, et una multi cives, viri sancti et fortes pereunt, nomen Dei contumelia afficitur. Postea filius movet seditionem, rapiuntur ad stuprum a filio coniuges patris, nefario et plusquam tragico scelere, interficiuntur multa millia civium.

Denique seditio non potest non innumera scandala et scelera parere. Ex Salomonis idolatria quae mala orta sunt? Regnum Israël dilaceratum est, et secuta perpetua idolatria, et bella intestina: Adae lapsus quae mala deinde peperit? Hoc agit diabolus, ut tales instituat telas, cum animadvertit nos extenuare peccata, et nobis ipsis blandiri, ac laxare frenum cupiditatibus: ita extinguitur fides. Nam fides quae petit remissionem peccatorum, non potest esse in iis qui delectantur peccato scientes, et sunt sine poenitentia, iuxta illud: Ubi habitabit Deus? In spiritu contrito, tremente sermones meos. Nolunt enim liberari a peccato, qui scientes eo delectantur. Admoneat igitur nos dictum Ioannis, unde peccatum oriatur, quantum hostem habeamus, quo spectet, et discamus exercere fidem, ut Christus in nobis vincat hunc hostem.

Hactenus exposui summam doctrinae Evangelii, de iustificatione, ut vocatur, seu de gratia, de reconciliatione, de fide, et de bonis operibus. Cum autem haec sententia sit plana ac perspicua, cum nihil habeat absurditatis, aut perplexitatis, aut sophistices, cum loquatur de motibus, qui noti sunt piis mentibus in Ecclesia, non disputet de otiosis argutiis, cum illustret gloriam Christi, cum magnitudinem infirmitatis humanae retegat, denique cum optime congruat cum perpetuo consensu universae scripturae veteris et novi testamenti, cum omnes pii omnibus temporibus in Ecclesia experiantur hanc consolationem veram et necessariam esse, mirum est in adversariis, partim tantas esse tenebras, ut eam non approbent, partim tantum furorem, ut non desinant eam omni scelere oppugnare. Sed diabolus multipliciter offundit errores humanis mentibus, ut gloriam Christi obscuret. Ideo pii orent, ut Christus Evangelium suum conservet, nec sinat ubique deleri, et sua luce nos gubernet, et quam pluribus monstret veritatem, depulsis nebulis, quas diabolus offundit. Invitet Christum et nostra sedulitas: eruditi dent operam, ut hanc tantam causam diligenter et dilucide proponant, ut curent eam ad posteritatem transmitti, sine sophistica, nec defugiant, vel in discendo ac docendo laborem, vel certamina in confessione. Nam nec sine eruditione satis perspicue explicari haec causa potest. Et quadam opus est magnitudine animi ad perferenda odia potentum, ac sapientum, qui improbant has disputationes, alii aliis de causis. Sed pios oportet *συναγωνίζεσθαι τῷ εὐαγγελίῳ*, sicut Christus inquit: In hoc glorificatur pater coelestis, si eritis mei discipuli, et fructum copiosum proferetis. Quare doctrinam bona fide simpliciter et recte proponamus, et oremus ut Deus addat Spiritum sanctum, ut largiatur, ut Paulus vocat, incrementum. Adiiciam autem pauca quaedam argumenta, quibus adversarii conantur labefactare nostram sententiam. Praecipuum est testimonium in Iacobo: Non ex fide tantum, sed ex operibus. Facilima est responsio: Iacobus fidem vocat noticiam historiae: ait enim daemones credere. At Paulus longe aliud vocat fidem, videlicet fiduciam misericordiae propter Christum promissae. Reprehendit igitur errorem eorum, qui se iustos esse arbitrantur propter professionem historiae: Haec est opus necessarium quidem, ut caetera bona opera, sed non est illa fiducia, qua accipimus remissionem peccatorum, ut constat. Deinde cum ait, ex operibus iustificatus est, phrasis est observanda. Non enim vult Abraham propter opera reconciliatum esse, sed opera reconciliati postea *Deo* placuisse. Nam opera in reconciliatis placent, ut dictum est, et sunt quaedam iusticia legis, sed non merentur remissionem peccatorum, aut acceptationem ad vitam aeternam. Sic igitur dixit, etiam ex operibus iustificatum esse Abraham, id est, etiam opera pronunciabantur iusta. Id verum est, de reconciliato, et credente. Et quidem necesse est, ut dixi, sequi opera, in quibus vivat et exerceatur fides. Agamus ingenue, sine sophistica. Iacobus non tractat causam Pauli, sed obiter loquitur de fide quae est noticia historiae. Quare eius dicta non sunt opponenda Paulo, aut reliquae scripturae propheticae.

Aliud.

Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Ergo propter opera datur vita aeterna, non donatur gratis credenti. Plana et perpetua responsio est ad talia dicta. Discerni debent dicta legis et Evangelii. Hic proponitur vox legis, quam interpretari ex Evangelio necesse est. Nemo enim servaretur, si ex lege esset iudicandum. Servans mandata, ingredietur in vitam: nemo enim satisfacit legi, nemo est sine peccato. Adde igitur Evangelium isti dicto: Si vis ingredi in vitam, serva mandata, scilicet iuxta *ἐπιείκειαν* Evangelii, quod promittit remissionem peccatorum et

imputationem iusticiae propter Christum: postea incoat novam obedientiam, et approbat eam, quanquam sit imperfecta, et non sit pretium vitae aeternae. Sic verum est oportere servari mandata, et necesse est legem proponi, ut crescant poenitentia et fides in nobis: sed non sola lex docenda est, sed addenda promissio Evangelii, sine qua lex tantum est ministerium irae et mortis aeternae. Et constat Christum esse finem legis. Quare non est resistendum in lege, sed cum legem audimus, et expavescismus, cogitemus nos accusari, non ut pereamus, sed ut quaeramus mediatorem filium Dei, hunc sciamus nobis donatum esse, ut per eum a peccato, a tyrannide diaboli, et a morte liberemur. Itaque cum incoatur in nobis vita aeterna, legi obedimus, et fiunt mandata, ut dictum est: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum.

Aliud.

1. Corinth. 13. Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Eadem responsio est: Fateor dilectionem esse necessariam, sed nec existere dilectio Dei potest, nec placere, nisi prius fide acceperimus remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae. Facile est otiosis fingere dilectionem Dei, sed referri haec debent ad veram luctam in mentibus, et veros motus in invocatione, in periculis. Hic alii dubitant, an Deus curet res humanas, an vero casu accidant secundae res et adversae. Alii sentientes iram Dei, ut Saul, succumbunt in afflictionibus, ac fremunt adversus iudicium Dei. De his ingentibus animi procellis concionatur vox coelestis, et inter hos fluctus erigit mentes promissione evangelica. Cum fide sustentat se animus, et agnoscit misericordiam, ibi sequitur dilectio. Necesse est igitur praecedere fidem, quae accipit remissionem peccatorum. Et haec fides non potest niti dignitate nostra, ideo quamvis sequitur dilectio, tamen statuit nos non propter dilectionem, sed propter Christum iustos esse. Vulgo dilectionem interpretantur de dilectione Dei et proximi, ideo respondi de dilectione Dei. Sed Paulus hic proprie de dilectione proximi loquitur, quam magis constat non mereri remissionem peccatorum.

Aliud.

Remittite, et remittetur vobis, Ergo nostra condonatione meremur et nobis iustificationem. Responsio plana est: Haec est concio poenitentiae, quales multae sunt in Prophetis, ut Esaiae 1.: Desinite malefacere, et discite benefacere: Tunc abstergentur peccata vestra etc. Prior pars praecipit de nostra poenitentia, altera continet promissionem. Nec dicit Christus: Remittetur vobis propter vestram condonationem, sed tantum praecipit, ut remittamus, deinde admonet de remissione, quae pendet aliunde, non ex dignitate nostri operis. Qualis esset futura consternatio conscientiarum, si sentiendum esset, pendere divinam condonationem ex puritate et dignitate nostrae condonationis, erga eos cum quibus nobis fuit simultas? manent enim etiam in placatis animis cicatrices, ut ille inquit. Ideo necesse est quaeri aliam causam remissionis. Tenenda est igitur Evangelii sententia de gratuita condonatione. Tale est dictum apud Danielem. Pars est concio de poenitentia: Amato iusticiam et benefacito miseris iniuste oppressis. Ecclesiam defendito contra tyrannos: id enim volebat Daniel. Altera pars est promissio: Et erit sanatio delictorum tuorum. Poenitentiam existere necesse est, et tamen condonatio est gratuita, et fide accipienda. Nam si promissio penderet ex conditione nostrae dignitatis, fieret irrita, ut Rom. 4. dicitur.

Aliud.

Dilectio est maxima virtutum, Ergo propter dilectionem iusti reputamur. Nego consequentiam, et manifesta ratio est, rectius enim sequeretur: Dilectio est maxima, Ergo cum ea minime praestemus, minime propter hanc virtutem iusti sumus. Si haberemus virtutes quas lex Dei flagitat, et sine peccato essemus, recte diceremur iusti propter dilectionem et caeteras virtutes. Sed quia natura humana procul abest a perfectione legis, non ardet dilectione, ideo Evangelium proponit aliam iusticiam, docet nos non propter nostras virtutes, sed propter aliud extra nos, scilicet mediatorem filium Dei reputari iustos, sed ita, si fide statuamus nos propter eum habere Deum propicium. Sumus igitur imputatione iusti, non propter nostras virtutes, etsi has quoque incoari in nobis oportet. Caeterum si quis virtutum discrimen requirit. Fides accipit in praesentia remissionem peccatorum. Spes est expectatio futuri eventus, seu venturae liberationis. Fides est assensus quo voluntas vult et accipit promissum et acquiescit propter mediatorem

filium Dei. Et cum voluntas sic acquiescit, cor fit tranquillum, et concipit consolationem ac laetitiam, quae est incoatio novae vitae. Hos motus sequuntur spes, et dilectio. Quia fides statuit Deum nobis propicium esse, audet petere et expectaree beneficia caetera. Et oritur dilectio, quia iam agnoscimus Deum non esse otiosum, ut ratio fingit, nec esse hostem, qualem lex ostendebat, sed esse patrem, qui calamitatis nostrae magnitudine afficitur, et nos liberare cupit, qui iurat: Vivo ego, nolo mortem peccatoris etc. Hoc modo cum agnoscimus nos recipi in gratiam, et exaudiri, vicissim nos ei subiicimus, et accenditur quaedam reverentia, seu desiderium quoddam, quo anteferimus Deum caeteris rebus. Talis est dilectio in hac vita, non ardens ut debebat, sed imbecillis.

Aliud.

Obiiciunt et nomen mercedis. Vita aeterna vocatur merces, Ergo bona opera merentur vitam aeternam. Non quaeram argutas interpretationes vocabuli, fontes causae considerentur. Psalmus inquit: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Delicta quis intelligit? Quare non possumus statuere, nos mereri nostris virtutibus vitam aeternam, seu nostras virtutes esse pretium vitae aeternae. Ac supra collegi multa testimonia, quae ostendunt manere in renatis peccatum, quae hic animo intuenda sunt. Et suam quisque conscientiam consulat, utrum malit donari vitam aeternam propter Christum, an vero solvi pro meritis. Languescit studium recte faciendi, inquies, si gratis donari vita aeterna dicitur. Imo desperatio magis debilitat studium recte faciendi. Necesse est enim desperare eos, qui imaginantur pro meritis dari vitam aeternam. Id periculum et prudentiores patres viderunt. Ideo diserte dicunt Augustinus et Bernhardus: Gratis propter Christum dari vitam aeternam credenti. Sicut et Paulus inquit: Donum Dei est vita aeterna per Christum Iesum Dominum nostrum. Nec est incertum donum. . Sed Deus praecipit, ut credamus nos certo accepturos esse vitam aeternam propter Christum, iuxta illud Ioannis 6.: Haec est voluntas patris, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Non autem existit haec fides sine poenitentia, ac fides intuetur utranque vocem, videlicet: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Quomodo? per filium, ut hic ait: Haec est voluntas patris, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Quanquam autem adesse poenitentiam oportet, tamen non est affingenda conditio dignitatis nostrae. Imo cum poenitentia pugnat fiducia meriti, sicut monet dictum: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Cur igitur vocatur merces? Respondeo: Etiamsi donatur propter Christum vita aeterna, tamen simul compensat labores et aerumnas nostras. Id ad vocabuli rationem satis est, sicut haereditas simul compensat officia haeredis, etiamsi propter aliam causam contingit. Sed est alia responsio simplicior ac verior. Phrases legis sunt: Reddet unicuique iuxta opera sua. Item: Copiosa erit merces in coelis. Loquitur enim scriptura more legis de iusticia, quasi de nostra dignitate. Item de fide tanquam de nostra virtute, et dicit nostris virtutibus dari mercedem. At interim ex Evangelio sciendum est, nos esse iustos non nostra dignitate, sed imputatione: et fide accipi beneficia Christi, non propter ipsius virtutis dignitatem, sed quia nititur alieno merito, scilicet Christi. Haec est expedita et vera responsio, et sine sophistica.

Aliud.

Addam et scholasticas quasdam obiectiones, quae explicatae multum lucis addunt huic disputationi, et interdum exercent argutos. Iusticia est obedientia erga totam legem: Bona opera sunt obedientia erga totam legem, Ergo bonis operibus iustificamur. Respondeo: Primum neganda est minor. Nam bona opera non sunt perfecta obedientia erga legem, quia natura humana repugnat legi Dei. Deinde ad maiorem respondeo: Maior est vera, de iusticia legis. Nam iusticia legis est obedientia erga totam legem. Sed quia hanc non praestamus, ideo Evangelium offert gratuitam imputationem iusticiae, sicut et Paulus admonet nos de verbo imputationis. Haec obiectio admodum utilis est, monstrat enim discrimen iusticiae legis et Evangelii. Ostendit alibi aliter usurpari vocabulum iusticiae. Id fefellit Sententiarios: qui cum in Aristotele legissent, iusticiam significare universalem obedientiam, somniarunt idem in Prophetis et Apostolis ubique significari. Psalmus inquit: Iusticia tua exultabunt. Hic non significat Aristotelicas virtutes,

sed relative, iusticia tua, id est, imputatione iusticiae, qua tu nos per misericordiam reputas iustos, hoc est, acceptos. Iusticia legis significat obedientiam, ut cum dicitur: Feci iudicium et iusticiam. Sed iusticia, de qua proprie concionatur Evangelium, significat relative imputationem iusticiae, hoc est, acceptationem gratuitam ad vitam aeternam, etsi cum ea coniuncta est donatio Spiritus sancti. Ita et cum audis verbum, iustificari, de Ebraica phrasi cogites, qua significat reputari seu pronunciari iustum, seu absolvi accusatum. Et iustus significat acceptum Deo ad vitam aeternam. 2. Cor. 5.: Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per ipsum, id est, Christus factus est pro nobis reus, ut nos fieremus accepti propter ipsum. Haec est simplex grammatica et vera vocum enarratio. In aliis locis aliter vocabulum usurpatur, alias fit mentio iusticiae legis, alias imputationis. Haec discrimina observare necesse est.

Aliud.

Opera contra legem Dei sunt peccata, Ergo bona opera sunt iusticia. Consequentia valet ex natura contrariorum. Quare sequitur, et bonis operibus iustificari homines, cum sint iusticia. Respondeo: Valeret consequentia, si bona opera essent integra obedientia, sed quoniam procul absunt ab integra obedientia, facile intelligi potest argumentum non valere, quia non est vera contrarietas. Vitiosa sunt integre vitiosa. Bonis operibus plurimum vitiorum admixtum est, quibus et ipsa contaminantur. Pomponius Atticus est modestus, iustus erga cives, sed dubitat an Deus curet res humanas, est sine timore Dei. Horum interiorum vitiorum magnitudo non cernitur. Ideo argumentum fallit non admonitos. Sed neganda est consequentia, quia non est vera contrarietas. Idem respondeo ad sequens argumentum.

Aliud.

Mala opera damnant, Ergo bona salvant. Nego consequentiam, et ratio est, quia non est contrarietas. Mala sunt integre vitiosa. Bonis plurimum mali admixtum est, ut etiamsi David habet bona opera, tamen habet multos vitiosos impetus, habet dubitationes de Deo. Et haec caligo trahit secum magnum agmen vitiorum, securitatem, fiduciam propriae sapientiae et iusticiae: nec timore, nec dilectione Dei, nec fide ardet pectus ut debebat. Scio quosdam fuisse, qui hoc argumento, valde quassatam esse nostram sententiam praedicabant, sed quam sit inane et futile, lector mediocriter attentus facile potest iudicare.

Aliud.

Peccatum est odium Dei, Igitur dilectio est iusticia. Memini Eccium magnos triumphos agere, cum hoc argumento conabatur ostendere, non sola fide iustificari homines. Sed est facilis responsio: Adsentior perfectam dilectionem esse iusticiam, quam lex postulat, sed, ut supra dictum est, non sumus iusti lege. Non enim potest existere dilectio, nisi prius fide reconciliati simus. Postea sequitur incoatio quaedam, et tamen manet ingens infirmitas repugnans legi Dei, indignans et fremens adversus iudicium Dei, sicut Psalm. significat: Irascimini, nolite peccare etc. Ideo opus est alia iusticia, scilicet imputatione gratuita.

Aliud.

Iusticia est in voluntate, Fides est in intellectu, Ergo fides non est iusticia. Respondeo: Maior est vera de iusticia legis, quae significat nostras virtutes et qualitates in voluntate nostra. Sed cum de iusticia fidei concionatur Paulus, iusticia significat imputationem iusticiae. Docet enim homines reputari iustos, hoc est, acceptos non propter propriam qualitatem, sed propter aliud extra nos, scilicet propter mediatorem filium Dei per misericordiam. Et tamen hanc misericordiam fide accipi oportet. Et est fides non tantum noticia, sed assensus, ad quem etiam requiritur motus voluntatis, ut norunt eruditi: qui est velle et accipere promissionem, et in ea acquiescere. Concipitur autem haec fides, cum assentimur promissioni evangelicae, qua cum mens perterrefacta se sustentat, Spiritus sanctus simul per verbum movet corda ad credendum.

Aliud.

Fide sumus iusti, Fides est opus, Ergo operibus sumus iusti. Ad maiorem responderi debet, qua recte intellecta, poterit explicari et dilui argumentum. Fide sumus iusti, non quia est opus aut qualitas aut virtus in nobis, sed quatenus apprehendit misericordiam, et nititur Christo.

Et ut res fiat planior, transformanda est oratio in correlativam: Fide sumus iusti, id est, per misericordiam propter Christum sumus iusti, sed tamen fide statuendum est illam misericordiam ad nos pertinere. Minor est vera: Fides est opus, scilicet ut caeterae virtutes, dilectio, patientia, castitas. Et ut aliae virtutes sunt imperfectae, ita et fides est imbecillis: quare non sumus iusti propter ipsius virtutis dignitatem, sed quia misericordiam apprehendit. Necesse est enim aliquod esse, ut ita dicam, instrumentum, quo apprehendatur misericordia, necesse est intueri Christum, et statuere, quod nobis ignoscat. Respondeatur ergo ad minorem: Fides est opus, sed non sumus iusti propter ipsius operis dignitatem, sed quia apprehendit misericordiam. Ideo non potest sequi, nos propter opera iustos esse. Potest et hoc erudite dici, plus esse in conclusione, quam in praemissis: nam conclusio vult homines propter opera iustos esse. Id non sequitur ex his praemissis.

Aliud.

Gratia sumus iusti, Gratia est dilectio infusa animis, Ergo dilectione sumus iusti. Respondeo ad minorem: Gratia praecipue significat relative favorem, seu misericordiam, seu gratuitam acceptationem propter Christum. Tenenda est igitur apta vocabuli interpretatio. Caeterum cum hac acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti. Sed qui sic enarrant, gratia sumus iusti, id est, propter virtutes infusas sumus iusti, hi fingunt interpretationem ex diametro pugnantem cum Paulo, et prorsus tollentem e conspectu veras consolationes piarum mentium. Si in invocatione aspicere nos ipsos deberemus, ac imaginari, nos ita accessuros ad Deum, cum satis ornati erimus his virtutibus, ita sperandum esse vitam aeternam, cum videbimus in nobis hanc novam munditiem, fugerent animi, et desperarent auxilium et salutem. Et quo magis expavescunt mentes, eo propius aspiciunt immunditiem et infirmitatem nostrae naturae. Paulus autem hanc ipsam ob causam, quia videmus nos ad Deum non posse afferre merita et dignitatem, proponit gratiam, id est, gratuitam condonationem et acceptationem propter Christum. Etsi non adfers dignitatem ad Deum, tamen accede fiducia mediatoris Christi, sicut inquit: Hunc habentes pontificem, accedamus ad thronum gratiae.

Has refutationes adieci, tum ut eruditis, qui de proprietate sermonis disputant, quantum possem satisfacerem: nam et nos vera ac recta dicere, et vitare ἀκυρολογίας cupimus, tum ut instruerem discentes, ut maiori dexteritate cavillationes scholasticas diluere possint. Ac prodesse haec exempla opto, primum ad perspicuitatem causae, deinde etiam ad acuendam discendi curam in studiosis. Nam hae refutationes ostendunt opus esse eruditione et quadam exercitatione his, qui dextre tales controversias explicare conantur. Non putent se leve onus suscipere studiosi, qui doctrinae Christianae explicationem profiteri volent. Deum autem oro, ut studia piorum gubernet, nec sinat in Ecclesia extingui lucem Evangelii ac veram Christi noticiam.

Caput I.

Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus etc.

Epigrapha, quemadmodum fit in Epistolis praefixa est, quo more in Ecclesia maxime opus est, ut certo sciri possit, doctrinam divinitus acceptam esse, concionantem non de rebus vulgaribus, quas ratio iudicat, sed de voluntate Dei. Ita patres ut scirent unde doctrina tradita esset, nominatim dicebant, Deus Abraham, Deus Israël, ut sciretur illud verbum, illos cultus amplectendos esse, quos Deus tradidit Abrahae etc. Autores inde usque ab initio cogitandi sunt, per quos propagata est vera Dei noticia, et promissio Evangelii, ne existimetur temere aut casu orta professio, sicut superstitiones pleraeque in mundo, vel casu ortae sunt, vel excitatae a diabolo, ut veram religionem obscurarent.

Est autem haec summa Epigraphes: Paulus Apostolus Romanis optat gratiam et pacem. Sed inserta est longiuscula descriptio officii Pauli, item descriptio Evangelii. Ac necessaria causa est, cur officii mentionem faciat, ut Ecclesia sciat doctrinae Pauli credendum esse, tanquam voci Dei de coelo sonanti. Ut igitur Moises praefatur:

Locutus est Dominus Deus cunctos sermones hos etc., ut sciret populus proponi non humanam doctrinam, sed certo et expresse traditam a Deo. Ita Paulus praefatur se esse Apostolum, non humano iudicio electum, sed Christi voce, ac Evangelium adferre divinitus traditum: et hanc sententiam, quam de lege, de promissionibus, de peccato, de gratia, de fide proponit, non esse humanum inventum, sed divinitus ipsi patefactam et commendatam, ut eam Ecclesiis tradat. Ideo non otiose toties hic et alibi repetit mentionem muneris sui et inculcat titulos. Haec eo commemoranda sunt, ut legamus Paulum, non ut Ambrosium, aut Augustinum legimus, tantum ceu eruditum interpretem propheticae scripturae, sed ut certo adferentem coelestem doctrinam, cui necesse est assentiri. Estque diligenter hoc loco discernenda apostolica vocatio, ab Episcopi vocatione.

Apostolus est immediate a Christo vocatus ad docendum Evangelium, et habet certum testimonium suae doctrinae, quod sit divina, ac certum est eum habere Spiritum sanctum, et in doctrina non errare, ac potest ubique in omnibus Ecclesiis docere.

At Episcopus est vocatus per homines ad docendum Evangelium, certo loco, et potest errare, nec necesse est certum esse, quod habeat Spiritum sanctum. Ex his descriptionibus multa iudicari possunt. Ut enim Prophetae in populo Israël longe antecellebant sacerdotibus, et multa agebant heroica, quae non concedebat lex caeteris sacerdotibus: ita Apostoli vocationem habent longe superiorem caeteris Episcopis, legem abrogant, vocant gentes ad societatem populi Dei, enarrant obscuros articulos de Messia, quod sit filius Dei, quod non fuerit habiturus regnum politicum. Expresse impertiunt remissionem peccatorum, quod sacerdotes Levitici nequaquam fecerant. Enarrant articulum de iusticia fidei, quem pauci in populo legis antea audierant. At Episcopi dictata ab Apostolis accipere debent, non incoare novum aut aliud doctrinae genus. Ut igitur Paulus admoneret omnes de autoritate suae doctrinae, facit mentionem suae vocationis, inquiens: Servus Iesu Christi, vocatus Apostolus. Origenes hic inepte rhetoricatur de liberatione a ceremoniis, et de servitute Pauli, qua ceremoniis fuerat obnoxius ante conversionem. Hae declamationes non pertinent ad hunc locum. Paulus enim hic non de privata servitute loquitur, sed de officio, vocat se servum, id est, ministrum gerentem officium pertinens ad regnum Christi.

Vocatus.

Id ex Galatis melius intelligi potest, ubi addit se non ab hominibus, neque per homines vocatum esse, sed per Iesum Christum et Deum patrem. Id significat, cum hic se vocat non vulgarem concionatorem, sed *κλητὸν ἀπόστολον.* Et hae sententiae opponendae sunt hoc tempore Papistis, quorum tanta est impudentia, ut aperte ausint dicere, non plus esse credendum Paulo, quam Romano Pontifici, aut Episcopis. Imaginantur Paulum esse Irum aliquem aut erronem, qui sine autoritate vagatus, et pertinaciter de religione rixatus sit. Nos autem audita Apostoli mentione, cogitemus prophetica autoritate eum concionari, et eius dicta tanquam vocem Dei de coelo sonantem accipiamus. Hoc si cogitabimus, valde nos eius sententiae confirmabunt.

Segregatus ad Evangelium Dei.

Nominat genus negotii, quod ei mandatum fuit, inquit se delectum esse ad propagandum Evangelium. Iam hoc loco meminisse lectorem oportet, plurimum interesse inter haec duo doctrinae genera, inter legem et Evangelium. De eo discrimine et supra dictum est in praefatione, et infra dicendum erit capite tertio. Ipse etiam addit descriptionem Evangelii: Evangelium est promissio divinitus facta, tradita in scripturis sanctis, de filio Dei Iesu, nato ex semine David secundum carnem, declarato autem filio Dei, potente per Spiritum sanctificantem, resuscitato ex mortuis, qui est Messias, seu Rex, per quem fit liberatio a peccato et a morte aeterna.

Haec definitio fiet illustrior, si antithesis legis et Evangelii instituatur. Lex est doctrina praecipiens quales esse nos, et quid agere oporteat, requirens perfectam obedientiam, non promittens gratis remissionem peccatorum, non liberans nos a peccato et a morte, sed potius armans peccatum, cum nos accusat, et terroribus letalibus opprimit. At Evangelium est promissio, quae pollicetur nobis remissionem peccatorum gratis, et liberationem peccato et a morte per filium Dei,

natum ex posteritate David, iuxta promisiones, ac divina potentia nos sanctificantem vita aeterna. Haec membra copiosius infra declarabuntur.

Ideo autem Paulus initio statim proposuit definitionem, ut sciremus quid professus sit, et diligenter discerneremus legem ab Evangelio, quasi dicat, Paulus divinitus vocatus ad docendum Evangelium de Christo, non ad docendum legem aut philosophiam.

Per Prophetas in scripturis sanctis etc.

Ideo inserit, ut tacitae obiectioni occurrat. Cum novum genus doctrinae profiteretur, haud dubie obstrepebant Pharisaei. Cum semper ab initio mundi aliqua fuerit Ecclesia Dei, necesse est eam tenuisse doctrinam necessariam ad salutem. Quaerebant igitur Pharisaei, an Apostolorum doctrinam tenuerint. Si non tenuerunt, clamitant Pharisaei, novam et commentitiam esse. Respondet Paulus: Imo unum et idem Evangelium est de Messia, quod Patribus promissum, et Prophetis monstratum, et nunc exhibitum est. Non adferimus doctrinam ignotam Patribus et Prophetis, sed a vobis obrutam per humanas opiniones de iusticia legis, de regno politico Messiae. Vos execramini hoc genus doctrinae tanquam novum et commentitium, quia non intelligitis, de qua liberatione Patres et Prophetae concionati sint. Fingitis vos esse iustus lege, Messiam venturum esse, ut occupet mundi imperium, vobis det provincias regendas, ut opibus et voluptatibus affluatis: Haec est liberatio, quam vos temulenti somniatis. At illi expectabant Messiam, qui divina potentia aboleat peccatum et mortem, qui destruat regnum diaboli: id volebat promissio, in qua promittitur semen, quod conteret caput serpentis. Eodem modo nunc nobis opponunt Papistae Ecclesiam: Vociferantur nos adferre genus doctrinae ignotum Ecclesiae. Nos reclamamus et testamur fulsisse doctrinam nostram in Ecclesia Patrum, Prophetarum, Apostolorum, ac deinceps apud pios. Allegamus Ecclesiae testimonia, videlicet Prophetarum, Apostolorum et aliorum piorum. Nullum enim genus doctrinae recipi debet, quod verae Ecclesiae Christi semper ignotum fuit. Sed multis iam seculis obscurata fuit verae Ecclesiae sententiae: Nam pontifices, sacrificuli, monachi, sparserunt in Ecclesia falsas et pharasaicas opiniones, de iusticia operum, excogitaverunt ἐθελοθρησκείας, cumulaverunt ethnicas superstitiones, invocationem mortuorum, idolomaniam manifestam, et horribili impietate prophanaverunt coenam Domini.

Haec partim superstitione, partim quaestus, partim muniendae tyrannidis causa, excogitata sunt. Hic coetus impiorum pontificum et monachorum non est Ecclesia Christi, quare iniuste hunc honestissimum titulum sibi arrogant, cum suam autoritatem commentitiam, non verae Ecclesiae autoritatem, nobis opponunt. Monet igitur Paulus hoc loco, ne sine testimoniis scripturae divinae dogmata recipiantur, monet etiam ut verae Ecclesiae sententias requiramus, et veram Ecclesiam a falsa discernamus.

De filio suo.

Opponit et hanc particulam vulgaribus Iudaeorum persuasionibus. Iudaei expectabant Messiam, qui non esset natura filius Dei, sed tantum homo, caeteris Prophetis similis, hoc est, antecellens vulgus sapientia, iusticia, et felicitate in rebus gerendis, ut facile orbis imperium occuparet. At Patres et Prophetae norant Messiam esse filium Dei, tunc quoque ipsos gubernantem et iuvantem. Iacob inquit: Angelus qui eripuit me ex omnibus malis, benedicat his pueris, ubi significat se loqui de liberatore, quem norat promissum esse. Nam huius proprium munus est liberare ex omnibus malis. Ac viderunt eum Iacob, Moses et Daniel. Ideo Ioannes, ut testetur Messiam esse filium Dei, et semper adfuisse patribus, inquit: In principio erat verbum, omnia per ipsum facta sunt etc. Significans omnes gloriosas victorias, Noae, Abrahae, Ioseph, Mosi, Samuelis, Davidis, Esaiae, Ieremiae, partas esse hoc duce et propugnatore nostro adversus diabolum. Quare et hoc loco Paulus de duabus naturis in Messia concionatur: vocat filium Dei, ut Iudaeorum errorem taxet, sicut et Christus ipse taxavit Ioan. 5. et saepe alias. Loquitur autem Paulus de persona, et apte tribuit personae appellationem filii Dei. Non enim tantum divinae naturae tribuenda est haec appellatio, sed personae Christi. Hunc autem testatur constare duabus naturis, ait hunc filium secundum carnem natum esse ex semine David: Affirmat igitur in Christo esse humanam naturam. Et hic locus refutat Manichaeos et plerosque alios, qui humanam naturam Christo detraxerunt, aut negarunt acceptam esse ex sanguine matris virginis. Deinde concio-

natur de divina natura, cum ait: Qui declaratus est esse filius Dei, potens per Spiritum sanctificantem, ex resurrectione mortuorum.

Singularis est emphasis in voce ὁρισθέντος, quam enarrant Graeci per vocabulum ἀποδειχθέντος. Estque sententia, certo agnitum esse hunc filium Dei per haec testimonia, quod resurrexit a mortuis, quod potentiam suam immensam multis miraculis ostendit, ut cum Lazarum resuscitavit, quod iam dat Spiritum sanctum Ecclesiae, qui et mentes confirmat adversus diabolum, et multa ingentia miracula edit, nam et Paulus resuscitavit mortuum auditorem, et omnia tunc plena erant miraculorum, quae fiebant ab Apostolis, petentibus ea munera a filio Dei. Loquitur ergo Paulus de testimonio erga nos: nam propter haec testimonia pronunciatur certo καὶ ὁρίζεται, hic Iesus esse filius Dei natura, cum potentiam habeat divinam et immensam. Hoc significat verbum ὁρίζεσθαι, certo pronunciari. Opponit autem haec omnia Iudaicis opinionibus, qui expectabant Messiam praestantem quidem virum, sed tantum humanam naturam habentem, florentem victoriis heroicis, daturum opes, non novam naturam, et aeternam vitam. At Paulus inquit, hunc Messiam esse potentem, et dare Spiritum sanctificantem, per quem in credentibus incoatur nova lux, iusticia, et vita aeterna, et vincitur diabolus. Haec, inquit, est vera liberatio, quam patres et intellexerunt et experti sunt in exercitiis fidei, luctantes cum diabolo, cum morte, in variis periculis: ac longe maior est liberatione, quam vos expectatis, qui Messiam arbitramini partiturum esse provincias, sicut Alexander distribuit regna suis commilitonibus. Hos errores reprehendit Paulus hac quanquam brevi descriptione. Cum autem nominat hunc Christum, animo intueamur omnes veteres promissiones in Prophetiis, ut videamus eas vere cum hac Evangelii concione congruere, et ut cogitatione beneficiorum Christi accendamus fidem in nobis, eumque invocemus. Nisi enim fides exerceatur in invocatione, non potest regnum et praesentia Christi intelligi.

Longum esset has tantas res explicare, ut earum magnitudo postulat. Cum autem modus quidam esse commentariorum debeat, non immorabor prolixius huic Epigraphae, praesertim cum eaedem res saepe recurrant. Et pius lector admonitus de consilio autoris, ac de summa sententiae, assidua meditatione magnitudinem rerum contemplabitur, et discet quomodo haec Christi noticia lucere debeat in vita, in invocatione, in periculis, in omni actione, ut sit nobis quoque filius Dei potens, liberator a peccato, a morte, et a diabolo: ut sit nobis pontifex pro nobis interpellans apud Deum, sit dux noster, qui in calamitatibus nostris adiuvet nos, sicut pollicetur infirmis auxilium, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Adolescentes syntaxin verborum diligenter observent, qua animadversa multum lucis accedit sententiae. Paulus Apostolus vocatus ad docendum Evangelium de Iesu Christo, qui natus est ex posteritate David secundum carnem, et declaratus est esse filius Dei per resurrectionem, et dato Spiritu sancto, optat Romanis salutem.

Per quem accepimus etc.

Etsi supra, cum se nominat Apostolum, dicit se segregatum, seu delectum esse ad munus docendi Evangelii, tamen non dixerat nominatim se a Christo vocatum esse. Quare hic nominatim hoc adiicit: Per quem accepimus gratiam, id est, reconciliationem cum Deo, et munus Apostoli, ad obedientiam fidei, id est, ut obediatur fidei, seu Evangelio concionanti de fide. Apud omnes gentes. Id adiicit, ut obiter testetur, et gentes vocandas esse ad Evangelium. Porro dixi supra alligari autoritatem mandati muneris, ut sciamus necessario credendum esse huic concioni Pauli. Sic legas Paulum, ut existimes te non humanam disputationem legere, sed ipsum audire Deum tecum loquentem.

Gratia vobis et pax.

Primum optat eis gratiam, id est, reconciliationem et donationem Spiritus sancti. Deinde pacem, id est, caetera bona quibus opus est. Nam vocabulum Pacis generaliter significat Ebraica contuetudine res secundas et laetas. Est autem opus etiam Ecclesiae multis donis, doctrinae puritate, virtutum augmento, concordia, constantia, victu, hospitio. Haec omnia complectitur vocabulum pacis. Coniungit autem Deum patrem et Dominum Iesum Christum. Primum, ut moneat, nobis gratiam et caetera donari a Deo propter filium mediatorem. Deinde ut sciamus, quo-

modo haec certo nobis contingant, scilicet si propter filium petamus. Tertio significat Christum natura Deum esse, pari potentia cum patre regnantem, adiuvantem nos divina potentia, sicut promittitur in Psalm.: Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.

Exordium.

Membra orationis diligenter discernenda sunt, aliud enim aliis locis agitur. Hic praeparat animos lectorum, ut fit in exordiis: Nondum disputat, nondum versatur in arce causae. Sed rhetorica quaedam proponit, gratulatur illis cognitionem Evangelii, significat suam erga illos benevolentiam, ait se cupere illorum studium adiuvare. Deinde subiicit *αἰτιολογίας* sumtas a functione Apostoli. Eruditi norunt talem commemorationem nostrae voluntatis in exordiis usitatam esse, nec difficile est partes exordii ad vulgaria praecepta conferre. Quatuor membris constat, gratulor vobis cognitionem Evangelii, et opto, ut ea cognitio in vobis crescat. Deinde sequitur exordii propositio: Cupio vos coram docere. Cui attexit statim adversativam: sed hactenus detinuerunt me harum regionum Ecclesiae, ut ad vos proficisci non potuerim. Tertio sequitur ratio propositionis, cur illos coram docere cupiat: Quia, inquit, debeo iuvare Evangelii studia apud omnes, eruditos et ineruditos. Haec omnia pertinent ad locos conciliandae benevolentiae. Altera *αἰτιολογία* reddit lectorem attentum, a dignitate Evangelii sumta: Non pudet me Evangelii. Hanc vocem opponit impiorum omnium iudiciis. Nam Epicurei in mundo, quorum est ingens multitudo, contemnunt Evangelium, et arbitrantur commentitium et stultum poëma barbarorum hominum esse. Plerique gubernatores Reipublicae etiam crudeliter oderunt hoc doctrinae genus, quo existimant turbari civitatum et impiorum tranquillitatem, cupiunt extinguere tanquam facem seditionum et discordiarum civilium. Praeter hos hypocritae fascinati superstitionibus, ut tunc Iudaei, et hoc tempore Monachi et horum similes, multo acerbius oderunt Evangelium, quam alii, quia iudicant esse contumeliosum adversus Deum, cum vituperat superstitiosos cultus, quos isti tanquam summam pietatem et religiones angelorum admirantur. Et hos furores in impiis diabolus immani odio Christi ardens, auget et confirmat, intuens in occasiones, quibus irritare, impellere et accendere animos singulorum potest. Hos enim habet captivos, et incitat, obiiciens varias occasiones, sicut in idolomania, et aliis horrendis lapsibus conspicitur diaboli potentia. Lucianus narrat quendam furenter amasse statuam Veneris, et solitum complecti lacrymantem, et deosculari. Ac possent multa narrari ex historiis horrenda auditu, quae cum aliena sint a communi consuetudine naturae, satis apparet proprie a diabolo orta esse. Quae cum legimus, cogitemus diabolum non habere otiosam tyrannidem, sed horribiliter impellit impios ad nefaria scelera. Quare nihil miremur eum posse accendere odia et saevitiam in hypocritis et tyrannis. Videbant Pharisaei aboleri ceremonias legis et traditiones suas. Fremebant igitur et quaerebantur Deum contumelia affici, prohiberi opera Deum placantia, concedi licentiam peccandi. Deinde videbant abolita lege mutari Rempub. suam, confundi discrimen sacerdotum et populi, tolli ex Repub. praecipuum decus, videlicet *ἀξίωμα ἱερατικόν*. Talis mutatio ingentem dolorem adfert sapientibus. Has flammas odii augebat diabolus, incendebat Principes ad crudelitatem, ad interficiendos Apostolos. Ita et hoc tempore superbissime deridemur ab Epicureis, quod Evangelium non esse commentitium sentimus, quod serio sentimus ei obtemperandum esse. Reges et Principes fremunt turbari tranquillitatem civitatum dissimilitudine doctrinae. Pontifices nolunt reprehendi idolatriam, ne autoritas eorum labefiat, Monachi metuunt quaestui: pauci superstitione fascinati, contendunt prohiberi bona opera. Ex tot causis existit immanitas odiorum contra Evangelium: sed nos contra ingenti animo statuamus non esse abiiciendam Evangelii professionem. Non pudet nos huius doctrinae. Non est enim inanis fabula, non est barbarica superstitio, sed est sententia Dei, patefacta divinitus, qua vult hominibus impertire salutem aeternam. Est Deus conditor omnium rerum ac generis humani, is non voluit prorsus perire genus humanum, quod condiderat, ut in eo luceret Dei noticia. Quare se ab initio certis testimoniis patefecit patribus, eisque Evangelium tradidit. Nec alia est usquam doctrina de hac voluntate Dei, certa autoritate accepta, aut confirmata veris testimoniis coelestibus, nisi haec Evangelii doctrina. Quare non aspernemur eam, sed ei obtemperemus, ac sciamus Deum vere prae-

stare quae hic pollicetur. Infigamus ergo animis hoc dictum Pauli: Non pudet me Evangelii, ut nos adversus iudicia impiorum erigat. Etsi autem in exordio nondum disputat Paulus, tamen haec ἠθικὰ continent quinque utiles locos.

Primus est de cultu spirituali. Ait se servire Deo in spiritu, per munus concionandi. Hic docet praecipuum cultum esse, docere et discere Evangelium, quod meminisse studiosi et pii debent, ut hos cultus maiore cura Deo praestent.

Secundus est de mutua confirmatione. Paulus cupit illos docere et confirmare, ac vicissim ab eis excitari. De hac mutua confirmatione inquit Christus ad Petrum: Et tu conversus confirma fratres tuos. Prodest piis audire piorum et peritorum testimonia de doctrina.

Tertius de apostolico officio. Debitor, inquit, sum sapientibus et insipientibus. Gloriosa profecto vox videtur. Audet Apostolus profiteri se etiam sapientes posse docere. Qualis haec arrogantia visa est proceribus Romanis, erronem Iudaeum polliceri se etiam sapientum magistrum esse? Plerunque excellentes ingeniis et doctrina, praesertim si accedat persuasio sanctitatis de sese, nimium se ipsi admirantur, ac sibi divinos honores tribui postulant, quales vidi aliquos. Tales ex alto despiciunt Paulum, ac derident hanc vocem, qua se magistratum esse sapientum dicit. Sed nos meminerimus Apostolum esse, qui affert non humanam doctrinam, sed coelestem: ut Elias, Elisaeus, Esaias, erant Regum et Pontificum doctores et gubernatores, sic audiamus et Paulum, nec pudeat sapientes a Deo discere, cum toties experiamur humanam sapientiam turpiter hallucinari ac procul deerrare, ut omnes sapientes quaesti sunt. Et Deus inquit: Perdam sapientiam sapientum, ut profecto omnium temporum historiae ostendunt, et quotidiana vita testatur. Pertinet autem ad Apostoli officium utrosque docere, sapientes et insipientes, attemperare se etiam ad imbecillium captum debet, sicut Paulus inquit 1 Cor. 3.: Ut carnalibus, ut infantib. in Christo concionatus sum, lacte vos potavi. Ita doctores et gubernatores Ecclesiarum proponant utilia, et se ad discentium captum attemperent. Imperiti et rudes, cum non audiunt diserte explicata, interdum falsas persuasiones concipiunt, ut saepe animadverti. Iam ad imaginem Pauli conferantur Pontifices et Monachi. Paulus ait se debitorem esse, ut doceat, est obligatus mandato Dei ad hoc munus. At Pontifices ne volunt quidem docere, sed tantum tyrannico more dominationem tueri. Confirmaverunt idolatriam in Ecclesia, ortam a diabolo, videlicet prophanationem coenae Domini, invocationem divorum, Monachatum, et similia. Confirmaverunt libidines nefaria lege de coelibatu. Nunc admoniti, mordicus retinent teterrimos errores et turpitudinem, ac ne quidem praetexunt doctrinam, fatentur se errare, sed aiunt opes, potentiam, autoritatem propugnandam esse. Ideo tantum crudelitate suppliciorum defendunt sua scelera, ut Nabugdonosor iussit in fornacem accensam iniici omnes qui nollent adorare statuam. Summa dissimilitudo est inter Apostolum et tyrannum, ut inter pios angelos et diabolos. Nam et boni doctores vocantur angeli Dei apud Malachiam, et tyrannus est vere organum diaboli in mundo. Ideo haec verba Pauli diligenter expendamus, quae quidem testantur Pontifices adversantes Evangelio, non esse habendos pro Episcopis ac successoribus Apostolorum, sed vitandos tanquam tyrannos, eiectos extra veram Ecclesiam. Episcopus est debitor conscientiae subditi, quare non debet ei legem imponere, qualis est lex de coelibatu, cui sine sceleribus et offensione Dei obtemperare non potest. Deinde satellites tyrannorum, scriptores et Monachi quos docent? Sapientibus proponunt pueriles traditiones, de vestitu, de cibis, de pompis ceremoniarum. Has ornant et pingere iam eloquentia incipiunt: sicut nunc quidam allegorias gestuum in templis comminiscuntur, ad excusandam superstitionem. Haec doctrina quid conducit sapientibus? qui revocantur ad puerilem disciplinam, et πτωχὰ στοιχεῖα κόσμου, cum audire deberent doctrinam ignotam rationi, de interioribus vitiis, de dubitatione, de diffidentia, de securitate, de admiratione nostrae sapientiae et iusticiae, de infirmitate quaerente praesidia humana contra mandata Dei. Sicut reges Iuda confugiebant iam ad Assyrios, iam ad Aegyptios, cum Deo diffiderent. Rursus erigendi erant veris consolationibus spiritualibus, ne succumbant, cum fefellerunt eos humana consilia aut humani errores. Haec est sapientum doctrina, in qua crescit agnitio Dei. Quomodo erudiunt insipientes? Duo genera doctrinae regnant apud adversarios: Labyrinthi quaestionum in Longobardum, quos ne ipsi quidem professores intelligunt: et

excerptae summae ex Iure canonico, quae colligunt peccata contra traditiones humanas. Utraque res est infinita, plena errorum et perplexitatis. Quare multi boni viri ante haec tempora optaverunt emendationem doctrinae ecclesiasticae. Quid quod multa sunt idolatria, quam sunt futiles disputationes in quarto sententiarum: An mus rodens patrem Sacramenti, rodat corpus Domini? Horresco referens. Ibi illud erat monendum: Sacramenta actiones esse, nec spectacula aliena ab instituto usu Sacramenta esse. Possem multa exempla recitare futilium quaestionum, sed libri sunt in promtu, qui satis ostendunt, opus fuisse doctrinae emendatione. Notus est Ovidii versiculus:

Quodque parum novit, nemo docere potest.

Sit igitur prima cura docentis Evangelium, ut ipse recte teneat summam doctrinae Christianae, ex qua deinde poterit eligere utilia ad utrosque docendos, ad erudiendos rudiores, et admonendos ac corrigendos sapientes, sicut Paulus corrigebat Petrum, Esaias Ezechiam, etc.

Quartus locus, consolatio est: confirmat enim nos suo exemplo, inquiens: Non pudet me Evangelii, ne deterreamur ab Evangelio iudiciis mundi. Etiamsi Epicurei derident nos tanquam amentes, propterea quod Evangelium sentimus non esse inanem fabulam: etiamsi tyranni et hypocritae delere nomen Christi ingenti acerbitate suppliciorum conantur, tamen non sinamus nos abstrahi ab hoc genere doctrinae, et hanc professionem sciamus nobis gloriosam esse coram Deo, filio eius, piis angelis, et Ecclesia universa. Haec iudicia respiciamus, et sciamus nobis per hanc doctrinam vere exhiberi promissa beneficia, scilibet reconciliationem et vitam aeternam.

Quintus locus, est insigne et memorabile dictum, de ministerio verbi, quod videlicet dentur remissio peccatorum, Spiritus sanctus, et incoatio vitae aeternae, per vocem Evangelii auditam, lectam, seu cogitatam. Cum voce Evangelii sustentantur animi in pavoribus, Spiritus sanctus simul est efficax, ut infra dicitur: Fides ex auditu est. Idem hic sentit, inquiens: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, est instrumentum per quod Deus est efficax, dat Spiritum sanctum, non ut fingunt Pharisaei, ex opere operato, sine cogitatione mentis, sed Deus iubet fide accipi Evangelium. Et cum accipit mens, luctatur cum pavoribus et diffidentia. Ideo ad Galat. dicitur: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Addit autem summam Evangelii, quae est propositio totius disputationis, quae sequitur: Iusticia Dei in eo revelatur ex fide in fidem. Haec est summa omnium beneficiorum Christi. Nam reconciliatis Deus adest, donat eos nova luce et aeterna vita, exaudit et defendit eos in omnibus calamitatibus. Quare cum nominat iusticiam Dei, complexus est omnia beneficia Christi. Porro genus sermonis observetur: Iusticia Dei, id est, acceptatio divina, qua nos Deus recipit et approbat, haec patefit in Evangelio. Estque antithesis observanda, quasi dicat: Antea legem habetis, in qua patefit iusticia legis, sed propter legem nondum habebatis iusticiam Dei, id est, non eratis accepti Deo. At in Evangelio patefit iusticia Dei, hoc est, acceptatio, qua nunc Deus vobis certo propicius est, remittit peccata, et reputat vos iustos. Ideo sequitur: Patefit ex fide in fidem. Id quoque opponitur iusticiae legis, quasi dicat: Lex docebat esse iusticiam, satisfacere legi: At nunc patefit iusticia ex fide, id est, iusticia per misericordiam imputata. Nam cum vocabulum fidei legimus, statim veniat in mentem correlativum, scilicet misericordia promissa. Sermo Paulinus redolet phrasin Ebraicam: aliter enim loquitur Cicero, cum ait de Caesare: Dexteram tuam fide praestantem. Quare phrasis in Paulo observanda est, ubi fides significat fiduciam misericordiae propter Christum promissae. Quare cum nominat iusticiam fidei, intelligit iusticiam quae imputatur per misericordiam. Et hanc opponit iusticiae legis, quae esse debebat perfecta obedientia iuxta legem. Hanc autem cum nemo praestare possit, cum haec misera natura hominum sit captiva peccati, patefit in Evangelio nova iusticia, scilicet iutsicia imputata per misericordiam. Sed tamen hanc fide, hoc est, agnitione et fiducia Christi accipi opportet, ut inquit Esaias: Noticia Christi iustificabit multos, quasi dicat: Cum lege homines non sint iusti seu accepti Deo, sed habeant peccata, Deus vult eis ita remittere peccata, et esse propicius, si agnoverint eum haec beneficia velle impertire propter filium, qui est victima et placator. Haec est simplex et nativa enarratio. Ait autem: Ex fide in fidem, id est, ex imperfecta fide in perfectiorem. Patefit quidem misecordia, sed non omnibus contingit, quia Deus vult eam fide accipi: sed cum multi nolint ac-

cipere, et aspernentur hanc ineffabilem bonitatem, pereunt. Nec fides est otiosa noticia, sed crescere eam in assidua lucta, in invocatione, in omnibus negotiis et periculis oportet. Semper luceat in cordibus, quod Deus propter filium mediatorem nobis sit propicius, sit opitulaturus. Et hac fide invocemus eum, et petamus omnium negotiorum et periculorum gubernationem. Ita crescunt in cordibus piorum fides, et vera agnitio Dei. Quod autem vera sit sententia, quam proposuit, videlicet, fide homines iustos esse, mox addit testimonium, ut auditor sciat Paulinas conciones vere congruere cum propheticis, et renovare Apostolos Prophetarum doctrinam.

Iustus ex fide vivit.

Perspicua est antithesis in Galat. ubi inquit: Quod autem lege nemo iustificetur, manifestum est, quia iustus ex fide vivet. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis. Hic manifeste definit iusticiam legis esse, facere legem, hoc est, praestare perfectam obedientiam legi. At nemo hanc praestat, ideo proponitur alia iusticia, scilicet, iusticia per misericordiam imputata credenti, confugienti ad misericordiam. Cum igitur Propheta inquit: Iustus ex fide vivet, docet ita demum nos iustos esse, non cum legem intuemur, non cum virtutes nostras et facta proponimus Deo: sed cum fide, id est, fiducia misericordiae statuimus nobis Deum propicium esse, nos exaudire, velle servare, et expectamus salutem. Haec ex sententia dicti prophetici. Observabis autem fidei duas laudes ingentes tribui, quod videlicet fide et iustificemur et vivificemur. Deus enim ideo filium suum pro nobis dedit, ideo nobis fit propicius, ne pereamus, sicut inquit iurans: Vivo, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Cum mens perterrefacta fide statuit sibi remitti peccata, simul liberatur a pavoribus, et concipit veram consolationem, quae est incoatio in nobis vitae aeternae, sicut Christus inquit: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum esse Christum. Quare sciamus simul cum remissione peccatorum et reconciliatione coniunctam esse donationem Spiritus sancti, sciamus regnum Christi in Ecclesia, hoc est, iustis, non esse otiosum, sed vere adesse nobis filium Dei, vere destruere opera diaboli, propugnare, adiuvare, et servare credentes. Haec omnia complectitur vox Prophetae, cum promittit vitam, id est, laetitiam, victoriam, aeternam salutem credenti. Sed sycophantae quidam calumniantur gnomas a Paulo citatas, dicunt male detortas esse ad Paulinam causam. Hoc inquiunt, agebat Paulus, homines reconciliari Deo per fidem in Christum: at Propheta non dixit in eo loco de Christo. Item cum alibi citat dictum de fide Abrahae: Abraham credit se habiturum posteros ex se propagatos. Quid haec fides, inquiunt, ad Pauli causam pertinet? Respondeo: Tenenda est regula, quod etiam cum fides versatur circa corporalia obiecta seu beneficia, tamen semper expectationem corporalis beneficii in credente praecedit fides, quae est fiducia misericordiae, et accipit remissionem peccatorum. Iacob expectat defensionem contra hostes, David expectat victoriam, sed ideo expectant, quia sentiunt se habere Deum propicium. Nam conscientia non potest alia beneficia a Deo petere et expectare, si sentiat eum nobis iratum esse, nos non exaudire. Necesse est igitur semper praecedere fiduciam misericordiae. Et dicta de fide in genere semper complectuntur articulum de remissione peccatorum. Sic in oratione quotidiana, cum petimus panem quotidianum, veniat in mentem, hanc petitionem nostram exaudiri, si Deus sit nobis propicius, et esse propicium propter Christum. Ideo statim sequitur: Et remitte nobis debita nostra. Sed quaerat aliquis: Unde norant patres hanc doctrinam de fiducia misericordiae, et de remissione peccatorum? Respondeo: De hoc articulo pugnabant Prophetae cum doctoribus legis. Ideo tot Psalmi, tot dicta Prophetarum vociferantur homines non esse iustos lege, et inculcant conciones de misericordia. Et Esaias diserte inquit, Messiam futurum victimam pro peccato. Renovabant igitur promissionem, primum Adae, postea Abrahae factam de venturo liberatore, intelligebant Deum promisisse reconciliationem propter illum liberatorem et benedictorem, de quo dictum est: Caput serpentis conteret. In hanc promissionem intuebantur et norant promissioni credendum esse, propter hanc expectabant omnia caetera beneficia. Ad hanc promissionem de venturo liberatore, referebant caeteras promissiones. Vaticinantur Prophetae rediturum esse populum ex Babylone, quia norant oportere Messiam nasci ex Iuda, et palam edere Evangelium in Sion. Hanc principalem promissionem intuentur, cum

promittunt alia beneficia: ut nunc quoque credere debemus, Deum conservaturum esse ministerium Evangelii, quare servabit aliquos ministros, et suppeditabit eis defensionem, et alia necessaria vitae commoda. Sic nos includemus in promissionem gratiae caetera commoda: Cum Deus nobis sit propicius propter Christum, petimus caetera beneficia. Est enim opus Ecclesiae vita ministrorum, victu, pace civili.

Haec in genere respondi de dictis, in quibus fit mentio fidei. Caeterum dicta, quae citat Paulus, etiam nominatim de liberatore promisso concionantur, Abacuc loquitur de expectando liberatore illo, qui erat patribus promissus, ut ostendit textus. Et Abraham credit non tantum se habiturum liberos, sed illud semen, quo benedicendae erant omnes gentes. Scio ab astutis multas cavillationes excogitari posse, ad eludenda et obruenda haec testimonia. Nam sapientia humana, quia iusticiam fidei non intelligit, non accipit dextre dicta Prophetarum, sed varie detorquet. Pii vero consensum totius scripturae propheticae, et vera exercitia fidei intuentes, facile intelligent haec dicta recte a Paulo ad praesentem causam, de remissione peccatorum, accommodari.

Revelatur enim ira Dei de coelo.

Horrendum est initium ac fulmen quo incoat disputationem, qualia sunt initia in concionibus propheticis, ut Esaiae primo: Audite coeli et auribus percipe terra, vae genti peccatrici etc. Una est enim concionum propheticarum et apostolicarum forma, quam Christus complexus est his verbis: Ite praedicantes poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo. Ita Paulus cum quidem aptissimam *μέθοδον* doctrinae Christianae instituat, primum ponit propositionem, quae est doctrina poenitentiae, seu arguens peccata. Supra enim absolvit exordium, nunc incipit controversiam explicare. Et duas propositiones tradit, quarum altera aditum ad alteram patefacit. Prima propositio est: Evangelium arguit omnes homines, ac pronunciat omnes sub peccato esse, id est, reos peccati et aeternae mortis, nec posse liberari a peccato et aeterna ira per propriam iusticiam. In hoc propositione commoratur per duo capita. Vult enim omnes ad poenitentiam vocare: vult nos vere expavescere iudicium Dei, ut quaeramus salutem, ac agnoscamus liberatorem, per quem promissa est reconciliatio et salus. Sequitur ergo in tertio capite principalis propositio, quod homines consequantur remissionem peccatorum, et reputentur iusti, et liberentur ab aeterna morte, non propter propriam iusticiam, sed per misericordiam propter Christum gratis. Et hoc fide fit, cum credimus nobis propter filium Dei, patrem placatum et propicium esse. Et haec est principalis propositio huius Epistolae, et status disputationis ac summa Evangelii. Sed priusquam ad hanc propositionem pervenit, altera prius tractatur: Non enim potest tradi consolatio, nisi prius arguantur peccata. Et Deus postulat poenitentiam, sicut et Ioannes et Christus suas conciones incoant: Agite poenitentiam. Et Christus inquit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, de iusticia, et de iudicio. Et Esaias: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito et tremente sermones meos. Et usus est Paulus atrocibus verbis, cum ait, Revelari iram Dei de coelo. Minatur aeternas poenas omnibus qui non expavescunt, nec confugiunt ad filium Dei. Vides igitur congruere Pauli sententias, et seriem in docendo congruere cum concionibus Prophetarum et Christi.

Arguit autem Evangelium non tantum externa delicta, quae ratio iudicare potest, sed etiam immunditiem cordis in omnibus hominibus, ideo sic dicit: Revelatur ira Dei de coelo, hoc est, praedicatur in Evangelio divinitus tradito, adversus omnem impietatem et iusticiam hominum. Ebraismus est, transposita particula, Omnem: cum sit sententia, super impietatem et iniusticiam omnium hominum: postea enim diserte et expresse dicet se accusare omnes homines.

Significat autem impietas proprie vitia pugnantia cum prima tabula, ignorationem Dei, vacare metu, dilectione, fiducia Dei, habere securitatem et contemtum Dei, indignationem et fremitum adversus Deum in afflictionibus, fiduciam propriae sapientiae, iusticiae, opum, quaerere praesidia humana contra mandatum Dei, anteferre mandatis Dei fortunas nostras, voluptates, existimationem, gloriam, vitam, sicut haec anteferunt, qui fugiunt pericula confessionis, ludere fingendis opinionibus falsis de Deo, delectari Epicureis aut Academicis erroribus, et non vere assentiri verbo Dei. Denique immensa est moles vitiorum pugnantium cum prima tabula, quae omnia complectitur nomine impietatis: Iniusticia

generale nomen est, complectens omnia peccata, contra Deum et homines: significat enim universalem inobedientiam.

Qui veritatem in iniusticia detinent.

Veritatem vocat noticiam Dei, seu legem naturae. Cum enim arguuntur peccata in praedicatione poenitentiae, citatur lex, sicut Paulus inquit: Per legem cognitio peccati. Ita hic allegat legem naturae, ait omnes homines habere aliquam Dei noticiam. Per hanc accusat et condemnat omnes: Quia enim scimus legem, et tamen non obedimus: Lex quae est iudicium Dei, accusat et condemnat omnes. Primum igitur admonendi sunt studiosi, ut diligenter discernant legem et Evangelium. Aliqua legis noticia nobiscum nascitur, etsi in hac depravatione naturae humanae est obscurior, non tamen prorsus obliterata est. Sunt autem hae noticiae de Deo: Quod sit Deus unus, immensae potentiae, sapiens, iustus, bonus, conditor et conservator naturae, puniens iniustos et sceleratos, exaudiens et servans, non gratis, non reos peccati, sed iustos ac mundos, quod Deo sit obediendum, quod praecipiat honesta, ac prohibeat turpia, turpia, quod inseverit animis nostris discrimen honestorum et turpium. Hae sunt naturales noticiae, quas audimus nobis in conscientia perpetuo concionantes. Non novit ratio naturalis gratuitam condonationem, aut reconciliationem propter Christum, sed est legis noticia requirens conditionem nostrae obedientiae: iudicat eos tantum placere Deo, qui sunt sine peccato. Haec est naturalis vox conscientiae. Sed Evangelium promittit gratuitam condonationem et reconciliationem propter filium Dei. Haec noticia non nascitur nobiscum, sed est revelata divinitus, ut Ioannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrat nobis. Et quia dissentit a naturali voce conscientiae et a chirographo contra nos scripto in nostris mentibus, ideo difficile est assentiri promissioni gratuitae reconciliationis. Haec initio meminisse lectorem oportet, noticiam naturalem de Deo, esse quandam legis noticiam, ne intempestive confundat legem et Evangelium. Mira est autem Pauli concio, et longe superans Philosophorum cogitationes, ait in nobis esse noticiam, quam vocat veritatem. At Epicurei et Academici has ipsas noticias obruerunt, sed mentientes et pugnantes cum ipsa natura hominis: haeret enim aliqua in nobis de Deo noticia, ut dictum est. Deinde addit Paulus, Hanc ipsam noticiam detineri in iniusticia, id est, voluntatem hominis seu cor, non assentiri his noticiis, nec obtemperare. Multo penitius introspexit mentes humanas, quam Philosophi. Hic colligit ingentia vitia. Esse Deum utcunque statuit mens, sed quia videt florere improbos, et duriter exerceri bonos, et quidem a sceleratis, a tyrannis crudeliter interfici, incipit dubitare an Deus curet res humanas, an puniat sceleratos, an benefaciat bonis. Iudicat Deum aut non curare res humanas, aut esse crudelem, qui tam imbecillem naturam oneraverit tantis calamitatibus. Ex hac dubitatione et caligine oriuntur multa vitia: Cor vacat metu, fiducia, dilectione Dei: Et cum sit sine freno, obtemperat cupiditatibus contra noticias naturales. Etiamsi scit Paris iniustum esse rapere alterius coniugem, tamen gerit morem suae libidini, contemto Deo. Erudite igitur descripsit Paulus infirmitatem humanam, attribuit homini noticiam aliquam, et tamen testatur huic noticiae nec assentiri, nec obtemperare voluntatem seu cor, quod est aversum a Deo, et sine motibus divinis, sese amat, non Deum, ideo rapitur motibus errantibus ac variis contra mandatum Dei. Haec omnia significat Paulus, inquiens veritatem detineri, tanquam captivam in iniusticia, id est, pravitate voluntatis seu cordis, quae est, ut infra dicitur, inimicitia adversus Deum.

Quatenus enim Deus cognosci potest, notus est eis.

Expositio est superioris propositionis: Hic enim allegat legem naturae, et expresse dicit, quae sit illa veritas in mentibus hominum, arguens et accusans nos. Est noticia inquit de Deo, et caeterae noticiae, quae vocantur leges naturae. Syntaxis observanda est: Invisibilia eius, videlicet aeterna potentia eius, et divinitas, conspiciuntur ab opificio mundi, animadversa ex operibus. Divinitas eius et aeterna potentia, id est, quod sit Deus, aeternus, potens, sapiens, iustus, bonus, puniens iniustos, exaudiens et adiuvans iustos. Haec, inquam, agnoscit mens intuens opificium mundi. Nam ex multis vestigiis ratiocinatur ista de Deo. Neque tamen hae ratiocinaretur, nisi etiam insita esset menti quaedam noticia seu πρόληψις de Deo. Quare prius inquit:

Deus manifestavit eis. Postea autem foris admonita mens conspectu mundi, et ordine operis, cogitat non potuisse haec casu existere, aut oriri, sed haud dubie ab aliqua mente aeterna condita et distributa esse. Nihil dubium est homines praecipue conditos esse, ut in eis luceret noticia Dei. Patefacere se Deus voluit, et ab humano genere agnosci ac celebrari. Ideo in mente humana fulsit admiranda lux et clara, ac illustris noticia de Deo, insita ei in conditione. Ac si non accessisset caligo per morbum originis, mens humana fuisset tanquam speculum, ostendens, ut ita dicam, imaginem, hoc est, multas perspicuas noticias de Deo. Ideo scriptum est, mentem esse quandam Dei imaginem. Nec dubium est hunc totum mundum conditum esse, ut dicat testimonium de Deo. Ordo operum perspicue monstrat, non potuisse haec casu oriri. Et si natura hominis mansisset integra, hac philosophia praecipue fuisset occupata, considerasset vestigia divinitatis in natura, et praedicasset sapientiam, et bonitatem architecti. Sed postquam caligo subiit mentes propter morbum originis, non fulget imago, et noticiae naturales sunt admodum obscurae, et cor seu voluntas, propter aversionem a Deo, non satis assentitur illis noticiis, nec constanter eas propugnat, facileque sibi excuti etiam veras noticias de Deo sinit, obiectis aliis persuasionibus: ideo tanta fuit manetque inter homines dissensio de Deo. Philosophi omnes de providentia dubitarunt, quia etsi aliqui movebantur natura, ut esse Deum statuerent, tamen an curaret res humanas dubitabant, cum viderent res secundas sceleratorum, et iustos opprimi a sceleratis. Hac offensione perturbati animi postea magis ruunt, et offundit nebulas maiores diabolus, ut multi athei omnibus temporibus prorsus negarunt esse Deum, seu aliquod aeternum numen, sicut Cyclops apud Homerum et Euripidem: sed hi pugnant cum suis mentibus, et mentiri se norunt. Itaque cum tanta caligo sit humanae mentis ac levitas, ut etiam vera argumenta facile nobis excutiantur, praecipua cura sit, ut confirmemus nos verbo Dei. Nam et lex divina ideo promulgata est, ut renovaretur Dei agnitio. Sed tamen, quia non prorsus deleta est in animis noticia naturalis, excitemus eam, et aspiciamus vestigia Dei in natura rerum. In Actis scriptum est, Deum adeo prope adesse, pene ut manibus contrectari possit. Nec frustra impressa sunt naturae tot vestigia Dei. Admoneri nos Deus vult per has notas, vult eas considerari et agnosci autorem. Ideo studiosi quaerant haec vestigia, sed ita, ut tamen regulam teneant, scilicet verbum Dei. Postea profecto ad confirmandas bonas opiniones, multum prodest tenere infixas animo veras rationes, quae testantur esse Deum conditorem et conservatorem rerum. Et eruditus physicus multa apte colligere potest. Itaque Philosophi qui dextre physicen tractarunt, honestius de Deo senserunt, ut Galenus. Econtra Epicurei, ut physica turbarunt, ita nec vestigia Dei in natura aspicere voluerunt, quare illa Cyclopica de Deo furenter professi sunt. Recitabo igitur breviter novem argumenta a natura, quae testantur esse Deum conditorem et conservatorem rerum.

Primum. Maxime illustria testimonia sunt de Deo, mens humana, et discrimen honestorum et turpium impressum menti. Inde sumitur argumentum: Homo habet mentem, homo aliunde oritur, Ergo necesse est eum ab aliqua aeterna mente ortum esse, quia impossibili est mentem a natura bruta oriri. De hoc argumento nos et Psalmus admonet: Qui fecit oculos, non videret etc.

Secundum. Discrimen honestorum et turpium naturaliter notum est humanae menti. Id impossibile est casu extitisse, aut a bruta natura profluxisse. Ideo necesse est fateri Deum esse conditorem. Id argumentum labefactare nemo potest, vel si Cyclopes, Gigantes, Epicurei, Academici, Mezentii et similes omnes concurrant, et coniunctis viribus coelo bellum inferre conentur. Fateri eos necesse erit, discrimen honestorum et turpium non casu extitisse, sed ab aliqua mente ordinatum esse.

Tertium. In atrocibus delictis omnes homines naturaliter expavescunt, et indicant Deum esse, ac punire delicta. Ergo utraque noticia insita est menti humanae, et quod sit Deus, et quod scelera puniat. Quantumvis furit Mezentius, tamen necesse est eum saepe conscientia suorum scelerum perterrefieri. Clamitat igitur in eius animo, vel si repugnet, esse Deum vindicem scelerum. Alioqui cur non vere laetatur animus post facinus atrox, sicut vere laetatur recordatione recte factorum.

Quartum. Ab ordine rerum in tota natura. Videmus quam certae sint leges motuum coele-

stium, certum numerum specierum, et propagari similia ex similibus non promiscue alia ex aliis. Videmus causas finales rerum: Singula nascuntur ad aliquam utilitatem. Est et mirabilis consensus superiorum et inferiorum corporum. Motus coelestes certas vices aestatis et hyemis ad utilitatem viventium efficiunt. Quid fontium et fluminum perennitas? Quid in corpore humano partium singularum distributio? Quid ipsa numeri et ordinis agnitio? Nonne testantur clare hanc naturam non extitisse casu, sed ab aliqua aeterna mente ortam esse? Impossibile est enim haec semper ita fieri casu, impossibile est noticias numeri et ordinis casu, aut ex materia tantum ortas esse. O caecas hominum mentes, quae tam perspicuis argumentis, tam expressis vestigiis divinitatis non moventur, ut melius de Deo sentiant, et eum revereantur.

Quintum. Ad ordinis considerationem pertinet et politici ordinis consideratio. In hoc quoque lucent sapientia et bonitas Dei: Quod natura humana ad societatem condita est, quod consociata multis vinculis, contractibus, pactis, iudiciis, imperiis, poenis. Totus hic ordo testatur humanum genus non extitisse casu.

Sextum. A poenis homicidarum et conservatione ac eversione imperiorum. Manifestum est homicidas retrahi ad poenas, non humana diligentia, sed divinitus, ut conservetur societas vitae. Ita manifestum est imperia constitui, non humanis viribus, sed ab aliquo numine, ac rursus everti propter tyrannides et libidines: quia Deus punit in societate civili atrocia delicta: sicut Tarquinius pulsus est: victi Lacedaemonii, cum quidam per vim stuprassent hospitis filias et postea eas interfecissent.

Septimum. A significationibus rerum futurarum, multae sunt physicae significationes certae, vel stellarum, vel inferiorum corporum: ut certissima et perpetua experientia testatur, congressus stellarum humidarum in signis humidis, significare pluvias, tempestates. Item, prodigia multa apparent sine certa lege, et tamen significantia. Item vera vaticinia, ut Danielis de imperiorum ordine. Hae significationes non possunt, nisi ab aeterna aliqua mente proficisci.

Octavum. Heroici motus sunt motus supra humanam naturam, et magnae alicuius utilitatis causa interdum contingunt hominibus, ut ad imperiorum constitutionem, aut ad artes illustrandas, vitae utiles. Ergo oriuntur ab aliqua praestantiore natura et intelligente.

Nonum. A serie causarum. Causae sunt in natura ordinatae, ita ut necesse sit perveniri ad unam primam, quae non aliunde movetur, sed movet caeteras. Si est prima, necesse est eam ex sese habere vim movendi, Ergo est infinitae potentiae. Et esse aliquam primam necesse est: alioqui enim nullus esset ordo causarum, si sparsae essent infinitum. Hoc argumentum in physicis prolixe tractatur, et satis firmum est: sed superiora sunt magis illustria, quae a natura mentis, a discrimine honestorum et turpium, ab ordine in natura et societate sumta sunt: quae quidem testantur non solum opificem esse Deum, sed etiam vindicem, nosque ad timorem Dei invitant. Quare adolescentes talibus cogitationibus confirment animos. Nam quo diligentius haec argumenta consideramus, eo magis adsentimur, ut Plato inquit, et nos ipsi experimur. Sciant autem studiosi, omnia haec argumenta esse leges naturae, praecipientes ut agnoscamus Deum esse conditorem omnium, et nos ei debere obedientiam. Atque ita accommodat hoc loco Paulus. Cum autem supra in propositione accuset omnes homines, nunc instituit distributionem: Primum concionatur gentibus, postea Iudaeis: ait gentes esse sub peccato, quia cum Deum norint, non tamen glorificaverunt ut Deum, nec ei gratias egerunt.

Non glorificaverunt ut Deum.

Glorificare ut Deum, est Deo aeterno rerum conditori tribuere hanc gloriam, quod sit Deus, id est, aeternus, immensae potentiae, rerum conditor et conservator, sapiens, iustus, puniens iniustos, exaudiens et adiuvans iustos, eique obedire, ac vere timere eius iudicium, et vere ei credere, et ab eo petere et expectare bona. Hunc honorem Deo tribuere omnes debebamus, idque vocat hic, glorificare ut Deum.

Gratias agere, est credere quod Deus sit rerum conditor, quod ei curae simus, quod vitam et alia bona ab ipso accipiamus, auxilium et defensionem ab eo petere et expectare, ac propterea eum agnoscere tanquam Dominum, eique obedire, ne simus ingrati, et contumaces adversus Dominum, et celebrare ac praedicare eius nomen,

potentiam, bonitatem, iusticiam. Haec sunt opera primi et secundi praecepti necessaria, et ad quae praecipue conditi sumus. Sed mundus ea non praestat: ideo vox Evangelii omnibus temporibus accusat impietatem mundi. Nam homines alii sunt ἄθεοι, alii sunt idolatrae. His duobus modis peccant homines contra primam tabulam legis divinae. ἄθεοι, ut Cyclopes et Epicurei, prorsus negant esse Deum, aut curare res humanas. Hos satis constat non glorificare Deum, non metuunt, non credunt ei, non invocant eum, iudicant inane nomen esse: id enim est ei gloriam aliquam tribuere potentiae, bonitatis, iusticiae: nec est exigua multitudo talium Cyclopum, etsi mirum est posse innatas noticias adeo obrui. Sed diabolus qui habet captivas mentes hominum, is naturae alioqui infirmae, offundit maiores errores: ac nunc quidem nonnulli literati, praesertim Romae, sapientiam putant esse, delectari his Cyclopicis opinionibus. At idolatrae aliter errant, honorem Deo debitum, transferunt in alias res. Est enim idololatria tribuere, divinitatem ei quod non est Deus, invocare id quod non est Deus: tribuere alteri honorem redemtionis, quam Christo: tribuere fiduciam operibus nostris, quae Deo debebatur: alligare Deum ad certos cultus et statuas, contra suum mandatum: plus timere aut diligere aliud quam Deum. Haec proprie complectitur, et significat Idololatria, ut vulgo vocant. Hinc facile intelligi potest mundum plenum esse Idolomania. De hoc cultu verum est dictum Poëtae: Primus in orbe Deos fecit timor. Securi sunt plerunque Cyclopes. Alii in periculis quaerentes *Deum*, ut ratio monstrat Deum esse opitulatorem, anxii non recte quaerunt Deum. Cum enim habeant opiniones legis, et cogitent, Deum exaudire iustos, cultores suos, bene meritos, invocant quidem, sed sine promissione gratiae, sine noticia mediatoris, ideo aut dubitant se exaudiri ac respici, aut induunt inanem fiduciam suorum cultuum, sicut apud Homerum inquit sacrificulus: Si gratas hostias tibi mactavi Phoebe, exaudias me. Prima est igitur impietas, quod aut dubitant se exaudiri a Deo, aut induunt fiduciam propriae iusticiae, nec norunt mediatorem. Hoc errore admisso accedunt multa scelera. Fiducia propriorum cultuum moventur homines, ut cumulent ceremonias, et excogitent novos cultus et Deos: ut cum rustici putarent bonas tempestates impetrari ceremoniis, instituerunt cultum, ut ad Iovis tonantis statuam quaedam sacrificia facerent. Milites, cum putarent ceremoniis impetrari victorias a Deo, instituerunt cultum, ut ad statuam Martis quaedam sacrificia facerent. Ita humana audacia excogitavit novos cultus, fiducia operum, sine mandato Dei, et contra mandatum Dei. Hinc longius aberrantes animi, etiam numen quoddam tribuerunt statuis, ac deinceps alii aliis rebus, quo impellebat diabolus, aut quo affectus aliquis traxerat, tribuebatur divinitus statuis, pecudibus. Nec tantum ab Ethnicis petantur exempla. Quid nunc fit? Homines invocant divos, prorsus ut olim Herculem, aut Romulum invocabant Ethnici. Et alia sunt aliorum numina, milites invocant Georgium, nautae Nicolaum, avari Annam. Curritur ad statuas more gentium, et aut ipsis statuis numen tribuitur, aut alligatur Deus ad statuas, hac opinione, quod placatior sit ad hanc statuam: cum Deus nolit alligari ulli rei, ad quam se non expresso mandato iubet invocari. Est igitur manifesta in mundo idolatria, et hanc probant ac defendunt Pontifices et Reges. Lutetiae quidam sustulerant ligneam statuam Mariae, fortassis ut superstitionem populi prohiberent, restituta est alia argentea, ut confirmaretur idolomania. Deinde multiplex est idolatria in aliis cultibus. Tribuunt missae et votis honorem debitum Christo, quod satisfaciant pro peccatis, quod mereantur remissionem peccatorum.

Cum igitur maneat impietas, videlicet Epicurea securitas, et superstitio cuiuscunque modi, agamus poenitentiam, quaeramus verbum Dei, et Deum recte colere et invocare vera fide discamus, regantur verbo Dei fides et opera, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Nam cum ab hac lucerna disceditur, statim infiniti errores obrepunt. Amplectamur igitur verbum Dei, et oremus Deum, ut per filium suum liberet nos ab omnibus erroribus et impietate, cum filium ideo nobis exhibuerit, ut destruat opera diaboli. Hortetur ad poenitentiam nos et magnitudo poenarum: Contemtus Dei et superstitio muniuntur etiam in hac vita, caecitate et amentia. Homines deserti a Deo ruunt in omne genus flagitii, et accensis animis aliqua cupiditate, amore, odio, diabolus offert occasiones. Quam foeda leguntur in historiis, quae recitare non volo. Quam foedus Alexander, qui videbat se donatum esse tanto regno, et quod erat gloriosius, orna-

tum esse tanta ingenii praestantia, is tamen inter pocula interfecit amicum, postea saeviit in optime meritos Principes, tandem in convivium ab amatore vocatus, dat poenas, cum ex intemperantia in morbum letalem incidisset. Haec et similia, hoc est, maximam partem historiae mundi, complectitur Paulus, inquiens: Cum se esse sapientes gloriarentur, stulti ac vani fuerunt. Satis enim in tanta turpitudine conspici potest Alexandri amentia, quo tamen vix aliud excellentius fuit ingenium. Intueamur animo et veteres historias, et praesentium temporum vitia, eaque cogitemus esse poenas aut Cyclopici contemtus Dei, aut idolomaniae. Hoc monet Paulus, cum aliquoties repetit, ideo traditos esse homines in desideria cordium suorum, quia Deum non glorificaverint. Caeterûm hic de phrasi admonendi sunt rudiores: Tradidit eos in desideria, id est, permisit eos ruere. Usitata est haec phrasis apud Ebraeos, ut: Ne inducas nos in tentationem, id est, non sinas nos induci. Permissive haec intelligenda sunt: Deus enim nequaquam est causa peccati, sed diabolus, ut scriptum est: Qui facit peccatum, ex diabolo est. Et is vere est causa efficax et impellens ad hos furores, qui hic describuntur.

Plenos omni iniusticia.

Addit coacervationem et magnum cumulum peccatorum, ut caetera vitia etiam arguat. *ἀδικία*, generale est, significans universalem inobedientiam contra primam et secundam tabulam legis divinae, sicut iusticia legis significat universalem obedientiam.

πονηρία significat proprie cupiditatem nocendi. *κακία* peccata omissionis, ut vocant, continet. Nam ut Latinis turpitudo generale oppositum virtuti, ita Graecis *κακία* est oppositum *τῇ ἀρετῇ*. Marcus Antonius est *κακὸς*, helluo, negligens. Sed Domitianus est *πονηρὸς*, cupidus nocendi, cui hoc ipsum voluptati est, nocere aliis. *κακοήθεια* proprie est malevolentia, qualis est in obtrectatoribus, qui simpliciter aut candide dicta et facta, arte depravare norunt. Estque vere oppositum vitium candori, *κακοηθὲς μὴ καθαρὸν*: haec enim inter se opponit Plutarchus. Saeva pestis est malevolentia, et saepe Reipub. perniciosa, cum malevolae naturae exagitant alios mediocres aut etiam bene meritos, tantum animi morbo, ut Cato non favebat Ciceronis laudibus. Nam id quoque ad *κακοήθειαν* solet accedere, simulatione gratuitatis tegitur vitium. Extant versiculi Menandri, in quibus describuntur gradus quidam hominum, quibus praecipue delectantur potentes:

> *ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,*
> *πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερος*
> *ὁ συκοφάντης, ὁ δὲ κακοήθης τρίτατος,*
> *ὃς ἐστὶ δεινὸς μηχανοῤῥάφος κακῶν.*

Primum locum tribuit adsentatori, nam hic est dulcissimus? proximus est delator, seu susurro, qui init gratiam perferendis fabellis et confingendis ac instruendis calumniis. Tertium locum habet *κακοήθης*, qui novit alludere ad Domini affectus, candida facta secus interpretari, odia incendere. *θεοστυγεῖς*, sive active sive passive accipiatur, significat palam contumeliosos in Deum, quales describuntur Sennacherib et Rabsaces in historia Esaiae, aut Mezentius apud Virgilium, aut Antiochus in historia Maccabaeorum. Et habet haec aetas exempla nimis multa tyrannorum, qui aperte profitentur se esse hostes Dei. *ἀσύνετοι*, furiosi, qui caeci contra iudicium communis sensus ruunt praecipites in omnia scelera, et exitium suum, sicut Catilina, Thomas Monetarius, qui furens arma ceperat ad delendos omnes Principes, ad communionem rerum instituendam. Item nebulo Monasteriensis, qui se vocabat regem templi Dei. Hanc amentiam saepe dicunt Prophetae poenam esse impietatis. Sic Pharao, Saul et alii sibi accersiverunt exitium. Deest eis utrunque bona conscientia et moderatum consilium. *ἀσύνθετοι* non servantes pacta, *συνθήκας*, in contractibus ac foederibus. *ἄστοργοι*, qui naturales affectus erga parentes, liberos, fratres aut benemeritos exuunt. Nam *στοργὴ* significat bonos affectus divinitus inditos naturae hominum, etsi nunc propter morbum originis nonnihil aberrant. Sed tamen probat eos Deus et recte regi vult, iubet nos diligere coniuges, parentes, liberos, iubet gratos esse: hae sunt *στοργαὶ*. Damnat igitur Paulus illos ferreos homines, qui exuunt has *στοργὰς*, quales sunt fratres in tragoediis Atreus et Thyestes. *ἄσπονδοι* sunt implacabiles, sicut Saul nullo officio placari potuit, ut rediret in gratiam cum Davide. Iterum autem in fine allegat ius naturae, ac vocat ius Dei. Meminerint ergo studiosi regulam: Quod violatio legum naturae, sit violatio iuris divini, et vere peccatum mortale. Contuli in

locis ius naturae cum decalogo, qui quidem est optima methodus et summa legum naturae, si quis dextre decalogum intelligat.

Quod haec facientes etc.

Mira profecto sententia est, quod ait homines naturaliter intelligere, dignos morte esse omnes, qui violant naturae leges. Facile intelligi potest ea delicta severe punienda esse, quae perturbant communem pacem, ut homicidia et latrocinia. Neque enim conservari societas civilis posset, si impune liceret rapere aliorum facultates, aut insontes homines trucidare. Hic utilitas communis admonuit gubernatores ut poenas constituerent.

Sed cur Paulus in genere de omnibus vitiis inquit, digni morte sunt, et turpia facientes et consentientes. An invidus plectendus est capitali poena? Respondeo: Paulus non loquitur hoc loco de magistratuum iudicio, aut de suppliciis, quae propter pacem et utilitatem communem irrogantur latronibus aut grassatoribus: sed loquitur de privato conscientiae iudicio in quolibet homine. Ac multo altius introspicit mentes, quam vel Epicurei, vel hypocritae, qui securi et ebrii voluptatibus non sunt experti veros pavores conscientiae. Non iudicat Saul se morte dignum esse, cum contra mandatum Samuelis parcit regi captivo. Sed tunc agnoscit conscientia, quodlibet peccatum morte dignum esse, cum veri terrores incutiuntur animo, cum videt Deo non esse obtemperatum. Hic peccatum ut infra dicitur, fit excellenter reum ac damnatum.

Adam cum gustaret pomum contra mandatum, existimabat id factum non magni momenti esse, nondum illos horribiles terrores conscientiae expertus erat, qui mortem adferunt. Postea vero obiurgatus a Deo, agnovit peccatum esse contemtum Dei, sensit irasci Deum, expavit, et extinctus esset magnitudine doloris, nisi divina promissione ex morte revocatus esset. Lex, inquit Paulus, est potentia peccati. Ita lex naturae in mentibus hominum iudicat et damnat peccatum, ostendit Deum irasci cuilibet peccato, cum videlicet vere cernitur, ut fit in illis terroribus.

De hoc vero iudicio conscientiae loquitur hic Paulus, ac damnat non solum externa delicta, sed etiam universam immunditiem interiorem, ignorationem et contemtum Dei, et omnes pravas cupiditates. Etsi autem alii affectus in aliis magis erumpunt, alii magis indulgent odiis, alii libidinibus, alii avariciae, tamen corda impiorum omnium sunt sine timore Dei, sine fiducia, delectantur impiis opinionibus et erroribus, delectantur aliquibus voluptatibus obscenis, etsi alii aliis diligentiores sunt in frenandis his inclinationibus. Ut non facit caedem Pomponius Atticus, sed tamen voluntas est aversa a Deo, delectatur opinionibus Epicureis, aut Academicis de Deo, vult suaviter vivere, quaerit tranquillitatem sine agnitione Dei. Denique multos habet motus a Deo aberrantes: hoc vult Paulus cum damnat non solum facientes, sed etiam consentientes, συνευδοκοῦντας. Non enim loquitur tantum de his qui adiuvant aliorum scelera, ut in foro consensum interpretantur, sed de omnibus qui similibus rebus delectantur, id enim est proprie συνευδοκεῖν. Et hanc sententiam mox exaggerat.

Caput II.

Ideo inexcusabilis es.

Extare in Ecclesia hanc doctrinam de lege necesse est, quod lex Dei non tantum externa delicta accuset et damnet, sed etiam interiorem pravitatem, dubitationem de Deo, et caetera vitia cordis et omnes pravas cupiditates. Ideo Christus Matth. 5. taxat Pharisaeos, qui legem Dei tantum de externis factis interpretabantur. Sicut leges politicas intelligimus, ac addit novam enarrationem de interiori pravitate. Ita hoc loco Paulus, ut ostendat omnes homines esse reos peccati, ut postea dicet, accusat etiam eos, qui, quia sine externa turpitudine vivunt, putant se iustos esse propter illos civiles mores.

Observanda est autem series partium, ut melius intelligi possit unde oriatur initium secundi capitis, quod est conclusio, accusans omnes qui se propter civiles mores iudicant esse iustos. Est enim syllogismus integer, maior propositio recitatur in fine capitis: Digni morte sunt omnes, tum facta iniusta perpetrantes, tum consentientes facientibus, seu qui similes cupiditates habent.

Sequitur minor in secundo capite: Tu qui iudicas alterum, eadem facis, id est, Qui praeditus moribus civilibus, damnat eos tantum, qui obnoxii sunt manifestae turpitudini, nec damnat

seipsum, sed arbitratur se iustum esse propter suos mores, is eadem facit, id est, habet impietatem in mente, dubitat an Deus curet humana, an puniat, exaudiat homines, habet et alias pravas cupiditates, odia, atque amores. Haec est sententia huius dicti. Eadem facis, videlicet interioribus motibus animi.

Deinde accedit conclusio: Ergo cum eadem facias, inexcusabilis es quisquis iudicas, id est, alios damnas, obnoxios manifestae turpitudini, te non damnas, qui similem habes interiorem pravitatem. Estque haec conclusio clara et perspicua accusatio omnium, qui se propter civiles mores arbitrantur iustos esse, cum interim sciant obnoxios externae turpitudini non esse iustos, nec tamen cogitent se similibus morbis in animo obnoxios esse. Hoc significat verbum, qui iudicas, id est, damnas alios, te non damnas, obnoxium similibus morbis, sed interioribus.

Ac diligenter memineris particulam sequentem, cum ait: Eadem agis. Loquitur enim de interioribus motibus. Pomponius Atticus non fecit caedem manu, non rapuit aliorum facultates, ut Sylla: sed de Deo non recte sentit, dubitat, ut Academici, an Deo sint curae humanae, applaudit usitatae idolatriae, cogitat superstitiones prodesse, ut vulgus eo metu tanquam carcere contineatur. Deinde habet et alios multos affectus vitiosos, et a Deo aversos.

Ideo addit Paulus: Iudicium Dei secundum veritatem est, id est, iudicat non solum externam umbram actionum, sed mentes et fontem actionum. Si in mentibus non lucet vera de Deo sententia, si voluntates aversae sunt a Deo, et sese plus amant, quam Deum, certe non obtemperant legi Dei, quae inquit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Cum talis sit infirmitas in omnibus hominibus fateantur se non satisfacere legi Dei. De hoc vero iudicio concionatur hic Paulus.

Ac deinde addit adhortationem, et vocat omnes ad poenitentiam, ac docet quare Deus differat poenas, videlicet ut spatium nobis concedat, quo resipiscamus. Poterat subito interficere primum parentem Adam cum deliquisset. Item Petrum in lapsu, cum negaret familiaritatem cum Christo. Et statim extiterunt in utriusque animo pavores, qui mortem allaturi erant. Sed dat spatium miseris, ut redire in viam possint, iuxta illud: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et huc pertinet parabola de ficu, Lucae 13.

Qui reddat unicuique iuxta facta sua.

Removeantur a dogmatibus divinis praestigiae sophismatum, et astutae depravationes rectarum sententiarum. Constat hoc agere Paulum in hac tota Epistola, Fide gratis propter filium Dei iustificari homines, non propter dignitatem nostram aut merita. Hoc vere agi a Paulo cum constet, tamen adversarii hoc dictum, reddet iuxta facta, detorquent ad suas opiniones, contra Pauli sententiam. Contendunt homines pronunciari iustos propter dignitatem operum, contendunt opera esse pretium vitae aeternae. Sed recte instituti in doctrina Christiana facile talia dicta conciliare cum aliis possunt, quae loquuntur de gratuita imputatione, et donatione vitae aeternae propter Christum.

Ut enim tota scriptura divina alias legem proponit, alias Evangelium, ita sunt sua quaedam dicta legis, et sua quaedam Evangelii. Et tamen Evangelium est lumen et interpretatio legis. Haec est phrasis legis: Reddet unicuique iuxta opera sua. Estque sententia: Tribuet iustis praemia, et iniustos puniet. Nec dubium est ex Evangelio addendam esse enarrationem, qui sint iusti, et quae opera Deo placeant. Nam dicta legis sine Evangelio pariunt desperationem. Nunquam conscientia in veris pavoribus statuere potest, se opera habere digna remissione peccatorum, aut vita aeterna. Ut cum ait Christus: Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Hic necesse est τὸ ῥητὸν mitigari addita interpretatione ex Evangelio. Nemo enim legi satisfacit.

Quare breviter respondendum est, phrasin legis esse, reddet iuxta opera, id est, reddet iustis praemia, iniustis poenas. Sed qui sint iusti docet Evangelium, et quomodo opera placeant Deo. Et quidem lex de fide, tanquam de opere loquitur, quia revera est praecipuus cultus Dei, et praecipuum opus, fiducia misericordiae Dei, qua Deus vere invocatur. Unde autem oriatur haec fides, docent promissiones seu Evangelium. Postea placent et reliqua opera a Deo mandata, quae sequi fidem necessario debent. Est ergo sententia: Reddet iuxta opera, id est, iustis dabit vitam aeternam, hoc est, ut Evangelium docet, fide iustificatis. Et in his necesse est esse

incoatam obedientiam, quae placet, non quia legi satisfaciat, sed quia fide reconciliata est persona et agnoscit suam infirmitatem, et tamen credit hos cultus propter Christum patri placere, ut supra dictum est. Et infra docet Paulus, inquiens: Non estis sub lege, sed sub gratia. Facilis est explicatio intelligentibus naturam fidei. Fateri enim necesse est, Paulum, cum de iustorum operibus loquitur, complecti fidem. Quoties autem fit mentio fidei, reipsa dictum est exclusivum, h. Etsi adesse oportet incoatam obedientiam, tamen fides nititur sola misericordia, et statuit nos iustos, id est, acceptos esse per misericordiam.

Non enim qui audiunt legem, iusti sunt etc.

Generalis sententia est de iusticia legis. Nam Iudaei arrogabant sibi iusticiam propter legem. Hic opponit Paulus definitionem iusticiae legis. Est enim iusticia legis facere legem, praestare integram obedientiam legi, non tantum audire legem aut profiteri legis ceremoniam. Sic ait: Factores legis iustificantur, id est, pronunciatur iusti. Ita loquitur Paulus de idea, et coarguit Iudaeos, quod non sint iusti lege, quia nemo legi satisfacit. Quare hic locus non potest detorqueri contra iusticiam fidei, nec addit hic Paulus, quomodo incoëtur lex et quomodo placeat. Tantum enim refutat illos, qui fingunt se esse iustos propter externam professionem legis.

Sibi ipsis lex etc.

Dixerat impios perituros esse Iudaeos et Gentes, etiamsi hae legem non habuerunt. Nunc addit correctionem: Imo Gentes etiam habuerunt legem, hoc est, noticiam naturalem de moribus discernentem honesta et turpia. Hic iterum extat testimonium de lege naturae. Ac Paulus erudite ratiocinatur, quod Gentes habeant legem, ac simul declarat, quid sit lex naturae, habent conscientiam accusantem et excusantem, id est, discernentem honesta et turpia, Ergo habent legem. Consequentia est nota ex definitione. Nam lex proprie est illa naturalis noticia, docens honesta et reprehendens turpia. Diligenter autem observandum est, quod ait: Natura faciunt, id est, naturali noticia ac lumine. Et testatur Paulus hoc verbo, Natura, quod noticia illa sit opus Dei conditum in mente, sicut lumen in oculis. Natura enim proprie significat rem conditam a Deo. Quare noticiae illae sunt verae, et sunt lex divina, ut supra dictum est. In hoc loco valde sudat Augustinus, cum nihil habeat obscuri. Primum disputat, quid velit Paulus, cum ait, Gentes legem fecisse, an loquatur de aliquibus sanctis, ut de Iob et similibus. Secundo disputat de particula, natura, cum lex non possit vere fieri sine Spiritu sancto, quare Paulus dicat, Gentes natura fecisse. Has difficultates affert ad Paulum Augustinus. Nam ipse textus non usque adeo obscurus est. Primum enim natura significat principaliter noticiam naturalem. Paulus enim ratiocinatur, de noticia et de iudicio. Deinde manifestum est etiam non renatos, viribus naturalibus posse externa legis opera facere, et disciplinam seu civilia opera praestare. Paulo hic satis est ostendere, quod Gentes intelligant discrimen honestorum et turpium: hoc ostendit disciplina: inde ratiocinatur, quod legem habeant. Loquitur ergo de facientibus externa opera, et de disciplina: et quidem confert Iudaeos et Gentes. Significat Gentes tantundem profecisse ex lege naturae, quantum Iudaeos ex lege Moisi. Non enim dicit lege fuisse iustas Gentes coram Deo, sed significat utrosque externa civilia opera fecisse. Excelluerunt pulcerrimis virtutibus, Fabius, Scipio, Atticus, et plerique alii: ac fortassis disciplina et diligentia in omni officio superarunt multos praestantes Iudaeos. Hic ratiocinatur Paulus, Gentes habere legem, id est, noticiam naturalem de moribus. Neque sequitur ex hac collatione, quod propter illam disciplinam ulli fuerint iusti coram Deo.

Ecce tu Iudaeus.

Ut autem nominatim Gentes accusavit, ita nunc nominatim accusat Iudaeos, ut perveniat ad illam exaequationem Gentium et Iudaeorum, in qua conspicitur quod omnes homines sint sub peccato, et lege non liberentur a peccato. Est autem haec obiurgatio sic accipienda, ut intelligamus accusari et manifesta peccata et hypocrisin, sicut necesse est praedicari poenitentiam, iuxta illud mandatum Christi: Ita praedicantes poenitentiam et remissionem peccatorum. Et quanquam aliqui inter Iudaeos fuerunt sancti, tamen Paulus loquitur de Iudaeis, quatenus nihil habent nisi legem, nec sunt sanctificati fide et agnitione promissi Christi. Hoc enim vult efficere, quod Lex non sufficiat ad iustificationem. Quale valet

argumentum: Si lex sufficeret ad iustificationem, omnes essent iusti, qui legem acceperunt et observant externos cultus. Atqui hi non sunt iusti, Ergo lex non sufficit ad iustificationem. Diligenter enim considerandum est quo consilio Paulus haec scripserit. Accusat Iudaeos, ut intelligant opus esse alio beneficio ad iustificationem. Est autem hic gravis obiurgatio arrogantiae in hypocritis, qui tument fiducia propriae iusticiae. Tales loci observandi sunt, et ut timorem discamus, et ut perterrfactae mentes concipiant consolationem. Nam in utranque partem plurimum valent tales loci qui et carnalem securitatem tardant, et rursus erigunt pavidas mentes, iuxta illud: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Nam circumcisio quidem prodest, si legem servaveris.

Occupatio est. Paulus enim occurrit obiectioni de meritis externorum cultuum, cum Iudaei se praeferrent Gentibus, et obiicerent se habere certos cultus a Deo institutos, et disputarent hos cultus non esse frustra institutos, sed mereri remissionem peccatorum etc. Respondet Paulus novo paradoxo: Circumcisio prodest, si legem observes. Estque generale dictum de omnibus externis cultibus, quod non prosint ex opere operato, ut vulgo loquuntur, nec mereantur remissionem peccatorum, sed placeant in his, qui sunt iusti. Accommodandum est autem hoc dictum non solum ad Leviticos cultus, sed etiam ad externa opera et ceremonias in Ecclesia.

Caput III.

Quid igitur habet Iudaeus in quo praecellat?

Digressio est in qua velut interpellatus, occurrit quibusdam obiectionibus: magna enim et difficilis quaestio oritur ex illa exaequatione Gentium et Iudaeorum. Nam si Iudaei non sunt iusti propter suos cultus, si non liberantur a peccato propter opera legis, quare data est lex? quare Deus eam requirit? quare vocat cultus et propiciationes? Quare Iudaei dicuntur populus Dei, si lex non facit discrimen inter Iudaeos et Gentes? quam habent Iudaei praerogativam? Paulus respondet bifariam. Primum affirmative, deinde negative. Primum ait Iudaeos praestare Gentibus, et hanc habere praerogativam, quod habeant promissiones. Praestant igitur non propter legem, non quod lege mereantur iustificationem, sed quia habent promissiones. Haec erat ingens praerogativa, nosse verbum Dei et promissionem de Christo, et quidem habere hoc ius, quod promissio nominatim ad hunc populum pertineret. Itaque multi audientes verbum illud salvabantur, et quidem certum erat semper aliquos ex Iudaeis salvari, quia sic erat edita promissio, nominatim ad posteros Abrahae pertineret. Ideo hic locus iam docet de principali fine totius politiae Iudaicae. Indocti imaginantur leges illas traditas esse, ut per eas iustificaretur populus, sed Paulus detrahit legi gloriam iustificationis, et ostendit finem fuisse politicum. Oportuit enim certum populum esse, in quo revelarentur promissiones de Christo, certis et claris testimoniis Dei. Ideo Deus hunc populum discrevit a Gentibus, et multis evidentibus miraculis testatus est eos habere verbum Dei. Quare cultus et tota politia fuerunt res externae, praecipue ad hunc politicum finem ordinatae, ut hunc populum discernerent a reliquis gentibus. Interim tamen miracula editae legis et reliqua, erant testimonia, quod Deus dedisset huic populo verbum: et cultus ipsi erant a Deo ordinati, ut admonerent homines in hoc populo esse verbum Dei, et quidem promissionem de Christo, et iustis erant exercitia fidei, item admonebant alios etc. Proinde hic locus Pauli utiliter docet, quod cultus non merebantur remissionem peccatorum, quod non iustificabant.

Num incredulitas illorum etc.

Inserit obiter alias quaestiones: Utrum ideo amiserint Iudaei promissiones et tota gens damnata sit, quia non crediderunt, sed interfecerunt Christum? Respondet Paulus, Promissionem gratiae non fieri irritam, sed manere ratam omnibus, quicunque credunt, etiamsi plurimi eam aspernantur. Hic locus continet egregiam consolationem, ac monet, ne propter ingentem multitudinem impiorum suspicemur promissionem gratiae Ecclesiae factam, irritam esse, sed sciamus vere eam exhiberi credentibus, etiamsi paucissimi sint.

Omnis autem homo mendax.

Addit antithesin, ut fiat illustrius quod Deus sit verax, quia servat promissa indignis, propter suam veritatem et bonitatem. Omnis homo mendax, non recte iudicans de Deo, non vere timens

Deum, non vere credens Deo, non existimans eum irasci peccato, aut misereri agentium poenitentiam, sed dubitans, negligens, diffidens Deo. Horum peccatorum et harum tenebrarum reliquiae sunt etiam in sanctis, ideo dicit: Omnis homo mendax. Pendent igitur promissiones non ex dignitate nostra, sed ex eo quod Deus est verax.

Ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris.

Addit aliud testimonium, quod detrahit dignitatem seu gloriam iusticiae et meritorum nobis, et celebrat Deum iustum et servantem pacta propter suam veritatem. Sed repetamus integrum versiculum. Continet enim uberrimam doctrinam, ac evidenter refutat hypocritas et persuasiones legales, et doctrinam monachorum, qui fingunt homines propter propriam dignitatem, seu propter legem placere Deo. Rursus etiam dulcissimam consolationem proponit agnoscentibus suam immunditiem, et agentibus poenitentiam. Verba haec sunt: Tibi tantum peccator sum, ut iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris. Est autem confessio peccati plana et simplex, quales multae sunt in aliis Psalmis: Agnosco me non adferre ad te iusticiam, dignitatem, merita: sed tantum esse peccatorem. Et hic observanda est phrasis Ebraica. Nam verba saepe ipsis significant habitus: Tibi pecco, id est, sum peccator. Et est singularis emphasis in appellatione peccati. Tantum sum peccator, id est, reus, damnatus, maledictus, κάθαρμα. Nam appellatio peccati haec duo significat, aut enim peccatum est quiddam pugnans cum lege Dei, quod meretur iram Dei et poenas, nisi remittatur, aut simpliciter de effectu intelligitur, videlicet pro re aliqua rea, seu damnata: ut cum hostiae, seu piacula, vocantur peccata. Hic ergo cum fatetur Propheta se esse peccatorem, et addit exclusivam, tantum, abiicit dignitatem propriam, agnoscit se habere immunditiem pugnantem cum lege Dei, ac se reum esse ac meritum iram Dei et poenas. Haec confessio quid sit, in vera contritione pii experiuntur. In his pavoribus excutitur arrogantia et fiducia propriae dignitatis, seu iusticiae legis.

Ut autem clarius refutarentur hypocritae, adiecta est ratio confessionis. Ideo me peccatorem esse confiteor: ut iustificeris in sermonibus tuis, id est, ut te solum praedicem iustum esse, cum accusas nos, tibi soli tribuatur gloria iusticiae. Item: ut vincas cum iudicaris, id est, ut vincas et tibi tribuatur laus iusticiae, cum hypocritae accusant te, ac tribuunt tibi iniusticiam et crudelitatem quando puniuntur et abiiciuntur. Saul tantis rebus gestis pro salute populi Dei existimat se meritum esse, ne abiiciatur a Deo, ne eiiciatur ex regno. Itaque in calamitate irascitur Deo accusat eius iudicium. Econtra David in calamitate fatetur se iuste puniri, non accusat Deum, sed praestat obedientiam, sicut alibi praecipitur. Humiliamini sub potenti manu Dei. Haec est simplex, vera et plana versiculi Davidici interpretatio, quod videlicet sit confessio peccati, adiecta antithesi, ut Deus praedicetur iustus, non accusetur quod insontes puniat, quod hanc infirmam naturam iniuste tantis calamitatibus oppresserit: sicut eum accusant hypocritae, Saul, Cato et similes. Fortassis haec sententia subobscura est hominibus otiosis, et Epicurea securitate fruentibus. Sed tamen facile intelligi potest ab iis, qui non sunt omnino rudes verae poenitentiae, seu contritionis, ut vocant.

Caeterum Grammatici hic intempestive disputant de verbis, an sint passive accipienda: ut iustificeris, Item: cum iudicaris. Recte Paulus passive reddit, et quadrant passivae voces ad hanc simplicissimam sententiam, quam recitavimus. Volo retineri passivas voces, et ad has congruit Ebraica phrasis, ut eruditi facile iudicare possunt.

Illud autem adiiciam. Cum ait: ut iustificeris in sermonibus tuis, referatur dictum ad utrunque, ad legem et promissionem gratiae. Agnosco me esse peccatorum, reum, ut fateor te iustum esse accusantem ac punientem nos. Agnosco me esse peccatorum, et iure abs te accusari, ac celebro te solum esse iustum, nos non esse iustos.

Haec interpretatio adhuc vox est legis accusantis nos, nondum facit mentionem promissionis. Ideo hoc dictum: ut iustificeris in sermonibus tuis, transferamus, non solum ad legem, sed etiam ad promissiones. Quanquam sum reus, et nihil adfero ad te nisi agnitionem peccati, tamen confugio ad promissam misericordiam, expecto veniam: ut iustificeris in sermonibus tuis, ut praedicemus te esse veracem et servantem promissa, et recipientem invocantes per misericordiam, etiamsi non adferant merita.

Hanc ei laudem non tribuunt hypocritae. Non dicunt, expecto veniam, ut iustificeris in sermonibus tuis, ut praedicemus, te propter promissam misericordiam recipere indignos. Sed negant recipi vel exaudiri indignos. Prior interpretatio, quae est vox legis, facilius intelligi potest. Posterior aliquanto est obscurior, sed vera tamen, et ad hanc Paulus magis respicit. Ideo attexit sequentem quaestionem: Si misericordia Dei amplificatur per hoc, quod recipit ac iustificat indignos, ac tantum peccata adferentes, quare Deus irascitur peccantibus, siquidem peccata nostra amplificant gloriam misericordiae ipsius? Item si non sumus iusti propter nostras virtutes: Quorsum opus est benefacere? Item, quo plura peccata remittit misericordia, eo fit illustrior. Peccemus igitur, et laxemus frena cupiditatibus.

Haec absurda obiiciebant Paulo docenti, gratis pronunciari iustos eos, qui credunt. Si fit misericordia illustrior, cum peccata adferimus, ergo prolixe peccemus. Infra autem ad haec absurda respondebit, eaque diluet, capite sexto. Nunc tantum abrumpit adiecta obiurgatione calumniatorum.

Quid igitur? Praecellimus eos?

Hic redit ad institutum principale, videlicet ad exaequationem Iudaeorum et Gentium, ut doceat omnes homines sub peccato, id est, reos esse peccati et irae Dei. Observabis autem dissimiles responsiones ad quaestiones in digressione additas. Primum affirmative respondet, Iudaeos habere magnam praerogativam, quod ad promissionem attinet, non quod ad merita attinet. Ideo hic additur negativa responsio: Iudaei nihil praestant, scilicet, quod ad meritum attinet. Est ergo sententia: Nequaquam excellimus, id est, non sumus iusti propter nostram dignitatem, propter opera legis, propter nostras virtutes etc.

Nam ante causis redditis ostendimus et Iudaeos etc.

Repetitio est propositionis: Ac diligenter observandum est, quod iam effert eam universaliter, et ait, omnes sub peccato esse, id est, omnes homines esse reos peccati, irae Dei et mortis aeternae. Loquitur autem de omnibus hominibus excepto Christo, ac sanctos etiam complectitur, quatenus ipsorum natura consideratur, nec intelliguntur per misericordiam reconciliati. Semper autem haec exaequatio nos admoneat, quod superbos hypocritas et securos perterrefacit. Rursus prostratos erigit, quia testatur, quod Deus vere gratis propter Christum nobis ignoscere velit. Confirmat autem propositionem citatis testimoniis, in quibus non tantum civilia delicta culpantur, sed interiora peccata, contra primam tabulam. Non est intelligens nec requirens Deum, id est, omnes contemnunt Deum, sunt sine timore Dei et sine fide, propterea habent impias opiniones et doctrinas, et impia consilia, et per superbiam et fiduciam sui multa audent contra voluntatem Dei, et persequuntur pia docentes et monentes. Ita describit praecipue hypocritarum arcana vitia, quae mundus suspicit tanquam excellentem sapientiam et iusticiam.

Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro etc.

In conclusione iterum repetit universalem: Ut omne os obstruatur, et totus mundus sit reus coram Deo. Sed quidam qui fingunt homines mereri remissionem peccatorum, et esse iustos propter bona opera moralia, eludunt hanc universalem, et dicunt esse synecdochen, quasi Paulus non prorsus omnes arguat, sed plurimos, et ab hac universali sint excipiendi paucissimi quidam boni: ut quamvis Romae plurimi sint rei, tamen fingunt ex illo numero excipiendos esse paucos quosdam, Scipionem, Atticum. Etsi inter Iudaeos plurimi peccant, tamen paucos quosdam excipi volunt, ut Iohannem, Petrum, etc. Adversus huiusmodi cavillationes muniendi sunt animi, ut simplicem et veram sententiam Pauli retineamus, ac prudenter cavit ipse Paulus, ne haec exceptio affingi posset. Primum enim saepe inculcat universalem: deinde addit rationem, quae ostendit quid accuset. Ait enim: Eo quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Hic diserte non tantum personas accusat, sed illis ipsis bonis operibus detrahit iustificationem, quae illi volunt excipi. Deinde Psalm. inquit: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Haec sententia et pleraeque similes testantur exceptionem illam falsam esse, quia clare docent nostra bona opera non posse opponi iudicio Dei. Praeterea si moralia opera iustificarent, iustificassent

Iudaeos etiam ceremoniae, nam apud illos hae quoque habebant mandatum Dei. Quare sententia Psalmi et Pauli universaliter intelligatur de omnibus hominibus et de omnibus operibus, nec admittatur synecdoche, quae fingit aliquos esse iustos, et mereri remissionem peccatorum propter propriam dignitatem et propria opera etc. Diserte autem addit, coram Deo reos esse, quia loquitur non de humano iudicio, sed de divino iudicio. In illo agone non potest conscientia pacificari ullis operibus, sed sciat mandatum Dei esse, ut credat nobis ignosci certo, propter Christum per misericordiam etc. Et quidem pondera verborum observanda sunt, quae hortantur omnes ad poenitentiam. Minatur enim gravissime securis et confidentibus propria iusticia, cum ait: Ut omne os obturetur. Item: Ut reus fiat totus mundus.

Per legem enim agnitio peccati etc.

Occupatio est. Poterat enim obiici: Si non sumus iusti lege, ad quem usum data est lex? Paulus respondet, sed brevius, quia haec occupatio infra repetetur. Et haec responsio prorsus nova absurda videtur mundo, Lege tantum ostendi peccatum, non tolli. Nam legumlatores in imperiis ferunt leges, non tantum ut ostendant peccata, sed ut tollant. Verum hic monendus est auditor, Paulum prorsus non concionari hoc loco de iusticia civili et de externis moribus, alia res agitur: Quomodo coram Deo iusti reputemur: Quomodo consequamur remissionem peccatorum: Quid ibi conferat lex. Ideo discernendi sunt usus legis. Et loquimur hic non tantum de lege Moysi, sed de lege morali, indita omnibus hominibus. Est autem duplex usus, alter est politicus, scilicet foris coërcere homines carnales. Requirit enim Deus hanc quoque externam iusticiam, etiamsi propter eam non sumus iusti coram Deo: etiamsi non meretur remissionem peccatorum. De hoc usu non loquitur in hac sententia. Alibi de hoc usu loquitur: Lex est iniustis posita, etc. Alter usus non est politicus, sed pertinet ad iudicium Dei et ad conscientiam, scilicet accusare et perterrefacere conscientiam, sicut alibi inquit: Aculeus mortis peccatum est: potentia peccati lex est, id est: Lex ostendit peccatum et perterrefacit corda: de tali agnitione hic loquitur. Non enim intelligit otiosam speculationem, sed agnitionem talem, in qua iram Dei adversus peccatum agnoscimus et vere expavescimus. Et hi terrores vere fiunt mors aeterna, in his, qui non eriguntur per Evangelium. Est igitur sententia: Lege non sumus iusti coram Deo, non meremur remissionem peccatorum. Et cum conscientiae perterrefiunt, non possunt lege pacificari, quae nos magis magisque accusat, et ad desperationem adigit, sicut alibi inquit: Ut peccatum fiat excellenter peccans et nocens, id est, illis terroribus occidens. Hinc clare sequitur, quod alio verbo opus sit ad consolationem et iustificationem.

Nunc vero absque lege iusticia Dei manifestata est.

Supra fecit aditum ad principalem propositionem. Dixit enim, omnes homines esse reos peccati et irae Dei, nec posse a peccato liberari per legem. Nunc igitur sequitur principalis propositio, quae est status huius controversiae, qui diligenter observandus est, et propter magnitudinem causae: continet enim haec propositio propriam et praecipuam Evangelii sententiam de beneficio Christi: et quia ad hunc statum, velut ad caput, deinde referenda erunt argumenta. Porro in propositionibus maxime requiritur perspicuitas. Ideo Paulus accurate, proprie et perspicue tradit propositionem. Sed phrasis consideranda est, et ipsa verborum pondera observanda sunt: Iusticia Dei, scilicet, qua iustificat nos, hoc est, acceptatio, vel remissio peccatorum et imputatio iusticiae. Estque sententia: Nunc manifestatum est, quomodo Deus iustificet, quomodo velit pronunciare iustos et remittere peccata, et nos acceptare. Inquit autem: Sine lege. Hoc videtur absurdum mundo. Quare haec particula diligenter consideranda est. Ostendit enim quid proprie sit Evangelium, et quod discrimen sit Legis et Evangelii. Mundus enim habet imaginationes politicas de Christo, cogitat esse legislatorem afferentem novam legem, aliquanto commodiorem quam Mosaicam, quia abolet ceremonias, quae non erant commodae omnibus gentibus, et praecipit multa de dilectione. Deinde colligunt quas leges addiderit Christus Mosaicis, et fingunt harum legum observationem, homines mereri remissionem peccatorum, et esse iustos, et interpretantur, sine lege, id est, sine ceremoniis. Hic error eximendus est animis: Nam Christus non venit, ut legem ferret, nec Moises

est, nec Solon, sed habet aliud multo maius officium, Est victima pro peccato, et gratis donat nobis remissionem peccatorum, et imputationem insticiae, et Spiritum sanctum, ac vitam aeternam. Loquitur igitur Paulus, cum ait, sine lege, de tota lege, ac sentit Christum afferre remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae, non propter ullam legem, nec propter ceremonias, nec propter moralia opera, sed gratis. Et sciamus hoc dictum non ad civilem vitam, aut externos mores pertinere, sed ad conscientiam agentem coram Deo, et quaerentem quomodo consequatur remissionem peccatorum et reconciliationem. Hinc discrimen legis et Evangelii multo fit illustrius, vel quia testatur in Evangelio annunciari gratuitum beneficium, non pendens ex conditione legis seu meriti nostri. Et hic locus non solum opponendus est Anabaptistis et similibus, qui fingunt Evangelium novam politiam mundanam, sed etiam tenendus est in agone conscientiae, ut ibi vere intelligamus beneficium Christi esse gratuitum. Estque sententia: Iusticia manifestata est sine lege, id est, consequimur remissionem peccatorum, et reputamur iusti, non propter ullam legem, sed propter Christum gratis per misericordiam. Etsi enim in his, qui fide iustificati sunt, incoatur nova obedientia, tamen illa nova obedientia seu lex, non est causa propter quam consequimur remissionem peccatorum, et reputamur iusti seu accepti, verum haec gratis donantur propter Christum.

Destituuntur gloria Dei.

Carent illa gloria quam Deus approbat, carent illa iusticia, quam Deus iudicat esse gloriam. Aut si quis mavult active interpretari, erit enim eadem sententia: Carent gloria Dei, id est, sapientia et iusticia glorificante Deum, id est, quae vere tribuit gloriam Deo, agnoscit, diligit, praestat perfectam obedientiam: Carent gloria Dei, id est, luce qua agnoscitur et glorificatur Deus. Estque repetitio sententiae universalis, quae docet omnes homines reos esse peccati et irae Dei, carere gloria, id est, reiectos esse coram Deo, nec propter legem iustos esse. Est et hoc observandum, quod extenuat iusticiam legis, et illos sanctissimos cultus, quos certo Iudaei putabant esse gloriam Dei, et docet hanc externam iusticiam non esse gloriam Dei, quia non est agnitio et glorificatio Dei.

Iustificamur autem gratis.

Id est, consequimur remissionem peccatorum et reputamur iusti, id est, accepti, et cum hac reputatione coniuncta est donatio Spiritus sancti, et acceptatio ad vitam aeternam. Haec igitur complecti debemus, cum de Iustificatione disputamus, scilicet remissionem peccatorum et imputationem iusticiae, id est, acceptationem, cum qua est coniuncta donatio Spiritus sancti, et acceptatio ad vitam aeternam. Est autem perspicua Pauli descriptio, cum ait: Gratis per gratiam, id est, per misericordiam. Hic clare ostendit, se de alia insticia concionari, quam de iusticia legis seu nostrorum operum. Excludit enim conditionem legis seu meriti, et testatur nos iustificari gratis, non propter ullam dignitatem nostram, aut opera nostra.

Per redemtionem, quae est in Christo Iesu.

Quia Deus iratus peccato requirebat aliquam victimam, ideo Paulus inquit: Per redemtionem, quae est per Christum Iesum. Atque hic resistant animi nostri, et cogitent primum de ira Dei adversus peccatum. Deinde de magnitudine misericordiae, quia utrunque hic proponitur. Mundus non videt magnitudinem irae Dei adversus peccatum, et dicit peccatum rem levem esse. Sed hic discamus tantam esse iram, ut nulla hostia placari potuerit Deus, nisi tantum morte filii. Est igitur horribile peccatum securitas in iis, qui perseverant in peccatis, et contemnunt iram Dei. Secundo, tanta est misericordia, ut pater dederit filium pro nobis, et voluerit nos tali pignore dato, de misericordia certos esse. Iam quanta est blasphemia, gloriam filii Dei transferre in humana opera, et fingere alias victimas, ut satisfactiones, Missas, monachatus? etc.

Reconciliatorem.

Commoratur in descriptione officii Christi, quod sit victima, propiciator etc. Et quidem propiciator, titulus est significans certum esse beneficium, quod propter illum propiciatorem promissum est, quia Christus non est frustra factus propiciator. Sed quare addit per fidem? Haec particula diligenter observanda est, quia iam de applicatione loquitur, ut sciamus quomodo consequamur beneficium Christi.

Per fidem.

Adversarii etiam fatentur Christum esse mediatorem et propiciatorem. Sed hoc ipsum postea mutant et corrumpunt. Nihil enim dicunt de applicatione, nec docent utendum esse mediatore Christo. Ac primum nihil prorsus de hac fide, id est, de fiducia mediatoris dicunt, non docent uti mediatore Christo, imo iubent dubitare conscientiam. Haec dubitatio manifeste pugnat cum fide, quam hic requirit Paulus. Secundo, fingunt Christum esse propiciatorem tantum, quod ad occasionem merendi attinet, ut cum paterfamilias iratus servo placatur ab amico aliquo. Ibi amicus ille aditum servo impetrat ad Dominum, deinde nihil ibi negotii habet, sed placet servus propter propria officia. Tantum tribuunt Christo, quod hoc principium et occasionem merendi nobis promeruerit. Ipsi sic loquuntur, Christum meruisse primam gratiam. Postea sepeliunt eum, et fingunt otiosum esse, et imaginantur homines mereri remissionem peccatorum et iustos esse, propter propriam impletionem legis et caetera. Nos econtra recte intelligamus, Christum semper manere mediatorem, et applicandum esse fide, id est, statuendum quod placeamus, non propter nostram dignitatem, aut impletionem legis, sed propter Christum. Non debemus opponere iudicio Dei nostras virtutes, sed victimam et propiciatorem Christum. Ita diserte infra Paulus de applicatione loquitur, cum ait: Per quem habemus accessum fide in gratiam hanc, quasi dicat: Ita accedimus ad Deum, si utamur mediatore Christo, si fide confugiamus ad hunc propiciatorem, et putemus nobis propter ipsum ignosci.

Ad ostensionem iusticiae suae.

Sententia erit planior mutata forma orationis: Ad ostensionem iusticiae suae, id est, ut declaret Deus, quod ipse iustificaturus sit, estque antithesis. Supra arguit omnes et dicit, nos non esse iustos, etiam cum habemus legis opera. Sed nunc in Christo revelat Deus iusticiam suam, id est, quod ipse sit iustificaturus, quemadmodum in promissionibus pollicitus est, quod novam iusticiam, novam et aeternam vitam donaturus sit, quod sit instauraturus genus humanum abolito peccato et abolita morte. Hanc novam iusticiam et vitam iam revelat in Evangelio etc.

Propter remissionem.

Definitio est praecedentis particulae, interpretatur enim quid dixerit iusticiam suam. Si mutes verba erit in clarius, ut declaret quod sit iustificaturus, scilicet per remissionem peccatorum. Ita ponit definitionem, et ut ita dicam, formale iustificationis. Proprie enim iustificatio est remissio peccatorum propter Christum, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti etc. Et remissio peccatorum intelligatur non tantum de actualibus delictis, sed etiam de naturali immunditie. Est itaque iustificatio iustos reputari, non propter nostras virtutes, sed Deo remittente peccata, et immundos et indignos acceptante, per misericordiam propter Christum. Sicut alias definit iustificationem esse remissionem peccatorum: Beati quorum remissa sunt peccata.

Praeteritorum peccatorum.

Hanc particulam dicunt adiectam esse, ut sciamus in Evangelio non concedi licentiam peccandi, sed sciamus peccata remitti in his, qui agunt poenitentiam, in quibus peccatum mortificatur. Nec tamen inde sequitur, quod lapsis post remissionem, si rursus agant poenitentiam, non possit iterum venia contingere: quia semper, quotiescunque contingit remissio, fit remissio praecedentis peccati. Est ergo descriptio remissionis praesentis in genere, non est exclusiva sequentium remissionum.

Sed meo iudicio simplicissima sententia est, si intelligatur opponi haec particula legi, quasi dicat: Peccatum regnavit hactenus, ne lex quidem abolevit peccatum et mortem, sed hac fide in Christum iam aboletur peccatum, quod hactenus extitit seu regnavit. Quia Paulus loquitur non solum de actualibus delictis, sed etiam de originali. Quasi dicat, remitti peccatum, quod hactenus extitit, sicut infra ait: Usque ad legem peccatum fuit in mundo, id est, ne lex quidem abolevit peccatum. Iam autem peccatum originis aboletur bifariam, imputative scilicet, quia reatus tollitur, et incipit reipsa aboleri et mortificari, scilicet quando in poenitentia existunt veri terrores, vera consolatio ac initium novae creaturae in corde.

Ubi igitur gloriatio?

Addit propositioni epiphonema. Confert enim contrarium, scilicet quid sit sentiendum de

merito. Nam gloriatio proprie significat hoc loco fiduciam meriti seu meritum.

Est autem hic locus egregia confirmatio nostrae interpretationis. Clare enim ostendit Paulum hoc ipsum velle, quod nos interpretamur, et docemus monachorum opinionem de merito falsam esse, qui fingunt contingere remissionem peccatorum propter merita, non gratis, et abolent fidei doctrinam, ut cum docent: Si contritio fuerit sufficiens merebitur remissionem. Et quia nunquam possumus statuere quod sit sufficiens, iubent dubitare sic deinde fingunt hominem placere propter impletionem legis etc.

Haec est summa imaginationis monachorum, quam Paulus aperte damnat, cum ait: Exclusa est gloriatio per legem fidei, id est, doctrina de fide docet gratis donari remissionem, non propter merita, et pariter donari credentibus sive Iudaeis sive Gentibus, hoc est, iis qui non habent opera legis. Haec exaequatio, ut saepe iam dictum est, terret securos et consolatur pavidos.

Illud etiam observandum est, cum Paulus prorsus excludit gloriationem certe etiam detrahit moralibus operibus in reconciliatione conditionem meriti. Quia si propter moralia opera daretur remissio, iam esset gloriatio, esset aliquod meritum remissionis peccatorum. Item cum fidem opponit nostrae dignitati, tollit et gloriationem, satis apparet quod fidem intelligat, fiduciam gratuitae misericordiae.

Lex operum significat doctrinam, quae requirit opera, et docet homines propter opera iustos esse. Econtra lex fidei significat doctrinam, quae concionatur de fide, id est, docet homines iustos esse non propter propriam dignitatem, aut impletionem legis, aut opera, sed fiducia misericordiae promissae propter Christum. Nam fides non significat Legem naturae aut Decalogum, ut quidam falso interpretantur, sed significat fiduciam misericordiae promissae propter Christum, quam opponit Paulus dignitati nostrae. Hoc enim disputat, an contingat reconciliatio propter nostra opera, an vero propter Christum per misericordiam gratis? Quare fides non significat legem aliquam, sed habet se correlative ad promissionem, estque fiducia apprehendens promissam misericordiam.

Arbitramur igitur fide iustificari hominem, absque operibus legis etc.

Epiphonemati adiecit conclusionem, in qua breviter repetit summam propositionis, et iterum inculcat exclusivam, ut sententia sit certior. Iustificari significat consequi remissionem peccatorum et reputari iustum, id est, acceptum ad vitam aeternam. Cum hac acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti. Fides significat fiduciam misericordiae propter Christum promissae. Est igitur sententia: Pronunciamus hominem consequi remissionem peccatorum, et reputari iustum coram Deo, propter Christum per misericordiam, non propter legem. Et hanc misericordiam fide accipi oportet.

Porro hanc sententiam mutilant adversarii, et interpretantur tantum excludi ceremonias. Sine operibus legis, id est, sine ceremoniis. Deinde fingunt hominem consequi remissionem peccatorum, et reputari iustum, propter moralia opera, seu, ut loquuntur, propter dilectionem, et intelligunt fidem tantum de noticia historiae. Ita transferunt beneficium Christi in propriam dignitatem.

Sed haec interpretatio pugnat cum sententia Pauli: Nam Paulus detrahit toti legi hanc gloriam meriti, seu iustificationis, sicut constat ex superioribus dictis: Ut totus mundus fiat reus, etc. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hae sententiae excludunt a causa iustificationis etiam moralia. Et facile hoc intelligi potest. In vero certamine conscientia non potest statuere, quod propter nostras virtutes et dignitatem remittantur nobis peccata, aut simus accepti. Ergo quaerenda est alia causa, quare simus accepti, scilicet mediator Christus.

Hinc facile intelligi potest, Paulum de tota lege concionari, non tantum de ceremoniis, sicut etiam infra ostendit eius confirmatio, detrahi iustificationem toti legi. Et quidem ipse allegat legem moralem: Non concupisces, ne sit ambigua disputatio. Item hoc loco inquit: Stabilimus legem. Quare necesse est eam intelligi de moribus. Item cum vocabulum fidei recte intelligatur, satis apparet toti legi detrahi iustificationem seu reconciliationem, quia fide iustificari est iustum reputari, fiducia misericordiae non propter nostram dignitatem. Ita haec ipsa formula, fide iustificamur, opponitur immaginationi illorum,

qui fingunt homines iustificari propter propriam dignitatem, seu impletionem legis moralis. Excludit ergo etiam moralia a causa iustificationis, quia nemo satisfacit legi morali. Caeterum non excludit ab effectu: necesse est enim sequi novam et incoatam obedientiam.

Legem igitur irritam facimus?

Occupatio necessaria est. Quia omnes statim, cum audiunt hanc novam concionem, homines reputari iustos per misericordiam, non propter legem, interrogant, an concedatur licentia peccandi? An ita sit abrogata lex, ut sit concessa licentia peccandi? Paulus respondet, Non aboleri legem per fidem, sed multo magis stabiliri, id est, impleri.

Hic locus docet nos interpretari omnia dicta de operibus et lege. Quale est: Si vis in vitam ingredi serva mandata, et similia. Hic enim Paulus testatur, legi addendum esse Evangelium de fide. Teneantur ergo hae duae Regulae: Sine fide impossibile est legem fieri. Item: Fide fit et placet lex, Fide incoatur obedientia et placet.

Prior regula, Impossibile est sine fide fieri legem, intelligatur dupliciter. Primum de ipsa obedientia spirituali: Pia corda cum sentiunt iram Dei, cum dubitant, fugiunt Deum, desperant, non diligunt Deum, non invocant, sed conscientia fide erecta, cum agnovit misericordiam fide propositam, iam incipit diligere et invocare iuxta illud Pauli: Per fidem habemus accessum ad Deum. Secundo intelligatur de acceptatione, id est, etiam hoc, quod facit homo sine fide, tamen non placet sine fide. Hinc clare intelligi potest legem non posse fieri sine fide. Quare cum laudantur bona opera, necesse est id intelligi ita, ut memineribus addendum esse Evangelium de Christo, et sciamus fidem necessariam esse ad faciendam legem, nec placere legem sine fide.

Altera regula intelligatur etiam dupliciter. Lex fit fide primum, quia fides est motus spiritualis, quo agnoscimus misericordiam Dei, in Christo propositam, ideo parit agnitionem Dei, dilectionem et alios bonos motus, invocationem etc. Item, fide accipitur Spiritus sanctus, qui excitat bonos motus et novam obedientiam in cordibus. Secundo, Lex placet propter fidem, id est, Quanquam legi non satisfaciamus, tamen, quia sumus in Christo, placet iam nova obedientia, et id quod deest condonatur credentibus propter *Christum.*

Hic intellectus necessarius est, ut conscientiae teneant firmam consolationem, et agnoscant ineffabilem misericordiam Dei, approbantis incoatam obedientiam, in qua plurimum est infirmitatis et obedientiae. Ita hic Paulus inquit: Legem stabilimus, id est, fide implemus, et quia conscientiae placatae fide agnoscunt Deum, et diligunt et invocant, et quia incoata illa obedientia non placeret, nisi fide essemus reconciliati.

Caput IV.

Quid igitur dicemus invenisse Abraham patrem nostrum?

Sequitur confirmatio, in qua diligenter distribuenda sunt Argumenta, et ad propositionem referenda. Haec enim non solum confirmant propositionem, sed plurimum etiam lucis ei addunt. Praeclare etiam docent, muniunt, consolantur et erigunt nostras conscientias, cum anguntur de remissione peccatorum et de gratia. Monstrant enim fontes huius quaestionis, et promissionem Evangelii eruditissime discernunt a lege, discernunt et iusticiam legis et Evangelii.

Porro mirum in modum hic extenuat Paulus et abiicit iusticiam legis, ut nusquam alias. Ideo prudenter videndum est, quo pertineat haec disputatio. Quaerit enim de iusticia coram Deo: An iusticia nostra possit opponi terroribus peccati, irae et iudicio Dei? An consequamur remissionem peccatorum propter nostram dignitatem: An nostra dignitas liberet nos a peccato et a morte? An in vero agone conscientia debeat niti propria dignitate? An vero misericordia propter Christum promissa? Ad hoc certamen referendae sunt hae extenuationes iusticiae legis, non ad securas conscientias, aut ad vitam exteriorem, aut civilem. Nam Evangelium concionatur de spirituali et aeterna vita, concionatur de vera poenitentia, et liberat a peccato et a morte. Exterior vita habet opus disciplina et lege. Sed de hac exteriore vita non disputatur hoc loco.

Ideo Paulus diserte praefatur de Abraham, qui habuit multas excellentes et heroicas virtutes,

et haud dubie dotibus ingenii, sapientia et omni genere virtutum excelluit omnibus hominibus eius aetatis. Has tantas virtutes et haec dona Dei non aspernatur Paulus, sed negat posse opponi irae et iudicio Dei, et discernit ab illa iusticia, de qua concionatur Evangelium, videlicet a remissione peccatorum, quae datur propter Christum.

Haec initio monendi sunt imperiti, ut sciant, quo pertineat Pauli doctrina et quo referenda sit haec nova, et mira extenuatio iusticiae legis. Nam prophani transferunt ad exteriorem vitam, postea interpretes aliqui, cum somniant Paulum de exteriori vita et iusticia loqui, corrumpunt Pauli sententias, et putant tantum hoc agi, ut abrogentur ceremoniae Mosaicae in vita exteriore, Non referunt hanc doctrinam ad remissionem peccatorum et agonem conscientiae.

Sunt autem quinque argumenta. Primum ab exemplo. Abraham iustificatus est coram Deo fiducia misericordiae, non propter suas virtutes, Ergo et nos iustificamur fide. Consequentia est manifesta, quia eadem est ratio virtutum. Si Abraham, cum tot excellentes et heroicas virtutes haberet, non fuit propter eas iustus coram Deo, quanto minus hoc praestant virtutes inferiores in aliis.

Secundum ex definitione. Iustificatio est gratuita imputatio iusticiae, Ergo non iustificamur propter nostram qualitatem aut dignitatem etc.

Tertium ex definitione. Iustificatio est remissio peccatorum, Ergo non contingit propter nostram dignitatem, siquidem semper habemus opus remissione peccatorum.

Quartum ex ordine causarum et effectuum. Abraham pronunciatur iustus ante circumcisionem, Ergo non est iustus propter illud opus.

Quintum ex causa promissionis. Promissio pendens ex conditione legis non est certa. Promissio gratiae debet esse certa, Ergo promissio gratiae non pendet ex conditione legis, sed fide gratis accipienda est.

Primum argumentum.

Primum argumentum de exemplo Abrahae diligenter inculcandum est animis. Etsi enim mirum in modum offendit Iudaeos, haec, ut videtur, immodica extenuatio iusticiae legis, tamen piis et pavidis conscientiis affert uberimam consolationem. Ac semper meminerimus hanc concionem non pertinere ac exteriorem vitam, sed ad remissionem peccatorum in vera poenitentia.

Et hic diligenter amplificemus virtutes Abrahae. Neque enim dubium est, quin ille heroicus vir habuerit excellentes virtutes, et moribus ac sanctis operibus longe vicerit multos. Et tamen Paulus audet detrahere eis hanc gloriam iustificationis. Habet laudem, inquit, sed non coram Deo, id est, virtutes illae non possunt opponi irae et iudicio Dei, non liberant a peccato et a morte. Hoc exemplum magnam consolationem piis adfert. Ne quidem Abraham propter dignitatem propriarum virtutum iustificatus est. Ergo vere statuamus nobis gratis ignosci. Itaque posita negativa sententia, addit ex Gene. 15. antithesin, quae est antecedens argumenti. Abrahae imputatum est ad iusticiam, quod credidit, Ergo et nos iustificamur fide, non propter nostra opera aut legem.

Sed hoc argumentum cavillantur aliqui multis modis. Alii dicunt esse synecdochen. Et credere, dicunt esse opus, et significare universalem obedientiam, Abraham credidit, id est, obedivit Deo iuxta synecdochen, quia fidem debet sequi obedientia, Ideo fide aiunt significari universalem obedientiam.

Alii dicunt male detorqueri hoc dictum, quia Genesis non faciat ibi mentionem de Christo, aut de hac fide accipiente remissionem peccatorum. Has calumnias prodest confutari, ut sententia verborum Genesis melius intelligatur.

Primum igitur hoc observandum est, Paulum hoc dicto Genesis discernere iusticiam legis et fidei. Quare necesse est hoc dictum intelligi proprie de fide. Item, Paulus addit interpretationem, quod fide gratuita imputatio accipiatur. Ergo hic proprie intelligit fidem assensum et fiduciam, qua accipimus promissam misericordiam, id est, qua statuimus, quod Deus vere velit nobis ignoscere et propicius esse, per misericordiam gratis, etiamsi sentiamus nos indignos esse.

Est ergo sententia, credidit, id est, statuit se habere Deum propicium, quamvis sentiebat se indignum esse, et hac fiducia expectabat auxilium et promissum semen, etc. Ita fide iustificatus est, id est, placuit per misericordiam gratis, non propter propriam dignitatem. Et id fide statuit iuxta

promissionem, quia Deus dixerat: Ego ero protector tuus, etc. Et norat Abraham promissionem factam de illo venturo semine, quo Deus vellet aboleri peccatum et mortem. Quare non est affingenda synecdoche, Abraham est iustificatus propter noticiam verbi, et suos mores convenientes doctrinae et professioni. Quia fides non nititur dignitate virtutum propriarum, sed intuetur tantum misericordiam. Haec breviter moneo de prima cavillatione, ut retineatur simplex et vera significatio verbi Credidit.

Secunda cavillatio. Locum Pauli detortum esse, quia Genesis non videatur loqui in illa sententia de fide in Christum, sed de expectatione rei corporalis, videlicet posteritatis. Ad hanc cavillationem respondeo: Fides est fiducia promissae misericordiae propter Christum, et haec fiducia reddit pacatam conscientiam, et vincit terrores peccati. Itaque proprium obiectum fidei est promissa misericordia. Hoc obiectum semper primum intuetur fides, etiamsi postea aliae res externae petuntur vel expectantur.

Hoc modo, in omnibus dictis de fide, primum intelligatur comprehendi fides, quae accipit remissionem peccatorum. Deinde fides alias circa alia obiecta externa versatur.

Fides Mosi ad Mare rubrum versabatur circa defensionem populi. Interea tamen ipse statuebat se habere Deum propicium, propterea expectabat liberationem.

Fides Iacob Gene. 28. versabatur circa expectationem victus et reditus. Haec tamen non posset petere nec expectare a Deo, nisi prius statueret se habere Deum placatum.

Ita nos, quoties petimus panem quotidianum, simul statuamus, Deum propicium esse propter Christum. Haec fides accipiens remissionem peccatorum in omni oratione requiritur.

Quanquam igitur externa negotia sunt dissimilia, tamen primum obiectum et proprium, scilicet promissa misericordia, idem est in omnibus promissionibus et omni exercitio fidei. Cum igitur fides habeat obiectum praecipuum, Paulus recte citat hoc dictum.

Praeterea patres norant primam promissionem de Christo, et sciebant ad hanc omnes promissiones referendas esse, omnia dari propter illud semen, propter quod Deus sit propicius, et quidem Abraham hanc ipsam promissionem sciebat proprie pertinere ad venturum semen Christum.

Tertia cavillatio. Huic testimonio citato ex Genesi opponunt alium locum de Abraham, Gene. 22.: Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo, benedicam tibi. Hinc argumentantur: Abraham laudatur propter opus, Ergo iustificatus est propter opus, non tantum fide.

Respondeo breviter: Neganda est consequentia, quia opus in credente habet suam laudem, et est necessaria obedientia, et fit iusticia, et tamen non habet hanc dignitatem, quod propter ipsum opus persona habeat remissionem peccatorum, et sit iusta, id est, accepta ad vitam aeternam coram Deo. Quia oportet personam prius habere remissionem peccatorum et iustificationem, postea placet incoata obedientia, et est cultus Dei. Primum, quia per Christum est accessus. Item, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Secundo, quia conscientiae fierent incertae, si penderet remissio peccatorum ex dignitate operum. Ideo necesse est personam prius habere fidem.

Et haec facile iudicari possunt in vero certamine, quia conscientia non potest nostrum opus opponere irae, aut iudicio Dei, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Nec Abraham opponebat opus suum iudicio Dei. Imo in ipso opere agnovit suam infirmitatem, et hanc vicit fide, et statuit se certo placere Deo propter aliud, scilicet misericordiam promissam, et tamen postea in credente obedientia placet Deo, et habet magna praemia. Nam textus hic non dicit, Abraham propterea iustum reputari, sed promittuntur ei praemia corporalia, etsi in his quoque repetitur promissio de Christo.

Ideo uterque locus in Genesi discendus est. Alter docet simpliciter de imputatione iusticiae. Alter de laude et praemiis obedientiae, quae oritur ex fide, et habet ingentia praemia. Quare discernendum est, quomodo Genesis de iustificatione docuerit, et qui de sequenti obedientia iudicandum.

Secundum argumentum.

Iusificatio est gratuita imputatio misericordiae, Ergo iustificatio non est nostrum opus. Antecedens est Pauli, Paulus enim agitat verbum imputandi, et interpretatur de gratuita imputatione. Opponit enim debito.

Est autem phrasis observanda. Ut nunc utuntur adversarii vocabulo meriti, ita Paulus utitur correlativo vocabulo Debiti: ut igitur tollit debitum, ita tollit meritum in iustificatione, et clare affirmat, quod imputatio fiat, non propter debitum seu meritum, sed sit gratuita et accipiatur fide.

Tertium argumentum.

Est declaratio et confirmatio secundi. Iustificatio est remissio peccatorum, Ergo iustificatio non fit propter nostram dignitatem, seu merita.

Hoc argumentum multo magis declarat sententiam Pauli de gratuita imputatione, seu de exclusiva. Nam Sadoletus et alii imaginantur synecdochen: Fide iustificamur, id est, fide consequimur virtutes, propter harum dignitatem placemus Deo. Sic illi imaginantur. Ad Paulus excludit hoc meritum, et dicit nos coram Deo peccatores esse, et ita iustos reputari, scilicet remissione peccatorum.

Ergo haec est sententia germana Pauli: Quod iusti reputemur per misericordiam propter Christum, non propter nostram dignitatem, et quod hanc misericordiam fide oportet accipi. Haec sententia retinet exclusivam, et tollit synecdochen.

Caeterum illud sciendum est, quod cum imputatione et remissione peccatorum est coniuncta donatio Spiritus sancti, cum fide apprehendimus verbum. Iam quanta est haec consolatio piis conscientiis scire, quod iustificatio sit remissio peccatorum? Ergo non deterreamur eo, quod peccata ad Deum afferimus, non merita, sed sciamus, quod haec ipsa sit vox Evangelii, et aeterna voluntas patris et immutabile Christi beneficium, quod vere velit iustificare, quanquam indignos afferentes peccata, si tamen credamus. Et hic iterum observa, repeti exclusivam: Cui imputat Deus iustciam sine operibus.

Sed cavillantur hunc locum adversarii hoc modo. Alii loci tribuunt beatitudinem operibus: Beatus vir qui timet Dominum: Beati misericordes etc. Ergo simili modo possumus argumentari, quod iustificemur propter opera, sicut Paulus argumentatur ex Psalmo, Quod iustificemur remissione peccatorum.

Respondeo: Neganda est consequentia, quia in omnibus locis de operibus debet includi *locus:* Beati quorum remissae sunt iniquitates, quia opera non placent, nisi in credente seu iusto. Ideo Paulus rectissime citat hunc locum, cum de remissione peccatorum loquitur, quae est gratuita.

Sed dicat aliquis: Quare facis synecdochen in locis operum, et non in locis fidei? Respondeo: Quia opera non placent, nisi in credente seu iusto. Ideo in locis operum includimus fidem. In locis de fide non est synecdoche, quia accipit remissionem per misericordiam, nec nititur, dignitate operum, imo fieret incerta et excuteretur, si penderet ex dignitate operum seu merito. Ideo gratis, ut sit firma promissio. Praeterea, quandocunque dicitur, opera placent propter fidem, iam eo ipso detrahitur operibus iustificatio, quia fides non nititur operibus, sed est fiducia solius misericordiae. Et hoc ipsum dicit, fide personam prius esse reconciliatam, postea placere opera.

Psal. 31. Beati quorum etc. est doctrina et confessio, in qua doctrinae exemplum proponit. Deinde tertio loco addit doctrinam legis, de disciplina et de causis calamitatum humanarum. Initio doctrinam tradit seu concionem, quae duas partes continet, scilicet doctrinam, quod omnes sint sub peccato. Item promissionem, quod Deus velit remittere peccata, et docet quomodo remittat, quomodo iustificet, scilicet gratis, non imputans peccata etc.

Est igitur propositio. Beati quorum remissae sunt iniquitates, id est: Ita sumus iusti, non propter dignitatem nostram aut merita, sed Deo non imputante, Deo remittente peccata. Ergo omnes homines habent peccatum, et omnibus potest Deus imputare peccatum, omnes agnoscere debent se habere peccatum. Ideo inquit: Nec est in spiritu eius dolus, id est, qui agnoscit et confitetur peccatum: Beatus est etc. Atque ita reputamur iusti, cum agnoscimus, et confitemur nos habere peccata, et credimus nobis remitti per misericordiam propter Christum.

Deinde sequitur confessio ipsius, quae est exemplum propositae concionis. Quoniam tacui inveteraverunt ossa etc. Tacere opponit confessioni. Confessio autem est agnoscere peccatum, et petere et credere remissionem. Hoc vult cum inquit: Dixi confitebor adversum me iniusticiam meam Domino. Econtra tacere, est sentire pec-

catum, et non petere aut credere gratuitam remissionem, sed manere in illa dubitatione et pavoribus: Aut quaerere per opera consolationem, sicut alii per monachatus, alii per alia opera quaerunt. Ita dicit: Mansi in pavoribus, et pene consumtus essem. Deinde addit de confessione, in qua clare docet: Quod Deus remittat peccata, et quidem remittat confitenti, non afferenti iusticiam legis, Ergo gratis remittit.

Transfert exemplum ad alios: Pro hoc oravit ad te omnis sanctus, id est, etiam sancti agnoscunt se habere peccata, et petunt et credunt sibi ignosci, Ergo est gratuita remissio. Hac fide servabuntur, et non obruentur fluctibus, non opprimentur terroribus. Vides igitur coniungi doctrinam de poenitentia et de remissione. Non promittit remissionem securis et non dolentibus, sed iis, ubi simul existit poenitentia et existunt terrores.

Ideo addit concionem ad populum legis, quem hortatur ad poenitentiam: Nolite fieri sicut equus et mulus, id est, agnoscite iram Dei, adversus peccatum. Et addit de poenis peccati: Deus onerat mundum calamitatibus et morte, et coërceat et puniat impios, et ut humiliet nos, ut agnoscamus peccata. Ita omnes plagae mundi sunt pars legis et conciones divinae, quae testantur mundum esse subiectum peccato, et Deum irasci peccato.

Hanc sententiam opponit iudiciis humanis. Nam homines cogitant casu accidere calamitates et sine consilio Dei, aut iniusto iudicio Dei: sed Propheta hic concionatur et docet sapientiam divinitus revelatam, quod sciente et ordinante Deo accidunt, ut Deus coërceat impios, et declarat iram adversus peccatum, ut agnoscamus peccatum, et quaeramus in Christo gratiam et liberationem. Praeterea docet sanctos, etiamsi simul affliguntur, tamen servari et tandem liberari a morte et omnibus malis.

Quartum argumentum.

Quartum argumentum ex ordine causarum. Abraham pronunciatur iustus ante circumcisionem, Ergo opus illud non meretur remissionem peccatorum, nec iustificationem. Hoc argumentum est illustre, quia continet collationem iustificationis seu reconciliationis, et sequentium operum. Praeterea docet de usu Sacramentorum.

Primum autem diluenda est cavillatio. Cum Paulus nominaverit ceremoniam, videtur tantum ceremoniis detraxisse iustificationem. Ad id respondendum est: In Abraham, Davide, et similibus ceremoniae tam habebant mandatum Dei, quam alia bona opera, Ergo ratio diversitatis nulla est hic. Si caetera opera mandata a Deo, merebantur remissionem peccatorum et iustificationem, multo magis cum illis merebantur id ceremoniae, quia erant praestantia opera primae tabulae. Itaque cum Paulus detrahit ceremoniis meritum, detrahit etiam caeteris operibus.

Secundo, hic locus continet utilem collationem fidei, et sequentium operum. Abraham fide consecutus est remissionem peccatorum, et iustificatus ita placet persona. Postea sequitur eius obedientia. Haec in tali persona iam habet magnam laudem.

Sic David primum accipit fide remissionem peccatorum et fit filius, postea placent eius fortiter facta in militia, diligentia in imperio, patientia in afflictionibus, et aliae virtutes. Et tamen has interim non opponit iudicio Dei, scit eas non satisfacere legi, nec placere propter suam perfectionem, sed quia credit se per misericordiam propter promissum semen habere Deum propicium, sicut inquit: Quid retribuam Domino? etc. Ita in credente iam bona opera fiunt sacrificia et hostiae laudis, et habent magna praemia.

Tertio diligentissime hic locus de usu Sacramentorum observandus est, ut muniat nos contra pharisaicas opiniones de opere operato. Item contra anabaptisticas imaginationes. Quia enim Paulus circumcisionem vocat sigillum iusticiae fidei, testatur Sacramenta esse signa requirentia fidem. Quare non iustificant sine fide ex opere operato, ut monachi loquebantur.

Idem docet hic locus, Sacramenta non tantum esse signa professionis erga homines, aut symbola nostrorum morum, ut imaginantur Anabaptistae, qui extenuant Sacramenta. Verum ille usus et finis principalis est Sacramentorum, quod sunt signa promissionis, et testimonia voluntatis Dei erga nos, et requirunt fidem, sicut promissio.

In Abraham circumcisio est nota, quae semper admonebat eum promissionis. Et erat testimonium, quod Deus ei propicius esset iuxta promissionem. Ita baptismus in nostro corpore admoneat nos promissionis, et testari debet, quod vere velit Deus impartiri ea, quae in Evangelio promisit.

Manducatio corporis et sanguinis Domini in nobis ipsis testimonium est, quod Christus vere nos sibi tanquam membra adiungat, quod vere velit nos abluere sanguine suo. Sic igitur utendum est Sacramentis, sicut verbo, et fides exuscitanda et exercenda est Sacramentis, sicut verbo.

Quintum argumentum.

Quintum argumentum ex causa promissionis. Nulla promissio pendens ex conditione legis est certa. Promissionem gratiae oportet esse certam, Ergo promissio gratiae non pendet ex conditione legis, sed fide gratis accipienda est.

Hic est principalis syllogismus, in hac controversia praecipue agitandus. Estque totius disputationis synechon ductum ex fontibus, vel ex loco causarum. Ideo multum lucis addit huic negotio, exponit qualis sit promissio, et quid sit fides. Item, monstrat discrimen promissionum legis, et promissionis gratiae. Quare, ad hanc controversiam intelligendam, necesse est hoc argumentum agitare. Deinde non solum ad erudiendas conscientias, sed etiam ad consolandas magnopere conducit. Nam hic locus maxime declarat particulam Gratis, et ostendit quare promissio sit gratuita.

Declaratio maioris.

Si promissio penderet ex conditione legis, fieret incerta. Hanc propositionem confirmat Paulus in textu: Quia lex iram efficit, id est, lex semper accusat et condemnat nos, cum nunquam ei satisfaciamus, quia lex Dei requirit non tantum externa civilia facta, sed perfectam obedientiam interiorem et exteriorem, dilectionem Dei summam. Hanc nemo praestitit praeter Christum, caeteros omnes accusat et condemnat lex, sicut Paulus inquit: Omnes natura sumus filii irae. Itaque si promissio haberet conditionem legis, cum lex semper accuset et condemnet, promissio gratiae fieret irrita, Ideo Paulus maiorem syllogismi ita recitat: Si hi, qui ex lege sunt, essent haeredes, abolita esset fides, et irrita esset promissio. Et confirmationem addit ipse: Lex iram efficit, id est, condemnat, adigit ad desperationem. Brevius autem recensui hanc confirmationem, quia infra repetet eam de usu legis.

Sed dicat aliquis: Imo certe Evangelium est conditionale, quia peccata non remittuntur, nisi accedat poenitentia, sicut inquit textus: Agite poenitentiam. Item: Desinite male facere. Item, Christus inquit: Si vis in vitam ingredi, serva mandata.

Respondeo breviter: Haec requisita non sunt conditio et causa, propter quam datur reconciliatio, sed potius sunt effectus necessario sequentes. Et quod non sint causa, propter quam datur remissio seu reconciliatio, inde apparet, quia peccatum remittitur vel concupiscentia, etiamsi adhuc reipsa haereat in carne, et concupiscentia non est otiosa, sed gignit infinitos pravos affectus. Non igitur pendet remissio ex conditione impletae legis, vel implendae, seu nostrae puritatis. Et tamen cum apprehenditur remissio fide, cum fide incoatio novae et aeternae vitae, necesse est iam incoari novam obedientiam, quae etiamsi est imperfecta, tamen placet propter Christum. Item, cum fides liberet a terroribus peccati, necesse est existere terrores in nobis, sed illi terrores nequaquam sunt pretium, aut causa remissionis peccatorum. Sed conscientia debet statuere, quod hoc beneficium gratis detur propter mediatorem et pontificem Christum.

Sed hic obiici potest, si promissiones conditionales sunt irritae, Ergo omnes promissiones additae operibus sunt inutiles, quales sunt: Date et dabitur vobis. Frange esurienti panem, et Dominus exaudiet te, etc.

Respondeo: Promissio remissionis peccatorum, et reconciliationis seu iustificationis, ac vitae aeternae, propria est Evangelii, et gratis propter Christum exhibetur, non propter conditionem legis aut operum. Haec promissio diligenter discerni debet a promissionibus legalibus, quae habent conditionem operum, quales sunt: Date et dabitur vobis. Si quis dederit tantum potum aquae etc., non perdet mercedem suam. Honora patrem et matrem, si vis longaevus esse super terram.

Hae promissiones habent conditionem operum, et vere sunt inutiles et irritae sine promissione Evangelii, quia opera ipsa non placent Deo, nisi in reconciliatis. Sed postquam fide per misericordiam gratis accepti sumus, postea placet incoata obedientia, non propter propriam munditiem aut dignitatem, non quod possit opponi iudicio Dei, non quod legi satisfaciat, non quod propter eam persona sit iusta, Sed persona est iusta, id est, accepta propter Christum per mise-

ricordiam. Ideo deinde placent opera, quia sumus filii, sicut Paulus inquit: Iam non estis sub lege, sed sub gratia. Quanquam igitur talia opera reipsa non sunt impletio legis, tamen cum placeant propter Christum, sunt velut quaedam impletio legis. Ideo legales promissiones, id est, promissiones additae talibus operibus, iam fiunt ratae et utiles reconciliatis.

Haec est utilis doctrina de discrimine promissionum et de usu legalium promissionum, ut sciamus quomodo sint ratae, et discamus etiam in his fidem exercere, quia promissiones sunt additae operibus, praecipue propter hanc causam, ut ita operemur, ut simul fides petat, et expectet a Deo beneficia spiritualia et corporalia, necessaria Reipub. et nobis.

Declaratio minoris.

Minor syllogismi est, Promissio gratiae debet esse certa et rata. Primum enim quid fuisset opus edere promissionem et revelare remissionem, si nulla esset. Esset autem nulla, si penderet ex conditione legis, quia legi nunquam satisfit. Imo ideo revelata est reconciliatio, quia lege non poteramus consequi. Et ob hoc ipsum detracta est legis conditio. Secundo, Dubitatio in animis parit desperationem, sicut supra dictum est: Lex efficit iram. Ideo necesse est nobis promissionem esse notam, certam et ratam, ut opponatur dubitationi, et sit efficax consolatio.

Hoc loco necesse est reprehendi opinionem vulgarem, quae docet, Quod conscientia debeat dubitare de remissione peccatorum, et, An Deus sit nobis propicius, et quod haec dubitatio non sit peccatum. Haeret quidem naturaliter in omnium animis dubitatio. Nam et caligo tanta est, ut securi animi etiam iram Dei contemnant, et de iudicio dubitent, et deinde, cum conscientia perturbatur, perpetuo accusat et condemnat. Fatemur igitur haerere dubitationem in animis: sed dicimus dubitationem illam peccatum esse, et repugnandum esse dubitationi. Ideo enim revelata est promissio, ut corrigat dubitationem, ut certam et firmam consolationem habeamus, et certo statuamus nobis remitti, et nos exaudiri, et Evangelium, sicut proponit promissionem, ita expresse requirit fidem, ut illi ipsi promissioni credamus, ut Ioan. 3. Fides autem est contraria dubitationi. Item, dubitatio accusat Deum mendacii, negat Deum veracem esse, etc. Quare et promissionem et mandatum de fide debemus opponere dubitationi, et discere, quod dubitatio sit summum peccatum.

Scholastici ideo imaginati sunt, dubitationem non esse peccatum, quia viderunt eam naturaliter haerere in animis. Item prorsus non discernebant legem ab Evangelio, non consideraverunt requiri fidem, aut quid sit fides, quia imaginabantur fidem esse noticiam legis. Itaque hac doctrina de dubitatione, vel quod iubent dubitare, simpliciter abolent totum Evangelium, promissionem et mandatum de fide. Quare repudianda est illa impia imaginatio, quae iubet dubitare.

Qui praeter spem sub spe credidit.

Sequitur amplificatio, quae illustrat fidei naturam et exercitium. Ac semper illud tenendum est, quod supra dictum est, Fidem primum complecti fiduciam, quae statuit nobis remitti peccata, et Deum nobis propicium esse propter Christum. Postea hanc ipsam fidem versari circa alia atque alia obiecta exteriora, Ut fides Abrahae primum intuetur in hac ipsa promissione, semen promissum, propter quod Deus benedicturus est generi humano. Deinde exerit se, et expectat promissam posteritatem.

Fides Mosi primum apprehendit misericordiam, postea expectat liberationem populi etc. Ita variant semper obiecta exteriora, et tamen unum commune obiectum est fidei principale, scilicet misericordia promissa propter Christum, Quare unusquisque etiam exuscitet fidem in suo periculo, in sua afflictione.

Dixi autem illustrari hic naturam fidei, quia primum describitur obiectum. Fidei obiectum proprium est verbum, quod pugnat cum externa specie, Ut Abrahae promittitur semen et posteritas, cui velit Deus benedicere. Interim coniunx erat sterilis, ipse est effoetus.

Evangelium promittit pacem et vitam. Interim exercemur omni genere afflictionum, et in morte vita non conspicitur. Ideo dicit hic Paulus: Abraham credidit contra spem in spem. Contra spem, id est, in verbum, in quod sperandum erat. Ita fides intuetur verbum, et se verbo sustentat, etiamsi externa species repugnat.

Israëlitis promittitur liberatio. Interim crescit acerbitas servitutis, et sequuntur aliae maio-

res aerumnae. Sic nos etiam debemus in nostris periculis fidem exercere.

Dixi de obiecto: nunc de formali fidei. Atque hic locus clare ostendit fidem a Paulo vocari fiduciam, quae assentitur promissioni Evangelii, et pugnat cum dubitatione. Non igitur significat fides noticiam legis, aut tantum noticiam historiae: sed significat assentiri promissioni, non dubitare, quin Deus exhibiturus sit promissum.

Estque hic locus observandus, ut opponatur illis, qui fidem negant esse fiduciam pugnantem cum dubitatione. Nam hic expresse ponuntur quatuor descriptiones. De promissione non dubitavit diffidentia. Item, certus fuit. Item, dans gloriam Deo etc. Ita supra Paulus confert fidem et promissionem, et ostendit ea inter se connexa esse tanquam correlativa. Ergo certum est, fide apud Paulum significari fiduciam, quae assentitur promissioni Evangelii, et accipit promissam remissionem peccatorum et reconciliationem. Item non dubium est, Paulum loqui de fide agente aliquid in terroribus conscientiae, et consolante conscientias. Sicut infra inquit: Iustificati fide pacem habemus. Porro illa consolatio non fit noticia legis, aut noticia solius historiae, sed fiducia promissionis pugnante cum dubitatione.

Omnia sunt plena tenebrarum et caliginis in doctrina Christiana, amissa hac propria significatione vocabuli fidei. Ideo hi loci Pauli diligenter sunt observandi, ut, quid proprie fides significet, certo indicari et constitui possit, ut refelli deliramenta illorum possint, qui negant fidem esse fiduciam pugnantem cum dubitatione, sed imaginantur tantum esse noticiam historiae.

Deinde nos etiam ad usum transferamus hanc descriptionem hic propositam, et discamus hoc esse verum fidei exercitium, repugnare naturali dubitationi et diffidentiae, et illi opponere verbum seu promissionem, et petere et expectare, ut confirmemur a Deo. Sicut ille ait Marci nono: Credo Domine, adiuva incredulitatem meam.

Tertio ornat Paulus fidem a causa finali. Postquam enim descripsit eam qualis sit, et quae sit eius natura, addit egregiam commendationem, quod sit cultus reddens Deo gloriam, id est, affirmans, quod Deus sit potens et verax: quia non assentiens promissioni, dubitat an sit vera, imo negat esse veram. Accusat igitur Deum mendacii, sicut Ioannes inquit: Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Econtra assentiens promissioni, statuit Deum esse veracem, potentem etc.

Et ut magis intelligi possit, quod sine hac fide non tribuatur Deo ulla gloria, antithesis consideranda est. Ratio aut habet opiniones Epicureas de Deo, quod sit otiosus, nec puniens nec salvans. Haec est prima contumelia descripta in Psalmo: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Aut habet opiniones legis de Deo, quod scilicet Deus salvet iustos, et, quia non sumus iusti, reiecerit nos. Haec etiam est altera contumelia, quia sic sentiens de Deo, fugit Deum, et fremit adversus Deum. Qui sic de Deo iudicant, non invocant Deum. Nihil a Deo expectant. Itaque non agnoscunt eum esse Deum.

Sed econtra credens promissioni gratiae, abiicit opiniones Epicureas et opiniones legis, et tribuit Deo gloriam, quod vere curet et diligat nos, quod non velit perdere, sed exaudire et salvare, iuxta promissionem, quanquam indignos. Itaque hac fide invocat et expectat a Deo auxilium et salutem. Tribuit igitur haec fides gloriam Deo, quod sit Deus, quod sit potens, id est, efficax, agens aliquid nobiscum, quod sit verax, quod sit misericors, quod exaudiat, quod salvet. Haec est gloria propria Dei, et haec fides parit invocationem et veros cultus spirituales.

Hic necesse est admoneri auditores de illis, qui adversantur doctrinae fidei, et iactitant se esse doctores bonorum operum. Hanc laudem isti falso sibi arrogant, quia tantum docent externa et civilia opera, interim non docent veros et interiores cultus, scilicet exercitia fidei et invocationem. Haec opera sunt propria Christianorum. De his praecipue docendae sunt Ecclesiae.

Secundo, Omissa doctrina fidei, nec placent Deo alia opera, nec conscientiae possunt intelligere, quomodo placeant. Ideo tales doctores, qui omittunt doctrinam de hac fide, nequaquam docent de bonis operibus, sed de suis quibusdam operibus reiectis a Deo, quae cum proponunt tanquam cultus, et transferunt in eos honorem debitum Christo, docent idolatrica. Huc pertinent illae conciones apud Prophetas, ut Esaiae 41.: Ecce omnes iniusti et nova opera eorum, ventus et inane simulacra eorum.

Ideo in vera doctrina bonorum operum, cogitemus primum fidem et exercitia fidei requiri,

quae sunt cultus, qui proprie tribuunt Deo gloriam, et exerceamus invocationem in omni vita et omnibus negotiis. Ita crescet ipsa fides, et Deus dabit alia dona sicut promittit. Quanto magis pater vester dabit Spiritum sanctum petentibus. Inde existent etiam alia bona opera.

Non scriptum est autem propter illum tantum imputatum fuisse illi, sed etiam, etc.

Insignis locus est, et duo continet. Primum, quod haec iusticia, de qua concionatur, revelata sit de coelo, non sit nota rationi aut ex lege. Secundo, quod exemplum iustificationis Abrahae ad omnes pertineat. Uterque locus continet egregiam doctrinam.

Prior enim de revelatione, ostendit discrimen iusticiae legis ac imputationis, et deducit nos ad verbum et promissionem, planeque idem docet, quod Ioannes in illo dicto: Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis, quia nec ratio, nec lex docet aut certos reddit, quod Deus remittat peccata, praesertim indignis. Item, quod pronunciet iustos, quanquam non satisfacientes legi. Est igitur haec promissio, quae est Evangelium, de remissione peccatorum, et imputatione iusticiae, revelata divinitus, et est alia sententia, quam doctrinae legis et rationis. Quare diligenter hoc loco observandum est, quod inquit: Scriptum est, quod imputetur, quasi dicat: Haec voluntas de imputatione non est nota rationi, sicut lex, sed est alia sententia et nova revelatio.

Deinde et illud considerandum est, quod deducit nos ad verbum. Non vult nos quaerere alias illuminationes, sed vult nos a verbo ordiri, et verbo consolari conscientias et statuere, quod haec sit certa et rata voluntas Dei, quae in verbo proponitur. Sunt igitur repudiandae Anabapticae et Manicheae imaginationes, quae quaerunt illuminationes sine verbo Dei, et extra verbum Dei.

Secundo, illud continet egregiam consolationem, quod hoc loco transfert exemplum iustificationis ad omnes, et primum docet Abraham esse formam populi Dei, ut sciamus caeteros iustos reputari, sicut ipse iustificatus est.

Deinde illud suavissimum, videre quod facit omnes pares Abrahae, quod attinet ad remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae. Nam donorum est dissimilitudo. Sciant igitur omnes sic se diligi et iustos reputari, sicut testatur Deus se diligere et iustificare Abraham. Et quod in illo proposita sunt testimonia veri et magni amoris, id eo factum est, ut sciamus nos similiter diligi et exaudiri. Ad hunc usum accommodandus est hic locus Pauli, qui transfert ad nos exemplum Abrahae.

Et huc referri debet, quod saepe dicimus inculcandum esse conscientiis, quod promissiones sint universales. Hoc cum ita sit, Deus postulat ac praecipit, ut omnes credant se pariter diligi et iustos reputari.

Postremo non satis est dicere de fide seu fiducia misericordiae. Sed necesse est mediatorem complecti. Ideo Paulus addidit, imputari credentibus in eum, qui excitavit Iesum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resuscitatus propter iusticiam nostram. Hic rursus habes argumentum, quod fides significet non noticiam legis, aut tantum historiae, sed significet fiduciam, quae apprehendit imputationem, quae fit propter mediatorem Christum passum et regnantem.

Paulus discernit mortem et resurrectionem, et cum fit mentio resurrectionis, intelligatur Regnum et Pontificatus Christi: Nam ideo sumus Christi, quia Christus noster pontifex pro nobis interpellat apud patrem, ut reputet nos iustos. Item, quia Christus vivit et regnat, dat Spiritum sanctum et vivificat, liberat ab ira et aeterna morte, resuscitabit mortuos. Ac fides utrunque apprehendit et applicat nobis, videlicet mortem Christi, et resuscitatum mediatorem, pontificem, vivificatorem, mortem Christi apprehendit, ut teneat victimam, quam statuat certum pretium esse pro peccatis nostris, quia Deus voluit esse aliquam victimam pro peccato. Et quidem ita irascitur peccato, ut nulla placuerit hostia, nisi mors filii. Hoc ipsum testatur et iram Dei adversus peccatum ineffabilem esse, et misericordiam erga nos infinitam esse, quod filium pro nobis fecit victimam.

Est autem non solum mors Christi apprehendenda, sed etiam quod resuscitatus est noster pontifex apud patrem. Vere exaudiat, vere sit efficax, vere vivificet, det Spiritum sanctum, iuvet nos, liberet a morte aeterna, resuscitaturus sit mortuos, et daturus novam et perpetuam vitam, sapientiam et iusticiam. Haec omnia Paulus complexus est, cum ait: Resurrexit propter iusticiam nostram.

Caput V.

Iustificati igitur ex fide, pacem habemus

Epilogus est confirmationis, qui repetit propositionem, et addit egregiam amplificationem, de primo fidei effectu, seu de propria praerogativa, quam habet fides. Postea attexit consolationem plenam affectuum acerrimorum, quae semper in conspectu habenda est, et accommodanda ad corporales et spirituales afflictiones.

Sed redeo ad Epilogi principium: Iustificati fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum. Est enim sententia: Fide reconciliamur, et reconciliati deinceps eadem fide placemus Deo, et habemus conscientias pacatas, non propter legis implectionem, sed propter Christum.

Primum autem opponendum est hoc dictum imaginationi scholasticae, quae fingit renatos deinde iustos esse propter impletionem legis, et ut ipsi loquuntur, virtutes et opera renatorum mereri vitam aeternam de condigno. Ita delent fidem, et fingunt renatis postea nihil opus esse mediatore Christo: hoc est rursus sepelire Christum.

Secundo, usurpandum est hoc dictum, ut erudiat et consoletur pios agnoscentes suam infirmitatem, ut videlicet revocentur ad mediatorem Christum, et discant se iustos reputari propter Christum fide, non propter propriam dignitatem. Itaque infirmitas, quae adhuc in ipsis haeret, condonatur eis, nec sunt iusti propter illam incoatam et imperfectam obedientiam, sed fide propter Christum.

Tertio, observandum est rursus testimonium de iustificatione. Dicit enim hic diserte: Iustificati fide.

Quarto, Origenes detorquet hunc locum ad pacem erga homines, et ad officia dilectionis, et depravat lectionem. Pacem habemus, id est, simus placidis moribus erga alios. Haec sententia prorsus intempestiva hic est. Nam Paulus diserte ait: Pacem habemus erga Deum. Loquitur igitur de pace, id est, consolatione conscientiae erga Deum, seu liberatione a pavoribus. Estque sententia: Deus iam non irascitur nobis. Et vicissim nos habemus tranquillas conscientias, liberatas a terroribus peccati et mortis.

Hic igitur observandum est, Primum et propriissimum effectum fidei esse, Reddere pacatam seu tranquillam conscientiam, seu liberari a terroribus peccati et mortis. Haec consolatio est vivificatio, de qua loquitur Scriptura, cum docet nos vivificari: Ut iustus ex fide sua vivet. Iam si fide liberamur a terroribus, necesse est existere in piis terrores et poenitentiam.

Quinto, docet hic locus falsam esse opinionem, quae iubet dubitare de remissione peccatorum, quia hic textus inquit: Pacem habemus. At conscientia dubitans, nequaquam habet pacem. Igitur fide erigi mentes contra dubitationem oportet.

Sexto, docet hic locus falsam esse imaginationem, quae divellit remissionem culpae, et remissionem poenae aeternae. Cum enim in remissione culpae vivificamur, et pacem consequimur, hoc est, liberamur a terroribus peccati et mortis aeternae, necesse est in remissione culpae simul fieri remissionem poenae aeternae, nec remitti poenam aeternam propter compensationem in purgatorio.

Caeterum remissio culpae et remissio poenae temporalis, in hac vita, discerni debent: Et in piis existit pax et consolatio conscientiae, etiamsi foris sunt oppressi afflictionibus corporalibus: Ut David retinet fidem et pacem conscientiae etiam pulsus in exilium.

Septimo, Argumentum de iustificatione hinc sumendum est ab effectu, Tantum illa re consequimur remissionem et iustificamur, qua conscientiae redduntur paccatae coram Deo, Sola fide redduntur pacatae: Ergo, sola fide consequimur remissionem et iustificationem.

Maior est manifesta, quia iustificatio est vivificatio. Minor est Pauli in hoc loco: Fide pacem habemus, et potest declarari ex superioribus. Si fides partim niteretur misericordia, partim dignitate, fieret incerta excuteretur. Nam exclusiva excludit dignitatem. Non hoc docet, quod non debeant existere in nobis novitas, vel poenitentia vel contritio.

Octavo. Insignis locus est, quod ait: Per quem habemus accessum fide. Docet enim de mediatore, et docet quomodo apprehendi debeat mediator, et quid sit fides, videlicet, Quod peccata remittuntur propter mediatorem Christum: Quod lex non fiat, nec placeat nisi propter Christum.

Refutat et opinionem monachorum, qui etiamsi dicunt Christum esse mediatorem, tamen non dicunt de fide, qua oportet apprehendi mediatorem in remissione peccatorum: tantum dicunt peccata remitti propter contritionem, vel alia opera, non docent fide opus esse, hoc est, fiducia, quae statuat propter Christum mediatorem nobis remitti peccata gratis. Sicut supra dixit: Quem posuit propiciatorem per fidem, ut sciamus fide applicari nobis beneficium mediatoris.

Quare hic locus observandus est, ut opponatur hypocriticis opinionibus, quae, quanquam in speciem dicunt de mediatore, tamen re ipsa tollunt mediatorem, quia non docent de hac fide, quae est fiducia applicans nobis beneficium mediatoris, seu quae nititur mediatore, et statuit propter ipsum nobis gratis remitti peccata etc.

Nono. Iterum hoc loco testimonium extat, quod fides significet fiduciam mediatoris, seu fiduciam, quae apprehendit gratiam, hoc est, misericordiam, quia inquit: Fide habemus accessum in hanc gratiam. Haec non possunt intelligi de noticia historiae, sed de fiducia apprehendente gratiam, id est, gratuitam misericordiam, videlicet, remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae. Haec enim proprie significat hoc loco gratia.

Gloriamur sub spe gloriae Dei.

In epilogo repetivit principalem propositionem de iustificatione, et admonuit, Quod, sicut fide iustificamur, ita deinceps sancti statuere debeant, se fide iustos esse, non propter propriam dignitatem.

Iam poterat interrogari, qualis igitur est ista iusticia et liberatio a peccato et a morte, cum adhuc haereat in nobis peccatum, et simus obnoxii morti, imo simus oppressi omnibus calamitatibus? Quid sunt consecuti credentes prae aliis hominibus? Sicut multi deriserunt Christianos praedicantes liberationem a peccato et a morte, cum nullum genus hominum sit calamitosius. Imo et sanctorum conscientiae, cum agnoscunt suam infirmitatem, dolent, et luctantur cum dubitatione, disputantes, An Deo placeant, cum adeo sint infirmi. Nec est levis tentatio, quia cum fides ex verbo debeat pendere, et statuere quod Deus certo propicius sit propter Christum, nostra infirmitas hoc oculis et sensu comprehendere conatur. Ideo et Anabaptistae vituperant doctrinam fidei, et dicunt alias coelestes illuminationes quaerendas esse. Et sunt alii, qui somniant se iam habere gloriam, id est, perfectam obedientiam, et placere Deo, propterea, quia legi satisfaciant, et sint sine peccato.

Occurrit igitur Paulus utrisque, consolatur sanctos, qui agnoscunt suam infirmitatem, et iubet eos gloriari, sed spe, et statuere quod habeant gloriam, id est, novitatem et vitam aeternam, quae etiamsi nondum revelata est, tamen nobis certa est. Quare conscientiae debent acquiescere, non dubitare ac desperare, etiamsi adhuc sentiunt infirmitatem: sed iubet spe gloriari, id est, non debent sentire, quod habeant iam perfectam novitatem, nec debent alias illuminationes quaerere, sed resistere in verbo, et statuere, quod fide placeant propter Christum, et quod haec novitas nondum sit perfecta, quod adhuc hereat in nobis peccatum.

Est ergo sententia: Etiamsi mundus et nostra ratio iudicant nos non habere gloriam, id est, liberationem a peccato et a morte, tamen nos gloriamur, id est, ducimus nos habere gloriam illam, qua Deus nos glorificabit, sed speratam. Spe adhuc tenemus, sed tamen haec spes certa est, non fallit. Ad eundem modum loquitur ad Galatas: Nos spiritu ex fide spem iusticiae expectamus: id est, Etsi adhuc immundi sumus, tamen fide placemus et expectamus perfectam novitatem. Ita hic docet, quod sancti nondum habeant perfectam novitatem, et tamen interim fide placeant, et spe glorientur, id est, spe possideant novam naturam, aeternam vitam, novam sapientiam, novam iusticiam.

Nec id solum, verumetiam gloriamur etc.

Addit correctionem. Imo reipsa gloriam habemus, non tantum speratam, sed praesentem. Quae est illa? Afflictiones.

Hanc necessariam consolationem opponit iudiciis mundi et rationis. Mundus videt nos affligi, velut desertos et reiectos a Deo, et hoc scandalo deterretur ab Evangelio. Item ratio ipsa secundum legem iudicat, afflictiones esse maledictiones, id est, res malas et signa irae Dei. Paulus econtra docet nos de afflictionibus, quod non sint maledictiones, sed sint nobis gloriosae, id est, quod non sint signa irae Dei, sed signa bonae voluntatis Dei.

Est ergo sententia: Gloriamur in afflictionibus, id est, ducimus afflictiones esse res bonas non ignominiosas, non maledictiones, non signa irae et reiectionis, et sustinere eas, ducimus esse opus bonum, et cultum Deo placentem, non propter propriam dignitatem aut perfectionem, sed quia fide persona iam est accepta, sicut alias de incoata obedientia diximus.

Est ergo sententia: Habemus duplicem gloriam, Alteram praecipuam, sed adhuc speratam, id est, novam naturam et vitam aeternam, sed hanc gloriam adhuc spe possidemus, Alteram gloriam habemus praesentem, id est, afflictiones. Tametsi enim mundus indicat afflictiones esse signa irae Dei: tamen nos scimus esse signa bonae voluntatis Dei, et obedientiam in afflictionibus, esse novum cultum Dei.

Scientes quod afflictio patientiam pariat.

Cum antea dixisset praesentem gloriam nostram esse afflictiones, quia donec morimur haec vita est perpetuum certamen, et caro subiecta est afflictionibus, ut reliquiae peccati mortificentur. Has mortificationes lex indicat esse maledictiones et signa irae. Sed Evangelium econtra docet, translatas esse in aliam formam, videlicet, ut sint signa bonae voluntatis Dei. Ideo iam ait consolationem in hanc sententiam, et concionatur de fine et usu afflictionum.

Paulus gradationem contexit. Afflictiones patientiam efficiunt, patientia probationem, probatio spem etc. Haec verba in summa hoc volunt, quod afflictiones sint exercitia fide seu spei, et quod Deus requirit obedientiam, et fidem seu spem in afflictionibus: non sunt igitur signa irae. Haec est summa huius sententiae, sed priusquam singula verba tractamus, prius doctrina de afflictionibus consideranda est. Sunt autem quatuor praecepta, quae de afflictionibus scire necesse est.

1. Primum, quod statuendum est, Nos non affligi casu, sed certo consilio et permissione Dei.

2. Secundum, Non solum statuendum est afflictiones Dei consilio accidere, sed etiam addendum est, quod Deus puniat, non ut perdat, sed ut revocet nos ad poenitentiam, seu ut exerceat fidem nostram. Quodque afflictiones non sint signa irae, sed bonae voluntatis Dei, iuxta illud: Nolo mortem peccatoris. Et prodest in his praeceptis habere in promtu quam plurima testimonia.

3. Tertium praeceptum, Quod Deus requirat obedientiam in afflictionibus, et quod indignatio et impedientia sint peccatum, et quod praecipue Deus Ecclesiam subiecerit afflictionibus, et quod haec obedientia propter Deum praestanda sit.

4. Quartum, Non satis est obedientiam praestare, sed plus requiritur, videlicet fides et invocatio, qua auxilium petimus et expectamus, iuxta illud: Invoca me in diebus tribulationis etc.

Haec quatuor praecepta tenenda sunt in omnibus afflictionibus, et horum cogitatio parit veram patientiam Christianam, quae differt a philosophica. Nam philosophica est obedientia erga rationem in perferendis adversis rebus, ex aliqua honesta causa. Sed patientia Christiana est obedientia, quae praestatur propter Deum, et ad quam accedit fides seu spes, et expectatio auxilii. Hae breviter repetivi, quod inde facilius intelligi possit sententia Pauli. Nunc ad textum redeo.

Tribulatio affert patientiam. Haec verba non tantum more legis intellige debent, quod in afflictionibus requiratur obedientia, sed etiam tanquam consolatio. Nam cum Deus patientiam et spem exigat, manifestum est afflictiones non esse signa irae, sed exercitia, in quibus Deus vult obedientiam et fidem nostram exercere. Nam iudicio legis seu rationis afflictio non affert patientiam, sed indignationem, qua natura infirma fremit adversus Deum et irascitur, quod haec infirma natura tantis calamitatibus oneratur, et fugit eas quantum potest: sed iudicio Evangelii, afflictio affert patientiam, cum videlicet mens agnoscit esse signa bonae voluntatis Dei, et in his exercitiis excitandam esse fidem et invocationem.

Patientia probationem.

Id est, exercitium seu explorationem, in qua exsuscitatur fides, ut non sit otiosa, non simulata, sed vera, nec languescat etc. Sic etiam Petrus inquit: Fides vestra postquam probata est, si inveniatur ad laudem, id est, postquam exercitata est, ut esset vera et non simulata.

Describitur ergo hic finis afflictionum, quasi dicat: Ideo afflictiones non sunt signa irae, quia sunt probationes, id est, exercitia, in quibus fides excitatur et confirmatur. Et nos veram consolationem et verum certamen experimur. Sicut Esaias inquit: Clamor in angustia est eis disci-

plina tua. Quia in otio et voluptatibus non est certamen aliquod fidei, ideo languescit et extinguitur: item, nulla seria invocatio est etc.

Probatio autem spem.

Id est, in illo exercitio fides et spes exuscitantur et confirmantur. Etsi enim sunt vicini motus fides et spes, et a se non divelluntur, tamen aliquid interest. Fides est fiducia, qua in praesentia accipimus remissionem peccatorum, et statuimus iam nos habere Deum propicium, et in praesentia consolamur nos hac misericordia: estque obiectum Deus apprehensus in verbo, quo exhibetur remissio. Sed spes est expectatio futurae liberationis, et statuit non solum de praesenti misericordia, sed etiam de futuro eventu.

Hos motus ait crescere in illo exercitio, et patientia non habet se ut meritum, ex quo pendeat spes, sed habet se sicut occasio exercitii. Tunc enim existunt fides et spes, cum in ipsa afflictione repugnant dubitationi et desperationi. Nec patientia praecedit spem, sed Paulus vult in illo ipso certamine esse spem, quod certamen est patientia, obediens Deo et expectans liberationem. Et fides et spes pendent ex gratuita promissione, alioqui fierent incertae.

Porro spes non pudefacit.

Phrasis est Ebraica. Spes non confundit, id est, non frustratur sperantem. Haec est germana interpretatio verbi confundere, frustrari, ut alibi: Nullus speravit et confusus est, id est, frustratus est. Est autem similis sententia illi dicto, quod recensetur capite nono: Omnis, qui credit in Deum, non confundetur.

Sed dicat aliquis: Quare spes non frustratur, quid, si simus indigni? De hac obiectione necesse est admoneri pios, quia haec ipsa obiectio est Epitasis certaminis de fide et spe, videlicet, An velit Deus indignos salvare? Hic tenenda est Exclusiva, quod gratis propter Christum velit nos salvare, quanquam simus indigni. Atque ita demum loci de fide et spe, iuvant conscientias, cum in illis haec exclusiva intelligitur.

Considerandum est etiam, quod de remissione peccatorum, et de vita aeterna, expressum mandatum Dei est, ut credamus remissionem, et speremus vitam aeternam. Hic sine conditione petere, et sperare debemus. De corporalibus afflictionibus liberatio cum conditione petitur, si placet Deo.

Quod dilectio Dei diffusa sit.

Videtur obscura esse Ratio consequentiae. Spes non confundit, quia dilectio Dei effusa est. Minus videretur obscura consequentia, si sic diceret: Spes non confundit, quia promissio est certa et rata. Nam haec ratio sumitur ex causa efficiente propinqua, videlicet ex proximo obiecto, ac reipsa hoc dicit, sed addit aliquid. Est enim sententia: Spes ideo non confundit, quia Deus certo diligit nos. Et hanc dilectionem apprehendimus ipso motu fidei, quo Spiritus sanctus est efficax. Nam causa spei est, quod Deus diligit nos. Sed haec dilectio non apprehenditur nisi verbo.

Significat igitur dilectio Dei hoc loco dilectionem, qua Deus nos diligit. Estque simplicissima et minime intricata interpretatio, et utilis conscientiis. Spes non confundit, quia promissio est certa et rata, in qua apprehendimus dilectionem Dei erga nos.

Haec est plana sententia, et gravissimam doctrinam continet, quales sint motus fidei et spei, scilicet, quod sint certamina, in quibus conscientia erigitur, et statuunt nos diligi a Deo. Hic enim est summus et difficilimus articulus, quem retinere mens sine magna dimicatione non potest, quia est ipsissima vox Evangelii, quod Deus diligat nos propter Christum, etsi sumus indigni, immundi. Hanc vocem revelavit filius, qui est in sinu patris. Sed humana corda ita oppressa sunt diffidentia, ut non solum non videant hanc voluntatem patris, sed etiam ab hac voce valde abhorreant.

Hic igitur discamus, quales motus sint fides et spes, qui videlicet hac consolatione erigunt animos, ut statuant nos diligi a Deo. Idem docet sententia infra: Accepistis Spiritum, in quo clamamus Abba Pater.

Secundo, etiam hic obervandum est, quod hi motus, fides, spes, oriantur a Spiritu sancto. Monachi invertunt hanc sententiam, et attexerunt rationem consequentiae causa spei, hoc modo: Spes non confundit, quia habemus dilectionem, id est, quia diligimus Deum. Ita argumentantur ex merito, posito merito seu pretio, ponitur eventus.

Haec interpretatio aliena est a Pauli sententia, et conscientia everteretur, si sic iudicaret sperandum esse propter meritum. Fieret enim conditionalis et incerta promissio: Non igitur est causa spei nostra qualitas, sed sciendum est, causam spei esse promissionem gratuitam, quae ostendit beneficium Christi, et dilectionem Dei erga nos propter Christum, quare repudianda est monachorum interpretatio.

Caeterum si quis sic attexat, Spes non confundit, quia habemus arrabonem Spiritum sanctum. Non displicet mihi connexio, estque locus ab ordine effectum promissionis, et a causa adiuvante, quasi dicat: Iam habemus incoationem et primitias vitae aeternae, scilicet Spiritum sanctum, qui nos etiam consolatur et adiuvat, et est pignus futurae glorificationis.

Sed hic sciendum est, quod tamen non sit inspicienda nostra qualitas, sed quaerenda est consolatio in verbo. Nam Spiritus sanctus ita demum est efficax per verbum, non praecurrit verbum. Itaque sic adest, sic adiuvat nos, ut apprehendamus dilectionem Dei, cum verbo nos sustentamus. Haec interpretatio cum prima congruit. Est enim sententia: Spes non confundit, quia cum apprehendimus verbum, Spiritus sanctus simul est efficax et adiuvat nos, ut in verbo apprehendamus dilectionem Dei erga nos. Sed planius potest sic attexi, Spes non confundit, quia Deus diligit nos, et hoc iam apprehendistis per Spiritum sanctum, vos certo statuitis quod diligat vos, ergo sperate eum vobis benefacturum esse. Et est locus ex causis, quia scire quod diligit, est causa sperandi.

Haec sententia rursus monet, quod fides significet fiduciam misericordiae, quia Paulus ita inquit: Per Spiritum sanctum apprehendistis dilectionem Dei, id est, quod Deus diligat vos, Ergo fides est fiducia, quod Deus diligat nos, fides est illud apprehendere. Item monet hic locus, quod non recte doceant hi, qui iubent dubitare de remissione peccatorum.

Christus enim, cum essemus adhuc infirmi.

Sequitur amplificatio, quae colligit signa et testimonia, quod Deus diligat nos, scilicet illud summum beneficium et ineffabile, quod dedit filium pro nobis, et quidem voluit hoc ipsum esse certum pignus verae et immutabilis dilectionis.

Vix pro iusto aliquis moritur.

Hunc amorem amplificat duplici collatione. Vix pro iusta re aliquis moritur, id est, etiam cum debemus mori, tamen inviti oppetimus mortem. Ut fur invitus moritur, etiamsi debet mortem legibus. Intellige igitur verba Pauli pro iusto, id est, re iusta, seu debito.

Pro bono ausit aliquis mori.

Altera collatio est, pro bono ausit aliquis mori, id est, pro bona et suavi re, id est, incitati cupiditate, aut opinione utilitatis facilius suscipimus pericula: ut, ad defensionem coniugis, liberorum, aut dignitatis, vir fortis mortem oppetit, etc.

Ex his duabus propositionibus argumentatur, et amplificat dilectionem Dei et Christi, a collatione causarum. Si quis benefacit, praesertim vitam impendens, cum neque debet, neque movetur aliqua sua cupiditate, hunc necesse est adduci magna vi amoris. Quia, etiam qui debent poenas legibus, inviti moriuntur, et alii, si qui mortem oppetunt, moventur aliqua opinione utilitatis. Christus pro nobis mortuus est, cum nobis non deberet, neque aliqua sua utilitate moveretur: ergo necesse est ingentem et ineffabilem vim esse amoris erga nos.

Commendat autem nobis dilectionem Deus.

Postea amplificat ex minore: Si pro iniustis mortuus est, quanto magis iustos salvabit. Estque consolatio necessaria his, qui cum sint sanctificati, tamen vident se adhuc habere reliquias peccati, et obnoxios esse terroribus et pavoribus. Item immergi asperrimis et horribilibus calamitatibus et luctantur cum diffidentia desperatione etc. Hic habent opus hac doctrina et consolatione: Quod quanquam sint indigni, immundi, tamen placeant fide gratis propter Christum, sicut supra dixi: Iustificati fide pacem habemus. Item: Habemus accessum fide in gratiam hanc, in qua stamus. Item: Tunc mors et resurrectio Christi sunt pignus, quod Deus velit eos liberare.

Gloriantes in Deo, per Dominum nostrum Iesum.

Singulari consilio et emphasi adiecta est particula: Gloriantes in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum. Iterum enim inculcat doctri-

nam omnium maxime necessariam, videlicet, quomodo conscientia reddatur certa. Nam, praesertim in veris afflictionibus, obstrepit nobis indignitas nostra. Disputamus, Utrum certo exaudiamur, utrum certo Deus velit praestare illa quae promittuntur in Evangelio, etc.

His dubitationibus opponit Paulus hanc particulam: Gloriantes in Deo, etc. Nam gloriari est sentire: quod habeamus gloriam, id est, iusticiam, sapientiam etc., id est, conscientiam, quae vere et certo statuit, quod placeamus Deo.

Sed addit: Gloriantes in Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum. Hic docet de causa huius gloriae et certitudinis, quasi dicat: Non gloriamur, non placemus propter propriam dignitatem, sed in Deo gloriamur, id est, sentimus nos habere gloriam, ac iustos esse, per misericordiam Dei propter Christum. Docet igitur in summa, etiam renatos statuere, quod certo placeant propter Christum gratis, non propter propriam dignitatem, seu impletionem legis, sicut et ad Corinthios inquit: Ut ne glorietur coram eo omnis caro. Item: Qui gloriatur, in Domino glorietur, id est, statuat se placere Deo propter ipsius promissionem, non propter nostram dignitatem.

Haec sententia semper in conspectu habenda est, ut Christo suus honos tribuatur, quod semper sit mediator. Item, ut intelligamus nostram dignitatem: et tamen conscientia habeat firmam consolationem, quod scilicet sit mandatum Dei, ut credamus nos habere remissionem peccatorum, et placere et exaudiri propter Christum.

Quod vero supra addidit, Gloriamur in afflictionibus, dictum est alias de incoata obedientia, quod non sit gloria, id est, iusticia, quae possit opponi iudicio Dei, in qua nihil sit vitii, seu propter quam sumus iusti, et habemus remissionem peccatorum. Manet ergo haec sententia firma: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Sed postquam fide reconciliati sumus, et statuimus nos placere per misericordiam propter Christum. Deinde fit incoata et imperfecta obedientia cultus et gloria, non quidem opponenda iudicio Dei, sed Deus approbat eam, quia sumus facti filii.

Analysis sequitur.

Propterea, sicut per unum hominem.

Superior pars Epistolae est contentio. Fuit enim instituta propositio, et confirmata argumentis. Nunc sequitur velut novus liber: non enim instituitur hic argumentatio, sed quaedam ἀνάλυσις singularium partium, de quibus supra facta est mentio. Nam disputatio superior continet has propositiones, omnes homines sunt sub peccato. Item: Homines non sunt iusti lege, quia nemo legi satisfacit. Item: Fide propter Christum per gratiam reputamur iusti. In his propositionibus sunt simplicia membra, Peccatum, Lex, Gratia.

Est autem haec ἀνάλυσις in docendo et usitata, et necessaria: ut, cum medicus disputat, an venae, arteriae ac nervi nascantur ex corde. Profecto opus est doceri imperitos, qui differant venae, nervi et arteriae. Talis enarratio partium vocatur Analysis.

1. Venae vehunt sanguinem nutrimentalem, et habent tenues tunicas. Arteriae vehunt subtilissimum sanguinem, et vitalem spiritum. Nervi sunt subtilissima quaedam fila, quae vehunt spiritum animalem, sunt instrumenta sensuum. Venae oriuntur in epate, quia epar est fons sanguinis. Arteriae oriuntur in corde. Somnus datus est, quia ipsa quiete opus est.

2. In ipsa quiete rigatur et humectatur totum corpus.

3. Quia oportet calorem intro revocari ad generandos spiritus corde, in sumno exteriora fiunt frigidiora, interiora calidiora. Corpora post somnum sunt magis vegeta, et idonea omnibus rebus agendis. Nervi nascuntur in cerebro.

Ita et Paulus post contentionem iam redit ad propositiones, et singula membra excerpit, eaque enarrat, et inter se confert. Haec collatio plurimum affert lucis superioribus propositionibus: quia definitiones et causae sunt fontes negotiorum. Primum autem hic de Peccato loquitur. Deinde de Lege. Tertio, de Gratia. Hi sunt praecipui loci doctrinae Christianae, quos in Ecclesia extare oportet, quorum cognitio omnibus necessaria est.

Paulus autem non discernit appellationes peccati originalis et actualis, quia radicem et fructus complectitur, etsi proprie de propagatione peccati originalis loquitur. Interdum tamen etiam discernit, ut cum nominat peccatum, et fructus peccati. Fuit autem opus in Ecclesia novis appellationibus ad vitandas ambiguitates.

De peccato originali.

Quid est peccatum originis? Peccatum originis est reatus seu imputatio, qua propter lapsum Adae omnes secundum naturam propagati rei sunt, et est corruptio naturae humanae, secuta lapsum Adae, qua fit, ut humana natura non possit vere obedire legi Dei, sed habeat defectus et concupiscentiam contra legem Dei.

Vulgata Anshelmi definitio prorsus idem dicit, quod nostra, sicut et ipse eam copiose enarrat, etsi vulgo tantum pauca verba excepta recitantur, videlicet: Peccatum originis est carentia iusticiae originalis, quae debeat inesse. Nam iusticia originalis erat futura non tantum acceptatio, sed etiam integritas virium seu rectitudo, quae praestitisset perfectam obedientiam legi Dei, nec fuissent in animis hominum dubitatio de voluntate Dei, vacuitas timoris, fiduciae, dilectionis Dei: sed fuisset natum in animis lumen, seu concreatum, et firma noticia de Deo, et inclinationes consentientes legi Dei. Nunc econtra natura hominis est rea et corrupta. Ex hac antithesi facile potest intelligi definitio.

Quare existunt dissensiones de peccato originis? Quia homines non vident immunditiem cordis, scilicet illa peccata, dubitationem de Deo, vacare metu Dei, fiducia, dilectione, habere horribiles impetus adversus legem Dei. Haec vitia non vident, ac multo minus vident esse peccata. Ideo fingunt impii nihil esse peccatum originis.

Deinde assumunt philosophicas sententias, Naturam esse bonam. Item, Nihil esse peccatum, nisi sit voluntarium. Haec suo loco recte dicuntur, sed non sunt detorquenda ad peccatum originale. Itaque caligo et caecitas in animis humanis est causa, quare multi vel extenuent peccatum originis, vel prorsus tollant, et deinde astute corrumpant scripturas et eludant, ut Pelagius fecit et alii multi. Adversus tales calumnias muniendi sunt animi veris et firmis testimoniis.

Causa peccati originalis.

Causa peccati originalis est diabolus, et voluntas primorum parentum, quae cum esset libera, per sese avertit se a verbo Dei, nec retinuit obedientiam erga Deum. Ideo Adam factus est reus, et fecit ream posteritatem, exutus integritate naturae donis, quae Deus addiderat naturae, procreavit deinde tales, qualis erat ipse. Ita propagatur natura rea et corrupta.

Effectus.

Scholastici dixerunt Concupiscentiam non esse peccatum, sed tantum poenam, et vocarunt fomitem. Nos dicimus concupiscentiam, et poenam in rea natura, et peccatum esse.

Secunda poena est Mors, et omnes calamitates humani generis.

Tertia poena est, quod haec infirma natura subiecta est tyrannidi diaboli, qui et corporalibus malis et terroribus studet perdere, et impellit ad peccata omnis generis, ad blasphemias, haereses, caedes, libidines, et alia peccata.

Philosophi mirati sunt, unde in tam praestanti natura generis humani tantum existat non solum calamitatum, sed etiam flagitiorum, cum quidem secundum naturam sit recte facere: sed sola doctrina Christiana monstrat causam, scilicet peccatum originis.

Cum autem tam horribiles effectus et poenae secutae sint, non est extenuandum peccatum originis, sed tanta est caligo animorum, ut non solum peccatum et iram Dei non videamus, sed ne quidem calamitatum magnitudinem intelligamus. Ideo etiam vulgo aliqui Doctores vel sustulerunt, vel extenuaverunt peccatum originis. Sed scriptura revelat nobis hoc peccatum, ut humiliati quaeramus gratiam, et agnoscamus beneficia Christi, sicut Iohan. inquit: Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli.

Peccatum in mundum intravit.

Quod loquatur Paulus de peccato originis manifestum est, quia loquitur de peccato Adae, propter quod omnes homines rei sunt, sicut paulo post dicit: Eo quod omnes peccaverunt, id est, rei sunt, Item: Per unius delictum condemnatio pervasit in omnes, Item: Propter obedientiam unius peccatores sunt alii. Iam si tantum essent actualia delicta, unusquique tantum reus esset sui delicti. Nunc testatur hic Paulus omnes reos esse propter unum Adam. Ergo est aliud peccatum praeter actuale etc.

Usque ad legem enim peccatum erat in mundo.

Non solum hoc vult, Peccatum fuisse in mundo ante promulgatam legem, sed etiam illud hic attexit: Lege non esse abolitum peccatum.

Ideo inclusive intelligatur hoc dictum: Usque ad legem peccatum erat in mundo, id est, etiam cum lata est lex Moysi, tamen mansit peccatum. Ita breviter admonet, Lege non tolli peccatum et mortem, quia illa externa iusticia legis nondum liberat a peccato, nec est incoatio aeternae vitae, sed quaedam externa corporalis disciplina. Et cum conscientia angitur, et quaerit iustificationem in lege, tunc lex habet praecipuum effectum, accusat et coniicit conscientias in terrores, et desperationem. Hoc vult Paulus, cum hic addit:

Sed peccatum non reputatur, ubi non est lex.

Id est, Ubi non est lex, non agnoscitur peccatum, non accusatur. Loquitur Paulus de indicio nostrae conscientiae. Lata est igitur lex, ut conscientia agnoscat peccatum et accusetur et perterrefiat, sicut supra inquit: Per legem agnitio peccati. Postea autem de usus legis copiosius dicet: nunc enim obiter tantum et velut in transcursu attigit. Quod autem sequitur,

Mors regnavit ab Adam usque ad Mosen.

Hoc dicto superiora verba declarantur. Sicut ante dixit, Peccatum fuisse usque ad legem, ac ne lege quidem fuisse abolitum, ita hic ait, Mortem regnasse ab Adam usque ad Mosen, ac ne quidem lege abolitam esse. Addit autem:

Mortem regnasse etiam in eos, qui non peccaverunt secundum similitudinem transgressionis Adae.

Id est, Etiam infantes morti subiectos esse, tametsi non habent actualia peccata. Nam Paulus actuale peccatum vocat transgressionem. Hoc ideo dicit, ut confirmet primam propositionem, Omnes esse reos. Si enim infantes quoque sunt subiecti morti, Ergo habent quoddam peccatum. Quia mors intravit per peccatum in mundum, Est igitur aliud peccatum praeter actuale.

Qui est forma futuri, etc.

Hactenus concionatus est de peccato originis, quod haec natura humana sit rea et corrupta. Ideo non est iusta lege vel operibus, quia legi non praestat veram obedientiam, sed manent in natura hominis, corruptio, caecitas, concupiscentia, et horribiles impetus contra legem Dei. Opus est igitur alia quadam iusticia, scilicet gratia Christi, ideo de ea iam incipit concionari, Qui est (inquit) forma futuri.

De Gratia.

Sicut supra dixit de peccato, de causa peccati, de propagatione et effectu, ita iam docet de gratia, de causa, propagatione, et effectu gratiae, Ut doceat, peccatum tolli per gratiam.

Coniungit autem gratiam et donum per gratiam. Vocabulum gratiae significat gratuitam misericordiam. Ideo hic significat verissime remissionem peccatorum, et gratuitam acceptationem, quae fit per Christum. Donum per gratiam significat donationem Spiritus sancti, qui incoat novam et aeternam vitam in animis, et excitat novos motus.

Primum igitur confert Adam et Christum. Haec collatio valde illustrat utrumque membrum. Declarat autem modum meriti, quod uterque aliis meruerit, Adam meruit aliis reatum, Christus meruit aliis reconciliationem. Haec collatio clare refellit adversarios, qui imaginantur homines iustos esse propria dignitate. Hic enim clare dicit: Sicut alii propter Adam rei sunt, ita alii propter Christum iusti sunt. Et haec sententia saepe repetitur. De hoc modo meriti loquitur, cum ait: Adam est exemplum Christi, scilicet, quod ad hoc attinet, quia uterque aliis meruit. Nam in collatione non necesse est omnia similia esse.

Ideo Paulus ipse addit correctionem, ut admoneat multa esse dissimilia in hac collatione, sic enim inquit: Sed non sicut delictum, sic et donum, id est, multa sunt dissimilia in hac collatione delicti et doni.

Primum res diversissimae sunt, reatus seu peccatum, et venia seu gratia, mors aeterna et vita aeterna.

Secundo plurimum interest in modo propagandi. Ab Adam propagatur natura rea, vitiosa et morti obnoxia, et propagatur generatione carnali. Econtra a Christo donatur reconciliatio. Haec non propagatur generatione carnali, sed fide accipitur. Sicut Ioannis primo scriptum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt, etc. Item, Ioan. 4.: Nisi quis renatus fuerit etc.

Haec dissimilitudo propagationis diligenter observanda est, propter Anabaptistas, qui prodigiosa deliramenta hic comminiscuntur. Alii pror-

sus tollunt peccatum originis, Alii fingunt, post resurrectionem Christi prorsus neminem nasci cum peccato originis. Adversus illas fanaticas opiniones muniunt nos loci citati ex Ioanne. Ac vide quanta sit insania Anabaptistarum. Si nullum esset peccatum originis, omnes homines viverent sine peccato et sine morte. Quod cum sit manifeste falsum, necesse est causam manere, scilicet peccatum originis.

Tertia dissimilitudo est diligenter consideranda, quam et hic in textu Paulus tractat et amplificat: Gratia superat peccatum. Hanc dissimilitudinem praecipue oportet inculcari: quia si parem vim haberent peccatum et gratia, quomodo gratia salvaret, praesertim cum peccatum magis sentiatur: Ita beneficium Evangelii nihil esset, nulla esset firma consolatio.

Quare haec dissimilitudo illustranda est, ut postea facit Paulus, Quod gratia superat peccatum. Superat autem dupliciter, et imputatione et effectu. Imputatione superat, quia eos, qui apprehendunt gratiam, Deus reputat iustos, etiamsi reipsa adhuc habent reliquias peccati. Deinde etiam effectu superat, quia in illis ipsis, quanquam infirmis, tamen existunt novi motus, qui resistunt peccato. Item, illi ipsi, quanquam in hac vita adhuc fuerunt infirmi, tamen resuscitantur ad vitam aeternam. Haec sciri necesse est, ut beneficium Christi intelligatur, et teneatur firma consolatio. Ac Paulus ipse deinde tractat et exaggerat hanc dissimilitudinem.

Si enim unius delicto.

Repetit collationem perspicuis verbis: Sicut propter unius delictum alii facti sunt rei, ita e regione propter unum Christum alii reconciliantur Deo, et fiunt accepti Deo. Haec collatio perspicue ostendit, nos non nostro merito, sed alieno reconciliari Deo et acceptos esse.

Hic Paulus duo coniungit, Gratiam, et donum per gratiam. Gratia significat gratuitam acceptationem propter Christum, hoc est, remissionem peccatorum gratuitam, et imputationem iusticiae gratuitam propter Christum. Donum per gratiam significat donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. Nam in remissione peccatorum Evangelium simul offert Spiritum sanctum, quem quidem fide accipimus, cum corda eriguntur, et concipiunt consolationem per verbum. Atque hoc est beneficium novi testamenti seu Evangelii, donatum propter Christum, remissio peccatorum, imputatio iusticiae, donatio Spiritus sancti et vitae aeternae.

Gratia sumus iusti, Gratia est nostra dilectio etc., Ergo nostra dilectione sumus iusti. Respondeo ad minorem: Etiamsi interdum sic accipitur vocabulum gratiae, tamen id fit καταχρηστικῶς, sed significat gratia remissionem peccatorum.

Iusticia sumus iusti, Iusticia est nostra qualitas, Ergo nostra qualitate sumus iusti. Respondeo ad minorem: Iusticia in his disputationibus, significat acceptationem, et iustum esse, est esse acceptum.

Iusticia est in voluntate, Fides est in intellectu, Ergo fide non possumus esse iusti. Respondeo: Iusticia quae est nostra qualitas, est in voluntate. Sed iusticia, id est, acceptatio, est relatio, non quae haeret in aliquo. Deinde fides quatenus est voluntas accipiens, non est tantum in intellectu, sed est etiam in voluntate.

Vulgo gratiam intelligunt scholastici doctores ipsam qualitatem in nobis, et vocant charitatem. Deinde quando dicitur, Sumus iusti per gratiam, imaginantur homines iustos esse propter propriam qualitatem, scilicet propter charitatem, hoc est, novam obedientiam. Ita non docent apprehendere mediatorem Christum, et relinquunt conscientias dubias. Denique sic docere, quod sentiendum sit, nos esse iustos propter propriam qualitatem, est doctrina legis, et multa habet incommoda.

Ideo gratia intelligatur relative, pro acceptatione gratuita, ut sit idem, Sumus iusti per gratiam, quod illud, Sumus accepti Deo nos gratis propter Christum acceptante, iuxta promissionem, in qua haec gratia, id est, acceptatio, proposita est. Et conscientia statuat nos iustos, id est, acceptos esse propter Christum, nec intuebitur propriam dignitatem, sed verbum seu promissionem, et iuxta hanc statuet de voluntate Dei erga nos, atque ita apprehendet fide Christum mediatorem. Hoc cum fit, donatur Spiritus sanctus, et fiunt in nobis novi motus.

Retineatur ergo utrunqe, et quod fieri novos motus in nobis oportet, et quod tamen conscientia debeat extra nos intueri mediatorem Christum, et statuere, quod propter illum simus iusti, id est, accepti, et hoc est dicere homines iustos esse per gratiam, videlicet, quod sint iusti, id

est, accepti gratis propter Christum, Deo acceptante. Sic etiam illud intelligatur, Sumus iusti fide, id est, correlative sumus iusti propter Christum, quem fide apprehendi oportet. Hoc modo conscientia discit intueri verbum, et habet firmam consolationem, quia illa gratia, id est, voluntas Dei, acceptans propter Christum, est proposita in verbo. Estque sciendum ita efficacem esse Spiritum sanctum, cum hoc verbum apprehendimus. Hactenus de vocabulo gratiae.

Paulus addit: Donum per gratiam, quae est Christi. Docet enim donum, id est, Spiritum sanctum et vitam aeternam dari propter Christum, sicut alibi scriptum est: Gratiam pro gratia, id est, nos placemus non propter nos, sed propterea, quia placet filius. Item ad Ephes.: Acceptat nos in filio dilecto.

Et non sicut per unum peccatum etc.

Oratio in textu sic absolvi potest: Et non sic se habet donum, sicut peccatum, quod per unum peccantem perdidit homines. Hanc sententiam prudentissime et necessario adiecit Paulus, ut ostendat dissimilitudinem regni peccati et regni gratiae, ac docet hanc esse dissimilitudinem, quod gratia sit uberior et potentior peccato. Hanc dissimilitudinem necesse est proponi. Si enim parem haberent potentiam peccatum et gratia, quomodo salvaremur, si peccatum pariter damnaret? Quare conscientia sciat gratiam potentiorem esse. Primum, quia abolet peccata remissione peccatorum, et imputatione iusticiae, qua imputatione sumus accepti, quanquam haereat in nobis peccatum et infirmitas. Deinde et effectu potentior est; quia resistit peccato et diabolo, et affert novam et aeternam vitam.

Ac diligenter considerent pii hanc eminentiam gratiae, ut opponant magnitudini peccati, et opponant praesenti infirmitati. Nullum peccatum quamlibet magnum anteferri debet gratiae. Item, quanquam Sancti adhuc sunt infirmi, tamen sciant gratiam uberiorem esse, quare placent propter Christum.

Ideo Paulus exaggerat hanc dissimilitudinem, et addit: Iudicium ex uno in condemnationem, id est, unum peccatum Adae attulit condemnationem universae posteritati. At gratia abolet multa peccata, id est, originalia et actualia, radicem et fructus etc.

Si enim unius delicto mors regnavit, per unum etc.

Ut antea peccatum et gratiam contulit, ita nunc effectus confert, mortem et vitam. Sed emphasis est in verbo regnavit. Mors manet in sanctificatis, sed non regnat in eis, id est, sanctificati vincunt fide terrores peccati et mortis. Item, liberantur ab aeterna morte. Item, habent consolationem in calamitatibus humanis. Nam appellatione mortis etiam caeterae calamitates humani generis intelligi debent. Ideo diserte hic ait, Mors regnavit, id est, Impii succumbunt terroribus peccati et mortis, non liberantur a morte aeterna, non habent consolationem in magnis afflictionibus, sicut Saul, Cato, consciscunt sibi mortem.

Est et emphasis consideranda, quod ait: Quanto magis accipientes excellentiam gratiae etc. Urget enim dissimilitudinem, de qua supra dictum est: Gratiam potentiorem, esse peccato, hoc quantum referat inculcari supra admonui.

Deinde sequitur repetitio collationis, in qua superiores sententiae propemodum iisdem verbis inculcantur. Ubi primum hoc argumentum observandum est de peccato originis. Quia enim clare dicit, Unius peccato omnes condemnatos esse, Necesse est alios reos et condemnatos esse, non tantum propter proprium delictum, sed alienum, scilicet Adae. Est ergo aliquod peccatum originis.

Quod inquit, iusticiam pervenire ad omnes homines, propter unius iusticiam, de promissione seu de verbo intelligatur, quod offert omnibus universaliter gratiam, etiamsi non omnes accipiunt.

Non omnes salvantur, Ergo non in omnes venit gratia. Respondeo: Promissiones sunt universales. Quod attinet ad voluntatem Dei, vult omnes homines salvos fieri. Reliqua non debemus inquirere, utraque praedicatio, poenitentiae et gratiae, est universalis.

Quid gratia?

Gratia est remissio peccatorum et imputatio iusticiae, seu acceptatio, quae fit a Deo gratis propter Christum. Et cum hac acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti et vitae aeternae.

Causae.

Causa efficiens est voluntas Dei, quae Christum pro nobis voluit fieri victimam, et hoc modo propter ipsum nostri misereri, non propter aliquam nostram dignitatem.

Quomodo contingit nobis gratia?

Verbum Dei est instrumentum, et hoc fide accipiendum est. Quando enim corda concipiunt consolationem ex promissione, quae in Evangelio revelata est, statuant se vere consequi illa, quae promittit Evangelium, scilicet remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, et Spiritum sanctum: quia Deus est verax, et vult sibi hanc gloriam veritatis tribui. Vult se coli hac fide, ut verbo suo assentiamur. Imo hoc est summum et immutabile praeceptum, ut credamus nobis propter Christum haec dari, quae promittit Evangelium. Et ut repugnemus dubitationi, sciendum est, promissionem gratuitam et universalem esse, quia conscientiis haec duo obstrepunt, indignitas nostra et particularitas.

Effectus gratiae.

Motus Spiritus sancti, qui fiunt, cum Evangelium apprehendimus, ac praecipuus est fides, qua nos erigimus, et statuimus nobis Deus esse propicium propter Christum. Hic motus dicitur vivificatio, quia hac fiducia vincuntur terrores peccati et mortis. Sequuntur deinde alii motus: Incoata obedientia erga Deum, invocatio, timor, dilectio, patientia, castitas, et reliqui motus consentientes legi Dei, sicut dictum est: Dabo legem meam in corda eorum, Sunt effectus gratiae etiam liberatio a potestate diaboli, auxilium contra diabolum et infirmitatem carnis. Item consolatio et auxilium in praesentibus calamitatibus, sicut ait Christus: Non relinquam vos orphanos. Est effectus liberatio a lege, scilicet, ne credentes condemnet. Ultimus effectus est consummatio totius naturae nostrae et novitas, et vita aeterna.

De Lege.

Principio monendus est lector, Paulum non loqui de politico usu legis, aut de paedagogia, sed de usu legis in conscientia, agente cum Deo, et quaerente iustificationem. Sunt igitur discernendi usus legis. Primus est paedagogia seu politicus usus, videlicet coërcere carnem, et praestare opera externa, praecepta a lege. Hic usus in his, qui non sunt sanctificati, vocatur disciplina. Quanquam autem non iustificat coram Deo, tamen scire debemus, hanc disciplinam praecipi a Deo, etiam non sanctificatis, et aliquo modo posse eam praestari humanis viribus. Estque in hoc usu politico seu paedagogico sciendum, quod lex necessaria sit, quod sit summum donum vitae corporalis, quod Deus et dedit et conservat.

Sunt autem fines quatuor considerandi, qui nos hortari debent, ut summa cura et diligentia praestemus hanc paedagogiam. Primus est, Quia Deus hanc obedientiam requirit, etiam in non sanctificatis. Secundus, Deus etiam addit praemia et poenas. Tertius finis, propter pacem communis societatis. Quartus finis, quia est etiam paedagogia in Christum.

Tria autem ad paedagogiam pertinent. Necesse est ordinem et pacem esse, ut homines doceri possint. Secundo, necesse est homines non repugnare verbo Dei, non commorari in manifestis flagitiis. Nam in commorante non est efficax verbum Dei. Tertio, Paedagogia non solum pacis custos est, non solum coërcet, sed etiam docet. Id proprium est paedagogiae, ideo lex habuit ceremonias, et habet ritus et exercitia, quilibet pius paterfamilias. Ut illa ipsa assuefactio doceat rudes et infirmos, canimus, legimus, meditamur aliqua loca scripturae, certis temporibus paedagogiae causa, id est, ut verbum inculcetur, ut assuefacti intelligamus verbum Dei. Est autem Spiritus sanctus efficax per verbum.

Hae utilitates non sunt contemnendae, quia certe haec duo sunt necessaria, non commorari in manifestis peccatis, et discere ac meditari verbum Dei: et tamen interim docendi sunt homines, quod haec externa exercitia non sint insticia coram Deo, sed quod aliud quiddam sit iusticia coram Deo. Caeterum cum accedit fides in Christum, in his, qui sunt pii, etiam haec exercitia, quibus coërcetur caro, si fiant debito fine, sunt bona opera et Deo placentia.

Haec satis sit monuisse de primo et politico usu legis. Et prodest saepe inculcare adolescentibus, quid intersit inter hanc paedagogiam, inter iusticiam fidei, et fructus fidei. Prodest etiam hortari ad hanc paedagogiam, ut discant vere displicere Deo illam barbaricam, aut Cyclopicam,

aut Neronianam vitam, quae agitur in manifesta turpitudine. Deinde ut discant prodesse exercitia et studia verbi Dei. Estque sententia: Lex est paedagogus, id est, exercitium, quo assuefiunt et docentur homines, ut intelligant verbum.

In hanc sententiam dixit Paulus: Lex est posita iniustis, id est, Deus vult coërceri iniustos, et in Ecclesia extare oportet doctrinam de discrimine huius disciplinae et iusticae fidei. Doceri etiam oportet, quod sit mandatum Dei, ut rudes coërceantur. Habent et pii, qui adhuc sunt infirmi et rudes, opus talibus exercitiis, ut coërceantur et discant, sicut inquit Paulus: Educate pueros in disciplina et admonitione Domini. Et tantum de primo usu seu politico, de quo hic ad Romanos non loquitur Paulus.

Secundus usus legis et praecipuus est, accusare et perterrefacere conscientias, cum iudicat et damnat peccatum. Hic est usus arcanus, quem in conscientia habet lex, non intellecta hypocritice, sed cum vere perterrefiunt animi agnito peccato. Hi terrores saepe describuntur in Psalmis: Non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum.

De hoc usu loquitur Paulus in tota Epistola ad Romanos, et ad Corinthios, cum inquit: Aculeus mortis peccatum est, Potentia vero peccati lex, id est, propter peccatum homines sunt destinati morti. Et quidem peccatum affert terrores, desperationem et mortem: sed peccatum non agnosceretur, nisi lex iudicaret et accusaret nos. Idem vult supra, cum inquit: Lex iram efficit, id est, accusat et perterrefacit conscientias. Et hic: Lex auget peccatum, non civiliter, sed auget in conscientia, id est, reddit potentius, ut perterrefaciat et afferat desperationem et mortem.

Ita peccatum augetur intus in conscientia, cum agnoscitur esse peccatum, hoc est, cum agnoscimus Deum vere irasci, et sentimus iram Dei, terrores et mortem. Sicut David audita obiurgatione Nathan sensit veros et horribiles terrores. Et Ezechias describit suos terrores: Sicut leo contrivit omnia ossa mea.

Docet igitur Paulus, hoc esse legis praecipuum opus, cum plurimum efficit, accusat, perterrefacit et condemnat: non iustificat, non annunciat remissionem peccatorum, non liberat a peccato et a morte. Ita discernit Paulus legem ab Evangelio, lex aut externa disciplina utcunque coërcet corpus, aut cum suum proprium et summum opus facit, accusat, perterrefacit et damnat.

Hic duplex usus significatus est typo, videlicet facie Mosi. Mosis facies fulgens adeo, ut intueri eam populus non posset, significat legem perterrefacientem, cum vere intelligitur lex de perfecta obedientia, non carnaliter de externa disciplina. Postea Moses velata facie cum populo loquitur, ita eum audit populus. Haec figura significat homines non vere intelligere legem rationali iudicio, sed tantum de externa disciplina. Deinde velata ratio affingit falsas opiniones, quod illa externa disciplina sit impletio legis, et sit iustitia coram Deo. Sed Deus utitur verbo legis ad iudicandum et damnandum peccatum, et ad accusandas et perterrefaciendas conscientias. Sicut postea Rom. 7. totus hic locus repetitur: Quod bonum est, fit mihi mors? Absit, sed peccatum, ut fiat excellenter peccatum, efficit mortem.

Caput VI.

Priusquam Paulus institutam collationem de Lege et Gratia pertexit, inserit occupationes, et diluit quaedam absurda. Magnus enim cumulus quaestionum hic oritur. Si non sumus iusti lege et operibus nostris, sed per misericordiam propter Christum: quorsum opus est bene operari? Si lex nec iustificat, nec affert vitam aeternam: quorsum opus est lege? Facilius intelliget lector has obiectiones Pauli, si considerabit huius nostri temporis controversias. Sicut enim nunc clamitant adversarii: Si propter opera non sumus iusti, quorsum attinet bene operari? ita eadem absurda obiiciunt Pharisaei Paulo. Unde satis apparet nos in illa ipsa causa versari, de qua disputat Paulus, et nos propriam et germanam sententiam Pauli reddere.

Illud hic etiam pii expendant: non solum adversarii obiiciunt illa, quae dixi, sed in omnibus hominibus tanta est infirmitas naturae, ut cum audimus doctrinam de gratuita imputatione, segniores fiamus ad bene operandum et confirmetur carnalis securitas. At haec misericordiae cognitio debebat excitare studium bene operandi. Nam dubitatio deterret animos. Nunc igitur cum didicimus, quomodo certo placeant opera, et quanto honore Deus ea ornet, quod approbat et vocat sacrificia, et promittit praemia, haec cer-

titudo magis accendere animos ad bene operandum debebat.

Porro ad quaestionem: Si non sumus iusti propter opera, quorsum opus est bene operari? Respondemus usitate: Beneficium iustificationis est translatum in Christum, ut sit certum, id est, persona est iusta, id est, accepta, propter Christum. Et ut hoc sit certum, non pendet ex dignitate nostra, sed imputatur propter Christum credenti, id est, fide accipienti. Deinde nova obedientia est necessaria, ut effectus necessario consequens illam imputationem, quia cum imputatione fit renovatio, quae est incoatio novae et aeternae vitae. Incoatio vere novae et aeternae vitae est nova et spiritualis obedientia. Ergo nova et spiritualis obedientia est necessaria. Haec ipsa est summa responsionis Pauli.

Sed ipse distribuit duo membra renovationis, scilicet mortificationem et vivificationem: et sic argumentatur a causis efficientibus. Prior syllogismus: Mortua natura non est efficax, Necesse est in nobis veterem et vitiosam naturam mortificari, Ergo vetus et vitiosa natura non debet esse efficax, nec obsequendum est ei pugnanti cum voluntate Dei.

Alter syllogismus est: Viva natura debet esse efficax, Nos concipimus novam vitam et lucem, cum fides erigit et consolatur conscientiam, Ergo haec nova vita debet habere opera consentanea, id est, obedientiam erga Deum, quem iam in hac nova vita incipimus agnoscere.

Hos duos syllogismos hic recitat Paulus, in quibus videmus describi renovationem hominis, et utitur hic appellationibus mortificationis, vivificationis, et quibusdam affinibus. Diligenter autem considerandum est, quid appellationes illae proprie significent. Describitur autem conversio hominis seu potentia, sicut usitate vocatur. Hunc tanquam principalem Evangelii locum semper intueamur, et videamus, quae sententiae eo referri possunt: et ut Evangelium praedicat poenitentiam et remissionem peccatorum, ita utrumque in morte Christi nobis proponitur. Ira Dei adversus peccatum, Necesse est enim magnam et ineffabilem iram esse, cum nulla alia hostia potuerit Deo satisfacere, et cum voluerit filium mori et crucifigi, Ergo est ingens et ineffabilis ira. Rursus haec ipsa mors est pignus, quod reddit nos certos de remissione peccatorum.

Sic in conversione nostra seu poenitentia, necesse est existere veros terrores et dolores, in quibus corda vere sentiunt Deum irasci peccato. Rursus necesse est corda veram consolationem fide concipere, cum statuunt, quod propter Christum certo habeant remissionem peccatorum. Nec imaginandum est semel illa tantum fieri. Fides cum terrorib. in hac vita assidue luctari debet, et in hoc certamine crescit fides et novitas spiritualis. Ideo etiam assidue proponitur utrunque verbum, verbum arguens peccata, et promissio de Christo annuncians remissionem etc. Et quidem Evangelium arguit incredulitatem, et ministerio legis declarat caetera peccata, adulteria, odia, etc. Imo Deus adhibet poenas et calamitates, quae etiam sunt vox Dei accusans peccatum. Ac mortificatio sine fide est terror, qualis est in impiis, in Saule, Iuda, et affert desperationem et mortem aeternam. Sed terrores cum fide et noticia Christi, sunt timor filialis seu vera contritio, et fiunt cultus Dei et bonum opus: sicut Psalmus vocat sacrificium.

Haec declaratio vocum et accommodatio ad poenitentiam est necessaria, ne inepti homines fingant mortificationes esse opera monastica, et a nobis accersitas observationes, aut otiosas speculationes, sicut Monetarius, item Platonici inepte imitabantur haec vocabula. Sed sciamus mortificationem esse veros terrores et dolores, et vivificationem ipsam fidem consolantem nos.

Quicunque baptizati sumus, in Christum Iesum, etc.

In primo syllogismo vult, quod oporteat existere mortificationem seu poenitentiam in his, qui credunt, seu quod fides non sit in iis, qui securi iudicium contemnunt, quia inquit: In mortem Christi baptizati estis et consepulti, id est, propter mortem Christi habetis remissionem. Sed illa mors ostendit etiam iram Dei adversus peccatum, ut in nobis quoque mortificetur peccatum, id est, ut agnoscentes iram Dei, consolemur nos beneficio Christi. Item, ita fit remissio peccatorum, ut simul aboleatur peccatum. Abolitum autem non debet esse efficax.

Consepulti igitur sumus cum illo, etc.

Gravissima est collatio nostrae conversionis ad Christi mortem, sepulturam et resurrectionem. Ita enim instituit responsionem, propter mortem

Christi habetis remissionem, quae ita fit, ut simul propter mortem Christi aboleri peccatum, seu mortificari vitiosa natura incipiat: quia simul datur Spiritus sanctus, ut mortificet veterem naturam, et incoët novam. Sepelimur autem una cum Christo, quia postquam natura nostra mortificari coepit, peccatum sepultum est dupliciter. Primum imputatione, Quanquam enim reliquiae manent, tamen sunt condonatae. Secundo, quod ad effectum attinet, quia natura vitiosa desinit esse efficax, seu incipit mortificari. Itaque reliqnum vitae post incoatam mortificationem est sepultura. Peccatum quidem imputatione deletum est, sed nondum sumus glorificati. Quare etsi sumus iusti, tamen iacemus sepulti, expectantes glorificationem. Sicut Paulus inquit: Vita vestra abscondita est cum Christo, id est, etsi habemus gloriam, iusticiam, vitam, tamen haec gloria latet adhuc tecta cum Christo, donec resuscitabimus.

Secundo: Quod ad effectum attinet, iacemus in sepulcro, id est, in cruce, in afflictionibus omnis generis: diabolus horribilibus modis perturbat et persequitur pios. Hae calamitates omnes, denique et ipsa mors, sunt velut sepulcrum, in quo iacet vetus natura mortua, ne sit efficax. Haec collatio sepulturae est illustris pictura mortui peccati, quod ad imputationem attinet et effectum, et monet qualis sit vita Christiana.

Deinde addit tertium membrum: Non solum fit mortificatio, sed etiam incoatur vivificatio. Porro nova natura est efficax, ideo necesse est existere novam obedientiam. Hanc collationem repetit: Si sumus inserti imagini mortis eius, etiam inseremur imagini resurrectionis, hoc est, Sicut vetus noster homo una crucifixus est, ita renovati una vivemus. Cum autem sit nova vita, seu nova natura, nova lux et noticia Dei, existit etiam nova obedientia.

Qui mortuus est, iustificatus est a peccato. Nero est mortuus, Ergo est iustificatus. Respondeo ad maiorem: Loquitur de peccato actuali. Vel iustificatus est, id est, satisfecit pro peccato. Est figura sumta ex communi sermone, sicut dicimus quando suspenditur fur: Nunc desinit peccare.

In homine sunt quaedam bonae noticiae, Deo est obediendum etc., Ergo non totus vetus homo est damnandus. Respondeo: Sunt in homine noticiae illae, sed affectus non obediunt, Ergo diligenter notandum est discrimen appetitionum et noticiarum: στοργαὶ sunt bonae sua natura, sed fiunt vitiosae, quia sunt in natura vitiosa, et non diriguntur ad gloriam Dei.

Vetus homo non significat tantum partem hominis, scilicet sensus et appetitiones sensuum, sed etiam rationem et voluntatem. Nec solum appetitiones pugnant cum lege Dei, sed etiam in ratione ignoratio Dei, dubitatio an exaudiamur, blasphemiae. Deinde etiam appetitiones, securitas, contemtus Dei, diffidentia, amor et fiducia rerum praesentium contra mandatum Dei, desperatio etc. Haec vitia non ad sensum, sed ad superiorem partem pertinent. Ideo Paulus describens hominem sine Spiritu sancto 1. Cor. 2. inquit: Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei.

Econtra novus homo dicitur, quatenus habet novam lucem et novos motus excitatos a Spiritu sancto, videlicet agnitionem Christi, fiduciam erga Deum, timorem Dei, invocationem, dilectionem, et similes motus. De hac novitate loquitur Paulus 2. Cor. 3. Nunc retecta facie gloriam Domini intuentes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu. Id est, cum in Evangelio ostenditur nobis misericordia, erigimur agnitione ac fiducia Dei, et sentimus nos Deo curae esse, invocamus. In hac noticia et his motibus agnoscitur et refulget Deus, et nos quadam imagine, id est, noticia Dei renovamur. Nec significat novitas cogitationes et motus rationis sine Spiritu sancto.

Ne igitur regnet.

Conclusio est institutae obiectionis, quae sequitur ex superiore argumento, Quia propter Christi mortem peccatum coepit aboleri, Ergo non regnet, nec sit efficax.

Mortua natura non debet esse efficax, Propter Christi mortem peccatum remissum est, ita, ut simul incipiat propter Christi mortem aboleri, Ergo cum aboleatur, non debet esse efficax.

Dicit autem diserte: Non regnet, ut significet non prorsus extinctam esse vitiosam naturam. Reliquum est igitur peccatum in natura, sed id mortificari coepit, ideo non regnet. Haec verba Paulus ipse interpretatur: Non regnet ita, ut ei obediatis, id est, non obtemperate vitiosis

affectibus, sed repugnate. Sicut et infra dicit: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis.

Hi loci et similes ostendunt discrimen peccati mortalis et venialis. Manent in Sanctis concupiscentia et vitiosi affectus: sed cum his resistunt, et fide petunt ac statuunt sibi condonari haec peccata, fiunt venialia, quia etiam cum adsunt talia, possunt simul existere in piis Spiritus sanctus et fides.

Sed mortalia sunt in his, qui fuerant sanctificati, cum contra conscientiam obtemperant pravis affectibus. Sicut infra dicitur: Si secundum carnem vivetis, moriemini. Et hic: Non praebete membra vestra arma iniusticiae. Praecipit autem, quia cum verbo Dei est efficax Spiritus sanctus, et impellit pios, et nos obsequi impellenti, non repugnare debemus, sicut alibi inquit Paulus: Videte, ne frustra gratiam acceperitis. Iubet, ut donum exerceamus: et in hoc exercitio proficiunt pii, iuxta illud: Haec exerce, ut profectus tuus appareat.

Ita hic significanter ait: Exhibete membra, ut sint arma iusticiae. Vult enim excitare et acuere fervorem. Sicut alibi inquit: Ferventes spiritu. Ut enim non sunt languida membra, non sunt otiosa, quatenus habent impetus veteris naturae, sed sunt vegeta et habent acres impetus. Ita renovatae naturae membra oportuit non esse languida, sed habere acres et veros motus ad benefaciendum.

Et armorum vocabulo usus est, ut significet, in hac militia Christiana acerrimam dimicationem esse oportere adversus diabolum, carnem, et omnis generis insidias et tentationes.

Peccatum vobis non dominabitur.

Respondet tacitae obiectioni. Quando enim audimus concionem de obedientia, statim quaerit pia mens, cum non possimus satisfacere legi. Quomodo placebit nostra obedientia? Ita hic cum Paulus dixisset: Praebete membra vestra arma iusticiae, pii anguntur et disputant, Quomodo placeat illa obedientia, praesertim cum sit infinita dissimilitudo donorum, cum sit magna infirmitas, cum multis ingentibus scandalis nostra obedientia deformetur. Hic respondet Paulus: Peccatum non dominabitur vobis. Non enim estis sub Lege, sed sub Gratia.

Nulla obedientia placet nisi sanctorum, Nostra obedientia non est tanta, quanta sanctorum, Ergo non placet. Respondeo: Nego minorem, quia etsi nostra obedientia re ipsa non est tanta, tamen imputatione est ei similis. Quia credimus in Christum. Deus qualemcunque obedientiam reputat pro perfectione legis, etiamsi dissimilitudo sit in donis. Deus vult esse illam dissimilitudinem etc.

Haec doctrina et consolatio necessaria est piis, ut sciant quatenus et quomodo incoata obedientia placeat, cum sit imperfecta, cum sit magna dissimilitudo donorum, cum innumerabilibus scandalis et terroribus vexemur. Quare sic intelligatur hoc dictum; tanquam consolatio et promissio. Peccatum non dominabitur vobis, id est, non damnat vos, non imputatur credentibus in Christum, sed placet incoata obedientia propter gratiam, id est, quia credimus in Christum, etiamsi est imperfecta.

In eandem sententiam infra inquit: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Ideoque ratio seu explicatio subiicitur: Non estis sub Lege, sed sub Gratia, id est, sub misericordia acceptante vos propter Christum, iuxta promissionem, id est: Credentes placent propter Christum, etiamsi nondum reipsa satisfaciunt legi. Nec habet lex ius iudicandi et damnandi credentes. Sic et ad Galatas inquit: Christus redemit nos a maledicto legis, etc. Haec est simplex et germana huius loci sententia.

Est autem hic prudenter observanda significatio vocabuli Gratia. Tota enim sententia corrumpitur et obruitur ab illis, qui exponunt: Estis sub Gratia, id est, Lege morali, cum lex moralis maxime condemnet. Sed gratia de imputatione intelligatur, qua credentes sunt iusti, id est, accepti propter Christum, quae imputatio in Evangelio annunciatur: et quanquam effectus et renovatio comitantur imputationem, tamen conscientia debet intueri promissam imputationem, et mediatorem Christum, non proprias qualitates aut habitus. Ita haec sententia doctrinam et consolationem amplissimam proponit: Non estis sub lege, sed sub gratia, id est, lex non habet ius condemnandi credentes. Quamvis igitur in credentibus imperfecta est obedientia, placet tamen, quia personae reputantur iustae seu acceptae propter pontificem Christum.

Iam hic amplificanda est misericordia, ut haec ipsa nos exuscitet ad bene operandum. Ingens et ineffabilis bonitas Dei est, quod Deus in credentibus approbat hanc obedientiam, quae tamen mirificam habet infirmitatem et dissimilitudinem, et multis sordibus et scandalis est contaminata. Ergo non debilitet aut deterreat animos dubitatio, sed ipsa magnitudo misericordiae, quae approbat quamlibet infirmos, si tamen credant in Christum etc. Invitet nos ad bene operandum. Hanc doctrinam et consolationem extare in Ecclesia necesse est, ut sciamus quatenus et ubi bona opera reiicienda sint, et quatenus requirenda, et quomodo placeant Deo.

Quid igitur? Peccabimus?

Necessariam occupationem inserit Paulus. Nam illa prior vox: Non estis sub lege, videtur absurdissima, nihil enim magis amant bonae naturae, quam legem. Ideo non potest fieri, quin vehementer offendantur illis velut tribunitiis vocibus, in quibus putant ita abrogari legem, ut concedatur licentia peccandi. Saepe autem alias dictum est, hanc disputationem Pauli prorsus nihil pertinere ad politicam vitam, nec tollere disciplinam aut mores civiles, sed prorsus aliam rem hic agi. Alii facile hic evadunt, qui libertatem referunt tantum ad abrogationem ceremoniarum et politicae Mosaicae, non ad totam legem.

Saepe iam dictum est, Paulum hic concionari praecipue de morali lege, et in summa vult nos liberatos esse a tota lege, quod attinet ad iustificationem, id est, Alia res proposita est, propter quam habemus remissionem peccatorum, et reputamur iusti coram Deo, videlicet meritum Christi. Ita enim liberati sumus a lege, si statuamus nos propter ipsum habere remissionem peccatorum, et reputari iustos coram Deo, non propter legem, Et cum hac imputatione coniuncta est renovatio naturae, poenitentia seu incoata obedientia.

Non igitur concedit Evangelium licentiam peccandi, cum non solum concionetur de imputatione, sed etiam de poenitentia, et incoët novam obedientiam, et ostendat quomodo placeat. Interea tamen manet lex, quod attinet ad disciplinam in vita externa. Item, quod attinet ad arguendam et mortificandam vetustatem, sed ita, ut cum fides vincit, non habeat lex ius damnandi. Ergo simpliciter ita respondeo: Lex est abrogata, quod attinet ad iustificationem, non quod ad obedientiam attinet, id est, obedientia praestanda est, et quidem incoatur. Et tamen sciendum est nos interim propter Christum iustos esse, ut maneat beneficium certum. Haec responsio, meo iudicio, nihil habet perplexi aut intricati, de qua tamen prudentibus permitto iudicium.

Absit. An nescitis?

Paulus diluit obiectionem duobus argumentis, quae ambo sunt a causa finali sumta, vel ab effectu. Christus apparuit, ut aboleret peccatum et mortem, et restitueret naturam, ut instaurata habeat vitam aeternam, quae est nova et aeterna obedientia et sapientia. Cum igitur finis sit illa novitas vel instauratio naturae, necesse est incoari et praestari novam obedientiam, quia illa ipsa novitas spiritualis est illa obedientia, Et in summa Evangelium cum donat reconciliationem propter Christum, simul subiicit nos obedientiae erga Deum, et incoat obedientiam, Ergo necesse est obedire. Nemo non videt hoc argumentum esse aptum, et proprium negotio et ex causa finali sumtum. Hanc ipsam sententiam Paulus reddit syllogismo.

Unusquisque obedit illi, cui iam subditus est:

Vos non estis subditi peccato, sed liberati a peccato, et estis traducti in regnum Dei et subditi Deo:

Ergo non debetis obedire peccato, sed Deo.

Potest accommodari et ad causam formalem, ut si dicas: Sanum corpus habet sanas actiones.

Calidum corpus calefacit, ita in hoc proposito: Iusti habent actiones iustas, Vos estis iusti, Ergo vos quoque debetis habere actiones iustas. Minorem declaro: Etsi enim sumus iusti, id est, accepti imputatione propter Christum, tamen necesse est in nobis etiam incoari ipsam virtutem, iusticiam, id est, obedientiam. Iusticia autem virtus parit iustas actiones. Et tamen interea sciendum est, nos propter Christum pontificem esse iustos, id est, acceptos Deo, non propter dignitatem obedientiae nostrae, seu qualitatis.

Caput VII.

An ignoratis fratres?

Altera similitudo est, quae etiam continet argumentum a causa finali. Ideo reconciliati su-

mus, ut iam Deo obediamus. Sunt autem duae partes collationis. Prior docet qualis natura sit subiecta legi. Posterior pars collationis loquitur de causa finali, scilicet de nova obedientia.

Prior pars haec est, Lex pertinet ad viventem carnalem naturam. Vos autem iam estis mortificati, scilicet si vere estis in Christo. Ergo lex non accusat, non condemnat vos. Maiorem probat similitudine, Sicut mulier subiecta est marito tantisper, donec vivit maritus, ita lex dominabitur viventibus.

Posterior collatio talis est, Sicut mortuo marito mulier nupta alteri, debet ei adhaerere, ita nos liberati a priore servitute, facti iam sumus liberatoris, Ergo ei adhaerere et obedire debemus. Haec est simplex et non perplexa accommodatio.

Prior autem pars significat, liberationem non esse tantum imaginationem, sed fieri mortificata veteri natura, quae prius erat sub lege. Nunc igitur cum alia sit natura, non pertinet ad hanc ius legis, sicut ad veterem, sed quatenus credimus, lex non accusat nec damnat nos. Altera pars illustrior est, scilicet quae loquitur de causa finali, Facti sumus liberatoris, Ergo ei adhaereamus et obediamus.

Mortui estis legi, per corpus Christi, etc.

Conclusio, in qua Paulus accommodat superiorem similitudinem in hanc ipsam sententiam, sicut accommodavit. Mortui estis legi, per corpus Christi, id est, liberati estis a lege, id est, ne damnet, ne accuset vos lex, Et quidem liberati estis per corpus Christi, id est, per victimam Christum, qui pro nobis satisfecit legi, et sustulit condemnationem et aeternam mortem. Praeterea propter mortem Christi instauratur natura, sicut supra dixi: Consepulti sumus per baptismum in mortem, etc.

Cum enim essemus in carne, etc.

Attexit conclusioni antithesin, ut obiter describat: Qualis fuerit prior servitus sub lege, et econtra, qualis res sit illa novitas, quae existit, cum sumus liberati a lege. Talis, inquit, erat servitus, ut lex etiam augeret peccatum. Quia cum accusat et perterrefacit, incenditur dubitatio, et sequitur indignatio adversus Deum et desperatio. De huiusmodi peccatis proprie hic loquitur, cum ait: Affectus peccatorum excitati per legem erant efficaces in membris nostris, id est, dubitatio et indignatio adversus Deum avertunt cor a Deo, prohibent invocationem etc.

Primum enim illa ingens dubitatio, quae in omnium hominum animis haeret, certe est efficax in membris, quia propter illam dubitationem ruunt homines contra voluntatem Dei, ut, quia non confidunt Deo, multa faciunt metu et diffidentia contra voluntatem Dei, in quaerendis opibus, auxiliis etc. Hanc autem dubitationem seu diffidentiam auget lex, quae quia semper accusat, facit ut corda sint aversa a Deo, fugiant Deum, non invocent, non confidant, non expectent a Deo auxilium. Multo magis haec fiunt, et magis conspiciuntur in ipsis terroribus et agone conscientiae: ut in Saul terrores excitati per legem, profecto erant efficaces in eius membris, pariebant indignationem et fremitum adversus Deum, desperationem et mortem, prohibebant invocationem.

Est autem hic locus diligenter observandus, ut discamus illam dubitationem esse peccatum, ut repugnemus et erigamus nos Evangelio, et sciamus esse cultum Dei in illis terroribus repugnare dubitationi et diffidentiae. Sed maxima pars hominum vivit in illa perpetua dubitatione et diffidentia, nec invocat Deum, nec petit, nec expectat quicquam a Deo. Haec arcana peccata non cernunt homines. Sed Christiani ea intelligere debent, ut discant repugnare diffidentiae, et consolari se voce Evangelii, ut concipiant veram fidem.

Paulus usus est admodum significantibus verbis, cum nominat affectus, et diserte dicit eos per legem excitari, et addit, efficaces esse in membris. Hae sunt admodum illustres descriptiones. Sicut in Saule videmus, quam sit vehemens indignatio, quam sint ardentes motus, sic in singulis hominibus dubitatio avertit corda a Deo, et tenet captiva. Haec non dicuntur vulgari iudicio a Paulo, sed spiritualibus oculis intuetur Paulus captivitatem cordium humanorum, et arcanam diffidentiam et dubitationem, quae postea infinita peccata parit.

Eodem pertinet quod postea inquit: Mortui legi, qua captivi tenebamur. Significat enim illam captivitatem, qua corda humana oppressa dubitatione, diffidentia, pavoribus, avertuntur a Deo, fugiunt Deum, nec possunt vere invocare, nec statuunt sibi ignosci. Sed quando au-

dita voce Evangelii erigunt se, et veram fidem concipiunt, tunc incipiunt Deum agnoscere et invocare, et statuunt sibi ignosci, se exaudiri, expectant bona a Deo. Sic de libertate loquitur 2. Corinth. 3. Et hic ait, liberationem ex illa captivitate ita fieri, ut iam corda liberata diffidentia, vere agnoscant Deum. Ideo ait: Ut serviamus in novitate spiritus.

Nunc autem liberati a lege sumus, etc.

Descripsit servitutem sub lege paucis verbis in conclusione proxima, Quod videlicet lex teneat captiva corda, et diffidentiam ac dubitationem augeat, quae pariunt desperationem, blasphemiam, et avertunt corda a Deo, ut ruant in varia peccata.

Deinde addit libertatis descriptionem, et primum inquit, Nos mortuos esse legi, id est, liberatos ab illa captivitate: quia Evangelium affert remissionem peccatorum. Neque enim potest invocari Deus, aut obediri Deo, nisi prius accepta remissione peccatorum: quia donec sumus captivi legis, nec audimus remissionem peccatorum, nondum agnoscitur bonitas Dei, non sentiunt corda nos exaudiri, fugiunt iram Dei et avertuntur a Deo. Sed postquam accepta est remissio peccatorum per Evangelium et agnitionem Christi, tunc incipit obedientia: quia iam agnoscimus voluntatem Dei, quod velit nos exaudire, velit misereri, iam invocamus. Ideo hic dicit, tunc incoari obedientiam, quando a lege liberamur per fidem, id est, quando in Christo iam agnoscimus voluntatem et bonitatem Dei. Docet igitur haec sententia clare: Quod sine fide et extra fidem in Christum, non placeant Deo ulla opera, nec sint iusticia seu obedientia erga Deum, vel cultus Dei, sicut supra inquit: Per quem accessum habemus ad Deum.

Discernit autem novam obedientiam a carnali, et novam vocat spiritualem, alteram vero vocat vetustatem literae. Supra autem dictum est, Literam significare omnes cogitationes, conatus, bonas intentiones, item opera, quae ratio facit sine vero timore Dei, et sine vera fiducia Christi, et sine Spiritu sancto. Sicut Saul habet bonas intentiones, bona proposita, quod velit Deo servire. Item, sacrificat et interea nec timorem habet, nec veram fidem. Sicut contritio quando non est verus dolor, sed accersita moesticia, est litera. Ideo enim dicitur litera, quia non est verus et vivus motus animi, sed est otiosa imitatio interior vel exterior, nec ibi potest esse vera invocatio, ubi cor non apprehendit remissionem peccatorum.

Econtra Spiritus significat veros motus spirituales, scilicet verum timorem Dei et veram fiduciam, quae concipiuntur in vera consolatione, cum scilicet corda in terroribus erigunt se promissione Evangelii, et apprehendunt misericordiam, propter Christum promissam: Ibi cum agnoscunt misericordiam, incipiunt vere invocare Deum, et vere expectare ab eo auxilium, vere diligere etc. Hi motus sunt veri cultus et nova obedientia, de qua hic loquitur. Et sunt excitati a Spiritu sancto, qui in illa consolatione, cum fide erigimur, concipitur. Sicut inquit Paulus Gal. 3.: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Sic igitur discernuntur Spiritus et Litera. Spiritus significat vivos motus excitatos a Spiritu sancto. Litera vero cogitationes, intentiones, proposita et imitationes sine vero motu cordis: et tamen litera ad disciplinam pertinet.

Utitur autem vocabulo Serviamus, non quod nova obedientia sit talis servitus, qualis est iusticia legis, sed ut doceat etiam novam creaturam subiectam esse Deo, et ordinatam ad obedientiam, etiamsi illa obedientia est voluntaria. Sicut ad Ephesios inquit: Ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad bona opera, quae ordinavit Deus, ut in eis ambulemus. Et Esaiae 61.: Vocabuntur arbores iustae, et plantulae Domini ad glorificandum, id est, ut glorificent Deum non afficiant Deum contumelia per scandala.

Quid igitur dicemus?

Absoluta digressione, redit ad illam collationem, quam supra instituit de lege et de gratia. Ac praecipue hic concionatur de usu legis, ut has duas opiniones non tantum in Iudaeis, sed universaliter in omnium animis haerentes, emendet. Omnes enim imaginantur iusticiam legis, quam praestare homo potest, satisfacere legi, et esse iusticiam coram Deo, hoc est, homines nec vident peccatum et corruptionem naturae: nec vident disciplinam, quam utcunque praestant per legem, non satisfacere legi, non esse iusticiam coram Deo. Quanquam autem illas opiniones de lege maxime defendebant Iudaei, tamen sunt communes omnium hominum, et refutantur ab Evangelio, quod docet legem non esse tantum civilem

disciplinam, et lege non esse iustos homines: ideo necesse est Apostolos de hac re concionari. Nec rixatur hic Paulus tantum de ceremoniis, sed de tota lege loquitur, ac praecipue de decalogo, sicut citat ex decalogo exemplum, et disputat neminem legi satisfacere: ideoque omnes accusari a lege, eamque ob causam legem esse ministerium irae et mortis.

Haec necesse est tradi in Ecclesia, ut beneficium Christi fiat illustre, et intelligi possit, quod sit opus Evangelio, quod sit opus gratia et alia iusticia, quam iusticia legis. Quia enim lege non iustificamur, ideo Deus dedit pro nobis filium, et revelat Evangelium, quod velit nobis propter filium gratis ignoscere, nos pronunciare iustos et renovare.

Haec sum praefatus in hunc locum, ut studiosi diligentius considerent, quo consilio haec a Paulo disputentur, quo pertineant, quam necessaria sint. Declarant enim quale sit peccatum haerens in natura, et corruptio naturae. Item quod lex non tantum requirat externa civilia officia, sed perfectam obedientiam. Item quantum efficiat lex, et quod sit opus alio verbo et beneficio Christi. Prosunt item, ut discrimen legis et Evangelii recte et vere intelligatur. Oportet autem horum locorum cognitionem in Ecclesia extare.

Estque eo diligentius consideranda haec pars Epistolae Paulinae, quia etiam veteres in ea explicanda admodum sudaverunt, et pauci dextre et recte tractaverunt. Cum enim non viderent Paulum loqui de agone conscientiae, sed putarent dici de civili usu legis, affinxerunt multas absurdas interpretationes, et nihil ad rem pertinentes. Multum autem interest Ecclesiae, retineri veram huius loci sententiam, quo obruto non satis intelligi potest, quid et quantum sit peccatum originale, quod sit discrimen legis et Evangelii, quid sit gratia et iusticia fidei.

Nunc accedo ad textum. Estque in summa haec sententia: Non sumus iusti lege, quia talis est corruptio naturae, ut legi nemo satisfacere possit. Ideo lex semper accusat. Et cum corda sentiunt hoc iudicium et iram Dei, perterrefiunt et adiguntur ad desperationem et aeternam mortem: ita lex est ministerium irae et mortis, et auget peccatum, videlicet non externum, sed intus auget, id est, armat peccatum, ut nos perterrefaciat et occidat. Sicut ad Corinth. inquit: Aculeus mortis peccatum est, Virtus autem peccati lex est. Et Paulus tanquam diligens doctor addit exemplum de sua experientia.

Initio autem proponit translationem: Quod lex est ministerium mortis, non fit de legis vitio, sed propter nostrum peccatum, quia corrupta natura non potest satisfacere legi: ideo lex accusat nos. Et dat exemplum de praecepto: Non concupisces, Ut moneat, quod lex non tantum accuset externa civilia delicta, sed etiam naturae corruptionem. Ideo usus est his verbis: Peccatum occasione accepta, id est, agnitum per legem, irritavit concupiscentiam, id est, perterrefecit me, et in illis terroribus movet illam dubitationem, diffidentiam, indignationem adversus Deum, ut fugiat cor Deum, et irascatur iudicio Dei.

Sine lege peccatum est mortuum, id est, si lex non accusaret, non existerent illi terrores et confusio conscientiae. Ego autem aliquando sine lege vixi, id est, cum essem Pharisaeus eram securus, arbitrabar me legi satisfacere, me iustum esse. Id enim vocat vivere sine lege, non audire legem ostendentem peccatum et accusantem, non affici accusatione illa, non sentire dolores.

Itaque tres hominum gradus constitue. Unus est carnalium, qui vivunt securi, seu ut Epicurei, seu ut Pharisaei, nec habent veros pavores conscientiae. Tale vitae genus est vivere sine lege, scilicet iudicante, accusante etc. Quia lex in illis non habet suum principalem effectum, ut ostendat et accuset peccatum. Lex enim tunc vere lex est, cum iudicat et accusat, non cum scripta est in parietibus.

Secundus gradus est eorum, qui opprimuntur terroribus et cruciatibus conscientiae: sicut Iudas aut Saul. Hi quia non audiunt vocem Evangelii, succumbunt in his terroribus, et sentiunt se damnari. Ideo hic ait: Veniente lege peccatum revixit, id est, coepit esse efficax et terrere, et ego mortuus sum. Nisi enim Paulus audiret vocem Evangelii, ipse quoque periret in talibus terroribus.

Est igitur tertius gradus illorum, qui eriguntur in terroribus voce Evangelii, sicut supra inquit: Iustificati fide pacem habemus, etc.

His tribus gradibus consideratis, textus Pauli facilius intelligi potest, nam ad primum gradum pertinet, quod ait: Sine lege peccatum est mortuum. Ego autem aliquando sine lege vixi: quia

in securis et otiosis Epicureis aut Pharisaeis nulli sunt terrores, non est agnitio peccati. In talibus peccatum est mortuum, id est, non perterrefacit, non opprimit eos terroribus et sensu damnationis, quia non sentiunt se accusari a lege.

Ad secundum gradum pertinent ii, qui sunt in veris terroribus, quales describuntur saepe in Psalmis, Psal. 38.: Non est sanitas in carne mea, a facie irae tuae. Non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum. Et Esaias inquit: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. In hanc sententiam dixit: Veniente lege peccatum revixit, id est, fuit efficax ad incutiendos terrores, et sensum damnationis.

Ad tertium gradum pertinent, qui in terroribus eriguntur. Manet enim hoc certamen in piis, ut fides luctetur cum pavoribus: ideo Paulus suum exemplum proponit, ut universam Ecclesiam de hoc agone doceat.

Quidam fingunt Paulum non loqui de seipso, sed de persona alicuius impii. Haec imaginatio aperte refutari potest per exempla Psalmorum. Si enim concedimus Davidem hoc ipso modo de sese loqui, cur idem non concedamus de Paulo? Et utriusque exemplum propositum est, ut testetur ista sic geri, et fieri in caeteris piis. In fine repetit Paulus translationem, inquiens, Legem ipsam non esse malam, sed nostrum peccatum, quod lex offendit et accusat, est causa terrorum et damnationis.

Diligenter autem haec particula observanda est, quod ait: Ut peccatum fiat excellenter peccatum. Est autem haec sententia: Peccati magnitudo non cernitur ab otiosis et securis, ut tantisper dum David erat otioso animo, non videbat quam horribilis res esset peccatum, quia securus animus non statuit Deum vere irasci peccato, cumque nondum sentiat iram Dei, non videt id quod praecipuum est in peccato, scilicet reatum, hoc est, quod Deus vere irascatur peccato. Sed quando expavescunt corda, ibi vere statuunt, Deum irasci, tunc vident id quod est proprium et praecipuum peccati, videlicet reatum et iram Dei. Ergo tunc peccatum conspicitur esse vere peccatum, et fit valde nocens, seu vitiosum, seu reum, et adfert damnationem.

Lex spiritualis est.

Diluit tacitam obiectionem. Poterat enim obiici, Quid videatur de illis, qui legi obediunt, Quales sunt non modo hypocritae, quorum est inculpata vita, sed etiam sancti, ut Esaias, Ioannes Baptista etc. De his quaeritur, an non sint lege iusti? An lex non prosit eis ad vitam, hoc est, ad remissionem peccatorum et vivificationem? Hic Paulus respondet: Imo inquit lex est spiritualis, ego autem carnalis, quasi dicat: Neque ego, neque quisquam legi satisfacit, Quia lex est spiritualis, id est, requirens spiritualem et perfectam obedientiam, quam non praestat natura carnalis.

Estque diligenter hoc loco observandum, quid vocet spirituale. Opponit enim politicae seu externae disciplinae, quae vocatur carnalis disciplina et iusticia, quasi dicat: Lex non est tantum doctrina politica, id est, cui externa disciplina satisfacere possit. Sed requirit spiritualem obedientiam, id est, spirituales motus, illustrem agnitionem Dei, timorem, fiduciam, dilectionem Dei, et alios motus pios ardentes sine concupiscentia. Quia vero cor hominis non est tale, ideo lex est ministerium damnans peccatum, et vere perterrefaciens corda.

Aliena est igitur ab hoc dicto Pauli interpretatio Origenis, et similium, qui spirituale putant significare idem quod allegoricum. Et postea totam legem tantum intelligunt esse doctrinam de externis moribus, et putant posse legi satisfieri. Sed nos antithesin teneamus, quod spirituale opponat externae disciplinae, quae est carnalis iusticia, non spiritualis: quia spirituale significat motus agentes cum Deo. Haec igitur antithesis multum lucis addit, cum interpretamur, Lex est spiritualis, id est, non tantum politica, sed requirens spiritualem et perfectam obedientiam. Et ministerium non tamen externum, sed quo Deus iudicat et damnat peccata, et perterrefacit corda. Porro etsi ratio humana tantum intelligit legem de politicis moribus, tamen Evangelium in praedicatione poenitentiae, detrahit humanis cordibus velum Moisi, id est, falsam opinionem de lege, et arguit ipsam iusticiam legis, id est, externa iusticia non satisfieri legi. Et testatur, quod lex requirat perfectam obedientiam etc.

Deinde Paulus declarat institutam propositionem: Lex est spiritualis, Ego autem sum carnalis, cum commemorat se non satisfacere legi, sed habere in carne impetus pugnantes cum lege Dei: addit etiam declarationem, quid velit intel-

ligi per haec verba: Ego sum carnalis, quia subiicit haec verba: Venundatus sub peccatum. Quibus verbis significat naturam non habere spiritualem obedientiam, sed vitiosam esse, et servam seu captivam peccati, id est, corruptam. Hic totus locus declarat, qualis sit corruptio naturae, et quod peccatum originale non sit tantum imputatio, sed reipsa quaedam corrupto in natura. Haec necesse est tradi in Ecclesia, ut agnoscamus peccatum, et e regione magnitudo beneficii Christi cognosci possit. Quare diligenter haec verba expendenda sunt: Venundatus sub peccatum, ut magnitudo peccati et servitus intelligatur, quod videlicet natura vere corrupta et vitiosa sit.

Haec eludunt aliqui, et fingunt Paulum hic loqui, non de sua persona, non de conversis et sanctis, sed de impiis. Haec cavillatio repudianda est. Ut enim David de se et de omnibus sanctis loquitur, cum ait: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Aut cum ait: Ecce in iniquitatibus conceptus sum etc. Ita Paulus de se loquitur, et suo exemplo omnes sanctos complectitur. Cum igitur haec interpretatio Pauli habeat firma et illustria testimonia in Psalmis, est certa, nec affingendae sunt alienae interpretationes.

Significat autem carnalis natura, naturam hominis per sese non intelligentem, nec appetentem spiritualia, id est, dubitantem de Deo, vacuam timore Dei, et securam, et aut contemnentem iudicium Dei, aut irascentem iudicio Dei: et e regione appetentem carnalia, voluptates, opes, gloriam, confidentem non Dei auxilio, quod non cernit, sed praesentibus rebus, ut viribus sapientiae aut iusticiae, Talis est natura humana sine Spiritu sancto. Sed cum fide renovatur per Spiritum sanctum, incipit spiritualis novitas luctari cum carnali corruptione, quae adhuc reliqua est, donec vivimus in hoc corpore mortali.

Quod operor non approbo.

Illud certamen deinde describit Paulus: Quod operor, non agnosco, id est, non approbo: quasi dicat: Sentio meam naturam repugnare legi Dei, me non habere ardentes motus timoris, fidei, dilectionis Dei. Item, in afflictionibus repugnat natura voluntati Dei, cupit excutere afflictiones, et quaerit praesidia corporalia. Incurrunt in animum saepe dubitationes de Deo. Tales interiores motus significat Paulus, cum inquit: Quod operor non approbo, id est, cum illis vitiosis motibus luctatur in me spiritualis novitas, et improbat illa vita.

Non quod volo bonum, id facio.

Hanc pugnam deinde pluribus verbis describit: Non quod volo bonum, id facio, id est: Etsi habeo incoatum timorem, tamen ille impeditur naturali securitate, ne sit tantus, quantus esse debeat. Etsi habeo incoatam fidem, tamen illa impeditur naturali dubitatione, ne sit satis firma. Etsi habeo incoatam dilectionem, tamen illa impeditur concupiscentia, ne satis ardeat et flagret.

Loquitur autem non de levibus affectibus et tentationibus, sed de acerrimis motibus. Ideoque usus est verbis illustribus, nominat militiam et captivitatem, ut significet vehementes motus esse: sicut experimur in calamitatibus, in morte, quam difficile sit obedire. Tota natura fremit, indignatur, et repugnat. Item, dubitatio naturalis et conspectus peccati ita terrent, ut etiam pii opprimantur desperabundi, sicut David saepe conqueritur. Haec captivitas in impatientia et pavoribus perspicue conspicitur. Sed haec peccata interiora non cernunt securi et impii, ideo extenuant peccatum originale et concupiscentiam.

Quare hunc locum teneamus, et falsis opinionibus de lege et peccato opponamus. Hinc discimus, quod legis impletio non sit tantum externa disciplina, quod peccatum originale sit reipsa corruptio quaedam in natura hominis, quae damnatur lege Dei, quod concupiscentia etiam in sanctis sit peccatum sua natura, sed piis credentibus condonatur. Item, quod nec sancti satisfaciant legi Dei. Item, quod sancti semper habeant opus remissione peccatorum. Quod nostra impletio legis, seu dilectio, seu opera non sint digna, propter quae simus iusti, id est, accepti, nec sint digna vita aeterna. Sed fide propter mediatorem Christum accipimus remissionem peccatorum, et imputatione iusticiae, vitam aeternam. Itaque multiplicem doctrinam continet hoc caput, de peccato, de lege, de reliquiis peccati in sanctis. Quare diligenter meminerimus, ubi utendum sit hoc capite, quia multas falsas et carnales opiniones refutat de peccato et de lege.

Praeterea hic reprehendenda est falsa imaginatio illorum, qui fingunt Paulum assumere alienam personam impii in hoc loco, et negant hoc certamen, quod hic describitur, convenire in

personam conversi et sanctificati: quasi in sanctificatis nullae sint reliquiae peccati, aut natura penitus sit renovata, et nulli sint vitiosi motus.

Facile autem illa imaginatio refelli potest consensu scripturarum. Nam et in Galat. similiter describitur hoc certamen in sanctis, cum inquit: Spiritus concupiscit adversus carnem, Caro adversus spiritum. Et saepe in Psalmis, David conversus et sanctus deplorat praesens peccatum, ut in Psal. De profundis etc. Psal. 19.: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Et Psalm. 143.: Non intres in iudicium cum servo tuo, qui non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Ps. 33.: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus etc. Haec testimonia Psalmorum prorsus consentiunt cum hoc loco Pauli, et idem docent, quod hic disputat Paulus, videlicet, Quod nemo legi satisfaciat, quod maneant in sanctis reliquiae peccati, Quod sancti sint iusti, id est, accepti per misericordiam, credentes sibi remitti peccata propter Christum. Sicut igitur in Psalmis, exemplo Davidis, describuntur omnes conversi et sancti in Ecclesia: ita et hic Paulus de se converso et sanctificato loquitur, et suo exemplo describit omnes sanctos in Ecclesia.

Idque ostendunt ipsa verba, cum inquit: Delector lege Dei. Item: Mente servio legi Dei. Item: Velle adest mihi. Nam in impiis etiamsi est noticia aliqua legis, tamen non est illud velle, aut delectari lege Dei, de quo hic loquitur. Non enim frigide intelligenda sunt haec verba: Delector lege Dei, Velle adest mihi etc. Sed testatur Paulus se habere incoatam obedientiam, agnoscere Deum, confidere Deo, non relinqui in dubitatione, sed erigi fide. Item, libenter obedire Deo in afflictionibus. Haec significat verbum Delector lege Dei, quae certe non sunt in impiis.

Rursus etiam hic monendus est lector de discrimine interioris et exterioris hominis, de mente et de carne. Interior homo significat hominem, quatenus renovatus est Spiritu sancto, hoc est, quatenus habet verum timorem et veram fiduciam. Ita et mens non significat hic tantum partem cognoscentem, sed utramque partem, cognoscentem et appetentem, quatenus renovata est Spiritu sancto, sicut inquit: Ego autem mente servio legi Dei.

Econtra exterior homo, seu Caro, significant totum hominem, quatenus non est renovatus Spiritu sancto: et significant non tantum appetitiones sensuum aut externa membra, sed etiam potentias superiores, rationem et voluntatem, quatenus non sunt renovati: sicut infra rursus dicendum est.

Quod inquit: Miser ego, quis me liberabit a corpore huius mortis? vox est non impii et securi, sed conversi, qui versatur in eo certamine, quod est proprium poenitentiae. Hunc igitur locum nobis inter exempla poenitentiae proponamus, et discamus talem esse perpetuam poenitentiam piorum, videlicet agnoscere miseriam cum ingenti dolore, hoc est, expavescere, aliquo modo videntes morbum naturae, quod non sunt ardentes pii motus in nobis. Timor, fides, dilectio frigent, et interim carnales curae et affectus magis eminent, et magna pars vitae directa est ad carnalia consilia: non toto impetu quaeritur gloria Dei. Haec vitia videre debent pii, agentes poenitentiam, ut exclamemus cum Paulo: Quis nos liberabit a corpore mortis huius?

Quia liberabit me, etc.

Est et forma sermonis observanda, quod non inquit: Quis liberabit me ab hac morte, sed a corpore. Non enim de poena tantum loquitur, sed de peccato. Et testatur corpus ipsum, hoc est, hanc naturam carnalem immersam esse peccato et morti. Cum enim nominat Corpus mortis, intelligit naturam immersam peccato, et propter peccatum subiectam morti, hoc est, subiectam irae Dei, poenis, terroribus, morti aeternae etc. Sicut Psalmo 28. dicitur: Propter iniquitatem corripuisti hominem.

Caput VIII.

Hactenus dixit de peccato et de lege. Nunc redit ad descriptionem gratiae. Potest enim quaeri: Si adhuc est peccatum in renatis, quomodo igitur sunt iusti? quomodo fiunt salvi? Hic respondet et declarat amplitudinem gratiae. Dictum est autem supra, quod gratia significet acceptationem gratuitam, quam hic describit negative.

Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Id est, iustificati fide placent Deo propter Christum, etiamsi adhuc in eis haeret peccatum, videlicet concupiscentia et vitiosi affectus. Non enim, inquit, nullum esse peccatum in piis, sed

nullam condemnationem. Et haec est principalis propositio in hoc loco de gratia, estque doctrina simpliciter necessaria in Ecclesia, Quod videlicet renati non propter impletionem legis, aut propriam dignitatem, sed propter Christum fide sint iusti, id est, accepti, quanquam adhuc in eis haeret peccatum, id est, concupiscentia.

Sed in propositione additur: Ambulantibus secundum spiritum. Hoc adiectum est propter duas causas: Prior est, ut ostendat fidem non esse cogitationem humanam, sed motum Spiritus sancti. Altera causa est, ut sciamus hanc fidem non esse in his, qui ambulant secundum carnem, hoc est, qui sunt sine poenitentia, et ruunt in peccata contra conscientiam. Nam in his, quia delectantur peccato, neque contritio est, neque remissio peccati. Docet igitur Paulus, quomodo iustificati placeant, scilicet, non quia legi satisfaciunt, sed quia credunt in Christum: et quod talis fides sit motus Spiritus sancti, et non sit in his, qui ambulant secundum carnem, hoc est, qui sunt sine poenitentia, et indulgent affectibus carnalibus contra conscientiam.

Deinde addit rationem seu declarationem propositionis: Qua lex spiritus vitae etc. Id est, ita iustificatus sum, quia fide, qua apprehendi Christum, liberatus sum a terroribus peccati et mortis. Et haec ipsa liberatio est vivificatio, id est, incoatio novae et aeternae vitae.

Lex spiritus vitae etc., Ergo lex iustificat. Lex significat doctrinam: Diliges Dominum Deum tuum etc. R. Addit, Lex spiritus, Ergo intelligit spiritum gubernantem, id est, illa gubernatio, motus spiritualis, qui vivificat apprehensione Christi, ille motus est spiritus.

Diligenter autem hoc loco vocabula consideranda sunt. Nam lex in his verbis: Lex spiritus vitae etc. non significat doctrinam legis. Inquit enim: Lex spiritus, hoc est, spiritus gubernans, seu movens, seu vivificans. Estque metalepsis, Lex spiritus, id est, gubernatio seu motus spiritus.

Et ut diserte intelligatur fides, quae apprehendit Christum, nec intelligatur aliquod opus legis, ipse Paulus subiicit: Lex spiritus vitae in Christo Iesu, id est, illa gubernatio spiritualis quae vivificat, apprehendens Christum Iesum. Vult igitur nos fide et agnitione Christi vivificari et liberari a peccato et a morte, quasi dicat: Non propter legis impletionem, sed quia apprehendistis Christum.

Facit igitur antithesin, opponit fidem et agnitionem Christi ei, quod proprie lex dicitur, quasi dicat: Fides et agnitio Christi tollit legem accusantem et damnantem. Sicut postea inquit: Liberavit me a lege peccati et mortis. Estque summa sententiae, Iustificatis non est condemnatio, non quia habent legis impletionem, sed quia fide in Christum vivificantur et liberantur a maledictione legis seu a damnatione.

Quia cum impossibile esset legi etc.

Sequitur ratio, in qua iterum proponitur antithesis legis et beneficii Christi. Primum autem Grammatica syntaxis consideretur, et construatur periodus hoc modo. Quia cum impossibile esset legi, scilicet tollere peccatum. Eo quod per carnem lex non poterat fieri: Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati, et per peccatum damnavit peccatum, in carne, ut iustificatio legis impleretur. Haec sententia tota est *διδασκαλική*, et continet praecipua testimonia de lege, de operibus, et de iustificatione, seu de merito Christi. Et primum clare dicit, quod lex non fiat nec impleatur per hanc corruptam naturam. Docet item, quod opera nostra non tollant peccatum, seu non liberent nos a peccato et a morte, Ergo falsa est imaginatio adversariorum, qui fingunt homines mereri remissionem peccatorum per propria opera. Item homines esse iustos propter propriam legis impletionem.

Haec traduntur in prima parte periodi, Cum legi impossibile esset tollere peccatum. Item cum postea ait: Quia infirmabatur per carnem, id est, non poterat fieri per hanc corruptam naturam.

Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati.

Magna est emphasis in his verbis: Misit filium in similitudine carnis peccati. Item: Per peccatum damnavit peccatum. Intelligit enim Christum ita missum esse, ut subiiceretur poenis peccati, doloribus, pavoribus et morti, sicut ad Philippenses secundo inquit: In similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo etc. Et postea vocat Christum peccatum, cum ait: Per peccatum, scilicet Christum, damnavit, id est, sustulit, seu irritum fecit peccatum et damnationem in hominibus, id est: Postquam ipse Chri-

stus factus est hostia pro nobis satisfaciens, nos deinde sumus liberati a peccato et a poena etc.

Est autem primum observanda phrasis, quod ait Christum factum esse peccatum seu hostiam pro peccato. Nam in hoc loco: Per peccatum, vox peccati significat Hebraico more hostiam pro peccato, id est, multam, seu satisfactionem pro peccato, sicut Latini piaculum dixerunt, Graeci *κάθαρμα*. Estque similis significatio, ut in vocabulis maledictum et anathema, quae significant res destinatas ad poenam, ad placandam iram Dei. Ita Esaias de Christo inquit: Quia ponet animam suam peccatum, id est, hostiam pro peccato. Ideo et Paulus toties inculcat, 2. Corinth. 5.: Eum qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, id est, hostiam, quae sustineret poenam peccati, et satisfaceret pro peccatis nostris. Et ad Galat. similiter factum esse ait Christum maledictum, id est, piaculum, sustinens maledictionem et iram Dei adversus peccatum.

Est itaque secundo considerandum, quanta sit humiliatio Christi. Cum enim pro omnium peccatis passus sit, sustinuit iram Dei, et veros terrores adversus peccata, nostra vice, velut infimus et abiectissimus omnium peccatorum, sicut inquit Esaias: Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrûm.

Haec cogitanda sunt, ut timorem et fidem exuscitent, nec existimemus frustra haec facta esse, sed magnitudinem irae Dei adversus peccatum consideremus. Et rursus erigamus fidem, cum cogitabimus, qualis haec hostia fuerit, quomodo sit humiliata, quam horribiliter Deus irascatur peccato, cum voluerit filium fieri talem victimam. Et rursus quantum habeamus pignus misericordiae, quod illa victima iram in se transtulit etc.

Haec omnia proponuntur etiam in illis verbis: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Dicitur enim agnus, quia est victima. Et sacrificia inde usque ab initio mundi significarunt venturam talem hostiam, quae moritura esset pro peccatis humani generis. In textu est *περὶ ἁμαρτίας*, quod potest exponi propter peccatum, id est, propter hostiam, vel pro illa hostia. Estque figura orationis ex Levitico sumta, ubi hostiam pro peccato, Graeci verterunt hac formula *περὶ ἁμαρτίας*. Poteris igitur interpretari, condemnavit peccatum in carne, id est, hominum peccata: Propter peccatum, id est, propter hostiam exhibitam, vel pro peccato, id est, pro hostia exhibita.

Nonnihil etiam ad vocabulorum vim intelligendam, conducent historiae et veteres ritus. Nam *καθάρματα* vocabantur atrocissimis delictis polluti, quos Deus et homines execrarentur, et propter quos videretur pollui natura rerum, et Deus plectere reliquos homines: sicut Atreus, qui dedit fratri liberos edendos, Nero et similia portenta. Tales sunt blasphemi, idolatrae, haeretici, tyranni, incesti, parricidae. Sicut ille in tragoedia inquit: Discedite a me, ne umbra noceat bonis.

Condemnavit peccatum in carne.

Phrasis est Hebraica: Condemnavit peccatum, pro punivit, hoc est, abolevit et extinxit, ut iam irritum esset, vel prorsus non esset reliquum. Dissimilis phrasis est, si dicas: Lege antea fuisse condemnatum peccatum, tunc enim damnare significat, non tollere peccatum, sed reum arguere manens peccatum, et manente reatu et ira. Sed in hoc loco, cum Paulus inquit: Peccatum condemnatum esse propter hostiam Christum, damnare significat tollere, seu extinguere peccatum, et tollere reatum et iram.

Haec dissimilitudo in phrasi observanda est. Itaque haec est sententia: Propter Christum peccatum in carne, id est, in natura hominum est abolitum. Idque dupliciter intelligi debet: Primum imputatione, quia enim remissum est, et non imputatur nobis credentibus peccatum, adhuc haerens in natura nostra, ideo est abolitum, hoc est, irritum, ne accuset, ne condemnet credentes. Secundo, sic abolitum est, ut iam coeperit reipsa extingui, et incoëtur novitas spiritualis, quae erit consummata, cum in resurrectione vestiemur nova natura et iusticia sine peccato.

Eodem pertinet, quod postea sequitur: Ut ius legis in nobis impleatur, id est, ut consummate habeamus id, quod lex requirit, id est, ut iusti reputemur. Primum ergo de imputatione intelligatur, quod fide propter Christum lex in nobis impleatur, scilicet imputative, hoc est: Quod fide propter Christum reputemur iusti, perinde ac si legi satisfaceremus, cum tamen adhuc haereat in nobis peccatum, et procul absimus ab impletione legis. Secundo intelligatur de effectu, videlicet, ut incoëtur in nobis novitas, donato Spiritû sancto, eaque novitas erit perfecta et con-

summata iusticia et obedientia, et impletio legis, tunc cum prorsus deleta hac infirmitate carnis, vestiemur tota novitate spirituali, quae est integra iusticia et obedientia sine peccato.

Sciat autem lector hanc rationem accommodandam esse ad institutam propositionem, videlicet: Nulla nunc condemnatio est his, qui sunt in Christo etc. Nam ut hanc propositionem confirmaret, adiicit sequentia, estque haec summa: Credentes sunt iusti, id est, accepti Deo propter Christum, etiamsi legi non satisfaciunt. Ratio est: Quia enim Christus pro nobis factus est victima, et sustulit peccatum, ideo iam non accusat lex credentes, sed sumus iusti propter Christum fide, perinde ac si legi satisfaceremus. Sicut et in Galat. inquit: Christus liberavit nos a maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Haec est summa accommodationis.

Sed usus etiam cogitandus est, continet enim duplicem doctrinam, ut supra monui. Consolatur pios, ut intelligant, quomodo placeant Deo. Rursus etiam humiliat superbos, ut meminerimus, nos habere peccatum, et non satisfacere legi. Quare repudiandae sunt opiniones adversariorum, de merito condigni, de perfectione etc. Haec de accommodatione et usu monere necesse est. Nam sine usu non potest intelligi amplitudo huius beneficii.

Caeterum in textu additum est: Non secundum carnem ambulantibus, sed secundum spiritum. Hic, ut supra dixi, testatur, quod donetur Spiritus sanctus. Item, quod non retineant iusticiam donatam illi, qui sunt sine poenitentia, et non repugnant carnalibus cupiditatibus.

Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt etc.

Instituitur antithesis, ut discernatur iusticia humana ab hac spirituali et aeterna, de qua concionatur Evangelium. Estque hic praecipua disputatio: Quid vocabulum caro significet. Aliqui enim imaginati sunt, Carne significari tantum appetitiones sensuum. Deinde affingunt rationem et voluntatem legi Dei, etiam sine Spiritu sancto, posse obedire et efficere dilectionem Dei, fidem et similes motus. Et Spiritum intelligunt cogitationes et conatus rationis et voluntatis sine Spiritu sancto. Atque ita transformant Evangelium in philosophiam.

Haec depravatio Paulinae sententiae procul repudianda est, et econtra statuendum, quod caro vere et proprie significet totam naturam hominis, appetitiones sensuum, et rationem et voluntatem sine Spiritu sancto. Et econtra Spiritus significet Spiritum sanctum, aut motus ortos a Spiritu sancto in nobis.

Itaque secundum carnem esse, significat sine Spiritu sancto esse. Et sapere secundum carnem, significat habere cogitationem, seu iudicium rationale, et affectus, sensus et voluntatis, quales sunt sine Spiritu sancto: ut intelligere et appetere voluptates, opes, tranquillitatem, gloriam. Et hic summus gradus est, intelligere civilem insticiam, et hanc plurimi facere et appetere, cum interim cor sit sine timore Dei, plenum dubitatione et ignoratione Dei. Econtra sapere secundum spiritum, est spiritualiter iudicare, et habere motus spirituales, id est, lucem, qua agnoscitur Deus, et veros pavores, ac veram fiduciam luctantem cum dubitatione.

Sensus carnis est mors.

Hic sensus significat cogitationem, et appetitiones sensuum et voluntatis. Nam Paulus complectitur λόγον et ὁρμάς, et loquitur Paulus de cogitatione et appetitione erga Deum. Estque sententia, quod iusticia humana, philosophia, leges civitatum, imo ipsa lex Dei, sicut eam ratio sine fide et sine Spiritu sancto cogitat et conatur facere, sint mors, id est, res non vivificantes coram Deo: imo motus rationis, agentes cum Deo sine fide, sunt etiam peccata, quare vere sunt mors, id est, res damnata.

Neque sequitur inde, Philosophiam aut leges malas esse. Sed philosophia et leges serviunt corporali vitae, et quanquam sunt res bonae, cum suo loco utimur, tamen non vivificant in iudicio Dei, non vivificant vita aeterna: imo nec lex Dei vivificat vita aeterna, ac ne quidem satis intelligitur sine Spiritu sancto.

Sensus spiritus est vita et pax.

Id est, vera consolatio, quae fit fide per Spiritum sanctum, est motus, quo vere agnoscitur, apprehenditur, et invocatur Deus, et concipiuntur nova lux, noticia, vita et gaudium conscientiae. Sicut infra inquit: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba Pater, id est, quo vere agnoscimus Deum. Et hi motus

sunt liberatio a morte aeterna, et incoatio vitae aeternae, sicut Christus inquit, Ioan. 17.: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Tales motus non existunt in hominibus sine fide, et sine Spiritu sancto. Ideo hanc collationem instituit Paulus, ut discernat spiritualem et carnalem iusticiam. Et sequitur ratio, quae declarat, quales sint motus in natura hominis, sine fide, et sine Spiritu sancto.

Sensus carnis inimicitia est adversus Deum.

Hic locus maxime refutat Pelagianos, et omnes, qui imaginantur, homines sine Spiritu sancto legi Dei obedire, imo etiam legi Dei satisfacere. Sed hic error inde oritur, quod putant lege Dei tantum externam disciplinam requiri. Haec imaginatio abducit eos a recta via.

Sciendum est igitur, Lege Dei requiri interiorem obedientiam, et quidem perfectam ac integram. Loquitur ergo Paulus hic de interioribus vitiis, de morbo originis, de ignoratione Dei, de perpetua dubitatione, de concupiscentia. Animus securus sine Spiritu sancto non videt iram et iudicium Dei. Haec dubitatio et securitas est contemtus Dei. Rursus animus perterrefactus, ut in Saul et Iuda, ubi sunt terrores sine fide, et consolatione Spiritus sancti, fugit iram et iudicium Dei, et concipit horribilem fremitum et indignationem adversus Deum.

Itaque Paulus non tantum appetitiones inordinatas sensuum, ut libidines, vel alia nota vitia, odia, rapacitatem, et similia hic accusat, sed multo magis fontes horum malorum, scilicet ignorationem Dei, dubitationem, contemtum, indignationem adversus Deum. Denique omnes impetus pugnantes cum lege Dei complectitur, cum ait: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Usus est Paulus atroci vocabulo, ut cogitet lector multo maiorem esse infirmitatem naturae humanae, quam ut ratio humana possit eam satis videre aut iudicare.

Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

Haec antithesis ideo diligenter observanda est, quia clare ostendit, quid Paulus vocet carnem et spiritum. Quia enim inquit: Spiritus Dei, item Spiritus Christi, satis constat eum loqui de Spiritu sancto, Deo. Ergo econtra caro intelligi debet, quidquid est in homine sine Spiritu sancto, videlicet, non tantum appetitus sensitivus, sed etiam ratio et voluntas sine Spiritu sancto. Est igitur hic locus observandus, ut habeamus testimonium de significatione harum vocum.

Item, manifeste refutantur Pelagiani et similes, qui fingunt homines sine Spiritu sancto esse iustos. Item Scholastici dixerunt, mereri remissionem peccatorum, et gratiam, sine Spiritu sancto. Hic autem erudiantur conscientiae, ut discant effici motus Spiritus sancti per verbum, et quod Spiritus sanctus comitetur verbum. Fiunt igitur motus spirituales, cum in veris pavoribus iterum consolamur nos verbo Evangelii, sicut textus inquit: Fides ex auditu est. Item ad Galatas: Ut promissio spiritus detur per fidem etc.

Si Christus in vobis est.

Quod inquit: Si Christus in vobis est, intelligendum est per Spiritum sanctum, sicut postea inquit: Spiritus eius qui excitavit Iesum, habitat in vobis.

Corpus quidem mortuum est propter peccatum.

Haec sententia docet, quare in sanctis sint reliquae afflictiones, et mors. Poterat enim obiici: Si credentes sunt iusti et filii Dei, et haeredes vitae aeternae, cur adhuc sunt onerati morte et aliis miseriis? Imo nullum genus hominum est calamitosius, quam pii, quia diabolus et mundus exercent adversus eos horribilem saevitiam. Quam ob causam? Paulus respondet: Quia adhuc in carne reliquum est peccatum.

Quanquam igitur in impiis calamitates et mors sunt simpliciter poenae peccati, tamen in sanctis sunt exercitia, in quibus debet crescere novitas spiritualis, et mors est via, qua prorsus exuti peccato, vestiamur nova natura. Hoc discrimen diligenter observandum est, quod in impiis afflictiones simpliciter sint poenae, in sanctis vero exercitia et via, qua aboleatur vitiosa et inquinata caro. Sic ergo intelligatur hic locus: Corpus est mortuum, id est, mortificatur propter peccatum, scilicet praesens, quod adhuc haeret in carne sanctorum, et abolendum est ista morte, ut possimus renovata carne vestiri.

Hic adduntur disputationes de satisfactionibus, An post remissionem culpae, imponat Deus ut claves, poenas aliquas, quae sint compensatio pro morte aeterna. Breviter respondeo: Pote-

stas clavium non habet mandatum imponendi poenas.

Secundo, Etiamsi Deus aliquando imponit poenas, ut Davidi post adulterium, tamen inde non fit regula universalis: et nequaquam sentiendum est, nullum peccatum remitti sine poena, quia promissiones toties inculcant nobis etiam poenarum remissionem. Item, Etiamsi Deus poenas corporales aliquibus imponit, tamen non possunt remitti potestate clavium, ut morbi, bella, et similes calamitates.

Praeterea peculiares afflictiones interdum sanctis imponuntur, ut Esaias est dissectus, Ieremias lapidatus, Ioannes Baptista decollatus etc. Hae afflictiones non sunt poenae pro certis peccatis, sed singularia opera, in quibus Deus vult ostendere suam gloriam. Sicut et Propheta inquit: Etiam innocentes bibent calicem etc. Et huc pertinet disputatio Iob, qui negat se propter peccata affligi. Docet enim pios utrumque, quod propter afflictiones non sint reiecti. Item, quod afflictiones imponantur etiam alio consilio Dei, nec semper sint poenae certorum peccatorum.

Hinc perspicuum est non esse regulam faciendam, quod afflictiones sint satisfactiones, aut poenae pro certis peccatis. Ut igitur afflictiones non sunt semper poenae, ita sine certis poenis saepe remittuntur peccata, sicut promittit Deus in scriptura, agentibus poenitentiam mitigaturum se esse calamitates. Et Paulus inquit: Si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur a Domino.

Postremo illud sciendum est, Etsi imponuntur poenae vel exercitia, tamen non sunt compensationes pro morte aeterna, quia tantum mors Christi est satisfactio et compensatio pro morte aeterna. Sicut scriptum est: Quia ponet animam suam pro peccato. Item: O mors, ero mors tua, etc. Quare opinio adversariorum de satisfactionibus reiicienda est.

Caeterum prodest utrumque inculcari Ecclesiis, et quod puniat Deus peccata, etiam corporalibus poenis, et quod mitiget poenas aut mutet propter poenitentiam. Sunt et docendi pii in afflictionibus, ut sciant afflictiones non esse signa irae, etiamsi essent poenae, et tamen ne quidem semper poenas esse, sed exercitia aut singularia opera, in quibus Deus vult nos agnoscere infirmitatem nostram, et rursus fide et invocatione erigi, ut crescat novitas spiritualis. Ita Ecclesia est subiecta afflictionibus, sicut infra rursus dicetur: Oportet nos fieri similes imaginis filii Dei. Et hic ait, Ecclesiam subiectam esse morti, propter praesens peccatum, ut aboleatur vitiosa caro. Et tamen addit, esse liberatos a morte credentes, scilicet, quia vivant spiritu, et Deus rursus sit vivificaturus corpora.

Epilogus.

Itaque in hac collatione haec tradidit, Humanam naturam non posse satisfacere legi Dei, quare iusticia carnalis non est iusticia coram Deo, nec vivificat. Etiamsi autem in sanctis est reliqua caro, tamen placent Deo propter Christum, et sunt liberati a morte, ita ut spiritu vivant, quia Christus in eis est efficax, et incepit eos vivificare Spiritu sancto. Caro autem propter peccatum morti destinata est, ut abolita vetustate, rursus vestiamur carne, in qua nihil sit vitii.

Proinde continet hic locus multiplicem doctrinam. Primo, quod humana natura non possit satisfacere legi Dei. Secundo, quod iusticia carnalis, nec iustificet nec vivificet coram Deo. Tertio, quomodo placeant sancti, et liberentur a morte, etiamsi adhuc haeret in eis peccatum. Quarto, propter quam causam Ecclesia sit subiecta afflictionibus et morti. Quinto, quid vere significent vocabula Carnis et Spiritus.

Fratres, debitores sumus, etc.

Hactenus absolvit doctrinam de iustificatione. Nunc igitur necesse est addi doctrinam de nova obedientia. Nam et haec pars in Ecclesia extare debet, ut intelligatur, qualis sit obedientia in sanctis, et quale sit peccatum, propter quod excidant gratia, et amittunt fidem et Spiritum sanctum.

Instituit ergo Paulus propositionem: Debitores sumus, ne obediamus carni. Nam cum fide renascimur, incoatur novitas spiritualis, quae est incoata obedientia erga *Deum*, seu legis incoatio in cordibus. Ut scriptum est: Dabo legem meam in corda eorum. Ergo iam illa novitas habeat suos effectus, agnoscat Deum et ei obediat, et repugnet motibus carnis, qui rapiunt contra voluntatem Dei.

Dicit autem diserte: Debitores sumus. Hanc vocem opponit male intelligentibus libertatem evangelicam, quae liberat, ne accusemur a lege, non liberat, ne obediamus. Manet enim aeterna et immutabilis ordinatio, ut obediamus Deo, et

Evangelium non modo incoat obedientiam, sed etiam subiicit nos obedientiae erga Deum.

Nam si secundum carnem vixeritis, etc.

Propositioni addit duas rationes. Prima est sumta a poenis. Et hic locus eo observandus est, ut teneamus discrimen peccati mortalis, et venialium, hoc est, talium, quae existunt in sanctis. Quia enim inquit: Si actiones carnes spiritu mortificabitis, vivetis, testatur esse in sanctis aliquas actiones vitiosas, videlicet concupiscentiam, et vitiosos affectus multiplices, dubitationem de Deo, non ardere timore Dei, fide, dilectione, segnitiem in invocatione (quod illi vocarunt ἀκηδίαν) impatientiam, flammas libidinum, non obtemperare superioribus, incendi cupiditate vindictae, odio, avaritia etc. Tales morbi in sanctis, etsi sunt sua natura peccata mortalia, id est, digna morte aeterna, tamen credentibus in Christum condonantur, qui et repugnant his morbis, et fide apprehendunt mediatorem Christum, sic fiunt venialia, id est, condonata.

Econtra vero mortalia fiunt, cum ii, qui fuerant sanctificati, indulgent et obtemperant talibus affectibus, nec repugnant et sunt sine poenitentia. Tales enim amittunt fidem et Spiritum sanctum, et damnantur aeterna morte, nisi redeant ad poenitentiam. Sicut David factus adulter, erat sine fide et sine Spiritu sancto, et periisset, nisi postea per poenitentiam restitutus esset.

Huc pertinet dictum hoc loco: Si secundum carnem vixeritis, id est, si obtemperabitis vitiosis affectibus, moriemini. Et eadem sententia saepe repetitur in scripturis, Matth. 5.: Nisi abundaverit iusticia vestra super iusticiam Pharisaeorum etc. 1. Ioan. 3.: Omnis qui non facit iusticiam, non est ex Deo. 1. Corinth. 6.: Ne erretis, scortatores, idolatrae etc. regnum Dei non possidebunt. Galat. 5.: Talia facientes, regnum Dei non possidebunt. Coloss. 3.: Propter quae venit ira Dei super inobedientes etc.

Sed hic quaeritur de gradu, Quando lapsus illi fiunt mortalia peccata? Primum hic gradus haud dubie est peccatum mortale, cum ruunt homines contra conscientiam adversus mandata Dei: ideoque Paulus describens, qualis sit vita sanctorum, constituit hunc gradum, ne agant contra conscientiam. 1. Tim. 1.: Summa mandati est, dilectio ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Ergo cum adversus mandata Dei committuntur facta contra conscientiam, aut cum non repugnatur vitioso affectui, fiunt peccata mortalia. Hic gradus manifestus est.

Sed citra hunc gradum etiam incidunt lapsus obscuriores, quorum multi fiunt peccata mortalia, quos ratio non satis iudicare potest, quale fuit Davidis erratum, quando iussit numerari populum. Verum et hi lapsus condonantur redeuntibus ad fidem, sed donec manet propositum agendi contra conscientiam, non potest adesse fides, quia impossibile est fidem existere cum mala conscientia. Fides enim est fiducia, quae statuit, quod Deo placeamus propter Christum. Huic fiduciae repugnat mala conscientia, quam parit propositum agendi contra mandata Dei.

Haec de discrimine peccatorum Paulus hic tradidit. Quare hunc locum diligenter meminerimus, et caveamus, ne amisso beneficio Christi, ruamus in exitium, sicut et Petrus inquit: Studete firmam facere vocationem et electionem vestram, id est, perseverate in hac novitate, quam consecuti estis, ne vocatio et electio, qua ex mundo segregati estis, ab impiis rursus fiat irrita.

Qui spiritu Dei ducuntur.

Alterum argumentum a causa efficiente sumtum est. Spiritus sanctus est efficax in iis, quibus donatur: Vos accepistis Spiritum sanctum, Ergo sit in vobis efficax. Maiorem hic Paulus recitat: Quicunque ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei. Estque usus verbo Duci, ut intelligamus efficacem esse Spiritum sanctum, non otiosum. Quare non est repugnandum moventi Spiritui sancto.

Non enim accepistis spiritum servitutis. etc.

Postea declarat, quales sint motus Spiritus sancti, et discernit hoc novum verbum, scilicet Evangelium a Lege. Nam lege perterrefacti, si non accedat consolatio, ruunt in desperationem, fugiunt Deum, non invocant. Hos terrores, dubitationem et fugam vocat Spiritum servitutis in timorem. Econtra vero cum Evangelio et fide eriguntur animi, concipiunt Spiritum sanctum vivificantem, et agnoscunt iam Deum placatum esse, et velle exaudire. Illa vero consolatio in veris pavoribus, est motus et testimonium Spiritus sancti. Sentit ergo Paulus aliud verbum iam revelatam esse, quo efficimur filii, donata remissione peccatorum, et donato Spiritu sancto.

Quod autem nominat filios adoptatos, discernit a Christo reliquos sanctos, idque discrimen tenendum est, ut sciamus Christum natura filium Dei esse, et aequalem patri, et consubstantialem, sicut scriptum est: Vidimus gloriam eius tanquam unigeniti a patre etc. Sed sancti sunt adoptione filii, quia propter Christum recepti sunt, et donantur Christi donis, scilicet spiritu, et nova vita, sapientia et iusticia etc.

In quo clamamus Abba Pater.

Donec conscientia sine fide est, in pavoribus desperabunda, fugit Deum, dubitat, an exaudiat, an respiciat etc. Non invocat Deum. Ideo Paulus consolationem et invocationem coniungit, et tantum his tribuit, qui iam per Evangelium fide eriguntur. Nam cum ait: Clamamus Abba Pater, hoc significat, Iam agnoscimus Deum esse patrem, et vere nos exaudire, et hac fide concipimus consolationem, et invocamus Deum.

Haec fides et agnitio misericordiae Dei facit proprie discrimen inter Christianos et impios, quia in impiis manent dubitatio et indignatio adversus Deum. Sed in credentibus fides est nova agnitio misericordiae Dei, et repugnat dubitationi, et statuit nos vere propter Christum exaudiri. Haec ipsa fides est consolatio et vivificatio, et testimonium Spiritus sancti in cordibus, de quo hic loquitur: Spiritus dat testimonium spiritui nostro, id est, Spiritus sanctus per verbum Evangelii efficit consolationem in veris pavoribus.

Davidi peccata fuerunt remissa, ergo nullum habuit mortale peccatum. Item, David ab aeterno fuit ordinatus, praedestinatus, Ergo omnia peccata fuerunt ei venialia, et nullum habuit mortale. Respondeo: Non est iudicandum secundum electionem vel praedestinationem, sed secundum praesens verbum. Hoc docet Davidem, quod adulterium sit peccatum mortale, et nisi agat poenitentiam, non remittitur ei. De peccato ergo et iusticia est iudicandum secundum praesens verbum, non secundum electionem et voluntatem non revelatam. Illae cogitationes de praedestinatione sunt removendae, non congruunt ad sententiam Pauli, qui pronunciat esse secundum istam doctrinam iudicandum etc.

Si autem filii, et haeredes etc.

Postquam tradidit doctrinam, quod oporteat existere novam obedientiam, attexit gradationem de glorificatione, quae sequitur iustificationem. Et huic loco admiscet propositionem de afflictionibus, quod illa nova obedientia versetur inter afflictiones, quia repugnat carni, diabolo et mundo, hoc est, toti regno peccati.

Quod autem dicit, cohaeredes Christi, si quidem simul affligimur. Haec propositio describit necessitatem, quasi dicat: Necesse est pati, cum et Christus passus sit. Et illo verbo complectitur totam novam obedientiam, versantem inter afflictiones. Nec sequitur: Si patimur, glorificabimur, Ergo nostrae afflictiones sunt pretium vel meritum vitae aeternae. Sic enim fieret incerta promissio, quia nemo est satis patiens, nemo satisfacit legi. Item Paulus clare inquit: Gratis salvati estis. Et Christus: Dicite, servi inutiles sumus. Et hic: Non sunt dignae afflictiones ad futuram gloriam etc. Et Augustinus inquit: Vita aeterna nullis humanis meritis redditur, sed Dei donantis gratia largiente donatur. Retinenda est igitur haec sententia, quod nostra obedientia vel afflictiones non sunt meritum, vel pretium vitae aeternae. Sed quod fide gratis propter Christum efficiamur filii et haeredes vitae aeternae, ita manet certitudo.

Quid igitur ponit conditio: Si compatimur? Respondeo: Non pretium aut meritum, sed necessitatem, quia illa obedientia est illa ipsa novitas, qua incoatur in credentibus vita aeterna, iuxta illud, 2. Corinth. 5.: Si non nudi inveniemur. Vel est necessaria, tanquam effectus necessario sequens iustificationem.

Existimo autem, quod non sunt condignae passiones huius temporis etc.

Instituit autem amplissimam et ornatissimam consolationem, quam poteris distinguere in sex argumenta.

Primum sumtum est ab exitu afflictionum, estque simile loco a praemiis. Ingens gloria nobis reddetur pro his afflictionibus, Ergo patienter expectemus exitum et liberationem.

Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit etc.

Secundum argumentum, ab exemplo Creaturarum. Tota rerum natura subiecta est corruptioni, et abusui impiorum interea donec liberabitur, Ergo et nos expectemus liberationem.

Estque hic sublimis aliquis in Paulo motus, quo intuens horribilem confusionem vitae huma-

nae, et omnium rerum corruptionem, caedes, bella, vastitates, et caetera mala mundi. Videt quanta sit potentia peccati, quanta tyrannis diaboli, et quam indignum sit naturam rerum subiectam esse diabolo et morti, propter peccatum hominis.

Hic primum considerandus est affectus piorum in omni afflictione. Mora cruciat animos, et quod non providemus modum liberationis. Item, Aerumnae crescunt assidue. Sic etiam cruciantur animi piorum publica cura, cum vident ingentia pericula Ecclesiae, et vident differri liberationem, et crescere mala.

Sive igitur privatae afflictiones sunt, sive publica causa dolemus, proponit consolationem ab exemplo coeli et terrae, et totius naturae, quae est subiecta abusui impiorum. Tyranni tenent imperia, Impii fruuntur opibus mundi, Ecclesia vero, cuius causa omnia condita sunt, trucidatur, non conceditur ei vitae, lucis, aut aliarum creaturarum usus. Sunt autem conditae res, ut serviant piis ad gloriam Dei. Quare cum sint in horribili abusu, et propter peccatum Adae sint subiectae corruptioni, expectant et ipse creaturae liberationem.

Est igitur haec consolatio, Coelum et terra sustinent ingens onus, scilicet abusum impiorum, et tamen expectant liberationem, Ergo nos una perferamus has communes aerumnas, et toleremus moram: etsi enim differtur liberatio, tamen aliquando continget nobis.

Paulus est usus admodum significantibus verbis, et fecit prosopopoeiam, Creatura una gemit et parturit. His verbis significat creaturas sustinere iniuriam, sed dolor istius iniuriae pervenit ad Ecclesiam, in quam simul saeviunt impii, saevientes in creaturas: ut cum tyranni et impii rapiunt creaturas, et persequuntur Ecclesiam.

Sed et nos ipsi primitias spiritus habentes.

Tertium ab exemplo Apostolorum. Nos qui excellentiora dona habemus, affligimur? luctamur cum conscientia peccatorum nostrorum, scandalorum, cum terroribus diaboli, cum infirmitate nostra, cum externis periculis et persecutionibus, et expectamus liberationem. Quare vos quoque expectetis.

Spe enim salvati sumus.

Quartum argumentum a definitione spei. Spes est earum rerum, quae nondum sunt praesentes: Spe salvi facti sumus, id est, spe liberati sumus a morte et omnibus malis, Ergo nondum praesto est illa liberatio a morte et caeteris malis.

Sed hic quaerendum est, an non in praesentia simus liberati a peccato? Respondeo: Imputative sumus in praesentia iusti et liberati a peccato. Sed manet adhuc in natura morbus, a quo sumus liberati in spe, id est, speramus integram novitatem. Ideo reipsa adhuc laboramus infirmitate, et exercemur terroribus peccati, et aliis afflictionibus. Sed inter has aerumnas erigere nos debemus et statuere, quod in praesentia habeamus remissionem peccatorum, et imputatione simus iusti, et placeamus Deo propter Christum. Sicut supra inquit: Iustificati fide pacem habemus.

Et hic cernitur insignis differentia fidei et spei. Fides in praesentia accipit remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae. Spes autem aliud obiectum habet, videlicet, expectat integram liberationem.

Ac de spe praecipue haec duo tenenda sunt. Primum, quod sit praeceptum, sperare vitam aeternam. Nam qui non expectat promissa, is negat Deum veracem esse. Ideo ut tribuatur Deo gloria veritatis, necesse est sperare promissa. Sciendum est autem, spem non esse dubitationem, sed repugnare dubitationi, eamque vincere.

Sed obiiciat aliquis, Agnosco praeceptum, sed requiritur conditio meritorum, seu dignitatis nostrae, an etiam indigni sperare salutem debent? Haec quaestio praecipue exercet animos, et excutit spem. Haec vox est vox legis, et chirographum in mentibus nostris, quod damnat nos, ac prohibet sperare, quia sumus indigni.

Est igitur haec secunda doctrina maxime necessaria, videlicet, sciendum est spei causam esse, non merita nostra, nec dignitatem nostram, sed gratuitam promissionem Christi. Mandatum est, ut speremus salutem, et mandatum est, ut non propter nostram dignitatem, sed gratis speremus propter Christum, quia vita aeterna datur propter Christum credenti, non propter dignitatem nostram. Ergo etiamsi sumus indigni, tamen spes gratuita tenenda est, et agnoscenda indignitas. Atque ita accipiendae sunt sententiae de spe.

Ideo iubet Deus sperare, quia indignitas nos deterret. Ergo non est abiicienda spes propter indignitatem, imo opponenda est indignitati propter promissionem.

Sic Psalmo 42. agnoscit et fatetur indignitatem. Deinde opponit spem: Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quia adhuc confitebor illi.

Sic Psalmo 130. initio confitetur peccatum: Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit? Deinde sustentat se spe: Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino. Quia apud Dominum misericordia etc.

In talibus dictis semper intelligatur, spes ex gratuita promissione pendere, non ex conditione meritorum et dignitatis nostrae, seu ex conditione legis. Ita dulcescent illae sententiae, et parient veram et efficacem consolationem. Et haec spes in invocatione exercenda est, sicut Psalm. 28. dicitur: In ipso speravit cor meum, et adiutus sum. Et Psal. 34.: Beatus vir qui sperat in eo etc. Et Psal. 25.: Universi qui te expectant, non confundentur. Psalm. 4.: Sacrificate sacrificium iusticiae, et sperate in Domino.

Hactenus de quarto argumento dictum est, videlicet, quod in praesentia simus liberati, quod ad imputationem attinet. Deinde quod simus spe liberati, quod attinet ad integram novitatem. Dictum est etiam id, quod de spe maxime moneri necesse est, scilicet, quod praeceptum sit, ut speremus promissa, et quod non assuenda sit conditio dignitatis nostrae, seu meritorum. Sic igitur definienda est spes. Spes est certa expectatio promissae salutis propter Christum credentibus, non propter dignitatem nostram.

Per patientiam expectamus.

Diserte inquit: Per patientiam expectamus, ut significet non tantum differri liberationem, sed ita differri, ut interea magna et ingentia certamina sustinenda sint. Sancti vexantur terroribus peccati, insidiis diaboli, scandalis, persecutione, et variis casibus, quibus fides concutitur, et in aliquibus extinguitur. Ut igitur haec pericula prospiciamus et intelligamus, et ut praeparentur animi ad haec certamina, addi iubet spei patientiam.

Hic considerandum est, quid proprie significet patientia, quod ex collatione magis intelligi potest. Primum igitur dicam, quid Philosophis significet patientia. Est enim patientia, iuxta iudicium rationis, quaedam obedientia erga rationem, quae moderatur dolores, et prohibet, ne dolore, ira, aut cupiditate aliqua victi, faciamus contra iusticiam. Sicut impulsus Saul dolore acceptae cladis, sibi conscivit mortem. Catilina indignatione concepta propter repulsam, movit bellum civile. In talibus exemplis conspici potest, quid sit impatientia: e regione igitur Philosophi vocant patientiam quandam moderantem dolorem, et prohibentem, ne ruamus contra iusticiam.

Sed longe plures circumstantiae sunt in Christiana patientia. Primum causae differunt. Hic enim tres causae aliae sunt. Prima est mandatum Dei. Oportet enim scire omnes, quod mandatum Dei sit, ut obediamus in afflictionibus, et quod indignatio, seu impatientia inflictionibus sit peccatum. Ideo praecipit Christus: In patientia possidete animas vestras. Et Psalm. inquit: Irascimini, et nolite peccare, id est, cum irascimini, cum in afflictionibus fremit natura, nolite succumbere, sed vincite indignationem. Et Paulus inquit: Pax Dei gubernet corda vestra.

Secunda causa est Evangelium, quod interpretatur afflictiones non esse signa irae Dei. Haec causa est ignota rationi et legi, tantum revelatur in Evangelio. Tunc igitur potest obedientia praestari, cum mens non tantum intuetur mandatum Dei, sed etiam alterum obiectum videt, scilicet, res ipsas non esse signa irae, sed bonae voluntatis Dei. Hic de afflictionibus colligenda sunt illa, quae supra dicta sunt, quod non eveniant casu, quod non sunt signa irae Dei etc.

Tertia causa est promissio auxilii, quae minuit et levat speciem mali in afflictionibus. Ideo enim David obtemperat, quia et videt non esse signa irae, et expectat liberationem. At philosophica patientia sine spe auxilii est, amissis humanis praesidiis.

Est igitur Christiana patientia quaedam obedientia in afflictionibus, sed propter mandatum Dei, ad quam accedit fides, quae iuxta Evangelium, sentit afflictiones non esse signa irae, et expectat et petit auxilium, iuxta illud: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me etc. Talem patientiam hoc loco describit Paulus. Postulat enim non solum, ut obediamus in afflictionibus, sed etiam ut statuamus nos non

esse abiectos. Item, ut invocemus. Item, ut expectemus auxilium.

Ideo ipse statim attexit quintum argumentum de auxilio Spiritus sancti, et de invocatione, quasi dicat: Talem patientiam requiro, in qua simul invocetis et speretis auxilium, quod quidem promissum est vobis. Sicut Christus inquit: Non relinquam vos orphanos etc.

Similiter autem et Spiritus adiuvat infirmitatem etc.

Quia supra dixit de patientia, et de spe, addit quintum argumentum, sumtum ab auxilio. Ut enim patientia retineri posset, ut invocatio et spes non excutiantur in tanta magnitudine afflictionum, in tanta infirmitate humani cordis, quod est plenum dubitatione. Necesse est etiam ostendi auxilium. Itaque sic argumentatur: Deus vere adest et adiuvat nos in afflictionibus, Ergo non succumbamus, non abiiciamus fidem et confessionem victi desperatione.

Hic prodest habere collectas, et in conspectu similes promissiones, ut: Petite, et accipietis, quanto magis pater vester daturus est Spiritum sanctum petentibus: Venite ad me omnes qui laboratis: Non relinquam vos orphanos: Rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.

Quomodo autem datur Spiritus sanctus, et quomodo est efficax? Respondeo: Cum sustentamus nos verbo in ipsis certaminibus, et invocamus Deum. Haec duo Paulus hic coniungit, sicut in Psalmis saepissime dicitur: Sustinuit anima mea in verbo eius. Item de invocatione Psalmo 4.: Cum invocarem, exaudivit me Deus insticiae meae. Et Christus inquit de invocatione: Dabit Spiritum sanctum petentibus.

Describit autem Paulus hic brevibus verbis ingens certamen, quod sustinet infirmitas nostra. Nam in periculis, persecutione, morte, et quibuscunque afflictionibus, ac aerumnis corporalibus aut spiritualibus, natura aegre obtemperat, ac statim eas excutere cupit. Ideo Paulus inquit: Nescimus quid oremus, scilicet, cum naturali imbecillitate petimus nos statim liberari, et impatienter ferimus crucem. Interea tamen Spiritus sanctus efficit, ut aliqua ex parte obediamus et invocemus. Hanc obedientiam et invocationem vocat Paulus gemitus inenarrabiles. Spiritu enim subiicimus nos Deo, et iuxta voluntatem Dei petimus liberationem, non iuxta carnale desiderium.

Loquitur autem Paulus de vera et ingenti lucta, non de frigidis et otiosis cogitationibus. Ideo haec a securis non possunt intelligi, sed singuli pro suo modo in suis tentationibus, aliqua ex parte experiri debebant in invocatione vim huius consolationis. Nihil enim maius promitti potest, quam praesentia et efficacia Dei: haec enim promittitur, cum promittitur Spiritus sanctus.

Porro suppeditat nobis et hic locus testimonium contra Pelagianos, qui imaginantur, sine Spiritu sancto homines fieri iustos et salvos. Hic contra Paulus aperte testatur, dari Spiritum sanctum, et hos motus, fidem et invocationem excitari agitante et movente Spiritu sancto.

Scimus autem, quod diligentibus Deum etc.

Sextum argumentum ab exitu sumtum est. Deus non aliter glorificat, nisi per afflictiones, Ergo tolerate eas, cum sint via ad glorificationem. Antecedens probat, proposita imagine Christi. Oportet nos similes fieri imaginis filii Dei est glorificatus per passionem, Ergo et nos oportet affligi. Et haec est praecipua consolatio piorum, intueri hanc imaginem filii Dei.

Nulla philosophia et nulla humana sapientia videre potest, quare haec infirma natura humana istis ingentibus calamitatibus onerata sit. Ratio disputat, Utrum casu accidant. Lex Dei clamitat esse poenas peccati, et signa irae Dei, quae testentur nos obiectos esse.

Sed Evangelium utrumque errorem reprehendit, et proponit nobis filium Dei: hinc testatur non casu, sed certo consilio Dei, nos subiectos esse afflictionibus, non ut pereamus, sed bona voluntate Dei, ut exerceamur, ut cum Deus nos consolatur, crescant in nobis fides et agnitio Dei. Haec sapientia de causa et fine humanarum calamitatum prorsus est supra et extra captum rationis, et tantum in Evangelio revelatur, et praecipue in hac imagine filii Dei conspicitur.

Quos elegit, eosdem et vocavit etc.

Quare autem orditur ab electione? Quos elegit, eosdem et vocat, deinde iustificat et glorificat etc. Respondeo: Totum ordinem complecti voluit, quo Ecclesia condita est a Deo. Ac primum monet electionem esse causam vocationis, non humana merita aut iusticiam legis. Hoc ideo

prodest scire, ut teneamus consolationem contra opinionem meriti, item contra illum populum, qui sibi falso arrogat titulum Ecclesiae, propter iusticiam legis etc. Necesse est enim nos statuere, quod sit Ecclesia electa, non propter dignitatem et merita humana, non propter iusticiam legis, non propter autoritatem humanam, non propter praerogativam successionis. Idem sciendum est, quod illa Ecclesia, quae titulum habet, persequitur veram Ecclesiam. Quare initio monet esse aliquam electam Ecclesiam, ut intueamur et agnoscamus veram Ecclesiam.

Statim autem attexit de vocatione, ut deducat nos ad verbum, et hic monet vocationem non esse irritam. Sed Deus huic suae vocationi vere adest, iustificat et glorificabit vocatos. Vult igitur nos intueri vocationem, ac meminisse, quod sit divinitus facta; ut in ea perseveremus, quia Deus huic suae vocationi et suo verbo adfuturus est.

Quid igitur dicemus?

Septimum argumentum occurrit praecipuae quaestioni, sumtum est enim ab obiecto et causa pavoris. Nam causa pavoris et desperationis est, quod inter afflictiones etiam terret nos conspectus nostrorum peccatorum, et iudicamus Deum nobis irasci.

Huic quaestioni hic medetur Paulus, et ostendit aliud obiectum apprehendendum esse, et sic argumentatur: Deus testatur se nobis esse propicium dato filio, et quidem ille assidue pro nobis interpellat, Ergo non abiiciamus fidem et spem liberationis. Quid dicemus ad haec? id est, quid amplius, aut maius ad consolationem proponi potest, quam quod habemus Deum faventem? Id amplificat addito pignore gratiae, scilicet, quod dederit pro nobis filium. Et clare addit, ne peccata deterreant nos: Quis accusabit? quasi dicat: Etiamsi sentimus nos indignos esse, et adhuc habere peccata, et ingentem infirmitatem ac immunditiem, tamen nemo accusabit nos, postquam propter pontificem Christum iusti, id est, accepti sumus. Ideo inquit: Deus est qui iustificat, id est, iustos pronunciat. Et iustificat nos propter interpellantem Christum.

Ita amplificat hanc sententiam mentione mediatoris Christi, ac facit mentionem primum Mortis, deinde Resurrectionis, tertio Regni, quarto Pontificatus. Haec breviter commemorat, quae tamen non sunt obiter tantum aspicienda.

Primum de morte et sacrificio concionatur, ut admoneat summam contumeliam esse, ullum peccatum pluris facere, quam hoc sacrificium.

Secundo, Christus resurrectione sua vicit universam diaboli potentiam. Hanc victoriam sciamus efficacem esse, et nobis quoque profuturam.

Tertio, regnum non est otiosum: Sedet ad dexteram patris, et potentia divina credentes servat, sustentat et vivificat, modo ne deficiamus ab eo.

Quarto addit pontificatum et intercessionem Christi. Nec vero ulla est dulcior consolatio, quam agnoscere Christum pontificem, et interpellatorem esse pro nobis. Esset autem adversus pontificatum Christi, contumelia, si existimaremus eius intercessionem irritam esse. Item, si nostram invocationem non adiungeremus ad eius intercessionem.

Quis igitur separabit nos?

Conclusio est proximi argumenti. Cum Deus tantopere diligat nos, nequaquam abiiciet nos, etiamsi sumus infirmi, et exercemur omni genere afflictionum. Nam dilectionem Dei vocat, qua Deus nos diligit, sicut postea interpretatur ipse Paulus: Propter eum, qui diligit nos. Repetit enim Paulus in fine consolationis hanc propriam et principalem Evangelii vocem, quod Deus diligat nos, quia est efficacissima consolatio in omnibus afflictionibus, imo in omni invocatione, sed procul posita supra cordis humani sensum, quod est plenum dubitatione et pavore, et non audet statuere nos diligi a Deo. Exaggerat igitur Paulus hanc consolationem multis verbis, quasi dicat: Non frangat vos magnitudo afflictionum, sed hanc consolationem in omnibus terroribus intuemini, quod Deus certo vos diligat. Nec est opus prolixa interpretatione in hac particula, sed in vita et in invocatione discamus, quod requirat Deus, ut statuamus nos diligi, et exuscitemus nos, et hac fide vere invocemus eum.

Admonendi sunt hic lectores, de ineptis quaestionibus, hoc loco agitatis. Disputaverunt enim Scholastici, An iustus possit amittere suas virtutes, cum Paulus dicat: Quis separabit nos a dilectione? Quasi hoc velit, Quomodo poterimus amittere nostram dilectionem? putabant enim dilectionem interpretandam esse de nostris virtutibus, hoc est, de dilectione, qua nos diligimus

Deum. Sed haec intempestiva interpretatio reiicienda est. Et constat sanctos posse labi, et amittere Spiritum sanctum, et fidem ac dilectionem. Sicut Davidem propheta Nathan condemnat propter adulterium.

Quare igitur dicit dilectionem Dei perpetuam esse? Respondeo: Ut promissio evangelica est perpetua et rata, sed ita, ut requirat fidem, ita hic Paulus credentibus loquitur, quasi dicat: Tantisper dum credis, dum de fide sustentas, certissimum est, ratam esse dilectionem Dei erga te. Est igitur sententia: Haud dubie dilectio, qua Deus nos diligit, semper rata, firma et certa est credenti. Haec est propria Evangelii concio, ut supra dictum est. Ideo Paulus hic in fine consolationis amplificat eam.

Alii detorserunt ad praedestationem, sed eo decurrere in hoc loco non est opus. Loquitur enim de nostra victoria. Et vincimus revelata misericordia et dilectione in verbo, cum hanc consolationem 'opponimus terroribus peccati et mortis. Quare simplex et plana sententia erit, si de credentibus intelligatur. Hi statuere debent vere et certo se diligi a Deo propter Christum.

Caput IX.

Prorsus nova disputatio instituitur, in qua tametsi doctrinam de iustificatione alicubi repetit et intertexit, tamen duas alias materias principaliter tractat, videlicet, Quis sit vere populus Dei, seu quae sit vera Ecclesia? Et de vocatione Gentium. Nam Iudaei obiiciebant, nondum esse exhibitas 'promissiones, quare contendebant nondum apparuisse Christum.

Sic enim argumentabantur: Populum oportet consequi promissiones, cum venerit Christus, populus nihil est consecutus, Ergo promissiones nondum sunt exhibitae, nec apparuit Christus. Minorem probabant, quia populus significat non paucos quosdam, tanquam seditionem concitantes, sed significat Principes, Sacerdotes, doctos, bonos, et florentissimam partem populi in qualibet Reipub. Ac in Repub. Iudaica Principes, Sacerdotes, et praecipua pars populi non sentiebat se melius habere, imo magis magisque ruebat tota Respub. Ergo nequaquam iudicabant se a Christo adiutos esse. Hoc argumento valde movebantur infirmi, nam quod Apostoli contendebant, exhibitas esse promissiones, salvatum esse populum. Illi econtra obiiciebant, Apostolos paucos quosdam seditiosos homines esse, qui non sint populus. Ut igitur diluat hoc argumentum, necesse est Paulo disputare de hoc scandalo paucitatis, et discernere populum Dei ab eo, qui titulum tenet, estque utilis haec doctrina.

Omnibus aetatibus duo sunt Ecclesiae corpora, alterum verae Ecclesiae, alterum gerentis titulum, quae tamen persequitur veram Ecclesiam. Et magna est autoritas, magna potentia illius gerentis titulum. Ideo ne decipiantur infirmi, necesse est muniri pios contra hanc externam speciem, ut quae sit vera Ecclesia, verus populus Dei quis sit, intelligant.

Ita nunc quoque argumentantur: Ecclesia non potest errare, Congregatio episcoporum, et sacerdotum, et sequacium est Ecclesia, Ergo haec congregatio non potest errare. Minorem probant, quia hi soli tot seculis fuerunt in ministerio verbi, habent patrum exempla etc., Ergo sunt Ecclesia.

Hic necesse est ostendere, quod etiamsi sint in loco ministerii, tamen si docent impia, non habeant ministerium Evangelii, nec sint Ecclesia. Non est autem leve scandalum, detrahi hunc summum honorem, videlicet titulum Ecclesiae, pontificibus, principibus, et universo statui pulcerrime ordinato, et conferri hunc augustum titulum in paucos abiectos et calamitosos, et quidem qui videantur seditiose tumultuari adversus ordinariam formam Ecclesiae. Hoc scandalo multi deterrentur ab Evangelio, et a vera Ecclesia. Ideo docendi sunt homines de electione, quod vera Ecclesia sit, non quaelibet multitudo, sed electi et vocati ad Evangelium, retinentes verbum Dei, et propugnantes adversus sapientiam et potentiam mundi.

Haec est occasio Paulinae disputationis hoc loco. Nam Iudaei haec duo argumenta agitabant, se esse populum Dei, Ergo nisi ipsis, hoc est, toti Iudaicae politiae melius esset, nondum exhibitas esse promissiones. Item, quia ipsi sint semen Abrahae, non pertineat promissio ad Gentes.

Hic Paulus opponit contrariam sententiam, videlicet, quod populus Dei sit quaedam multitudo electa per misericordiam, et vocata per Evangelium, et sanctificata per Spiritum sanctum: nec fiat populus Dei per propagationem carnalem, et cultus legis. Haec est summa sententiae, et

principalis propositio. Loquitur igitur de electionis effectu, quod sit vera Ecclesia electa per misericordiam, et tollit causas duas, propagationem carnalem, et legem.

Hic disputatur de praedestinatione, item de libertate voluntatis humanae, et de aliis quibusdam materiis, videlicet de generali et speciali actione Dei, item de contingentia. Nec est inutile considerare ea, quae de rebus tantis dicuntur, sed pie et cum timore Dei, eligenda sunt ea, qua tradita sunt in scripturis, et habent testimonia receptorum et probatorum scriptorum, et prosunt conscientiis. Quare pauca quaedam breviter colligemus.

Primum de reprobatione impiorum, non dissentiunt scriptores, sed fatentur omnes causam reprobationis in damnandis esse impiam voluntatem et peccata eorum. E regione vero, de causa praedestinationis seu electionis salvandorum, dissimiliter loquuntur.

Recentiores Scholastici tantum humano iudicio dixerunt causam electionis esse merita, seu bona opera liberae voluntatis humanae. Et haec imaginatio orta est ex ignoratione Evangelii. Quia enim putabant hominem iustificari propter propriam dignitatem, seu merita, seu impletionem legis. Item putabant legem impleri, assuerunt hanc imaginationem, quod propter impletionem legis salvandi essent electi. Sed Evangelium affirmat neminem legi satisfacere, ideoque tollit meritum, quod ad iustificationem et salvationem attinet. Ac docet homines reputari iustus per misericordiam propter Christum, non propter propriam dignitatem. Ergo propria dignitas, seu merita, seu impletio legis, non sunt causa electionis.

Altera sententia est, quod misericordia Dei sit causa electionis, sicut Paulus clare docet, hoc loco, et alibi: Si ex operibus, iam non esset gratia. Non enim pendet Ecclesia ab humano consilio, aut humanis viribus, sed Deus in Christo dilexit et eligit salvandos.

Discruciant autem hic animum duae quaestiones de electione. Prior est de dignitate seu merito. Disputat enim animus: Si essem dignus, satis purus, aut bene meritus, statuerem me quoque consecuturum esse misericordiam, et caetera beneficia promissa. Haec tentatio a iudicio legis oritur, quae requirit dignitatem et merita. Hic igitur valde prodest, tenere doctrinam Evangelii de gratuita misericordia. Ideo enim Evangelium concionatur de gratuita misericordia, non ut adigat mentes ad desperationem, sed ut medeatur nostrae diffidentiae et desperationi. Et misericordia ostenditur, non ut nos nihil agamus, seu non accipiamus verbum, sed ut tollatur nostra dignitas, et beneficium Dei sit certum.

Alter scrupulus est de particularitate. Quia enim audimus misericordiam esse causam electionis, et tamen paucos eligi, magis etiam angimur, disputamus, an sit apud Deum *προσωποληψία*. Item, cur non omnium misereatur. Huic tentationi etiam debent opponi promissiones Evangelii universales, quae docent Deum propter Christum, et gratis, et omnibus salutem promittere, iuxta illud: Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes. Et alibi: Idem Dominus omnium, dives in omnibus. Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini etc. Hae universales sententiae opponendae sunt tentationi de particularitate. Deinde ita statuendum, quod de voluntate Dei non sit iudicandum ex ratione, sine verbo Dei. Item sicut de iustificatione, ita et de electione, non est iudicandum ex ratione, aut lege, sed ex Evangelio.

Cum igitur disputamus: *Si merita non faciunt discrimen, cur non omnium miseretur?* Respondeo: Nos quod ad verbum et promissiones attinet, debemus retinere universalem. Sed non omnes consequuntur beneficia, quia plerique repugnant verbo. Et manifestum est, quod repugnare sit voluntatis humanae, quia Deus non est causa peccati.

Deinde si de nostro iudicio pro utilitate conscientiae loquemur, dicamus sicut de iustificatione dicimus: Iustos esse, qui credunt, ita electos esse, qui non repugnant vocationi, sed credunt Evangelio, et in fine non abiiciunt. Et tamen interea tenendum est, quod credere et non repugnare sint motus, qui fiunt impellente Spiritu sancto. Loquor autem de nostro iudicio, quod non scrutatur arcanam maiestatem sine verbo, sed intuetur Deum vocantem per promissionem, et voluntatem eius apprehendit in verbo, quod est universale. Ita inquit Paulus: Non est volentis aut currentis, sed Dei miserentis, id est, misericordia est quidem causa electionis, non nostrum velle aut currere, et tamen haec fiunt in voluntate, et in currente, non in repugnante.

Veritatem dico in Christo Iesu etc.

Nunc ad textum venio, in quo constituamus hunc scopum, quod docet discernendam esse veram et electam Ecclesiam ab illa, quae titulum habet, aut praerogativas carnales. Haec est necessaria doctrina, adversus illam magnificam speciem, quam iactat falsa Ecclesia, videlicet antiquitatem, exempla patrum, consensum multitudinis. Haec cum incurrunt in oculos, discernamus Ecclesias, ut hic discernit Paulus populos Dei. Verus populus est electus per misericordiam, qui habet Evangelium.

Sed Iudaei contendebant se esse populum Dei, quia essent propagati ab Abraham, haberent legem, patres, exempla, miracula. Inde ratiocinabantur hoc modo: Nondum exhibitum esse Christum, quia Christus veniens salvabit populum, Populus non est salvatus, sed pauci quidam, tanquam seditiosi, gloriantur se esse salvatos, Ergo nondum venit Christus.

Hic respondet Paulus ad minorem: Et docet populum esse electum per misericordiam, non propter carnales praerogativas, aut propter legem. Quodsi ad hanc sententiam referetur disputatio Pauli, erit expeditior, et poterit transferri ad usum nostrum, ut discamus, quae sit vere Ecclesia.

Incipit autem Paulus a gravissima querela, in qua testatur se dolere interitum suae gentis. Sicut omnes sancti viri ingenti dolore afficiuntur, cum cogitant tantam multitudinem hominum damnari, et admirantur illud arcanum consilium, quod Ecclesia est exigua multitudo, infirma, abiecta. In primis autem natis in illo populo fuit miserabile, hanc gentem reiici, in qua fuerunt Patres et Prophetae. Et hic cogitemus Pauli argumentum, ut discamus timere Deum. Si illis non pepercit, qui fuerunt posteri Patrum et Prophetarum, de quibus promissiones loquebantur aperte, quanto minus parcet Gentibus.

Non autem, quod exciderit verbum Dei.

Correctio, Etiamsi deploro gentis interitum, tamen non iubeo quenquam desperare. Imo omnes potius adhortor, ut credant. Non enim hoc sentio, Nullos ex Iudaeis servari posse, imo promissio adhuc pertinet ad nos, nec est irrita. Utinam promissioni credatis, quod quicunque facient, erunt salvi.

Non enim omnes, qui ex Israël sunt etc.

Haec est principalis propositio, in qua respondet ad obiectionem de populo, quis sit vere populus Dei.

Iudaei contendebant se esse populum Dei, se esse Ecclesiam, ad se solos pertinere promissionem. Paulus respondet: Electos esse populum Dei, et discernit vere populum ab his, qui titulum habent, ita discernenda est vera Ecclesia ab illo regno quod titulum habet, et tamen belligeratur cum vera Ecclesia.

Et Paulus propositionem clare exprimit, Filii Dei fiunt non propagatione carnali, non naturalibus donis, aut meritis, sed electione Dei. Hanc sententiam ut declaret, deducit nos ad scripturam, ut intueamur, quomodo Deus semper sua electione segregaverit aliquos, ut compararet Ecclesiam, et ostenderet non fieri Ecclesiam humano consilio. Si natura aut meritis fierent filii, nihil opus fuisset Deo, segregare filium suae promissionis a reliquis.

Chaldaei, Aegyptii non erant inferiores donis, aut meritis naturalibus, quam Isaac. Alexander Macedo, Fabius, Scipio, magis fuerunt instructi donis naturalibus, quam nos, et tamen non habuerunt Evangelium, Ergo fit Ecclesia electione, non donis naturalibus aut meritis.

Sed in Isaac vocabitur tibi semen.

In hanc sententiam accommodat hunc locum de Isaac. Estque haec prima probatio propositionis: Ille est filius, quem Deus sua promissione sibi delegit, et segregavit a filiis Abrahae, Ergo filii Dei fiunt electione. Haec propter brevitatem non satis conspiciuntur, cum tamen gravissimam doctrinam contineant, videlicet, quod Ecclesia non fiat humano consilio, donis aut meritis naturalibus, sed electione divina et promissione.

Non ex operibus, sed ex vocante etc.

Secunda probatio: Iacob fit filius, non propter opera, sed propter vocantem, Igitur filii Dei fiunt electione, non donis, aut meritis naturalibus, aut lege.

Num iniusticia est apud Deum?

Sed videt Paulus haec longe posita esse supra conspectum rationis humanae: quare inter-

pellat ipse sese, et argumentum commune, quod omnibus sanis in mentem venire necesse est, proponit et diluit. Si Esau et Iacob sunt pares Deus utrunque eligere aut reiicere debuit, quia iustus iudex reddit paria paribus. Paulus diluit hoc modo: Paria paribus reddenda sunt, cum solvitur debitum. In donatione, vel cum agitur per misericordiam, nihil opus est paria reddere paribus.

Sicut et Christus in parabola, de conductis in vineam, ostendit, per misericordiam dari paria disparibus. In hanc sententiam citatur hoc dictum: Misereor, cuius misereor, id est, cuius mihi visum est misereri, quasi dicat: Salvatio contingit per misericordiam, non per debitum. Et attexit consequens: Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Haec sententia testatur, homines eligi per misericordiam, et vocari, ut velint et currant.

Antea citavit dicta de misericordia, et ostendit misericordiam esse causam electionis, et populum Dei vere esse illam electorum Ecclesiam. Nunc e regione addit testimonia, et disputationem de reprobatis, Quod sit aliqua multitudo reprobatorum, quam Deus sinit existere, ut in persecutione sit conspectior gloria Evangelii. Idque eo dicitur, ut simus muniti contra scandalum multitudinis, nec cogitemus, sequendum esse exemptum multitudinis.

Gamaliel videt adhuc maiorem et praestantiorem partem populi adversari Evangelio. Ergo ita cogitat, sibi quoque manendum esse in hoc coetu, ita nunc iudicant innumerabiles homines de Ecclesia, quae sibi hunc titulum arrogat. Ideo Paulus ab his iudiciis nos abstrahit, et monet, paucos electos esse Ecclesiam, et e regione ingentem multitudinem reproborum, belligerantem cum Evangelio.

In hoc ipsum excitavi te etc.

Allegat igitur historiam Pharaonis, quae duo continet, quod videlicet sit reprobatus, et tamen eo toleretur, ut fiat in persecutione conspectior gloria Dei.

Ergo cuius vult miseretur etc.

Addit Paulus conclusionem: Ergo cuius vult miseretur, quem vult indurat. Haec conclusio non de causis pariter intelligatur, sed de effectu electionis, quod sint alii electi, alii indurati, qui adversantur Evangelio.

Primum autem de phrasi discas, Hebraeis verba transitiva communissime habent significationem permittentis. Quale est: Ne nos inducas in tentationem id est, ne sinas nos induci. Item: Tu errare nos fecisti, id est, passus es, ut incideremus in errorem. Ita indurare significat non liberare aliquos, sed sinere ut pergant repugnare Deo. Est ergo sententia: Quos vult indurat, id est, non liberat, non convertit, quia pergunt repugnare vocanti Deo.

Secundo, non dicit Paulus hoc loco, Non esse causam indurationis, aut reprobationis in impiis. Ideo prudentia hic adhibenda est: Et sentiendum, quod in ipsis impiis sit causa indurationis, seu reprobationis, scilicet, quia non desinunt repugnare Deo vocanti. Et tamen interim constant haec, quae dicit Paulus, quod sit multitudo indurata, seu reiecta, belligerans cum verbo Dei. Si quis autem obtemperat verbo Dei, hic non est ex illo numero.

Et discamus hoc loco, quale sit iudicium de his, qui repugnant verbo Dei. Quia enim repugnant, indurantur, et ostendunt se esse ex numero reprobatorum.

Cum autem dixerit: Quem vult indurat, statim addit obiectionem: Si voluntate Dei fit induratio, Ergo non potest multitudo illa converti. Si non potest converti, quare accusatur? Respondet, concedens non posse converti, scilicet necessitate consequentiae, quasi dicat: Verum est esse reiectam multitudinem, nec posse converti, quia reiecta est: sed est reiecta propter propriam impietatem. Si quis autem obtemperat Deo vocanti, non est ex illo numero. Ita respondet per concessionem, et addit causam finalem, quare Deus haec ita ordinaverit, videlicet, ut magis possit utraque conspici, videlicet ira et misericordia. Si accommodo Pauli responsionem: Quare litigas cum Deo? id est, cum vides hoc mirabile consilium Dei, quo paucos eligit, et multos reiicit, obedias Deo, et timeas eius iudicium, ne offendaris exemplo multitudinis, sed scito Deum declarare misericordiam in nobis servandis, et iram in puniendis illis, qui non obtemperant.

Haec est minime intricata enarratio. Neque enim sentiendum est, non esse causam indurationis seu reprobationis in ipsis impiis, neque id

dicit Paulus. Et similitudo de luto et figulo non hoc vult. Nihil agere impios, sed eatenus convenit, quod ex una massa generis humani Deus alios suo iudicio salvat, alios damnat. Causae in similitudine non omnino accommodari possunt. Tenenda est enim sententia, quod Deus non sit causa peccati. Retinendum et hoc est, quod promissio sit universalis. Sicut et postea ipse Paulus addit rationem: Quare pereat Israël, quia nolit accipere Evangelium, Sectando iusticiam non assequitur, quia non ex fide etc. Hic expresse ponit causam reprobationis, scilicet, quia repugnent Evangelio.

Vocabo non gentem meam, gentem meam etc.

Postquam constituit thesin, quod populus Dei sit Ecclesia electorum, iam venit ad hypothesin, electos esse ex Iudaeis et Gentibus: idque probat testimoniis scripturae, ut ostendat Evangelium pertinere ad Gentes. Ac primum citat locum ex Osea: Est autem satis perspicuum testimonium.

Illud obiter admonendus est lector. Quoties de vocatione Gentium dicitur, sciendum est commendari gratiam, quod non propter legem, sed gratis propter Christum placeamus etc.

Si fuerit numerus filiorum Israël etc.

Alterum testimonium est Esaiae, quod vaticinatur de defectione populi. Primum ait: Etiamsi fuerit ingens multitudo populi, tamen pauci tantum salvabuntur. Hoc vult phrasis, cum ait: Reliquiae, nam reliquae significant paucos, qui reliqui sunt caeteris absumtis. Deinde sequitur repetitio eiusdem sententiae.

Consummatio abbreviata etc.

Consummatio abbreviata exundabit iusticiam. Consummationem enim et abbreviationem faciet Dominus. Consummatio significat finem, seu cladem populi, quasi dicat: Ventura est magna clades populi, seu interitus, et tamen tunc exundabit iusticia, id est, tunc revelabitur et donabitur promissa iusticia et benedictio, cum circa finem populi magna multitudo peritura est, et aliqui erunt salvi, qui credent Evangelio, et accipient illam promissam iusticiam. Consummatio abbreviata, id est, certo praefinita seu constituta. Paulus allegat versionem Graecam, quae minus perspicua est, sed tamen eandem sententiam continet, si verbum intelligas pro re, ut loquuntur Hebraei. Deus faciet verbum abbreviatum, id est, rem abbreviatam, seu abbreviationem, seu finem. Et in hac consummatione exundabit iusticia.

Alii varias interpretationes confinxerunt. Interpretantur verbum abbreviatum de Evangelio, quia lex sit longa doctrina, nec tamen iustificans. Haec interpretatio est intempestiva.

Alius quispiam est interpretatus, perfecta sententia exundat iusticiam, id est, sapiens iudex feret iustam sententiam. Hic prorsus extra viam currit.

Nos unam et simplicem sententiam convenientem perpetuae narrationi in textu retineamus, videlicet, quod populus periturus sit, sed paulo ante venturum esse Christum, et aliquos ex populo consecuturos esse illas amplissimas promissiones, factas patribus reiecta reliqua multitudine. Est et emphasis observanda particulae exundabit, quae significat amplitudinem gratiae.

Quid igitur dicemus?

Hic expresse ponit causam reprobationis, quia scilicet nolint credere Evangelio. Ideo supra dixi similitudinem de luto non ita accipiendam esse, quasi non sit in ipsa voluntate humana causa reprobationis. Hic enim Paulus expresse ponit causam, et addit rationem, quae impios remoratur, ne credant: Quia Evangelium arguit humanam iusticiam et cultus, et proponit aliam iusticiam. Hic cum homines sapientes iudicent, absurdissimum esse detrahi laudem iusticiae, externae obedientiae, item cultibus: item videant mutatis cultibus mutari ac dissipari respublicas, indignantur, et incipiunt hoc doctrinae genus odisse ac persequi, tanquam blasphemum, quod laedat gloriam Dei, abolitis cultibus, laxato freno vulgi licentiae: item tanquam seditiosum, quod dissipet respub. Haec semper fuit principalis causa persecutionis, ac Iudaeos maxime accendit, qui habebant legem divinitus datam, et cultus divinitus ordinatos.

Ita nunc furenter et crudeliter nos insectantur adversarii, quod dicimus, legi non posse satisfieri, non iustificari homines coram Deo propter bona opera, sed fide propter Christum. Deinde magis etiam fremunt, quando cultus reprehenduntur, ut Missae, Monachatus et similia. Nam his ordinationibus mutatis, videtur labefa-

ctari, concuti, et dissipari respub., item laedi gloria Dei. Inde incenduntur odia, et existunt ingentia certamina, valde enim movent rationem humanam scandala illa, quibus et laedi gloria Dei videtur, et dissipari communis societas. Ac sanctis difficile est ita se confirmare, ne illa scandala excutiant eis fidem.

Ideo Paulus postea inquit: Fateor Iudaeos habere zelum. Et in Corinth. ait, Ideo Iudaeos non credere Evangelio, quia aspiciant legem velatam, hoc est, quia sentiant iusticiam legis esse iusticiam coram Deo. Hoc quia improbatur ab Evangelio, incitantur ad persecutionem. Ita Christus fit lapis offensionis propterea, quia ratio putat esse blasphemam et seditiosam doctrinam, improbare externam iusticiam et cultus.

Omnis qui credit in eum non confundetur etc.

Non confundetur, id est, non frustrabitur, sed hoc ipsum assequetur quod expectat. Est enim usitata phrasis Hebraeis, Confundi pro frustrari, ut si dicam: Nuncius missus ad petendum pecuniam confunditur, id est, frustratur. Ita supra dictum est: Spes non confundit, id est, non est irrita, non frustratur. Caeterum in his sententiis de fide, semper intelligi oportet particulam Gratis. Ne sic cogitemus, si fuero satis dignus, erit credendum, hoc est enim, non confidere Christo, sed confidere in propria dignitate. Ideo dicit: Qui credit in ipsum, id est, qui confidit, quod propter ipsum Christum, non propter nostram dignitatem Deus sit nobis propicius, is erit salvus.

Caput X.

Zelum Dei habent etc.

Nihil novi instituit, sed repetit priorem sententiam, de causa defectionis Iudaeorum, et de causa persecutionis Evangelii. Ideo inquit: Belligerantur cum Evangelio, quia nolunt extenuari iusticiam legis, nec intelligunt esse opus alia iusticia coram Deo, quare mordicus retinent iusticiam legis et cultus.

Addit autem querelam de gentis interitu, ut supra, et tribuit ei zelum, id est, studium pietatis, sed cum errore coniunctum. Et error est in articulis fidei praecipuus, scilicet quod sit Christi officium et regnum, unde sit remissio peccatorum. Quae sit vera iusticia: Quid sit peccatum: Est autem gravis comminatio addita defendentib. opiniones impias de iusticia legis, cum inquit, Non subiici illos iusticiae Dei. Damnat igitur clare omnes adversantes doctrinae verae de iusticia fidei.

Finis enim legis Christus est.

Hic instituit collationem iusticiae legis et iusticiae Evangelii, et utramque definit, ac proponit sententiam oppositam Iudaicis imaginationibus de lege, quasi dicat: Iudaei quaerunt iusticiam ex lege, nec intelligunt Christum esse finem legis, hoc est, promissum esse, ut ipse tolleret peccatum et mortem, quae lex tantum revelat.

Est ergo sententia: Christus est finis legis, id est, impletio seu consummatio, donat id, quod lex requirit, hoc est: Qui credit in Christum, habet id, quod lex postulat, id est, est iustus imputatione, et liberatur a peccato et a morte. Sed haec liberatio in hac vita tantum incoatur, etsi interea credens vere est iustus imputatione.

Moses enim scribit etc.

In hac antithesi quidam imaginati sunt, statum collationis esse in his verbis: Vivet in eis, hoc est: Penes praemia conferri duplicia opera, opera rationis habere praemia temporalia, sed bona opera, orta a Spiritu sancto, habere praemia aeterna. Haec interpretatio aliena est disputatione Pauli, non enim fit collatio praemiorum, neque de causis finalibus, sed de causa formali disputatur, quid reipsa sit iusticia legis, et econtra, quid sit iusticia Evangelii.

Est igitur status collationis in his duobus verbis, facere et credere. Iusticia legis est facere legem, hoc est, praestare perfectam obedientiam iuxta legem. Sic ait describi a Mose iusticiam, cum inquit: Faciens ea, quasi dicat: Iusticia legis est haec ipsa obedientia, qua vere et integre fiunt ea, quae lex praecipit, ut toto pectore ardere dilectione Dei, glorificare Deum, diligere proximum, sine concupiscentia, sine ullo vitioso affectu, sine peccato esse. Haec est iusticia, quam lex requirit, quam adeo non praestat humana natura, ut non intelligat, quid sit illa dilectio Dei.

Econtra iusticia fidei non est propter impletionem legis, aut nostras virtutes esse iustos, sed

est credere, quod propter Christum simus iusti, id est, accepti Deo.

Hinc potest conspici discrimen fidei et dilectionis, et quare dicendum sit: Fide sumus iusti. Item, quomodo hoc intelligi debeat non est enim imaginandum, Fide sumus iusti, hoc est, Propter novitatem nostram, seu novas virtutes sumus iusti, sed correlative, id est, propter Christum sumus iusti, qui tamen non aliter apprehendi potest, nisi fide. Dicere autem, dilectione iusti sumus, est idem dicere, quod propter nostras virtutes, seu impletionem legis sumus iusti. Constat autem legi non satisfieri, ideo necesse est hoc dictum pure retineri: Fide reputamur iusti, ut intelligatur, quod non propter nostras virtutes, sed propter mediatorem Christum, per misericordiam gratis sumus imputatione iusti, id est, accepti. Haec vult Paulus in hac sua definitione, quam mirifice amplificavit citatis quibusdam verbis ex Deuteronomio.

Ne dixeris in corde tuo etc.

Paulus mutuatur descriptionem fidei ex dicto Mosi, nec detorquet illud ad diversam aut non convenientem sententiam. Nam et Moises ibidem describit, et requirit fidem. Sed generale dictum est de verbo et de fide, quod Paulus applicat ad hoc verbum de Christo, et ad fidem in Christum.

Primum igitur dictum Moisi inspiciamus, qui illustribus figuris impietatem humani cordis depingit, quod etiamsi cogitat esse Deum, tamen dubitat, an Deus curet nos, negat voluntatem Dei erga nos cognosci posse, negat exaudiri nos, aut salvari. Has dubitationes haerere in hominum animis satis apparet. Ideo lex Dei eas arguit, et requirit fidem. Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in coelum? id est, ne sis Epicureus, ne cogites, nihil esse Deum, aut nesciri, an sit Deus, an curet humana: ne cogites Deum ita latere, ut non extet eius voluntas in aliquo verbo: ne cogites eius voluntatem ignotam esse, quia ipse non cernitur oculis corporalibus: ne cogites eum non exaudire, non misereri, non requirere hunc cultum, quem in verbo suo tradidit etc.

Quomodo igitur inveniri et apprehendi Deus potest? Prope est, inquit, verbum etc. Huc te deduco ad verbum, hoc audi, sic credas apprehendi Deum et voluntatem eius conspici, cum verbum audis, et credis hanc esse voluntatem eius, velle sic eum coli, velle exaudire, sicut promisit: Hanc esse sententiam dicti in Moise satis liquet. Nec dubium est, quin de fide concionetur hic Moises, et requirat fidem, quae credat non solum esse Deum, sed etiam Deum velle agnosci in verbo suo, et sic invocari, velle exaudire, et misereri iuxta promissionem, requirere hos cultus.

Haec generaliter dicta, etsi continent doctrinam de fide, tamen sunt adhuc obscura, et sunt voces legis. Ideo Paulus proponit aliud verbum, et nominat Mediatorem, ut proponat gratuitam misericordiam, propter Christum promissam. Hanc cum agnoscimus, fides fit certa, scilicet, quod gratis propter Christum, non propter legem exaudiamur, salvemur etc.

Ne dicas in corde tuo etc.

Accommodat igitur hoc modo: Ne dicas in corde tuo, quis ascendet in coelum? hoc est enim Christum coelo deducere, id est, primum, ne sis Epicureus: deinde, ne dubites, quin haec sit voluntas Dei, ut Christus sit mediator, quod velit nos Deus salvare propter Christum. Si non credis Christum esse mediatorem, ut salvet nos, detrahis eum de coelo, negas eum regnare, et arguis Deum mendacii, quasi promissio eius sit irrita.

Ne dicas, Quis descendet in abyssum?

Id est, ne cogites Epicuri more, post mortem non restare aliam vitam, ne cogites homines non posse liberari a morte et a peccato. Si dubitabis, negabis Christum resurrexisse, finges Christum adhuc iacere extinctum, adhuc resuscitandum esse, nec esse victorem mortis et peccati. Estque summa sententiae, ne dubita, quin Christus sit mediator et regnet, ne dubita, quin propter ipsum vere misereatur nostri Deus, remittat peccata, exaudiat et salvet nos. Ita addit Paulus dicto Mosi Evangelium de mediatore, et complectitur exclusivam, ut fides sit certa.

Opponamus igitur infirmitati et dubitationi nostrae hanc gravissimam Pauli concionem, et in ea contemplemur, quanta sit impietas, dubitare, an Deus velit remittere peccata, an velit exaudire, iuvare, salvare, denique praestare illa, quae per Christum promisit? In omni invocatione cogitemus haec verba: Ne dixeris, quis ascendet in coe-

lum? Id enim fuerit detrahere Christum: sed statuas Christum vere ad dextram patris sedere, esse intercessorem, ut exaudiamur. In hoc usu discimus intelligere huius dicti vim et sententiam. Nam qui non invocant, negant Christum sedere ad dexteram patris, et intercessorem esse etc.

Prope est verbum in ore tuo etc.

Antea reprehendit dubitationem, nunc addit affirmativam descriptionem fidei: Verbum est prope in ore tuo. Et sic definit iusticiam fidei, quod sit non dubitare, sed credere huic verbo de Christo, et statuere quod Iesus sit Dominus, videlicet ille, per quem est promissa benedictio, qui liberat a morte et a peccato.

Est igitur perspicua antithesis: Iusticia legis est facere legem, id est, est nostra obedientia iuxta legem, seu integra seu politica: sed iusticia fidei est credere, quod propter Christum accepti simus, non propter nostram dignitatem, qualitates aut virtutes. Opponit igitur superiori definitioni, in qua inquit facere. Iam in altera definitione, Prope est verbum in ore et corde, videlicet, quia verbo apprehendimus Christum, propter quem iusti et accepti sumus, non propter dignitatem nostram.

Est et illud observatu dignum de necessitate ministerii et verbi vocalis, et de modo, quo agit Deus nobiscum. Non enim imaginandum est, quod Deus mittat Spiritum S. sine verbo suo. Sed Paulus deducit nos ad ministerium et ad verbum vocale, non invenitur alibi Deus extra suum verbum, aut sine verbo suo, in hoc vult agnosci. Hoc instrumento vult esse efficax. Ideo in omni tentatione quaeramus Deum per verbum, et in verbo resistamus. Et hanc esse certo voluntatem Dei statuamus, quae in verbo ipsius proponitur. Ideo hic de re tanta, de salvatione dicit: Prope est verbum in ore tuo. Item: Verbum fidei quod praedicamus. Et postea repetet hunc modum: Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei est.

Si confessus fueris etc.

Quod autem inquit: Si confessus fueris Dominum Iesum, ita resolvendum est, Si confessus fueris Iesum esse Dominum, id est, non otiosum, sed illum Dominum, de quo factae sunt promissiones, qui liberat genus humanum a peccato et a morte, qui est pro nobis factus victima, qui sedet ad dexteram patris, ut salvet. Nam hic honos Domini qualis sit, et quae beneficia complectatur, ex omnibus promissionibus colligi debet, sicut in Psalmo: Dixit Dominus Domino meo, et aliis.

Corde enim creditur ad iusticiam.

Manifestum testimonium est, quod fide iustificemur, nam adversariis haec verba plane sunt otiosa, et nihil significantia. Postea affingunt multas sophisticas interpretationes. Nos vero non corrumpamus dictum Pauli, sed vere tribuamus fidei, id quod ei tribuit Paulus, nec obscurum est, quid fidem vocet, scilicet id, quod vocabulum sonat. Confidere in Christum, sicut ipse hic interpretatur fidem, quae credit Iesum esse Dominum. Et supra: Quae accipit promissionem. Et hic: Omnis qui credit in eum, quod certe significat, qui confidit in eum, id est, qui confidit, quod propter ipsum Deus sit nobis propicius.

Ore fit confessio ad salutem.

Multorum haec imaginatio est, etiamsi bona opera non merentur remissionem peccatorum, tamen postea mereri vitam aeternam, sicut multi dixerunt, homines etiamsi non mereantur primam gratiam, tamen deinde mereri vitam aeternam. Ad hoc citant multa dicta: Ore fit confessio ad salutem. Item: Esurivi, et dedistis mihi cibum. Item: Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil sum.

Ad haec dicta omnia uno modo respondeo. Concedo necessariam esse incoatam obedientiam, sed non meretur vitam aeternam, non est res digna vita aeterna, seu pretium vitae aeternae, nec placet, nisi quia credimus in Christum. Quia enim placet obedientia propter fidem, contradictio est imaginari, quod opera vel iustificent, vel mereantur vitam aeternam. Fide autem statuimus nobis propter Christum gratis donari remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Et tamen fidem necessario sequitur effectus, scilicet incoata novitas, cum fide corda vivificentur.

Haec responsio nihil habet perplexitatis, concedit necessariam esse obedientiam, et detrahit opinionem meriti, et docet quomodo placeat, ut Christo tribuatur suus honos, et fides maneat certa. Fieret enim incerta, si sic sentiendum

esset, tunc nos placere Deo, cum satis meritorum haberemus. Haec in genere de omnibus huiusmodi dictis sciri prodest.

Nunc ad textum redeamus. Certum est Paulum non probare confessionem, nisi adsit fides, ergo non tribuit confessioni, quod sit pretium aut meritum vitae aeternae. Esset enim contradictio, ut dictum est, et tamen requirit confessionem, quia obedientia, ut dictum est, est necessaria, et ostendere voluit Paulus se loqui, non de hypocrisi fidei, id est, de otiosa cogitatione, sed de vero motu cordis, qui apprehendit misericordiam promissam propter Christum, et propterea lucet in confessione, patientia, et bonis exemplis omnis generis.

Praeterea discernit iusticiam et salutem propter perseverantiam. Etsi enim quisquis est iustus, est et haeres vitae aeternae, tamen fieri potest, ut iustus iterum amittat iusticiam. Ideo inquit: Si confiteberis, videlicet propter fidem, quasi dicat: Si fides fuerit firma, et perseverans. Non enim probat confessionem, nisi propter fidem.

Omnis enim qui invocaverit.

Primum observandum est, quod inculcat particulam universalem, et meminerimus promissiones esse universales. Secundo, considerandum est, quid sibi velit haec nova sententia, et an ad Evangelium conveniat: Omnis qui invocaverit etc.

Respondeo: Haec est nova prophetia, discernens Evangelium a lege, quia lex etiam docet invocationem, cum conditione perfectae obedientiae. Sed haec prophetia promittit salutem invocantibus, scilicet quibus antea lex non poterat opitulari, et qui sunt iam tales, ut non praestent obedientiam, quam lex requirit. Talibus iam promittit salutem, si invocent nomen Domini, id est, si invocent illum Dominum, qui se revelat in illo verbo, quod dedit patribus, quod exhibebit in adventu filii.

Quare hic necesse est intelligi invocationem cum particula Gratis. Requirit enim, ut credamus gratis, propter illum promissum Dominum nos exaudiri et salvari. Nam haec promissio opponenda est legi, quasi dicat: Quia lex non potuit opitulari, quia estis sub peccato et morte, alio modo promittitur salvatio. Deus dabit doctorem, effundet de spiritu suo, et vos invocatione Domini salvi eritis ab illis ipsis malis, a peccato et a morte, a quibus non liberabat lex.

Haec est simplex et vera sententia huius promissionis. Ideo apte quadrat ad Evangelium, et addit aliquid lucis definitioni iusticiae fidei, quam supra tradidit: Iusticia legis est facere legem. Sed iusticia fidei est invocare Dominum, et statuere, quod propter filium Dei liberemur a peccato et a morte, et ab ira, a quibus lex non poterat liberare.

Dulcescet igitur promissio, cum particula gratis in ea intelligitur. Et sic exercenda est invocatio, ne deterreat nos indignitas nostra, sed sciamus mandatum Dei esse, ut invocemus. Item, mandatum esse, ut credamus nos exaudiri propter Christum, non propter dignitatem nostram. Quare obediamus Deo, et hunc cultum praestemus, cumque invocamus, meminerimus nos afferre indignitatem et peccata, et petamus propter Christum, ut liberemur et exaudiamur, quod cum facimus, simul agimus poenitentiam. Iam facile est dissimiles sententias conciliare: Peccatores Deus non exaudit, scilicet qui sine poenitentia et sine fide invocant.

Quomodo autem invocabunt eum, in quem non crediderunt?

Addit Paulus modum, quo beneficia Evangelii nobis contingunt, scilicet per ministerium verbi Dei. Estque hic locus praecipuus de necessitate et dignitate ministerii diligentissime observandus, ut sciamus, quomodo Deus sit efficax in nobis, nec quaeramus alias illuminationes extra verbum, nec admittamus imaginationes et opiniones de Deo, sine certo verbo Dei. Latissime patet hoc praeceptum de verbo vocali, est enim difficile homini resistere in verbo Dei, et statuere certo, hanc esse voluntatem Dei, quam in verbo proponit, ideo facile delabitur in alias imaginationes. Sicut Eva leviter sentiens de verbo, addit imaginationem, fortasse non tam duriter sensit Deus.

Sic in multis articulis accidit, verbum dicit clare: Fide sumus iusti propter Christum. Hoc verbum mali doctores tenentes languidius, et sequentes suam imaginationem, cogitarunt commodius dici, Homines esse iustos, propter suas virtutes et merita. Deinde addiderunt dubitandum esse, et omnino obruerunt veram doctrinam de fide. Sicut et nunc Anabaptistae contemnunt

doctrinam de fide, et vociferantur, homines iustos esse magnitudine afflictionum, et suis quibusdam illuminationibus, atque ita abiiciunt verbum et doctrinam de fide. Prorsus talia fuerunt olim deliramenta Manichaeorum et Enthusiastarum. Nec est unius temporis error, facile enim delabuntur homines in tales imaginationes, cum leviter sentiunt de verbo Dei.

Hi Enthusiastae fugiendi et execrandi sunt. Et sciendum, quod Deus non velit aliter agnosci et apprehendi suam voluntatem de peccato et de gratia, nisi in verbo, et quod Spiritus sanctus per verbum sit efficax. Hanc regulam teneamus, et propter hanc tantam causam omni honore afficiamus, et defendamus ministerium verbi publicum. Et has sententias semper habeamus in conspectu: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Item: Quomodo audient sine praedicante? Item: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem.

Secundo docet hic locus, quod in invocatione requiratur fides, id est, haec ipsa fiducia, qua credimus nobis remitti peccata, et nos exaudiri propter Christum, sicut inquit Christus: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est, non afferentes vestram dignitatem, sed credentes recipi vos et exaudiri propter Christum. Ita et hic docet: Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? id est, si non credant Deum esse propicium ipsis, et exaudire preces ipsorum, non possunt eum invocare. Constat igitur requiri in invocatione fidem. Et haec discrimen facit inter invocationem piorum, et ethnicam seu hypocriticam. Ethnici etiam invocant, sed cum hac dubitatione, non credunt sibi Deum esse placatum, et preces suas respici, aut exaudiri. Sic etiam invocant omnes, qui non intelligunt doctrinam Evangelii de iustificatione et fide. Talis autem invocatio est inutilis et damnata.

Hinc intelligi potest, quantae tenebrae sint illorum, qui iactitant se esse doctores bonorum operum, et tamen aversantur doctrinam de fide. Abolent enim praecipua opera et propria piorum, scilicet invocationem, Ergo non solum illae ceremoniae et orationes publicae hostium Evangelii, sed omnes eorum privatae preces etiam damnatae sunt, similes ethnicis invocationibus, quales passim extant in poëmatis. Hoc diligenter considerandum est, ut discamus, qualis esse debeat invocatio seu oratio. Item, quid intersit inter pii et impii orationem. Item, qualem fidem afferre pios ad invocandum oporteat: nam ubicunque ignoratur doctrina de hac fide, de qua hic loquimur, impossibile est existere veram invocationem. Confirmatur enim dubitatio et incredulitas, quod Deus non exaudiat, non curet, imo abiecerit invocantem.

Nos autem Christiani discamus hanc incredulitatem peccatum esse, et repugnemus huic peccato, et erigamus nos vera doctrina de fide, eamque sciamus ad invocationem afferendam esse, videlicet, ut credamus Deum vere nobis propicium esse, et recipere nostras preces, propter pontificem Christum.

Quomodo credent, si non audierunt?

Tertio docet hic locus, non placere Deo cultus institutos sine verbo Dei, quia sine verbo Dei non potest existere fides. Ideo hic dicitur: Quomodo credent, si non audierint? Continet igitur hic locus multiplicem doctrinam, videlicet, quod contingant beneficia Christi per ministerium verbi. Item, quanta sit necessitas et dignitas ministerii. Item, quae sit vera invocatio, qui cultus Deo placeant.

Quam speciosi pedes annunciantium pacem.

Addit autem dulcissimam sententiam ex Esaia, quae describit regnum Christi, et admonet regnum illud administrandum esse per verbum, et quidem praedicatione novi verbi, scilicet Evangelii, in quo annunciabitur pax, id est, salus seu salvatio divinitus donata. Estque antithesis opposita legi et peccato, et miseriis humanis, quasi dicat: Tunc tolletur peccatum, et tollentur caetera mala, quae non potuit lex auferre, et afferetur vera consolatio, et donatio iusticiae et vitae aeternae.

Quod ait pedes esse amabiles, metaphora est de nunciis et de verbo, quasi dicat: Ministerium seu verbum, quod in illo novo regno praedicabitur, mirum in modum amabile erit, quia affert res optimas, agnitionem misericordiae Dei, iusticiam et vitam aeternam. Opponit autem Propheta hanc suam laudationem iudiciis mundi. Est enim summa acerbitas odii adversus Evangelium et Evangelii ministros, sicut Paulus significat Apostolos haberi pro *καθαρμάτοις*, quare mundus nequaquam hos pedes, id est, nuncios iudicat esse salutares et amabiles. Adversus talia

mundi iudicia consolatur, et docet nos Propheta, ut ministerium, etiamsi spretum et invisum mundo, tamen amemus, et sciamus efficax esse, et afferre salutem credentibus. Sicut et Paulus inquit: Non pudet me Evangelii. Ita confirmemus nos contra impia iudicia mundi, et consideremus quantum scelus sit, exercere crudelitatem contra pios ministros Evangelii.

Caput XI.

Mitigat superiorem querelam de defectione, et testatur promissionem adhuc pertinere ad populum, et multos eam consecuturos esse, videlicet, qui credunt. Ac primum a suo exemplo argumentatur: Ego sum Israëlita, et adeptus sum promissionem, Ergo Israëlitae possunt eam consequi. Altera ratio sumta est ab exemplo temporum Heliae. Ita monet semper Ecclesiam exiguam esse, et multo maiorem numerum ac potentiam impiorum.

Et addit doctrinam, quod Ecclesia non sit electa propter legem, propter politiam, sed populum Dei esse electos, qui Evangelium fide apprehendunt. Ideo addit misericordiam esse causam electionis, non legem, non politiam, sicut supra de discrimine duorum populorum dictum est. Synagoga habet titulum populi Dei, et belligeratur cum vero populo et cum vera Ecclesia. Adversus hoc scandalum oportet nos esse instructos, et praemunitos, ut intelligamus non esse Ecclesiam illum coetum, qui persequitur Evangelium, etiamsi habent cultus aut politiam.

Dedit spiritum compunctionis etc.

Spiritus compunctionis, id est, animus iratus, atque exacerbatus odio Dei et Evangelii. Est enim horribilis quaedam odii acerbitas in hostibus Evangelii, qualis describitur in Cain, Pharaone, et similibus. Primum, quia diabolus inflammat illos impetus. Secundo, quia ipsa humana ratio vehementer offenditur dissipatione cultuum et reipub. Imaginatur doctrinam esse blasphemam et seditiosam: putant enim laedi gloriam Dei mutatione cultuum. Ut cum Apostoli abrogarent ceremonias Leviticas, et nunc cum reprehenduntur cultus humani, abusus Missae. Deinde, mutatio cultuum mutat etiam politias, ut nunc certe distrahit Ecclesiam. Utrumque autem parit ingens odium, videlicet, quod et gloria Dei laedi putatur, et alii dolent labefactari autoritatem, dissipari ordinem Ecclesiae etc.

Et David dicit: Fiat mensa eorum, etc.

Coacervat multas sententias, quae describunt poenas impietatis. Contemtum Evangelii comitatur coecitas et induratio, quae ita occupant animos, ut non possint resipiscere. Deinde illa ipsa coecitas cumulat errores, accersit furorem, scandala, et horribilia mala corporalia et aeterna. Sic de coecitate inquit: Excoecati sunt etc.

De aliis poenis: Mensa fiat in laqueum, scandalum etc. Significat enim mensa hoc ipsum, in quo praecipue acquiescunt homines, quod videtur afferre consolationem, auxilium, recreationem, quietem. Sicut mensa Pompeii fuit rex Aegypti, ille ipse ad quem confugit, cuius praesidio sperabat se fore tutum, fuit ei exitio: ita Iudaeis lex et praesens politia, et ille gloriosissimus titulus populi Dei, erat mensa. Has res sciebant divinitus traditas, et tam diu defensas esse, et existimabant non posse mutari. Quare damnabant doctrinam, quae videbatur adversari, et sperabant se fore victores, sicut antea patres triumphaverant. Hae res fuerunt laqueus, id est, mala persuasione tenuerunt irretitos animos, et postea perdiderunt etc. Ita nunc titulus Ecclesiae, est mensa adversariorum Ecclesiae, et illaqueat animos falsa persuasione, et erit eis exitium.

Et dorsum eorum semper incurva etc.

Id est, magis magisque onera eos erroribus, scandalis, peccatis, calamitatibus: denique opprime aeterna servitute, ne reflorescant, ne recuperent autoritatem et regnum.

Illustre exemplum praebent Anabaptistae, subinde novos errores pariebant, ut iam manifestus fieret furor, accedebant foedissima scandala, seditiones, libidines, blasphemiae, donec tandem prorsus deleti sunt. Similia acciderunt Iudaeis post persecutionem Evangelii. Harum horribilium poenarum comminatio nos admonet, ne contemnamus Evangelium, ne tales poenas nobis accersamus.

Num ita impegerunt, ut caderent? etc.

Propositio supra instituta repetitur. Non ita impegerunt Iudaei, ut tota gens periret. Ratio est argute cogitata, et habet facilem sententiam.

Est enim argumentum sumtum ex causa finali receptionis gentium, hoc modo. Gentes receptae sunt, ut Iudaei provocentur ad credendum, cum viderint Evangelium in gentibus esse efficax, igitur necesse est aliquos esse reliquos inter Iudaeos, qui credituri sunt. Quorsum enim opus esset provocare Iudaeos, si nulli credituri essent.

Consequens sic attexit Paulus: Si ruina profuit ad provocandum, Ergo est reliqua incolumitas aliqua, id est, ergo necesse est aliquam partem restare sanabilem. Vel est amplificatio ex minore, si profuit ruina, ut gentes reciperentur, quando magis profutura est incolumitas tunc, cum provocati obtemperabunt, quia Deus ideo provocat eos, ut rursus sanet, et reddat incolumes.

Vobis enim dico gentibus.

Rationi sumtae ex causa finali, addit exemplum suum. Ego, inquit, eo maiori sedulitate studeo propagare Evangelium inter gentes, ut provocentur Iudaei ad credendum, cum viderint Evangelium esse efficax inter gentes. Hoc est, quod ait: Glorifico ministerium, id est, magna fide et sedulitate doceo Evangelium, quo ornatur et illustratur gloria Dei, ut provocem carnem, id est, Iudaeos. Et addit amplificationem ex minore, si reiectio profuit, quanto gloriosior futura est restitutio, quae est futura quasi resurrectio ex mortuis. Haec est simplex et minime intricata interpretatio.

Si primitiae sanctae etc.

Tertium argumentum, Quod gens Iudaeorum non sit reiecta, sumtum ex promissione, quae est immutabilis, et pertinet pariter ad stirpem et ad posteros. Radix est sancta, scilicet propter promissionem, cum patres crediderunt, ergo et rami sunt sancti, quia ad hos quoque pertinet promissio, sed opus est fide accipi promissionem.

Ne superbias adversus ramos.

Apostrophe est ad gentes, quas hortatur, ne carnali fiducia despiciant Iudaeos, neve securi ruant contra Deum, confisi hoc titulo, quod sint populus Dei seu Ecclesia. Sicut nunc carnali securitate promittunt sibi pontifices, quod sint Ecclesia, et hac opinione multa contra verbum Dei constituunt et agunt. Hanc impietatem Deus haud dubie puniet, iuxta secundum praeceptum. Et sicut inquit Ezechiel: Propter nos male audit nomen Dei inter gentes.

Et quod Paulus hic vaticinatur de ruina Ecclesiae gentium, id eventus ostendit, Ecclesia in Asia et Aphrica pene funditus deleta est Mahometi furore. In Europa oppressa est horribili idolatria et impietate, ut profanatione Missarum, invocatione sanctorum, superstitiosis opinionibus cultuum humanorum, inscitia doctrinae de fide.

Sed tamen inter haec scandala consolari nos debemus, quod promissiones Evangelii semper sint ratae vere credentibus, quodque semper sit aliqua vera Ecclesia, scilicet illi ipsi, qui agentes poenitentiam vere credunt: quia Christus pollicetur Ecclesiam semper mansuram esse, et promissiones immutabiles esse.

Nolo vos ignorare.

Addit vaticinium de conversione Iudaeorum, quod fortasse ita intelligendum est. Futurum, ut subinde usque ad finem mundi aliqui ex Iudaeis convertantur. Nescio enim an hoc velit, restare adhuc aliquam conversionem magnae multitudinis circa finem mundi. Id cum sit mysterium, Deo committamus. Esaiae vaticinium concionatur de liberatione populi, videlicet illa, de qua proprie loquitur Evangelium, hoc est, de remissione peccatorum. Et est dulcis sententia, quia clare docet in novo testamento praedicandum esse remissionem peccatorum. Haec liberatio populi intelligenda est, inde usque a principio praedicationis Evangelii ad finem.

Conclusit Deus omnia etc.

Epiphonema est, in quo est exaequatio Gentium et Iudaeorum, et detrahitur fiducia meritorum utrisque. Hortatur omnes ad poenitentiam. Deinde aequaliter proponit omnibus consolationem. Estque gravissima doctrina in utroque membro: nam concludi sub peccatum, non est otiose intelligendum, sed complectitur reatum, pavores, seu iudicium et poenas peccati, quasi dicat: Omnes rei sunt, omnes erunt subiiciendi iudicio Dei, morti et afflictionibus.

Ut David erat conclusus sub peccatum, cum pelleretur in exilium, cum horribilibus doloribus exerceretur. In his afflictionibus praecipue tenenda est haec consolatio, quae hic traditur. Docet enim de causa afflictionum et iudicii, et de

exitu. Fatetur nos propter peccatum subiectos esse his malis, sed tamen non ut pereamus.

Ideo addit modum liberationis, promittitur gratuita misericordia, ut sit certa consolatio, iubet credere quod per misericordiam, non propter nostram dignitatem aut merita, iustificemur et salvemur. Imo iubet nos conclusos sub peccatum, id est, vere reos, confugere misericordiam, nec aspernari oblatam misericordiam, sed statuere, quod gratis propter Christum consequamur remissionem peccatorum.

Ita fiet perspicua et dulcis haec sententia, cum ad usum transferemus, cum in veris pavoribus et afflictionibus eam ad nos pertinere sentiemus, nosque hac promissione misericordiae sustentabimus. Est igitur utilis sententia, et in omnibus afflictionibus usurpanda, quia monet de causa finali afflictionum. Item de gratuita misericordia.

Est et universalis particula observanda, ut sciamus promissionem esse universalem, et ut singuli nos vere in illam universalem includamus.

O altitudo divitiarum etc.

Exclamatio addita est, ut compescat humanam arrogantiam et humanas cogitationes de consilio Dei, quo mirabiliter Ecclesiam suam constituit et gubernat. Multa enim offendunt rationem, videlicet, quod pauci tantum et abiecti homines fiunt populus Dei, quod tanta multitudo, quae praestat numero, virtute, gloria rerum gestarum damnatur. Iudaei vero mirifice offendebantur, cum audirent Synagogam reiici, quae habebat honorificentissimum titulum populi Dei. Ita et nunc offenduntur plurimorum animi, et fremunt, cum audiunt illos, qui tenent titulum Ecclesiae, non esse Ecclesiam.

Adversus haec scandala opponit Paulus hanc exclamationem, in qua docet, ut nos subiiciamus sapientiae et verbo Dei, nec deficiamus a verbo, etiamsi non intelligamus, quare tam mirabili consilio Deus gubernet Ecclesiam, et utrumque praestemus, agnoscamus magnitudinem irae in reiectione tot gentium, tot seculorum, tantorum hominum. Haec ira nos ad timorem hortetur, ne contemnamus verbum Dei. Rursus etiam agnoscamus misericordiam, quod subinde renovavit Deus suum verbum, et tandem sparsit in totum orbem. Hoc testimonio misericordiae confirmemur, et statuamus Deum vere nos recipere, vere sibi populum facere, vere velle salvare invocantes.

Haec est summa exclamationis Paulinae, qua occurrit scandalis, et prohibet humana iudicia de illo arcano consilio Dei. Item prohibet arrogantiam, ne propter carnales praerogativas aut merita confidamus nos fieri populum Dei, sicut Episcopi propter successionem contendunt se esse Ecclesiam.

Caput XII.

Instituit novam partem, scilicet praecepta de bonis operibus. Nam supra tradidit locum Evangelii proprium, scilicet doctrinam de iustificatione et de fide. Haec non est doctrina legis, ac longe distat a lege, ut suo loco dictum est. Primum enim fide propter Christum gratis accipi oportet remissionem peccatorum, iustificationem et donationem Spiritus sancti. Postea necesse est sequi novam obedientiam, quae est quaedam incoata legis impletio. Ideoque traduntur praecepta post doctrinam de fide.

Quare autem est tradi praecepta, cum spiritus ultro obtemperet Deo? Respondeo: Primum opus est verbo, ut coërceatur pars carnalis. Deinde necesse est semper tradi doctrinam poenitentiae, et mortificari reliquias peccati in nobis, et crescere poenitentiam. Tertio opus est iustis verbo, per quod doceantur, quae opera placeant Deo, et per quod spirituales motus excitantur. Ideo proposita doctrina Evangelii de fide, traduntur etiam pracepta seu lex.

Doctrina de bonis operibus.

Iam hic scienda est doctrina de bonis operibus, qualia opera requirantur, et quomodo placeant.

Primum qualia. Requiruntur enim bona opera divinitus praecepta, interiora et exteriora, videlicet timor Dei, fides, dilectio, poenitentia, patientia, invocatio. Hi interiores motus non sunt in impiis, etiamsi adest externa civilis disciplina. Ideo diligenter considerandum est, qualia opera existere in credentibus debeant.

Sed quomodo placent? Haec doctrina necessaria est Ecclesiae, et supra traditur cap. 8. Utrumque tenere necesse est. Primum quod non simus iusti propter nostras virtutes aut opera. Et

quod adhuc haereat in nobis peccatum, quo contaminantur etiam bona opera. Ideo crescere in nobis agnitio nostrae infirmitatis et poenitentia debet. Deinde etsi non sumus iusti propter nostras virtutes, tamen postquam fide reconciliati et iusti sumus, placet etiam incoata obedientia, non quia satisfaciat legi, aut quia sit sine vitio, sed propter Christum pontificem, interpellantem pro nobis etc.

Haec doctrina magna consolatio est piis, et magnitudo misericordiae hortatur ad bene operandum. Cum enim audit pia mens certo placere hanc quantulamcunque obedientiam et contaminatam, cum audit cultum Dei et sacrificium esse, haud dubie accenditur, ut eam maiore studio praestet. Hic totus locus supra in octavo capite traditus est, ubi etiam dictum est, qualia peccata sint in sanctis. Item de discrimine peccati venialis et mortalis. Hi loci pertinentes ad doctrinam operum, hic initio considerandi sunt.

Nunc redeo ad textum. Duodecimum caput est ἠθικὸν, id est, tradit praecepta de privatis virtutibus. Decimumtertium est politicum de magistratu, et de obedientia. Decimumquartum est ceremoniale, de usu ceremoniarum.

Obtestor autem vos fratres.

Initio proponit generale praeceptum, videlicet, ut exhibeamus aliquem cultum Deo, et quidem rationalem, hoc est, talem, in quo agnoscitur et apprehenditur Deus, seu in quo existunt hi motus divini, videlicet timor Dei et fiducia. Deinde nominat hunc cultum, videlicet, ut offeramus hostias, corpora nostra, id est, ut mortificentur corpora nostra, et sic fiant victimae, videlicet mortificatis affectibus carnalibus, et sustinendis afflictionibus.

Est igitur generale praeceptum, in quo illud est insigne, quod hanc obedientiam vult esse cultum rationalem, et nos fieri victimas. Quia enim populum Dei necesse est habere aliquem cultum, sacerdotium et sacrificia, habemus et nos sacerdotium et sacrificia. Et hic primum tota doctrina de sacerdotio et sacrificiorum differentia repetenda est.

Secundo, diligenter observandum, quod requirat fidem in illa obedientia et in omnibus bonis operibus.

Tertio, qualis sit emphasis, quod vocat nos victimas. Sacerdotis proprie tria sunt officia: Tenere et confiteri Evangelium divinitus traditum, habere mandatum et promissionem de invocatione et de sacrificio.

Haec primum competunt Christo, per quem revelatum est Evangelium, qui solus habet ius intercedendi pro aliis, et offerendi sacrificii sui pro aliis. Deinde Christus ita impertit honorem sacerdotii credentibus, quia dat eis verbum suum, et addit promissionem, quod exauditurus sit Deus invocantes, et donat eis sui sacrificii fructum. Deinde ab ipsis etiam requirit sacrificia, scilicet confessionem, et obedientiam in bonis operibus et afflictionibus.

Cum igitur credentes sint sacerdotes, concionatur et Paulus hic de sacrificiis, sicut Petrus inquit: Vos estis sacerdotium sanctum, ut offeratis spirituales hostias, acceptas Deo, per Iesum Christum. Ubi diserte dicitur, nostros cultus acceptos esse, non propter nostram dignitatem, sed propter pontificem Christum.

Hic autem tenenda est etiam distinctio sacrificii usitata. Unum est sacrificium propiciatorium pro aliis, id est, quod aliis meretur remissionem peccatorum, scilicet mors Christi. Habent ergo credentes primum illud alienum sacrificium, quod tamen nobis donatum est, ita, ut fide statuamus vere nobis donari fructum, seu meritum huius sacrificii. Deinde reddunt credentes etiam propria sacrificia, sed haec non merentur remissionem peccatorum facienti aut aliis, sed placent in reconciliatis propter pontificem Christum, sicut Petrus ait: Ut offeratis etc. Haec sacrificia vocamus Eucharistica. Est autem de natura huius sacrificii, facere opus a Deo mandatum, hoc fine, ut gratias agamus Deo, et glorificemus eum, hoc est, ut hac ipsa obedientia testemur, hunc vere Deum esse, quem invocamus, et vera esse, quae de eo praedicamus, atque ita invitemus nostro exemplo alios. Hic est principalis finis sacrificii, ut gloria Dei fiat illustrior, et Deus innotescat.

Sunt autem sacrificia vel ceremonialia vel spiritualia. In veteri Testamento fiebant mactationes pecudum, et aliae ceremoniae, quae tunc habebant mandatum Dei, ut essent umbrae beneficiorum Evangelii. Hae umbrae cessaverunt postquam Evangelium revelatum est, cumque novum Testamentum afferat in cordibus iusticiam et vitam, iam cultus et sacrificia esse debent veri et perpetui motus cordis, perpetua glorificatio Dei, sicut inquit Christus: Veri adoratores adorabunt

patrem in spiritu et veritate, id est, veris et spiritualibus motibus cordis.

Hoc ipsum vult Paulus, cum hoc loco requirit rationalem cultum, id est, cultum mentis, in quo agnoscitur et apprehenditur Deus, id est, in quo existunt veri motus erga Deum, timor, fides, invocatio, confessio. Excludit ergo Paulus non modo pecuinas hostias, sed etiam hominum opera, ac non solum Monachorum traditiones, sed etiam moralia opera, quandocunque sine timore Dei et sine fide fiunt. Pugnat etiam Pauli dictum universaliter cum opinione de opere operato: estque abominandus error adversariorum, qui fingunt Missam ex opere operato valere, sine bono motu utentis.

Hic enim Paulus, cum requirit rationalem cultum, postulat bonum motum utentis, scilicet veros motus timoris et fidei erga Deum.

Est igitur haec Pauli propositio: Obtestor vos, ut praestetis Deo veros cultus spirituales, seu motus cordis, ita ut obtemperent corpora vestra, et fiant hostiae, seu ut vos obtemperetis, et fiatis hostiae.

Quae est autem emphasis in vocabulo Hostiae? Primum oblatio est confessio quaedam, seu testificatio, quod agnoscamus Deum. Et mactatio significat fuisse destinatam aliquam mortem pro peccato. Item, quod hanc naturam vitiosam aboleri oporteat, et quod in ea morte obedientia Deo praestanda sit. Itaque haec tria comprehendit, cum nominat hostiam, videlicet agnitionem seu glorificationem Dei, mortificationem nostri, seu obedientiam in mortificatione praestandam, et fidem, qua credimus, quod propter hostiam Christum hae hostiae placeant Deo, quem omnes hostiae semper significaverunt, et propter quem fuerunt acceptae. Est ergo sententia: Fiatis hostiae, id est, agnoscite, praedicate seu glorificate Deum, et sustinete mortificationem, et credite quod hi vestri cultus placeant Deo propter Christum, propter quem et vos estis hostiae. Haec est simplicisssima sententia.

Iam si cogitabimus nos esse hostias, intelligemus nos vocatos esse, non ad huius mundi voluptates, opes, potentiam, sed ad necem, horribile odium, afflictiones omnis generis, quibus oppugnamur a diabolo et impiis hominibus. Et sicut hostia stat ad aram expectans assidue donec feriatur: ita nos stemus ad aram, id est, in confessione et glorificatione Dei, et praestemus Deo obedientiam in persecutionibus et calamitatibus, quibus obruimur, et in his invocemus Deum, et credamus placere hos cultus propter Christum, propter quem etiam aliquando liberabimur.

Addit vitam, quia novum Testamentum affert perpetuam iusticiam et vitam. Ideo requiruntur iam perpetuae hostiae, perpetuae laudes et gratiarum actiones. Non iam pecudes mactandae sunt, sed tales hostiae, quae quanquam mortificantur, tamen simul concipiunt novam vitam, ut perpetuo Deum glorificent.

Sanctam, id est, ad usus divinos destinatam, ad invocationem Dei, ad praedicationem, glorificationem, et alia bona opera, sed ita, ut ad hunc finem directa sint, ut gloria Dei ornetur.

Deo placentem: Ut autem opus Deo placeat, duo requiruntur, videlicet, quod sit mandatum a Deo, et quod fiat in fide seu fiducia Christi, sicut scriptum est: Iustus ex fide vivet. Requiritur igitur et hoc loco haec fides in omnibus bonis operibus, ut credamus placere haec non propter nostram dignitatem, aut propriam puritatem, sed propter pontificem Christum. Sicut et Petrus inquit: Offerentes hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Et Ebr. ultimo: Per ipsum offeramus hostiam laudis.

Est ergo summa huius propositionis: Praecipit ut Deo obediamus, et ut haec obedientia fiat in vero timore Dei, vera fide, et hoc fine, ut illustret gloriam Dei, et invitet alios ad pietatem. Et quia transtulit doctrinam de bonis operibus ad locum communem de hostiis, valde multa complexus est, videlicet, quod sit necesse Deo praestare cultum, quod oporteat nos subiectos esse afflictionibus. Item, quod oporteat omnia bona opera fieri in fide, et referri ad exemplum ad excitandos alios, ut innotescat Deus. Item, cum sint sacrificia, placeant Deo propter pontificem Christum, cum accedit fides.

Ne imitemini gestus huius mundi.

In hoc dicto repetitur superior sententia per antithesin: Ne habeamus affectus similes mundanorum, sed novos affectus Deo obedientes. Nam cum vetat imitari mundum, non vituperat res, quarum usum Deus ordinavit, non vetat usum ciborum, coniugii, imperiorum, iudiciorum, contractuum, et aliarum Dei ordinationum, sed prohibet vitiosos affectus. Ideo inquit: Gestus, id est, motus animi non sint simi-

les mundanis, ut contra ordinationem Dei appe. tunt impii voluptatem, quaerunt opes et potentiam iniustis modis, fugiunt crucem. Tales cupiditates damnat, quae occuparunt maximam mundi partem. Sicut videmus ubique animos hominum ardere alios aliis cupiditatibus, avaritia, ambitione, libidinibus, et propter has miscere orbem terrarum tumultibus, caedibus, bellis, sicut quotidiana vita testatur, et historiae omnium temporum.

Econtra autem iubet renovari mente, id est, iubet nos aliter sentire, alias noticias de Deo, et alios affectus concipere, videlicet verum timorem Dei et veram fidem, ut anteferamus voluntatem Dei nostris cupiditatibus.

Ideo addit: Ut agnoscatis, quae sit voluntas Dei bona etc. Id enim simpliciter intelligo, de voluntate Dei proposita in praeceptis et promissionibus. Iubet enim ita renovari, ut novam noticiam de Deo concipiamus, et induamus novos affectus, videlicet verum timorem Dei et veram fidem, et hi affectus exerant se in omni genere bonorum operum, et afflictionibus, videlicet ita, Si in afflictionibus intelligamus Deo placere obedientiam, et propterea sustineamus adversa, nec fugiamus crucem.

Dico vobis per gratiam, quae data est mihi.

Inter virtutes, quae ad ministerium, seu gubernationem, seu administrationem pertinent, duae sunt praecipuae: Obedientia in vocatione, et in iudicando seu instituendo, non discedere a praescripta regula seu mandato. Quare de his duabus virtutibus initio concionatur, et ita inquit: Nemo arroganter de se sentiat, id est, nemo erumpat extra suam vocationem, et arroganter aliud suscipiat, quam postulat sui officii ratio. Item: Nemo arroganter ausit iudicare de dogmatibus, contra traditam regulam, aut serere novas opiniones, aut instituere novos cultus, infatuatus persuasione magnae sapientiae aut sanctitatis, supra modum sui doni.

Utrumque autem praeceptum necessarium est, maxime in Ecclesia, ut enim civitatibus πολυπραγμοσύνη plurimum nocet, cum ingerunt se privati homines negotiis, et impediunt ordinarias actiones, sicut Marius, Brutus, et alii turbabant rempub. Ita in Ecclesia ingens periculum existit, cum aliqui vel stulto zelo, vel aliis cupiditatibus incitati, extra vocationem suam erumpunt, et multa reformare in doctrina vel ritib. conantur. Aut e regione, cum doctores extra suum officium civilia negotia ad suam potestatem revocant, et habent alterum pedem in Curia, alterum in Ecclesia. Sicut Aristophanes dicebat de Cleone, habere eum alterum pedem in castris, alterum in concione.

Primum igitur meminerimus hic praecipi, ne conturbemus vocationem, sed ut singuli suae vocationis officia diligenter faciant. Alterum praeceptum vetat iudicare contra praescriptam regulam, hoc est, contra verbum Dei et saniora iudicia. Sicut aliqui tumentes inani persuasione singularis sapientiae, serunt novas opiniones, instituunt novos cultus, offundunt caliginem veris et necessariis articulis. Hanc audaciam in primis meminerimus hic prohiberi, cum iubet, ut unusquisque agnoscat mensuram sui doni, id est, et vocationi suae obtemperet, et non sumat sibi iudicium supra modum sui doni, non incerta affirmet.

Paulus vocat mensuram fidei, mensuram doni, quod in fide exerceri debet, et per fidem datur, ut in exercitu alius est dux, alius tribunus, alius quaestor. Ita in Ecclesiis alii doctores habent maiora dona aliis. Ideo postea addit Paulus enumerationem, ut singuli meminerint suae vocationis et sui modi.

Sive prophetiam.

In enumeratione praescribit quibusdam regulas, ut de Prophetis. Significat autem Prophetia revelationem, seu praedictiones de futuris, seu interpretationem scripturae, quia ad hanc etiam opus est aliqua revelatione. Nam quid vera sit fides, et vera consolatio conscientiae, et vera agnitio peccati, nemo intelligit sine divino motu. Et habent alii motus illustriores aliis.

Praecipit igitur, ut interpretatio verbi Dei sit analoga, id est, consentiens fidei, hoc est, ne discedat ab articulis fidei, ne extinguat noticiam veram Christi, et fidem in Christum. Sicut initio ab articulis fidei discesserunt Ebion, Samosatenus, et alii, qui contenderunt in Christo tantum esse naturam humanam. Deinde Arriani, qui negaverunt filium Dei natura Deum esse. Manichaei, qui finxerunt duos deos, et damnaverunt coniugium, iudicia, esum carnium. Ita finxerunt homines non fide, sed talibus observationibus iustos esse.

Pelagiani discesserunt ab analogia fidei, quia negarunt esse aliquod peccatum originale, et finxerunt legi Dei satisfieri per haec rationalia opera, quae homines utcunque efficere possunt. Itaque senserunt hominem his operibus mereri remissionem peccatorum, et esse iustum propter rationalem disciplinam: de fide iustificante nihil prorsus docuerunt. Item addiderunt homines sine Spiritu sancto iustos esse et salvari. Hae pharisaicae opiniones prorsus delent Evangelium de Christo. Ideo enim Christus nobis donatus est, quia nos non satisfacimus legi, et quia propter legem non sumus iusti. Proposita est alia iusticia, ut scilicet fide propter Christum iusti reputemur. Quare Pelagianae opiniones, cum tollant beneficia Christi, nequaquam sunt analogae fidei.

Tales sunt etiam opiniones adversariorum nostrorum, qui fingunt homines posse legi Dei satisfacere, et operibus mereri remissionem peccatorum, et propter opera iustos esse, de fide iustificante vero nihil dixerunt: ideo eorum doctrina non est analoga fidei.

Pugnat cum fide etiam opinio de Missa, quod sit opus applicandum aliis: quia Missa non prodest, nisi recordanti mortem Christi, sicut textus ipse testatur. Quare non fuit credendum apparitionibus spirituum petentium Missas.

Item, dissentiunt a fide Monachorum opiniones, quod illa opera traditionum sint cultus Dei, sint perfectio.

Nec est analoga fidei invocatio sanctorum. Ideo non fuit credendum apparitionibus aut miraculis, quae illos cultus confirmaverunt: quia contra manifestum verbum Dei, nequaquam credendum est miraculis aut apparitionibus, ut Deut. 13. manifeste praecipitur. Ad quem locum hic alludit Paulus, cum autoritati illorum qui videntur esse Prophetae, opponit regulam de analogia fidei.

Caput XIII.

Supra proposuit praecepta de privatis moribus, ac velut ethicen tradidit. Nunc addit praecepta de vita politica. Quanquam enim non pertinet ad Evangelium, sed ad iudicium rationis et consilium magistratus, leges ferre de contractibus, successionibus, de actionibus, poenis, bello, et similibus rebus civilibus aut forensibus, sicut architectonica, aut ars medicorum ad rationem pertinet: tamen in genere de usu harum artium necesse est extare verbum Dei propter duas causas, Ut agnoscantur opera Dei, deinde ut sciamus usum concessum esse piis: quia opocteat opera nostra habere testimonium ex verbo Dei.

Primum igitur hic observent lectores, quatenus Evangelium concionetur de rebus politicis, scilicet in genere. Deinde meminerint Evangelium non constituere aliam politiam mundanam, sed approbare omnium gentium politias, ac leges de rebus civilibus, rationi congruentes. Sicut approbat medicinam aut architectonicam. Interea vero Evangelium proprie de spirituali et aeterna vita docet pios, ut in cordibus incoëtur vita aeterna, et tamen foris vult corpora nostra versari in hac civili societate, et uti communibus vinculis illius societatis, distinctione dominiorum, contractibus, legibus, iudiciis, magistratibus, et reliquis. Hae res externae non impediunt, quo minus existant in cordibus agnitio Dei, timor, fides, invocatio, et caeterae virtutes, imo Deus proposuit illas externas res, ut essent occasiones in quibus exerceantur fides, invocatio, timor Dei, patientia, dilectio.

Et est quaedam sapientia digna Christiano, intelligere, quare Deus Ecclesiam coniecerit in has medias occupationes, scilicet quia vult in societate communi inter homines innotescere. Ideo voluit omnia officia societatis esse exercitia confessionis, et simul exercitia nostrae fidei et dilectionis.

Deinde assuefaciendae sunt mentes, ut reverenter sentiant de omnibus partibus societatis civilis, quia admodum nocent animis illae fanaticae opiniones, quem imaginantur imperia, leges, iudicia, contractus, esse res excogitatas humana astutia, et esse tantum instrumenta humanarum cupiditatum. Ut imperia esse instrumenta exercendae iniustae potentiae contra imbecilliores, iudicia servire cupiditati vindictae aut avaritiae. Sic Monachi has res intuentur, ideoque improbant eas, aut certe obscurant earum dignitatem.

Nos econtra honorifice de eis cogitemus, esse dona et ordinationes Dei, traditas, primum propter hunc finem, ut haec societas conservetur docendi causa. Secundo, ut haec ipsa officia societatis sint exercitia confessionis. Tertio, ut in his operibus exerceamus timorem Dei, fidem, invocationem, dilectionem etc. Quare sciamus esse impium, has res divinas aspernari aut violare.

Omnis anima potestatibus etc.

Initio simpliciter et perspicue tradit praeceptum, ut suo quisque magistratui obediat. Nam particula: Quae praesunt, non est otiose addita, sed excludit alienos magistratus. Non enim opus est civem Coloniensem obedire magistratui Parisiensi. Sed hoc docet Paulus, ut illi magistratui obediamus, qui nobis praeest, vel ut suo quisque magistratui obediat.

Deinde addit rationem praecepti, (non est enim potestas, nisi a Deo) quem quia docet quid sit magistratus, et unde sit, ostendit aliter obediendum esse, quam quemadmodum tolerat aliquis iniustam violentiam praedonis aut latronis. Sed ita, ut meminerimus et politiam ipsam, seu magistratum esse rem bonam divinitus ordinatam, et statuamus hanc obedientiam a Deo requiri, praestandam tanquam ipsius ordinationi. Et fuit opus in Ecclesia hac praemonitione, ut pii scirent, quid sit sentiendum de rebus politicis, Ne damnarent imperia, iudicia et alia politica officia, praesertim cum multi abutantur his verbis. Et haec vitia intuens homo non recte institutus, non discernit imperia et latrocinia.

Ita Manichaei in totum damnabant politias. Monachi etiam obscuraverunt veram doctrinam de magistratu, cum finxerunt esse perfectionem, abstinere a civilibus officiis. At contrarium potius docendum erat, si qua esset perfectio. Quia haec opera sunt res a Deo propositae, ut innotescat Deus in societate, et ut nos habeamus exercitia confessionis, patientiae, fidei, dilectionis. Haec exercitia fugere est potius infirmitas, quam perfectio, sicut dici solet: Magistratus ostendit virum. Denique omnibus temporibus sunt in Ecclesia sparsae opiniones incommodae de rebus civilibus. Ideo valde prodest tenere veram doctrinam de hoc negotio.

Est ergo primum haec propositio Pauli, quod magistratus, id est, ordinatio imperiorum, seu politia sit res bona, quam Deus suo opere et instituit et conservat. Sicut ordinatio motuum coelestium, et instituta est a Deo, et conservatur ab ipso. Quare cum inquit Paulus: Imperia a Deo esse, intelligamus ea non tantum permitti a Deo, sicut peccata dicuntur permitti, sed potius opera Dei instituta esse et conservari, et per verbum confirmata esse. Ideo Paulus diserte vocat politiam, ordinationem Dei, id est, rem quae instituitur consilio Dei, ut congruat cum eius voluntate, seu ut approbetur ab ipso. Quare peccata non sunt ordinatio Dei, imo vere sunt ordinationis dissipatio.

Haec breviter dicuntur a Paulo, sed plurimum habent momenti. Primum enim necesse est extare hanc doctrinam in Ecclesia, ne opus Dei tribuatur diabolo, sed ut discernantur opera Dei et opera diaboli. Secundo, ut intelligamus illa ipsa officia a Deo proposita esse, ut sint exercitia confessionis, invocationis et caeterarum virtutum, et fiant veri cultus Dei. Tertio, ut obedientia confirmetur, ne violemus divinam ordinationem, sed meminerimus Deum esse vindicem et conservatorem suae ordinationis. Quarto, ut magistratus et nos omnes in civili vita habeamus consolationem, quod Deus haec pericula civilis vitae gubernet, et conservet regna, iusticiam civilem ac pacem in mundo, et puniat tyrannides ac latrocinia.

Haec est ingens consolatio omnib. piis in tantis imperiorum periculis, et horum magnitudinem pii considerare debent, quod videlicet concutiantur respub. non tantum humana audacia, sed multo magis furore diaboli, qui est hostis disciplinae et honestatis. Ideo Christus eum vocat homicidam. Et in Daniele scribitur bonus angelus defendisse regnum Persicum, contra malum angelum. Incitat igitur diabolus sua membra ad dissipandam harmoniam publicam. Neque tantum autores periculi considerandi sunt, sed etiam moniti hac consolatione scripturae, quod Deus velit conservare politias, addere debemus invocationem, sicut praecipit scriptura in multis locis.

Haec breviter recensui, ut cogitemus, ad quid prosit haec doctrina, et ut transferamus in vita ad usum, et in politicis officiis exerceamus confessionem et invocationem, qui sunt principales fines societatis civilis.

Deinde fiat collatio. Nulla philosophia tam honorifice de imperiis loqui potest. Etsi enim ratio movetur quibusdam signis, ut cogitet esse a Deo imperia, tamen dubitat propter varia scandala, cum non est confirmata verbo Dei. Illud certe non videt, Deum velle gubernare pericula nostra in administatione civili, velle invocari, et horum negotiorum administrationem fieri cultus Dei. Colligant igitur studiosi ex aliis locis scripturae testimonia, quae confirmant sententiam,

quam Paulus hic tradidit. Observent item, quomodo diluenda sint ea, quae obiiciuntur de prohibitione vindictae et alia.

Constituta autem hac propositione, quod politiae sint res bonae, quas Deus et instituit et approbat, sequitur iam conclusio Pauli: Quod obediendum magistratui, quia Deus velit suam ordinationem non violari. Et addita est ratio de poena, quae debet intelligi non tantum de iis poenis, quas irrogat magistratus, sed in genere de omnibus poenis, in quas incidunt seditiosi et contumaces: quia divinitus retrahuntur ad poenas, etiamsi nihil periculi impendet a magistratu, sicut inquit Salomon: Non est evasio impio ex bello.

Hactenus tradidit duas regulas, videlicet, quod magistratus seu politia sit res bona, et approbata a Deo. Item, quod sit obediendum, ubi adiecit doctrinam de poena, quam postea repetet. Interea inserit descriptionem magistratus, quid sit, hoc modo: magistratus est minister Dei nobis ad bonum, vindex ad defendenda recte facta, et punienda delicta gladio, id est, poenis corporalibus.

Haec definitio est integra, melior etiam quam Aristotelica, quae sic sonat: Magistratus est custos legum. Paulus enim addidit efficientem causam, scilicet, quod sit institutus a Deo. Et in causa finali addit illustrem particulam: Tibi ad bonum, ubi discernit tyrannum a vero magistratu. Debet enim magistratus sic sentire, se divinitus in hoc officio collocatum esse, ut alienae utilitati consulat, sicut Aristoteles monet Alexandrum, ut cogitet imperium sibi contigisse ad benefaciendum toti generi humano, non ut in alios petulans et contumeliosus sit (πρὸς εὐεργεσίαν οὐ πρὸς ὕβριν) Et Daniel inquit ad regem: Libera te a peccato per insticiam, et benefacta erga miseros. Et laudatur illud Xenophontis: Bonus princeps nihil a bono patre differt. Ita sentiet magistratus sibi contigisse imperium et opes, non ut eis abutatur ad explendas cupiditates suas, sed ut possit communi utilitati consulere, ac tueri recte facta, id est, veros cultus Dei, disciplinam, iudicia, pacem.

Sed in hac definitione quaeritur, unde scimus, quae sint recte facta? Respondeo: Paulus hic omittit longiorem disputationem, et ideo generaliter loquitur, ut leges omnium gentium approbet de civilibus negotiis, si tamen consentiant cum lege naturae. Nam hinc iudicari vult recte facta in civilibus negotiis. Tradit ergo hic tertiam regulam, videlicet: Quod Christianus non sit alligatus ad politiam Mosaicam, sed liceat ei uti legibus omnium gentium, quae consentiunt cum ratione. Imo sicut debet Christianus obedientiam praesenti magistratui, ut supra dictum est in particula: Magistratui qui praeest: ita debet obedientiam praesentibus legibus cum ratione congruentibus. Quare licet fures suspendere, licet haereditates dividere nostris legibus, quia Evangelium non constituit novam politiam mundanam, sed concionatur de vita aeterna et spirituali. Et interea sinit nos uti diversis politiis, sicut diversis spatiis dierum. Quia enim praecipitur obedientia erga praesentes, praecipitur etiam, ut praesentibus legibus utamur. Et Lucae 3. approbatur Romana militia. Et Act. 15. Apostoli prohibent gentes onerari politia Mosi. Et Paulus dicit: In Christo neque est Iudaeus, neque Graecus.

Ideo oportet obedire, non solum propter iram etc.

Addit praecepto de obedientia necessariam declarationem, ut sciat Ecclesia, qualis necessitas sit obedire, et quale peccatum sit non obtemperare, quia saepe disputatur, utrum sit peccatum mortale, non obedire magistratui. Et ratio agitatur, cum Magistratus non possit intelligere poenam aeternam, videntur nec edicta magistratuum obligare sub poena aeterna.

Sed in hac ratione non vident illi, qui eam sequuntur, se falli in hoc, quod poena aeterna irrogatur, propter violationem divini mandati, quod praecipit obedientiam. Deus enim subiecit nos magistratui, et addit mandatum, ut obediamus illorum legibus. Et adiecit de poena, se puniturum esse eos, qui non obediunt. Constituendum est igitur, quod non obedire magistratui politico seu gerenti gladium, de quo hic loquitur, sit peccatum mortale. Quia diserte inquit Paulus: Necesse est obedire, et addit: Propter conscientiam. Ergo sentit conscientias fieri reas in his, qui detrectant imperium. Haec autem sunt peccata mortalia, quae conscientiam ream faciunt, et excutiunt fidem. Sic igitur declarat necessitatem, ut intelligatur de obligatione conscientiae, et de aeternis poenis. Quis autem non videt quale frenum hic iniiciatur omnibus hominibus ad conservandam obedientiam erga potestatem?

Alibi dicitur: Credentes esse liberos a lege. Hic vero subiiciuntur legibus magistratuum, et

ita subiiciuntur, ut dicat Paulus eos condemnari, si non obtemperant. Sed sciendum est, quod libertas spiritualis non excludit hanc obligationem, quae manet propter vitam corporalem. Liberi sumus a lege, quod attinet ad iustificationem in spiritu, id est, sentiendum est nobis ignosci et nos reputari iustos, non propter legem, sed propter Christum. Et tamen interea obedientia in vita corporali necessaria est. Est enim corporalis vita subiecta ordinationibus, quae ad corpus pertinent, videlicet, ut legibus medicis, coniugalibus, ita etiam legibus civilibus.

Deinde amplificanda est haec obligatio. Etenim si rea fit conscientia, sequitur maledictio et ira Dei, quae affert praesentes poenas et aeternas. Sicut manifeste videmus sontes elapsos, tamen divinitus ad poenas retrahi. Item contumaces, etiamsi non possunt in praesentia coërceri, tamen postea incidere in aliquos laqueos, ut dent poenas: sicut Clodio, Catilinae, Antonio, et aliis accidit, qui subinde novos tumultus excitaverant. Et Deus talium consiliis et negotiis maledicit, ut tamen ruant in civiles et aeternas poenas. Haec omnia complectitur Paulus, cum inquit: Propter conscientiam.

Neque vero haec tantum pertinent ad subditos, sed etiam ad magistratum, qui cum fiunt tyranni, non minus dissipant ordinationem Dei, quam seditiosi. Ideo et ipsorum conscientia fit rea, quia non obediunt ordinationi Dei, id est, legibus, quibus debent parere. Ideo comminationes hic positae etiam ad ipsos pertinent. Sicut alibi inquit scriptura: Non hominis exercetis iudicium, sed Domini: Quicquid iudicaveritis, in vos redundabit. Semper enim illa sententia intuenda est, quod politia sit ordinatio Dei. Ergo quisquis violat, sive inferior, sive superior, peccat, et dabit Deo poenas, ut si in templo conculcaret sacramenta.

Itaque huius mandati severitas moveat omnes, ne violationem politici status putent esse leve peccatum. Et econtra discamus opera vitae politicae et oeconomicae in his qui credunt in Christum, esse bona opera et cultus Dei, nec tantum esse res prophanas, quia ideo conservanda est societas, ut Deus in ea innotescat. Hic finis non est res prophana, quare cum omnes actiones vitae politicae sint distinctae ad hunc finem, Deus voluit eas esse exercitia confessionis, et propter hunc finem nobis proposuit ea. Ideo Prophetae requirunt haec opera, et quidem prae ceremoniis, ut Esaiae 1.: Iudicate pupillo etc.

Sed hic quaeritur, Si violatio legum civilium est mortale peccatum, quid sentiendum est, de violatione ecclesiasticarum traditionum, quae sunt conditae ab Episcopis? Respondeo: Primum traditionibus, quae pugnant cum mandato Dei, non est obediendum, sive sint ortae a magistratibus gerentibus gladium, sive ab Episcopis, quia Deo magis est obediendum, quam hominibus. Tales autem sunt traditiones de coelibatu, de abusu Missarum, de invocatione sanctorum. Et quanquam esus carnium, et alia quaedam similia per se sunt adiaphora, tamen quia praecipiuntur cum impia opinione, et ad stabiliendos impios cultus: ideo recte faciunt, qui non obediunt, sicut recte faciebant fratres in historia Maccabaeorum, qui nolebant carnes suillas edere. Debent enim extare exempla confessionis, ubi tradita est doctrina, sicut et Paulus noluit Titum circumcidi.

Secundo, si sunt traditiones de mediis rebus, et factae propter politicum finem, ut observatio certi diei, et certae historiae lectio, discendi causa. Harum traditionum violatio extra casum scandali non est peccatum mortale, quia Paulus dicit: Nemo vos arguat in parte diei festi etc.

Sed hic proponitur exemplum civilium legum, cur hae magis obligant, quam ecclesiasticae? Respondeo simplicissime, Scriptura tradit hanc diversitatem: clare dicit, pollui conscientias, si quis non obediat magistratui gerenti gladium. Et rursus clare dicit: Non pollui conscientias violatione traditionum, quas condunt Episcopi, ut testantur dicta ad Gal. et Col. Haec ratio sufficiat piis.

Sed opponat aliquis, An maior reverentia debetur potestati civili? Imo maxima Ecclesiae et ministris Evangelii debetur, et sine ulla dubitatione peccant mortaliter omnes, qui non obediunt verbo, quod est commendatum potestati ecclesiasticae. Secundo peccant mortaliter etiam, qui in casu scandali violant pastorum traditiones. Ut si quis exemplo suo in Ecclesia recte instituta, invitet alios ad contemtum doctrinae et ministrorum, sed violans sine contumacia et sine malo exemplo, non peccat mortaliter. Hanc libertatem Christus in Ecclesia existere et intelligi vult.

Possunt etiam rationes colligi ex differentia potestatum. Deus commisit magistratibus, ut

ipsi iustas leges condant, ergo vult etiam nos illis legibus subiectos esse. Sed Pastoribus tradidit certum verbum, nec vult nos insuper esse legislatores, aut alias leges addere, Ergo requirit, ut illi verbo tradito simus subiecti, non novis legib. quas ipsi insuper additurl sunt. Ita differentia potestatum aliquid lucis addit huic quaestioni. Sed tamen tutius est niti altera ratione, videlicet, quod doctrina apostolica postulet, ut sentiamus violationem legum civilium esse mortale peccatum. Econtra vero violationem ecclesiasticarum traditionum, extra casum scandali et contumaciae, non esse peccatum mortale.

Antea dixit in genere de obedientia, nunc nominat in specie quaedam officia, ac primum tributa, quo nomine complectitur omnia, quae debentur magistratibus ad defensionem disciplinae et pacis, scilicet operas, militiam, stipendia. Estque iterum repetita laus officii, quia vocat ministros Dei. Testatur igitur functionem magistratus esse bonum opus, quia diabolus est hostis Dei, non est minister, et peccata non sunt functio, qua Deo ministratur, sed offendunt Deum, et dissipant functiones, quibus Deo ministratur. Fitque hoc argumentum illustrius, cum additur circumstantia supra posita, videlicet, quod sit ministerium divinitus ordinatum. Manifestum est enim, peccatum non esse rem ordinatam divinitus, sed potius dissipationem ordinationis Dei.

Addita est etiam hic particula insignis de diligentia, quae requiritur in magistratibus. Ait enim Paulus: Ad hoc sunt assidui, id est, ad ministerium Dei, hoc est, ad propagationem veri cultus, et ad defensionem disciplinae et pacis, quae sunt beneficia divina. Et assiduitas est magna intentio animi, non remittentis curam, vigilantiam et laborem, sicut verissimum est, imperia esse onus, cui nulla humana sapientia par esse potest. Et tamen requiritur magistratuum diligentia, quam hic vocat assiduitatem, quae Deo iuvante est fortunata.

Deinde addit generale praeceptum de omnibus civilibus officiis: Reddite omnibus debita. Hac voce complectitur omnia officia in societate necessaria, videlicet, iubet reddi debitam obedientiam superioribus, iubet reddi debitam pecuniam in contractibus cuicunque, iubet reddi debita officia familiae, civibus, parentibus, coniugi, liberis, servis. Quae autem sint officia singulis debita, Decalogus indicat, quem hic repetit: Ut teneamus certam doctrinam, quae opera sint necessaria. Necesse est enim conscientias habere verbum certum, etiam de operibus, quo regantur, ne fingant cultus sine mandato Dei, de quibus inquit Christus: Frustra colunt me mandatis hominum.

Hanc sententiam detorquent nonnulli contra doctrinam de fide, quia hic Paulus inquit, Dilectione legem impleri. Unde sic argumentantur: Impletio legis iustificat: Dilectio est impletio legis, Ergo dilectio iustificat. Respondeo brevissime ad minorem: Minor est vera de perfecta dilectione, sed non de tali, qualem ulli homines praestant. Paulus recte et proprie loquitur de idea seu de specie, quod dilectio impleat legem, id est, sit hoc ipsum, quod lex requirit. Sed hinc non sequitur nostra dilectione legem impleri, quia nostra dilectio est immunda et procul abest a perfectione.

Cum igitur nemo possit praestare perfectam dilectionem aut impletionem, opus est nobis alia iusticia, videlicet fide apprehendente misericordiam promissam propter Christum. Haec fides est impletio legis, scilicet imputative, hoc est, Credentes reputantur iusti, perinde ac si legem implessent. Deinde addatur etiam hoc, quod fides incoët impletionem legis in nobis, et haec incoatio placet propterea, quia sumus in Christo.

Hora est iam nos de somno surgere.

Addit exhortationem a circumstantia temporis sumtam, videlicet ab occasione, nunc exhibita est salus, Evangelium revelatum est. Quare non aspernemur tantum munus, sed avide amplectamur atque obediamus. Ita saepe alias a tempore argumentatur 2. Cor. 11. Ebr. 3. Tale tempus est, quandocunque Deus donat veram lucem Evangelii, quae postquam exhibitus est Christus, late sparsa est inter gentes, cum antea ignorassent promissiones et Evangelium.

Somnum intelligit ignorantiam verae doctrinae. Vigiliae vero debent esse nova noticia Evangelii, et novae actiones. Et quia iubet nos expergisci, significat vocari nos ad ingentia certamina, pericula, vigilantiam. At econtra mundus audito Evangelio fit segnior, et novo somno sopitur. Securitas enim parit negligentiam, qua paulatim obrepunt varia vitia. Hanc negligentiam taxat, cum iubet nos expergisci. Ideo postea iubet indui arma lucis, significat enim opus

esse magno certamine, ne excidamus. Sunt autem arma lucis ipsa noticia verbi Dei, agnitio Dei, fides et caeterae virtutes, quae utentes verbo Dei pugnant adversus diabolum, Econtra opera tenebrarum sunt ignorantia Dei, et vitia quae parit illa ignorantia, ibi enim dominatur diabolus.

Nunc enim propior est salus etc.

Salus de ipso Christo intelligatur, et de ministerio Evangelii, non de effectu, id est, ipse Christus nunc exhibitus est, et palam promulgata et donata remissio peccatorum et institutum ministerium Evangelii. Patres vero expectabant et credebant venturum esse Christum. Ita propior est nobis salus, quia Christus est exhibitus, et promulgata remissio peccatorum, et institutum ministerium Evangelii. Patres enim sciebant venturum esse Christum, et remissionem peccatorum agnoscebant involutam in promissionibus, sed nondum habebant ministerium institutum, quo expresse mandatum esset remitti peccata. Caeterum de effectu sciendum est, patres fide in Christum promissum salvatos esse, sicut Ecclesia salvatur post exhibitum Christum. Nec est alia salvatio patrum et Ecclesiae post exhibitum Christum, sed tantum haec est dissimilitudo, quod illi credebant in venturum Christum, nos in exhibitum.

Sed induite Dominum Iesum etc.

Induere Christum non significat tantum imitationem, quasi dicat, induere ornatum Christi, id est, virtutes imitari, sed plus significat, scilicet apprehendere Christum fide, et credere quod propter ipsum sit nobis pater propicius. Item, quod sit efficax in iis, qui eum invocant. Nam Christus non tantum est exemplum, ut reliqui sancti, sed est causa et autor nostrae salutis, victima et salvator. Quare induere referatur ad utrunque, videlicet, quod fide apprehendamus eum tanquam salvatorem, et agnoscamus eum esse umbraculum, quo tegimur adversus iram Dei. Deinde accedat imitatio exempli.

Caput XIV.

Dictum est antea tria esse genera operum, privata, politica, ceremonias: cumque de caeteris supra utilissima praecepta tradita sint, nunc doctrina de ceremoniis additur. Quia enim haec vita non potest carere ceremoniis, hoc est, ordinationibus aliquis temporum, aut certorum exercitiorum, necesse fuit Ecclesiam admoneri de usu earum. Nam error de ceremoniis parit multa ingentia incommoda.

Primum, Obscuratur doctrina Evangelii de fide et beneficio Christi, cum obrepit opinio, quod tales observationes mereantur remissionem peccatorum, aut quod propter eas simus iusti, sicut imaginabantur Iudaei de suis ritibus. Haec opinio naturaliter occupat animos, nisi ex Evangelio recte doceantur.

Secundum, Extinguitur doctrina de differentia operum, cum ceremoniae anteferuntur vitae politicae: imo anteferuntur etiam interioribus exercitiis spiritualibus, patientiae et invocationi. Sicut Monachi suas observationes vocarunt perfectiones.

Tertium, Obrepit opinio necessitatis, quae est periculosa carnificina conscientiarum.

Quartum, Opinio necessitatis gignit discordias insanabiles, sicut olim de Paschate fuerunt dissensiones.

Quintum, Falso tribuitur Episcopis autoritas condendi novos cultus, cum ignoratur verus usus ceremoniarum. Ita obscuratur novi Testamenti doctrina, et confirmatur impietas, et augetur tyrannis Episcoporum.

Proinde cum error de ceremoniis pariat tanta et tam multa incommoda, necesse est recte tradi usum. Ideo Paulus hic in summa docet, nec Mosaicas ceremonias, nec similes ab hominibus institutas, necessario observandas esse, quia iusticia, de qua concionatur Evangelium, non est observatio rituum Mosaicorum aut similium, sed est agnitio Christi, nova et spiritualis vita in corde. Interea vero in vita exteriore, sicut alias aliis spatiis dierum, ita aliis ritibus alias uti licet. Ideo non vult affingi ritibus opinionem iusticiae ac necessitatis, nec vult seri discordias de ritibus seu Mosaicis, seu humanis. Haec est summa huius capitis, quod non loquitur de sacramentis, quae habent praeceptum, quia sunt signa addita promissionibus. Item sunt testimonia confessionis, sed hic etiam prodest discerni traditiones humanas.

Sunt igitur tria genera. Primum genus est traditionum, quae praecipiunt aliquid, quod non potest sine peccato praestari. Talis est traditio de coelibatu, cum iis imponitur, qui non sunt idonei. Item prophanatio Missarum, cultus san-

ctorum. De hoc genere tenenda est regula: Oportet *Deo* magis obedire, quam hominibus. Quare tales traditiones autoritate divina violantur.

Alterum genus est traditionum, quae constituunt de talibus, quae sua natura sunt adiaphora, ut de feriis, vestitu, cibis. In his considerandi sunt fines. Si finis est politicus, sunt licitae traditiones. Ut cum feriae servantur, non quod opus illud sit cultus, sed ordinis causa, ut populus sciat quo tempore conveniendum est ad audiendum Evangelium, et ad coenam Domini. Quia enim homo naturaliter intelligit ordinem, et ordine debet actiones suas distribuere, ideo etiam actiones ecclesiasticae suum ordinem habere debent, nec potest vita talibus ritibus carere et ordinationibus, quae conducunt ad *εὐταξίαν*. Ideo et Paulus praecipit: Ut omnia fiant in Ecclesia decenter et bono ordine.

Tertium genus est traditionum, cum ad adiaphora accedit opinio cultus, meriti, aut necessitatis. Tales traditiones obscurant doctrinam Evangelii, et opinio accedens facit ex adiaphoris impias traditiones. Ideo recte violantur et abolentur, ut illa opinio falsa corrigatur, quia necesse est errores de cultu, meritis et necessitate abiici.

Est autem cultus tale opus, cuius finis immediatus est non corporalis utilitas, sed ut per id opus Deus honore afficiatur. Sicut de discrimine ciborum sentit populus, hoc opus ideo fieri, quia sit honos, quem requirat aut approbet Deus. De his inquit Christus: Frustra colunt me mandatis hominum.

Et plerunque accedit opinio meriti, quae habet manifestiorem impietatem, videlicet, quod tale opus mereatur remissionem peccatorum, aut vitam aeternam, quod sit iusticia, sit perfectio, sit satisfactio. Hi errores necessario reprehendendi sunt.

Opinio necessitatis, cum violatio putatur esse peccatum mortale. Hanc opinionem etiam damnat Evangelium, iuxta illud: Nemo vos arguat in cibo, potu etc. Sentiendum est igitur, quod Evangelium ordinaverit hanc libertatem in iis, quae sunt concessa verbo Dei, nec velit in talibus iusticiam aut peccatum constitui. Haec genera traditionum meminisse prodest, ut sciatur quomodo reiiciantur traditiones, aut quarum usus retineri possit.

De libertate Christiana.

Hic necesse est etiam dici de libertate Christiana. Facio autem docendi causa quatuor gradus libertatis Christianae.

Primus est, quod non propter legem aut nostras virtutes, sed gratis propter Christum donatur remissio peccatorum, et imputatio iusticiae, et vita aeterna, modo ut credamus haec nobis contingere propter Christum. De hoc gradu concionatur Christus: Si vos filius liberaverit, vere liberi estis.

Secundus gradus est, quod in remissione peccatorum donatur Spiritus sanctus, qui adiuvet nos, ut obedire legi Dei incipiamus, regat et defendat nos adversus insidias diaboli. Hic gradus cum superiori coniunctus est, sed ideo in enumeratione discerno, ut magis conspici beneficia Christi possint. Huc pertinet dictum Pauli: Ubi spiritus Domini, ibi libertas est. Is enim erigit corda, ne opprimantur terroribus peccati, aut aliis terroribus, aut morte. Impellit etiam ut incipiant obedire Deo, sicut alibi dicitur: Spiritus sanctus adiuvat infirmitatem nostram. Haec libertas erit integra post resurrectionem. Interea tamen in hac vita incoari eam oportet, in exercitiis fidei et invocationis. Et in his exercitiis intelligitur et crescit, cum sustentamus nos verbo Dei, ut vincamus terrores ac dolores. Hi duo gradus principaliter sunt Christiana libertas, et pertinent ad vitam spiritualem et aeternam, quae tamen in hac vita incoanda est, et eorum cognitio magnam consolationem piis adfert.

Tertius gradus est, quod Evangelium liberat nos a ceremoniis et forensibus seu iudicialibus legibus Mosi. Hic gradus aliquo modo pertinet ad exteriorem vitam, sed habet causam in superioribus. Ideo enim Evangelium non requirit ceremonias Leviticas, quia docet nos iustos pronunciari, non propter illos cultus, aut alia nostra opera, sed fide per misericordiam propter Christum. Et cum Evangelium doceat de spirituali et perpetua iusticia cordis, non requirit politiam, et leges forenses Mosi, sed concedit in hac vita corporali uti legibus omnium politiarum, in quibus vivimus, modo ut sint consentaneae rationi, sicut concedit omnium gentium architectonica aut medicina uti.

Sed hic quaerat aliquis: Cum Evangelium abroget legem Mosi, cur non etiam decalogum abrogat? praesertim cum illa pars legis sit diffi-

cilima. Respondeo, primum crassissime: Non retinetur decalogus, quia in lege Mosi scriptus est, sed carnales coërcendi sunt lege morali, quia est lex communis omnium hominum. Renati vero incipiunt obedire illi legi, non quia est Mosaicum πολίτευμα, sed quia Evangelium praedicat poenitentiam, et affert Spiritum sanctum, quia spirituales cultus in nobis incoat. Retinetur ergo decalogus, hoc est, lex illa communis omnium hominum, quia et arguit peccata, et docet spirituales cultus.

Haec est crassissima responsio, quae etsi vera est, tamen nondum hac de re satis dictum est. Necesse est igitur adiici principalem causam et doctrinam de abrogatione legis, vel de libertate: videlicet primum, quod ad iustificationem attinet, Evangelium vere liberat nos a tota lege, id est, docet nos pronunciari iustos propter aliud, scilicet propter Christum, non propter legem. Quare credentes in Christum habent remissionem peccatorum, et sunt iusti, etiamsi adhuc haeret in ipsis infirmitas, quae facit, ne satisfaciant legi. Ac principalis causa, propter quam tradenda est legis abrogatio, haec ipsa est, quod oportet conscientias de iustificatione recte doceri. Ideo hanc responsionem adiici necesse est ad priorem.

Secundo, etsi sumus liberati, quod ad iustificationem attinet, tamen lex non est sublata, quod ad obedientiam attinet, quia Evangelium praedicat poenitentiam, et subiicit nos *Deo*, et incoat in nobis spiritualem obedientiam. Quare necesse est incoari illos cultus, qui continentur in lege morali. Et tamen quia non satisfacimus legi, interea docet nos iustos esse alia re, scilicet propter Christum fide. Ita liberat conscientias ab illo horribili onere, scilicet terroribus et damnatione, quam lex afferret, cum ei non satisfaciamus, nisi liberati essemus, ac iusti propter aliud. Hoc docet Paulus, cum inquit: Nos a maledictione legis liberatos esse. Dicit enim diserte a maledictione, ut significet liberationem a lege, esse liberationem a terroribus, et a damnatione, quam lex affert, nisi fide apprehendamus misericordiam propter Christum promissam. Ex his utcunque intelligi potest, quod a tota lege liberati sumus, quod ad iustificationem attinet, et tamen obedientiam incoari necesse sit.

Quartus gradus Christianae libertatis est, quod Evangelium, etsi concedit aliquas ordinationes temporum, aut exercitiorum in Ecclesia ab hominibus propter εὐταξίαν fieri, tamen vult nos sentire observationes illas non esse cultus, non mereri remissionem peccatorum, non esse iusticiam aut perfectionem. Item extra casum scandali posse eas omitti sine peccato. De hoc gradu docet Paulus ad Coloss. cap. 2.: Nemo vos iudicet in cibo, potu etc. Nec loquitur tantum de Mosaicis ritibus, sed in genere de Mosaicis et de omnibus aliis ceremoniis, quae humana autoritate instituuntur in Ecclesia. Ideo postea expresse nominat humanas traditiones, inquiens, iuxta praecepta et doctrinas hominum.

Estque huius gradus cognitio admodum necessaria Ecclesiis, ad multos errores cavendos. Quia enim homines naturaliter proni sunt ad falsos cultus, et in periculis confugiunt ad suam iusticiam aut merita, errore excogitant et cumulant cultus. Ideo necesse est Ecclesias praemoneri, ut vere intelligant doctrinam de fide et de vera invocatione, et cultum fidei, et sciant Deo displicere cultus institutos sine mandato divino.

David de Leviticis dicit: Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem, utique holocaustis non delectaberis. In hoc versu significat humanas mentes in terroribus quaerere sacrificia, sed revocat eas ab operibus ad fidem et agnitionem misericordiae. Hoc cum de sacrificiis Leviticis dicatur, quanto magis detrahenda est humanis traditionibus opinio cultus aut meriti. Si quis nunc restitueret circumcisionem, aut Levitica holocausta, omnes eum merito abominaremur. Sic abominari debemus monasticam, et ceremonias impiorum, quae fiunt cum opinione cultus aut meriti. Haec similitudo piis proponenda est, ut firmius statuant illos cultus improbandos et fugiendos esse.

Sed recensui supra plures causas, propter quas opus est Ecclesiae, cognitione libertatis de hoc quarto gradu. Nam et opinio necessitatis fit periculosa carnificina conscientiarum. Quare prodest extare hanc regulam, quod extra casum scandali traditiones in Ecclesia factae humana autoritate, sine peccato omitti possint, etiamsi non praecipiunt aliquod impium opus. Et tamen interim pii docendi sunt in Ecclesiis recte institutis, ut libero animo, propter exemplum et bonum ordinem, servent utiles ritus, quia haec vita humana non potest carere certis ordinationibus, ut constat.

De scandalo.

Scandalum significat offensionem, quae deterret animos, vel invitat ad imitationem. Est autem duplex. Alterum genus vocatur pharisaicum scandalum, id est, offensio, quam concipiunt hypocritae propter veram doctrinam, aut factum, quod Deus requirit vel approbat, qua offensione incitantur hypocritae ad odium verae doctrinae et piorum. Id scandalum non potest vitari, nec peccant pii propter talem furorem impiorum. Imo necesse est obedire mandato Dei, contra impiorum iudicia et odia, quia Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium praedicaverit, anathema sit. Ac diligenter erudiendi sunt pii et muniendi, ne hypocritae deterreant eos a professione, cum obiiciunt pericula, motus, dissipationes, quae sequuntur persecutionem. Adversus hos terrores oportet animos bene munitos esse, ne languefacti abiiciant veritatem.

Alterum genus scandali est impia doctrina, aut factum malum, aut indifferens, petulanter susceptum apud infirmos, quo deterrentur ab Evangelio, vel quocunque modo sauciantur eorum animi. Haec scandala sunt cavenda. Sed nocentissimum omnium est impia doctrina, quia laedit gloriam Dei, et perdit auditorum animos innumerabiles.

Deinde quodlibet factum malum manifestum est scandalum, quia mala exempla invitant alios ad imitationem, et minuunt reverentiam Dei, et saepe faciunt, ut ipsa Ecclesia et doctrina male audiat, et deterreantur moderati homines a vera doctrina. Sicut male audisset doctrina, si Ioseph commisisset adulterium. Econtra vero eius continentia multis modis fuit gloriosa piae doctrinae, et attulit ingentia commoda toti regno. Hoc exemplum cum sit illustre, ostendit quantum referat huius generis scandala caveri. Ac meminerimus omnia facta nostra pertinere non tantum ad nos, sed etiam ad gloriam Dei. Sicut scriptum est: Propter vos male audit nomen Dei inter gentes.

Postremo in usu indifferentium petulantia cavenda est, ne mores indifferentes mutentur apud eos, qui aut nondum audierunt doctrinam de libertate, aut adhuc sunt infirmiores, ut periculum sit, ne moti mutatione talium morum deterreantur ab Evangelio. Et tamen non persequuntur piam doctrinam, sed sunt dociles. Verum postquam tradita est doctrina, et hypocritae se opponunt, rectum est ostendi illis exempla libertatis, et haec exempla sunt pars confessionis, Gal. 1. Sic Apostoli violabant traditiones pharisaicas.

Infirmum in fide assumite.

Dicturus de usu ceremoniarum et de libertate, initio proponit admonitionem de tolerandis infirmis. Tradit autem praeceptum, quo utendum est non adversus persecutores impios, hostes Evangelii, sed erga membra nostra, hoc est, erga eos, qui doceri se sinunt, et audiunt Evangelium, hos vetat deterreri exemplis inusitatis, quo minus amplectantur Evangelium.

Vocat autem infirmum in fide, nondum satis eruditum in doctrina libertatis. Porro cum inquit sublevandum esse, ne incidat in dubitationes, utrunque monet, ne cogatur aliquid facere contra conscientiam, seu improbante conscientia. Item ut paulatim provehatur, et eripiatur et liberetur a dubitatione. Nam dubitatio in quocunque articulo, si non emendetur, sed augescat, est horribilis pestis, et excutit fidem, et accersit desperationem, odium totius Evangelii, et manifestam impietatem. Sicut accidit Iuliano et multis similibus.

Deus enim illum assumsit.

Primum autem observabis praeceptum de cavenda dubitatione. Deinde observabis hic egregiam consolationem propositam esse. Testatur enim Paulus infirmos a Deo receptos esse, sed intelligit non hostes aut persecutores, sed eos qui audiunt Evangelium, qui sunt dociles, et habent initia timoris Dei, et fidei in Christum, sicut Apostoli ante resurrectionem erant iusti, etiamsi habebant suas infirmitates, ut apparet in historia evangelica.

Hoc exemplum transferamus ad nos, et meminerimus nos quoque habere multas infirmitates, neque tamen propterea fidem abiiciamus, quia hic scriptura testatur infirmos recipi, sed monet simul etiam paulatim provehendos esse infirmos.

Tertio traditur praeceptum contra dubitationem, id est, ne quid faciamus improbante conscientia. Unusquisque in sua mente certus sit. Haec sententia vetat facere contra conscientiam. Nam qui contra conscientiam facit, palam contemnit mandatum Dei. Facile autem intelligi po-

test, hunc contemtum vere esse peccatum: ergo omnis actio contra conscientiam est vere peccatum.

Tu quis es, qui iudicas alium?

Tradit regulam necessariam in Ecclesia, ne quid faciamus contra conscientiam. Postea prohibet mutuas condemnationes in usu indifferentium, ut rituum de cibis, diebus, et aliis huius generis. Et addit argumentum de iudicio. Iudicium est Christi: ergo nos non debemus nobis arrogare iudicium, videlicet de conscientia alterius, non de externo facto palam illicito. Haec regula late patet, sicut et illa: Nolite iudicare. Non enim prohibentur ministeria, scilicet doctrina, aut admonitio fraterna, aut officium magistratus. Haec enim habent mandata Dei, et sunt iudicia divinitus instituta. Sed prohibentur privata iudicia, hoc est, condemnationes extra illa tria officia, quae recensui, videlicet ortae ex morbo animi, malevolentia, aut vanitate. Deinde iudicium, quod fit per hominem, fieri debet de externo facto illicito. Sed est usitatissimum in mundo calumniose interpretari aliorum dicta, et facta non illicita. Haec iudicia in usu indifferentium improbat Paulus, et vetat condemnationes propter dissimiles ritus indifferentium fieri, sicut olim fuerunt certamina de die Paschae, de fermentato, et huiusmodi alia.

Verum illud iudicate magis.

Addit praeceptum de vitandis scandalis. Dictum est supra de diversis generibus scandali. Nunc tantum loquitur de hoc genere, videlicet cum aut liberiores abutuntur libertate, aut econtra duriores, qui tamen non sunt hostes Evangelii, reprehendunt usum libertatis. Utrique obiurgandi sunt, et quanquam abusus libertatis est vituperandus, tamen in altera parte plus est vitii, quae etiam propter gratuitatis speciem plus nocet, quando morosiores sauciant conscientias piorum, qui libertate utuntur, et deterrent multos simplices ab Evangelio, et in multis contristant Spiritum sanctum. Cum igitur in utramque partem plurimum sit periculi, opus est Christianis magna diligentia, ne peccent, aut morosis reprehensionibus, aut abusu libertatis, sed teneant caput, id est, doctrinam, quod hic usus sit indifferens, ut Paulus inquit 1. Corinth. 8.: Esca non commendat nos Deo.

Praecepto de vitandis scandalis adiecit quatuor rationes, plenas Christianae eruditionis. Prima sumta est ex genere operum, quod videlicet usus rerum divinitus ordinatus et concessus, per sese non sit immundus, seu prohibitus. Scio, inquit, nihil esse commune per sese. Appellat enim commune, prophanum, illicitum, prohibitum, non sanctum, more Iudaico. Iudaei enim cum vocentur populus Dei, et sanctus, id est, separatus a gentibus ad cultum Dei, vocabant sancta omnia, quorum usus ipsis concessus erat. Et quidem erant sancta, quia erant ordinata verbo Dei. Econtra prophana et prohibita nominant communia, id est, non sancta, non separata ad usum populi sancti, sed quibus Gentes utebantur. Haec de appellatione tantum dixi: nunc ipsa etiam regula consideretur, quae breviter hic tradita est, alibi vero copiosius explicatur, scilicet, quod Evangelium non requirat certas observationes ciborum, dierum, vestium, et similes causae supra tractatae sunt, quia Evangelium docet gratis propter Christum, non propter nostra opera aut observationes remitti peccata. Item, Evangelium affert iusticiam et vitam spiritualem et perpetuam. Ad hanc nihil faciunt observationes externae ciborum et similium.

Nisi ei qui existimat etc.

Adiecit regulae appendicem. Munda, hoc est, licita fieri illicita iis, quorum conscientia iudicat esse illicita. Ideo hic locus diligenter considerandus est, ut discamus vere peccatum esse facere contra conscientiam. Est enim sententia huius dicti: Cibi genus per se quidem est licitum, sed qui improbante conscientia vescitur, is peccat: Quia facere aliquid dubitante vel improbante conscientia, est agere ex contemtu Dei, et sine fide.

Verum si propter cibum frater tuus etc.

Secunda ratio sumta ex officio fraternae dilectionis, et est magnifice exaggerata. Contra fraternam dilectionem est nocere aliis: ergo cave ne tua exempla noceant aliis. Argumentum accommodetur ad utrosque, ad institutos, qui petulanter abutuntur libertate, et ad morosos, qui acerbe iudicant de utentibus libertate. Saepe enim illa acerbitas iudiciorum deterret infirmos ab Evangelio, et sauciat mentes etiam mediocriter confirmatas: imo contristat Spiritum sanctum,

videlicet ita, ut aliqui desperabundi deficiant ab Evangelio, et amittant Spiritum sanctum. Haec scandala magno studio cavenda sunt, iuxta illud: Vae homini, per quem accidit scandalum.

Vituperetur bonum vestrum.

Tertia ratio a dignitate Evangelii sumta est. Cavendum est, ne male audiat Evangelium, laeditur enim gloria Dei, cum eius verbum vituperatur, et impeditur profectus hominum. Non enim amplectuntur homines doctrinam, quam contemnunt, ac rixae non necessariae alienant animos imperitorum et simplicium ab Evangelio, qui incipiunt odisse genus doctrinae, tanquam seminarium odiorum. Accedunt et illa scandala, quae alienant animos. Abutentes libertate augent licentiam vulgi. Econtra morosi deterrent imbecilles virulentia iudiciorum suorum etc. Has offensiones animorum iubet diligenter caveri, propter gloriam Evangelii, ut doctrinam plures ament et amplectantur.

Non enim est regnum Dei etc.

Quarta ratio sumta est ex collatione necessariorum et non necessariorum, et est utile dictum de discrimine verorum et falsorum cultuum. Necessaria non sunt corrumpenda non necessariis. Ritus ἀδιάφοροι non sunt necessarii, ergo propter eos non corrumpantur necessaria, scilicet fides et pax Ecclesiae, aedificatio proximi.

Porro saepe alias docet scriptura, veros cultus Dei esse poenitentiam, fidem, dilectionem, castitatem, et similes motus spirituales, sicut hanc ipsam sententiam complectitur alibi Paulus: In Christo Iesu neque circumcisio valet, nec praeputium, sed fides, quae est per dilectionem efficax. Item: Adorabunt patrem in spiritu etc. Econtra vero de traditionibus humanis dicit: Frustra colunt me mandatis hominum.

Haec doctrina magnopere necessaria est in Ecclesiis, ut sciamus opera sine mandato Dei excogitata non esse cultus Dei. Sed revocentur animi ad opera divinitus mandata. Estque magna consolatio piis, intelligere hos veros cultus, scire quod Deus vere requirat invocationem et fidem, quod velit exaudire, quod placeant ei haec communia officia oeconomica et politica, si fiant in fide, quae quidem propter communes afflictiones sunt exercitia fidei. Ideoque in Prophetis et Psalmis toties repetitur haec doctrina, ut Psalm. 49.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Et Esaiae 1. et 58. Micheae 6. Zachar. 7.

In hanc sententiam et hic ait Paulus: Regnum Dei esse iusticiam, pacem et gaudium in Spiritu sancto. Significat insticia esse iustum, id est, acceptum Deo, et iam subiicientem se Deo, et incoare obedientiam. Pax et gaudium in Spiritu sancto significant idem, scilicet pacem conscientiae erga Deum, quae fit fide, cum vere agnovimus remissionem peccatorum. Et hanc agnitionem misericordiae sequuntur invocatio, obedientia, patientia, diligentia in retinenda concordia, vitandis scandalis, iuvanda Ecclesia. Sic complectitur Paulus omnes spirituales cultus, sicut alibi saepe.

Qui in his servit Christo.

Est autem insignis particula adiecta: Qui in his servit Christo, placet Deo, et est probatus hominibus. Hic locus continet perspicuum testimonium de bonis operibus, quod placeant Deo. Sed diserte inquit Paulus: Qui servit Christo, ut testetur se loqui de operibus illorum, qui fide in Christum sunt iusti, et agnoscunt illum cultum placere propter mediatorem et pontificem Christum.

Deinde addita est utilis doctrina, ut servientes Christo, postea etiam iudicia hominum, et maxime piorum seu Ecclesiae vereamur. Sed loquitur de his, qui serviunt Christo, ut sciamus non anteponenda esse iudicia hominum doctrinae et mandato Dei. Sed cum mandatum Dei et doctrinam retinemus, postea danda est opera, ut mores nostri ornent Evangelium, et invitent alios ad credendum et glorificandum Deum, iuxta illud: Luceat lux vestra coram hominibus.

Porro quicquid non est ex fide etc.

Saepe in hoc capite inculcavit regulam, ne quid faciamus contra conscientiam. Nunc in fine addit, ut etiam hoc opus fiat ex fide. Haec additio diligenter est consideranda: nam ignorantibus veram doctrinam Evangelii non satis perspicua est haec additio: vulgo autem sic interpretantur dictum Pauli: Quicquid non est ex fide, peccatum est, id est, quicquid fit contra conscientiam, peccatum est. Sed hoc non satis explicant, tantum enim accommodant ad legem, ut

furtum fit contra legem, ideo peccatum est et contra conscientiam, in eo, qui sciens furatur. Haec interpretatio vera et necessaria est. Necesse est enim in operando primum consulere legem, ut sciamus, quae opera Deus prohibeat aut praecipiat, et opera contra legem Dei esse peccata, non dubium est.

Sed cum Paulus nominat fidem, non tantum requirit legem, aut noticiam historicam, sed veram fidem, ac docet opera mandata aut concessa a Deo, facienda esse in fide, id est, cum hac fiducia, quod Deus propter mediatorem Christum nobis sit propicius, et quod propter illum pontificem nostra opera placeant. Quare dictum Pauli non tantum ad legem, sed etiam ad Evangelium accommodari necesse est.

Sed quaerat aliquis: Quomodo statuamus Deo placere nos aut opera nostra, praesertim cum contaminentur contagio concupiscentiae? Respondeo: Securi qui sine poenitentia sunt, non intelligunt hanc doctrinam de fide, sed in veris afflictionibus illucescit animus, cum cogitant se non exaudiri a Deo, se abiectos esse, et nullum fore finem calamitatum etc. In talibus doloribus erigendi sunt animi fide, ut statuamus Deum nobis vere ignoscere propter Christum, vere nos exaudire et curare.

In tali consolatione potest intelligi, qui sit fides, ac tunc fides repugnat naturali dubitationi, et vincit diffidentiam. Hac fide primum persona placet Deo propter Christum, deinde statuit etiam placere bona opera propter pontificem Christum, tametsi sunt imperfecta et immunda. Et necesse est doceri homines, quod requirat Deus, ut in fide serviamus, non in dubitatione perpetua. Non sic cogitent, etsi servio Deo, et invoco eum tamen dubitare debeo, an haec ei placeant. Haec dubitatio continet multa peccata, negat Evangelium, negat Deum remittere peccata, nihil expectat a Deo, et tacite indignatur, et fremit adversus Deum. Haec sunt peccata, quae proprie per legem existunt, ut vocat Paulus.

Quare necesse est hanc dubitationem in Ecclesia reprehendi, et opponi doctrinam de fide. Reprehendendus est etiam vulgatissimus error, qui in Ecclesiam sparsus est, scilicet, quod Christianus debeat dubitare, an sit gratia. Item, quod haec dubitatio non sit peccatum, et ad hoc allegant dictum ex Ecclesiaste: Nescit homo an amore vel odio dignus sit. Deinde quaeruntur coniecturae ab operibus, utrum simus in gratia, et tamen asserunt adversarii, quod sit dubitandum, et quod dubitatio non sit peccatum. Haec tota imaginatio pugnat cum doctrina de fide.

Porro non negamus haerere in animis naturalem dubitationem, et diffidentiam, quam omnes experiuntur. Sed illud sciendum est, hanc ipsam dubitationem et diffidentiam esse peccatum, et oriri ex naturali caecitate, quae repudiat promissionem Evangelii. Etsi igitur haeret in animis illa dubitatio, tamen opponi debent haec duo, scilicet promissio evangelica, et mandatum, quod praecipit, ut credamus illi promissioni. Repugnandum est igitur dubitationi, et vincenda diffidentia, ac statuendum, quod Deus vere ignoscat credentibus, eosque vere recipiat, curet et exaudiat. Et hanc fidem verbo effici et ali sciamus.

Nec solum promissio requirit, ut credamus, sed etiam praeceptum additum est immutabile, quod severissime mandat, ut credamus, vere nobis contingere propter filium Dei, ea quae promissa sunt. Sicut dicitur 1. Ioan. 3.: Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filii eius. Item: Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. Et Ebr. 4.: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae. His mandatis et promissionibus repugnat doctrina, quae iubet dubitare.

Quare luctandum est cum dubitatione, et erigenda fides in omni invocatione. Sicut et Iacob praecipit: Postulet in fide nihil haesitans. Nec placent Deo cultus in illis, qui non repugnant dubitationi, sed taciti apud se retinent diffidentiam, quod non respiciantur, quod sint abiecti. Haec peccata agnoscere discamus, ut eis repugnemus, et vera exercitia fidei excitemus.

Sic ergo intelligatur dictum Pauli: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Meminerimus facienda esse opera praecepta a Deo, et facienda in hac fide, quod Deus sit nobis propicius propter mediatorem Christum, et propter eum exaudiat et curet nos, et condonet infirmitatem et bona opera approbet.

Iam ad hanc sententiam conferantur cultus hypocritici. Cum faciant opera non mandata a Deo, non possunt credere talem cultum ei placere, quia nullum habent verbum de voluntate Dei. Secundo, Quia doctrinam de fide impro-

bant, et iubent dubitare, accedit alia impietas, invocant sicut gentes, tacite cogitantes apud se, se non respici, non curari, non exaudiri a Deo, fortassis etiam abiectos esse. Haec perpetua dubitatio est impietas, etiamsi mundus eam non iudicat peccatum.

Quomodo igitur dictum Salomonis intelligendum est: Nescit homo, an amore vel odio dignus sit? Respondeo simplicissime: Salomon non loquitur de iudicio conscientiae erga Deum, de gratia vel abiectione, sed de eventibus in hac vita, hos dicit esse incertos, et bonis et malis similia accidere in hac vita. Haec incertitudo offendit Epicureos, ac movet, ut negent providentiam. Abel est pius, et tamen trucidatur a fratre. Ioannes Baptista interficitur, interim tyrannus fruitur omnibus voluptatibus, et multi impii non habuerunt tragicos exitus. Haec argumenta collegit Salomon, ut admoneat nos, ne propter hoc scandalum deficiamus a Deo, neve ex eventibus iudicemus de voluntate Dei, sed ex verbo. Item, ne pii fiant securi, et exuant timorem Dei, ne fiducia propriae iusticiae aliquid moveant sine vocatione etc.

De Ecclesia et autoritate verbi Dei.

Saepe disputari solet, quantum tribuendum sit Ecclesiae sententiis, decretis Synodorum, et scriptorum dictis. Etsi enim regulam tenemus, ut verbum Dei amplectamur, tamen cum videantur in apostolicis scriptis occurrere loci ambigui, disputant aliqui potius esse sententias Ecclesiae sequendas, quam scripta Apostolorum.

Deinde affingunt autoritatem Ecclesiae anteferendam esse verbo Dei, ac posse Ecclesiam mutare tradita in verbo Dei. Citant ad has opiniones dictum Augustini: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret autoritas. Itaque falso praetextu nominis Ecclesiae pontifices decernunt, et praecipiunt multa pro libidine contra verbum Dei, confirmant et stabiliunt impiam doctrinam, et impios cultus ac plurimos etiam nunc deterret a vera doctrina Evangelii, quam profitemur, solum nomen Ecclesiae. Ideo necesse est de autoritate Ecclesiae recte admoneri homines.

Rursus etiam quaedam petulantiora ingenia, cum fingunt ex dictis scripturae male detortis novas opiniones, et prorsus aspernantur consensum verae Ecclesiae, et omnes synodos sine discrimine, ut cum Servetus rixatur cum Ecclesia omnium temporum, et depravat dicta de verbo Ioannis primo, et quaerit concinniorem, ut ipse putat, interpretationem. Ut igitur talis petulantia coërceatur, aliquo modo septis, ut ita dicam, opus est Ecclesiae, sicut veteres synodi et scriptores allegant prima testimonia ab Apostolis et certis autoribus accepta.

Tertullianus contra Praxeam inquit, hanc regulam tenendam esse adversus omnes haereses: Rectum est quodcunque primum est, adulterinum vero, quodcunque posterius. Et quidem vocat primum, quod Apostoli certo tradiderunt, sic enim ipse sese interpretatur.

Irenaeus contra Florinum allegat autoritatem superiorum, ac nominatim Polycarpi, qui fuerat auditor Ioannis Apostoli. Inquit enim, execraturum fuisse dogmata Florini, si ea audisset, et vitaturum locum, in quo illa dicta essent, tanquam pollutum.

Basilius allegat nutricem suam, cuius pietatem ait tunc in primis fuisse laudatam, et addit eam accepisse doctrinam a Gregorio Neocaesariensi, qui illo tempore eruditione et miraculis claruit, et refutavit Samosatenum, ac reliquit brevem confessionem fidei, quae continet illustre testimonium de Trinitate, extat autem in libro 7. Ecclesiasticae historiae.

Origenes allegat Apostolos de baptismo infantum. Ait enim in cap. 6. ad Rom. Ecclesias accepisse traditionem ab Apostolis, ut baptizentur infantes. Hi recte allegant autoritatem Ecclesiae. Quare ordine dicam, quid sit Ecclesia, et quod audienda sit, ac probatis testimoniis utendum, et tamen doctrina iudicanda sit ex verbo Dei, ut maneat summa autoritas verbi, iuxta illud: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit.

Primum autem cum nomino Ecclesiam, non intelligo Pontifices, Episcopos, et caeteros, qui probant ipsorum opiniones. Nam hi sunt hostes verae Ecclesiae, partim Epicurei, partim idolatrae manifesti. Sed voco Ecclesiam coetum vere credentium, qui habent Evangelium et sacramenta, et sanctificantur Spiritu sancto, sicut Ephes. 5. describitur Ecclesia, et Ioannis 10.: Oves meae vocem meam audiunt.

Etsi autem necesse est, hanc veram Ecclesiam semper durare, quia regnum Christi est per-

petunm, et scriptum est: Manebo vobiscum usque ad consummationem seculi, tamen sciendum est hanc veram Ecclesiam non semper pariter florere, sed saepe admodum exiguam esse, ac subinde restitui divinitus, missis veris doctoribus, ut Noae tempore fuit angusta Ecclesia, et paucorum coetus.

Ita post diluvium retinuit veram doctrinam Melchisedech, qui fuit Sem, filius Noae, et cum idolatria apud Chaldaeos crevisset, ac pene ubique extincta esset vera doctrina, Deus renovat Ecclesiam vocato Abraham. Postea familia Abrahae, et pauci eius auditores sunt Ecclesia, cum interim Chaldaei et Aegyptii gloriarentur se esse posteros patrum, se retinere patrum exempla et cultum, et praedicarent se esse populum Dei, cum verbum Dei non retinuissent, etiamsi ceremonias retinuerant, quibus tamen affinxerant perversas opiniones, et addiderant idolatriam.

Tempore Achaz fuit in Israël pene extincta Ecclesia, postea per Eliam et Elisaeum rursus aucta est, deinde iterum collapsa est.

Cum nasceretur Christus, fuit in Iuda admodum exigua Ecclesia, Maria, Ioseph, familia Zachariae, Simeon, Anna, pastores et pauci alii. Interea regimen ecclesiasticum fuit penes Pharisaeos et Saducaeos, qui erant palam impii. Saducaei etiam erant Epicurei, et tamen arrogabant sibi praecipue titulum populi Dei.

Sic et tempore Prophetarum exigua fuit vera Ecclesia. Esaiae primo: Nisi Dominus reliquisset semen, sicut Sodoma et Gomorra facti essemus. Haec verba gravissime monent nos, ne de Ecclesia cogitemus, tanquam de mundana politia, ne eam successione Episcoporum, aut gradu, et loco pontificum metiamur, sed apud eos statuamus Ecclesiam, qui retinent veram doctrinam Evangelii. In hoc coetu esse aliquos vere credentes necesse est. Nam ad hunc coetum pertinent promissiones. Ideo Esaias detrahit illum augustum titulum suis principibus et pontificibus, et inquit exiguum semen reliquum esse in illo ipso populo, qui vocabatur populus Dei.

Et Ieremiae tempore, cum et reges et sacerdotes adversarentur, non erat Ecclesia coetus sacerdotum, sed illi, qui credebant concionibus Ieremiae. Amos 3.: Sic liberabitur Israël, ut si pastor duo crura leoni ex faucibus eripiat. Denique fuit exigua Ecclesia prae multitudine impiorum, cum omnes gentes, praeter populum Iuda, prorsus amisissent noticiam Dei.

Praedicit et scriptura futuras post Apostolos Ecclesiae clades, Matth. 24.: Multi pseudoprophetae surgent, et decipient multos. Item: Cum videbitis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Hic significat in Ecclesia, quae sic dicitur, orituram esse idololatriam, qua obruentur vera doctrina et veri cultus, et fiet Ecclesiae vastitas, id est, solitudo seu extinctio: atque ita accidit. Postquam abusus Missarum et cultus traditionum orti sunt, secutae sunt tenebrae de veris cultibus, de fide, de invocatione in fide, de officiis vocationis. Quia conscientia intuens in propria merita, non potest remissionem peccatorum intelligere, nec veram invocationem, et expectationem auxilii divini etc.

Item, facient signa et prodigia, ut, si fieri posset, seducantur enim electi. 2. Thess. 2.: Veniet defectio etc. Luc. 18.: Putas quod veniens filius hominis inveniet fidem. Psalm. 88.: Nuuquid vane constituisti omnes filios hominum? etc. Est enim querela de ventura Ecclesiae ruina. Haec dicta testantur, etiamsi Ecclesiam conservari necesse est, tamen, praesertim postremo tempore, admodum exiguam et paucorum coetum esse, qui sunt spreti et abiecti in hac vita, sicut inquit Paulus: Non multi sapientes, non multi potentes etc.

Haec testimonia eo citavi, ut primum cogitetur, quid sit Ecclesia, et abducatur animus a carnalibus opinionibus, quae fingunt Ecclesiam esse politiam pontificum, et alligant eam ad ordinarium successionem Episcoporum, sicut imperia consistunt in ordinaria successione principum, sed Ecclesia aliter se habet: est enim coetus non alligatus ad ordinariam successionem, sed ad verbum Dei. Ibi renascitur Ecclesia, ubi Deus restituit doctrinam, et dat Spiritum sanctum. Et hoc modo regi et conservari Ecclesias, non ordinaria successione testatur Paulus Ephes. 4.: Dedit dona hominibus, Apostolos, Prophetas etc. Docet enim eam esse proprie Ecclesiam, in qua Christus est efficax, et cui dat veros doctores.

Ideo cum obiicitur nobis nomen et autoritas Ecclesiae, primum consideremus, an fiat mentio verae Ecclesiae, an vero coetus pontificum, et successionis illius, et politiae, nec nos sinamus a verbo Dei deterreri falso praetextu nominis Ecclesiae.

Secundo: Postquam dictum est, quae sit vera Ecclesia, iam addendum est, hanc veram Ecclesiam, quae est exigua, ac tantum sanctorum, retinere veram doctrinam Evangelii, seu articulos fidei, sicut Paulus eam vocat, sedem veritatis. Sed haec ipsa vera Ecclesia habet doctrinam alias magis, alias minus puram et perspicuam. Habet et multa infirma membra, ut Apostoli erant Ecclesia, nec tamen intelligebant ante Christi resurrectionem, quale esset futurum regnum Christi. Petrus etiam post datum Spiritum sanctum adhuc imaginabatur, cultus legis necessarios esse, sed de coelo admonitus, didicit regnum Christi non esse politiam Iudaicam, sed cultus spirituales ac perpetuos, Act. 9.

Postea incoata praedicatione Apostolorum, lucebat in ipsis doctrina pura et perspicua, et tamen interea erant multi infirmi, qui tametsi essent vera membra Ecclesiae, et tenerent articulos fidei, tamen aliquid addebant erroris, ut qui observabant cultus legis, nec satis intelligebant abrogationem legis et veros cultus. Hic error non erat levis, et aliquam caliginem offundebat articulis fidei. Ita Christus praedicit de Ecclesia postremi temporis, futuras magnas tenebras, quae etiam electos impedient, quo minus puram doctrinam habituri sint.

Manet igitur aliqua vera Ecclesia, quae retinet articulos fidei, sed interdum minus puros, et obscuratos aliquibus incommodis opinionibus, et habentibus aliquid erroris. Ac loquor adhuc de veris Ecclesiae membris, et sanctis, non de aliis, qui amissa luce verbi amittunt Spiritum sanctum, et sequuntur rationis iudicium, et cum putent se admodum pia tradere, dicunt aliena et impia. Sicut nunc quoque multi sunt praestantes doctrina, bonis moribus, specie pietatis, qui videntur sibi sanctissima dicere, cum procul absint a vera luce, hoc est, a vero intellectu verbi Dei. De talibus nondum loquor, verum adhuc tantum fit mentio de veris membris Ecclesiae, quae magna ex parte sunt infirma.

Sic igitur inquit Paulus: Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est. Sed alius superaedificat aurum, alius lignum, stipulas etc. Fundamentum intelligit articulos fidei, hoc est, summam doctrinae Christianae, et doctrinam de beneficiis Christi, sed ad hanc, inquit, addent alii utilem doctrinam et explicationem, et veros cultus spirituales: haec vocat aurum. Alii addent stipulas, id est, opiniones incommodas, et aliquid erroris habentes, sicut initio statim conditae sunt ceremoniae, quae secum traxerunt falsas opiniones.

Ut Ambrosium existimo esse verum membrum Ecclesiae, is tamen inquit de ieiunio quadragesimae: Caetera ieiunia sunt voluntatis, hoc necessitatis est. Haec opinio est stipula addita doctrinae fidei.

Sed Basilius addidit Monasticen, tanquam stipulas, et laudat hoc genus vitae immodicis et falsis praeconiis, cum quidem ab Episcopo suo reprehenderetur. Quod autem non sit leve erratum, instituere novos cultus, saepe monet scriptura, et satis significat haec una sententia: Frustra colunt me mandatis hominum. Grave peccatum est contra primum praeceptum, cultus non mandatos a Deo instituere aut approbare. Nam primum praeceptum, cum prohibet alienos cultus.

Cyprianus urget poenas canonicas, quarum tunc erat usus, et confirmat opiniones, quasi sint necessariae, et propter eas remittantur peccata, interdum inquit absolutionem sine illis inutilem esse. Fortasse sentiebat commodius, quam locutus est, tamen illi errores non sunt leves, sed admodum densae stipulae, obscurantes puram doctrinam de beneficiis Christi, et de fide.

Porro saepe scriptores commodius senserunt quam loquuntur, quia plerique fuerunt admodum in dicendo negligentes et improprii, et multas sententias ac formulas a vulgo mutuantur, in quibus aliquid inest errorum, ut nomen satisfactionum sumit Augustinus a vulgo, etiamsi errores de satisfactionibus palam reprehendit. Torquet se in hac sententia interpretanda: Omne peccatum est voluntarium, ubi disputat de peccato originis, cum tamen sententia sit civile dictum, de externis delictis traditum.

Sic vocant coenam Domini oblationem, populi more, cum non sit instituta oblatio, sed Christus ipse fuerit sacerdos, offerens sacrificium. Ac ne fiebat quidem olim in ceremonia coenae oblatio corporis et sanguinis, sed ante consecrationem offerebantur panes et aliae res, et sacerdos dicebat se offerre preces, gratiarum actionem, et totum cultum, qui ibi fieri solet. Etsi igitur oblatio non uno modo intellecta fuit, tamen postea nomen detortum est ad oblationem corporis, unde secuti sunt ingentes abusus.

Dionysius in eo libro, qui continet ceremonias Ecclesiae, cum ritum syntaxis diligenter describat, tamen prorsus nullam facit mentionem de oblatatione corporis dominici. Nec canon Basilii continet hanc oblationem. Sed postea dicam plura de coena Domini. Haec tantum addidi, ut ostenderem veteres interdum mutuatos esse sermones incommodos a populo, ut fieri solet omnibus aetatibus.

Interdum vincuntur iudiciis et exemplis multitudinis, quae non est pia, ut trahantur in superstitiones aliqua humana imaginatione, ut in Synodo Nicena, nisi unus Paphnutius obstitisset, fuisset approbata sententia illorum, qui volebant decretum fieri, ut sacerdotes abstinerent a suis uxoribus. Sic Cyprianum et multos alios vicit consuetudo, ut probarent prohibitionem coniugii.

Item tota synodus Nicena consensu multitudinis aut temporis victa, approbavit Canones poenitentiae, qui postea pepererunt non tolerandos errores. Magna exempla etiam pios saepe fallunt, sicut Antonii exemplum multis offudit caliginem. Hactenus dixi de piis, qui etiamsi sunt sancti, tamen plurimi sunt infirmi. Addam nunc de lapsis.

Interdum pii prorsus labuntur, et amittunt Spiritum sanctum, sicut Origenem iudico prorsus fuisse lapsum, praesertim si affirmavit illos prodigiosos errores, quod fuerint innumerabiles mundi, quod diaboli postremo sint salvandi. Tertullianus etiam impie damnat secundas nuptias: fortassis autem resipuerunt. Multi enim vere lapsi in vita et doctrina, tamen resipiscunt. Et saepissime fit, ut sancti vere labantur, nec iudicent iuxta verbum et spiritualem lucem, sed decipiantur imaginatione rationis, qui tamen deinde resipiscunt. Sicut Gedeon prorsus lapsus est, humano consilio instituens cultum.

Ex his omnibus sequitur conclusio: Etsi vera Ecclesia, quae est exigua, retinet articulos fidei, tamen illa ipsa vera Ecclesia potest habere errata obscurantia articulos fidei. Praeterea multi ita labuntur, ut approbent prorsus impios errores contra articulos fidei, etiamsi fortassis aliqui resipiscunt.

Primum igitur, cum autoritas Ecclesiae allegatur, quaerendum est, an fuerit verae Ecclesiae consensus, congruens cum verbo Dei.

Deinde dicendum est, scriptores, qui extant, saepe lapsos esse, et fortassis aliquos ne quidem membra Ecclesiae esse.

Tertio addendum est aliud discrimen. In illo coetu, qui vocatur Ecclesia, est ingens multitudo impiorum, quorum plerique antecedunt caeteros autoritate, specie religionis, opinione doctrinae, quales fuerunt in populo Iuda, tempore Hieremiae pontifices, et sacerdotes impii, qui et ipsi contra Hieremiam allegabant autoritatem sedis ac legis, et promissiones: Non peribit lex a sacerdotibus, negabant suum coetum errare posse, cum tamen prorsus errarent, et dissentirent a Hieremia. Item tempore Christi erant paucissimi pii, videlicet Zacharias et Simeon.

Porro cum impia multitudo dominatur in Ecclesia, constituit nomine Ecclesiae multa falsa et impia. Talis multitudo amplexa est applicationem Missarum pro vivis et mortuis, cultus votorum et sanctorum, postea exemplum nocuit piis. Talis multitudo etiam in synodo constituit, divellenda esse coniugia sacerdotum. Saepe autem accidit in Ecclesia, ut impii excellentes ingeniis sumant impetus constituendi religionem humana sapientia, qui cum non moveantur verbo Dei, sed ducantur rationis imaginatione, et quaerant concinnas opiniones, gignunt impia dogmata, sicut Samosatenus, Arrius, Pelagius. Alii quaerunt merita, aut quaerunt speciosum regimen, εὐταξίαν populi, et his causis moventur ad instituendos et cumulandos cultus, ut monachi, Gregorius, et hoc tempore pontifices, principes, et multi viri docti cupientes constituere Ecclesiam, moventur humana sapientia, et omisso verbo Dei, volunt Ecclesiam iuxta suas imaginationes constituere: nec vident esse horribilem impietatem, discedere a verbo Dei, quaerere Deum sine verbo, cultus instituere humano arbitrio, sine mandato Dei vera dogmata mutare, et opprimere puritatem verbi Dei.

Cum igitur obiicitur autoritas Ecclesiae, ut de Missarum applicatione: Ecclesia non errat, Ecclesia tot seculis applicavit Missas: igitur mos est servandus.

Respondendum est ad maiorem: Ecclesia universa, quae est multitudo dominantium in Ecclesia, potest errare, sicut errabant pontifices et sacerdotes, Ieremiae, aut Christi tempore. Et quanquam praeter illam multitudinem sunt aliqui pii, qui retinent articulos fidei, tamen hi

quoque moti exemplis assentiuntur quibusdam erroribus. Ita fit ut articulos fidei minus puros retineant, sicut videtur Bernardus commodius sensisse, quam caeteri, etsi multis erroribus assensit, ut abusui Missarum, potestati pontificiae, votis, cultui sanctorum.

Non igitur multitudinis autoritas alleganda est contra verbum Dei, sed redeundum ad regulam: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Prima sit autoritas verbi divinitus traditi. Deinde illa est Ecclesia existimanda, quae cum verbo illo consentit, ut inquit Christus: Oves meae vocem meam audiunt, et Augustinus: Quaestio est, ubi sit Ecclesia, quid ergo facturi sumus? In verbis nostris eam quaesituri sumus, an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? Puto quod in illis verbis quaerere debemus, qui veritas est, et optime novit corpus suum.

Sed hic obiicitur, si repudiatur autoritas Ecclesiae, conceditur deinde nimis magna licentia petulantiae ingeniorum, nam reiectis Ecclesiae sententiis, multi excogitabunt novas et impias interpretationes scripturae. Hoc periculum cum non sit contemnendum, et prosit illam licentiam coërcere, rursus videndum est, quatenus requirenda sit autoritas Ecclesiae. Servetus enim, cum revovat impium errorem Samosateni, et negat Verbum intelligi personam in hoc dicto: In principio erat verbum, magnifice praedicat autoritatem scripturae, iubet hanc anteferri Ecclesiae decretis, deinde callide disputat sermonem simpliciter intelligendum esse. Cum enim verbum in communi hominum sermone non significet personam, negat apud Ioannem intelligendam esse personam, ut si Demosthenes hoc dictum legeret: In principio erat verbum, certe non cogitaret intelligi personam aliquam.

Quaero igitur, an adversus tales non prosit opponere autoritatem Ecclesiae? Hic respondeo: Sicut Evangelium praecipit audiri Ecclesiam, ita semper dico, eum coetum, penes quem fuit verbum Dei, et qui dicitur Ecclesia, audiendum esse, sicut iubemus quoque audiri nostros pastores. Audiamus igitur docentem et admonentem Ecclesiam, sed non propter Ecclesiae autoritatem credendum est. Nam Ecclesia non condit articulos fidei, tantum docet ac admonet. Verum propter verbum Dei credendum est, cum videlicet admoniti ab Ecclesia intelligimus hanc sententiam vere et sine sophistica in verbo Dei traditam esse.

Fortassis Demosthenes non cogitaret de persona, si legeret: In principio erat verbum. Sed auditor admonitus ab Ecclesia, quod Verbum significet personam, scilicet filium Dei, adiuvatur iam ab Ecclesia docente et admonente, et articulum credit non propter Ecclesiae autoritatem, sed quia videt hanc sententiam habere firma testimonia, in ipsa scriptura, videt de quadam persona dici, quae assumta humana natura, in mundo conversata est cum hominibus. Hanc personam videt appellari *λόγον*. Colligit testimonia apta et firma de duabus naturis in Christo, scit enim de natura Dei credendum esse voci coelesti, ac summam impietatem esse comminisci opiniones de natura Dei, sine ipsius testimonio 2. Petri 1. Et Matth. 16.: Hunc audite.

Item valet prima Ecclesia, ut testis Apostolorum. Loquor autem de dogmatibus, non de humanis traditionibus. Nam dogmata volebant esse firma et perpetua. Ritus humanos non volebant esse perpetuos aut immutabiles. Nec errabant Apostoli in doctrina. Ideo prodest tenere, ubi allegant vetustissimi scriptores autoritatem Apostolorum.

Ut de Trinitate citant eos, Origenes, Tertullianus, Irenaeus, Gregorius Neocaesariensis, Alexander Episcopus Alexandrinus, et alii multi, qui cum testentur doctrinam de Trinitate ab Apostolis acceptam esse, valde confirmant pios. Itaque talia testimonia non sunt aspernanda.

Dixi autem audiendos esse scriptores, sicut nunc quoque dicimus audiendos esse concionatores, quia aliqui manent in Ecclesia, qui retinent veritatem alias purius, alias impurius. Sed addendum est, ut auditi iudicentur ex verbo Dei, quod semper manet regula doctrinae.

Exempla.

Augustinus de peccato originali acrius contendit quam reliqui. Docet igitur et monet, cumque videamus eum vere et sine sophistica recitare sententiam scripturae, credimus articulum non propter Augustinum, sed propter verbum Dei, et videmus idem sentire superiores, etiamsi hunc articulum non tam copiose aut tam perspicue tractarunt.

Aliud.

Petrus Alexandrinus Episcopus contra Meletium contendit lapsos recipiendos esse, et allegat veterem autoritatem. Nam haec verba recitat Epiphanius: ut doctrina, quae ad nos usque pervenit, tradit. Docet igitur et monet Episcopus ille Alexandrinus recipiendos esse lapsos. Id credimus non propter hunc Episcopum, sed quia videmus hanc sententiam traditam esse in verbo Deo, et accedunt testimonia veteris Ecclesiae.

Idem de synodis dico, Audiendas esse Ecclesiae synodos, quae, cum de verbo Dei disputant, docent et monent nos, sed iudicium accedat, et cum vera trahunt, credamus propter verbum Dei: ut Nicena synodus pie et utiliter docuit, et admonuit omnem posteritatem de filio Dei, sed articulum credimus non propter synodum, sed quia videmus sic traditum esse in verbo Dei.

Caetera quae sunt extra scripturas, non sic amplectenda sunt, ut synodus Nicena condidit Canones poenitentiae, qui sunt traditiones humanae extra scripturam, et fuerunt semina multarum superstitiosarum opinionum.

Samsonis convivae non poterant interpretari aenigma in convivio propositum, nisi interrogata eius coniuge. Quare Samson inquit: Nisi arassetis vitula mea, non invenissetis meam quaestionem. Sic circumspiciendum est, ubi sit coetus, qui habet verbum Dei, et videndum, qui coetus, patrum ac synodorum sit purior, hoc est, minus habens opinionum extra verbum Dei. Haec Ecclesia docet, monet, testatur. Sed videndum est, an ea quae proponit, habeant firma testimonia verbi Dei.

Ac profecto pios fateri decet, Patres bene meritos esse de posteritate, qui accerimis contentionibus propugnaverunt, et retinuerunt pia dogmata, id beneficium non est leve ducendum. Huc pertinet Augustini dictum: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae moveret autoritas. Non sentit Augustinus, maiorem esse Ecclesiae autoritatem, quam verbi divini, aut Ecclesiam posse abolere articulos in verbo traditos, sed sentit Ecclesiam esse doctricem et testem: Non crederemus Evangelio, nisi Ecclesia doceret nos et testaretur, hanc doctrinam ab Apostolis traditam esse.

Valet etiam hoc dictum ad refutanda nova dogmata, quae nunquam in Ecclesia extiterunt, sicut Manichaei nova deliramenta excogitaverunt. Nam dogmata necessaria pietati necesse est initio extitisse in praedicatione Apostolorum: ergo nova et prorsus ignota Ecclesiae apostolicae sunt reiicienda. Sed de dicto Augustini alias disputatum est copiosius, certe non concedit Ecclesiae autoritatem statuendi contra verbum Dei, aut abolendi articulos in verbo Dei traditos, aut condendi novos articulos fidei.

Catalogus.

Aliquot synodorum et patrum exempla colligam, ut appareat in illis contineri dissimiles materias, ne sine discrimine omnia omnium dicta, aut omnes veterum ritus pro necessariis recipiantur. Sicut inepti quidam ita admirantur antiquitatem, ut omnes veteres ritus humanos velint restitui, perinde ac si nunc velint Spartani omnes veteres ritus suae Reipub. instituere, cum ritus ab hominibus excogitati partim sint vitiosi, partim etiamsi sunt probabiles, tamen non omnibus temporibus congruunt.

Synodus Neocaesariensis vetat, ne sacerdotes accedant ad convivia secundarum nuptiarum, ne eas videantur approbare. Tales ridiculae constitutiones multae bonis admixtae sunt. Quare delectus habendus est, nec temere omnibus dictis veterum applaudendum.

Anno Domini 324. Nicena synodus a Constantino convocata est, in qua praefuit Antiochenus Episcopus Eustathius. In hac synodo gravissimae controversiae dogmatum diiudicatae sunt, et recte damnati sunt errores Samosateni et Arrii. Item Catharorum, qui lapsos negabant recipiendos esse, ac negabant eos consequi remissionem peccatorum.

Postea politica quaedam ordinata sunt, de gubernatione Ecclesiarum, ut Alexandrinus Episcopus praeesset Ecclesiae Orientis, et Romanus Ecclesiis nationum vicinarum: item, ut Episcopi ordinentur a vicinis Episcopis. Haec politica etsi sunt utilia, tamen non volebant haberi pro articulis fidei.

Tertio addiderunt quaedam ceremonialia, videlicet Canones poenitentiae, ut vocabant, qui initio minus duri erant, et fortasse minus habuerunt superstitionum. Sed postea crevit onus ipsum, et crevit superstitio, et est obscurata gratuita condonatio: Quare in hac re patres non satis cauti fuerunt. Cumque eventus postea ostendit

talibus exempli superstitiones crescere, non ita miremur in hac re synodum, ut velimus illos Canones aut approbare aut restituere. Nec propterea dissentimus a veteri Ecclesia, retinemus articulos synodi de dogmatibus, quae proprie ad Ecclesiam pertinent. Caeterae quae sunt extra vel contra verbum Dei, non pertinent ad Ecclesiam.

Anno Domini 383. Constantinopolitana synodus a Theodosio convocata est, in qua praefuit Episcopus Constantinopolitanus, controversia gravis diiudicata est de Spiritu sancto, quod sit persona procedens a patre et filio, et sit Deus, et recte damnati sunt Eunomius et alii, qui contrarium senserant. Sunt et politica quaedam ordinata, ne Episcopi in alienis dioecesibus aliquid administrent.

Anno 433. Ephesina synodus convocata est a iuniore Theodosio, in qua praefuit Cyrillus Alexandrinus, Haec synodus recte damnavit Nestorium, qui negabat in Christo unitum esse verbum humanae naturae substantiali unione, sed tantum adesse verbum, et inhabitare in humana natura velut hospitem in domicilio, ut ibi esset efficax.

Haec fuit magni momenti controversia: nam in Christo vere et substantialiter unitae sunt duae naturae. Nec verum est humanam naturam solam esse Christum, ac domicilium esse verbi assistentis. Inde urserunt pii has formas loquendi de unitate personae, Deum esse natum, passum etc. Etsi autem Nestorius negabat se cum Samosateno sentire, tamen suspicor eum re ipsa idem sensisse, sed in speciem aliter proposuisse vetus delirium involucris tectum.

Anno 452. Chalcedonensis synodus convocata est a Martiano Imperatore, in qua recte damnatus est Eutyches, qui negavit etiam duas naturas in Christo, ac contendit ipsam verbi naturam divinitus missam, editam esse per virginem, nec duas esse naturas unitas. Videtur et hic renovasse delirium Samosateni, sed alio involucro propositum. Hoc iudicium synodi laudandum est.

Caeterum creverant iam in Ecclesia humanae traditiones. Ideo aliquas addidit haec synodus vitiosas constitutiones, non de dogmatibus, sed de ceremoniis et cultibus extra scripturam, et tamen adhuc sunt verecundiores hae constitutiones, quam aliae postea natae. In hac synodo primum facta est constitutio, quae prohibet nuptias monachis et virginibus, quae vota fecerunt, et excommunicat tales contrahentes connubia, quanquam addit mitigationem, posse et hoc concedi iudicio Episcopi.

Verum multa politica utiliter tunc constituta sunt, ne Episcopi ipsi tenerent administrationem facultatum ecclesiasticarum, sed ut Ecclesiae haberent Oeconomos: ne quis plura ministeria teneret: item, ne quis sine ministerio ordinaretur. Item ut in singulis provinciis Episcopi quotannis conveniant, et synodos habeant de praesentibus Ecclesiae controversiis.

Haec utilia decreta synodorum adversarii dissimulant, ac interim alia leviora proferunt, ut videantur nobis opponere veteris Ecclesiae autoritatem.

Fuerunt interim et aliae synodi, seu provinciales seu frequentiores, in quibus convenerunt vicinarum provinciarum Episcopi. Talis fuit synodus Antiochena ante Nicenam, convocata adversus Samosatenum, quae pie et recte damnavit Samosateni impietatem. Talis item fuit synodus Gangrensis in Galatia vetus et pura, habet optima decreta contra superstitiones de coniugio, de cibis, de monachatu. Et apparet hanc synodum convenisse propter Montanum, Marcionem, et similes, qui illas superstitiones valde auxerunt.

Secutae sunt aliae posteriores, ut Ancyrana, quae habet hanc constitutionem memorabilem: Si Diaconi in ordinatione non promiserint se victuros coelibes, retinendi sunt in ministeriis, etiamsi postea ducunt uxores: sed si promiserint, et postea tamen duxerint uxores removendi sunt a ministerio. Habet et alios Canones, de annis poenitentiae, periculosos et superstitiosos.

Laodicena recte damnat Novatianos, sed errat taxans digamos etiam laicos, iubet eos prius puniri quam admittantur ad communionem, prohibet etiam baptismum post duas septimanas quadragesimae. Caetera politica sunt honesta, ut cum prohibet nuptias cum haereticis. Haec synodus non longo intervallo secuta est Nicenam.

Sub Honorio Imperatore fuit Toletana prima synodus, quae continet multa capita utilia de doctrina. Nam pie recenset articulos de divinitate et naturis Christi, et alios quosdam. Postea quaedam attexit politica et ceremonias de chrismate, et de votis. Haec synodus prohibet diaconos evehi ad munus presbyteri, si non abstineant

a legitimis uxoribus. Item excommunicat parentes, qui filias votis obligatas, si nubant, parentum affectu complectantur. Item ipsas nuptas non admittit ad communionem, nisi discedentes a maritis.

Carthaginensis quinta, anno 438. habita, prohibet Episcopis, presbyteris, et diaconis consuetudinem legitimarum coniugum, ita paulatim cumulata est prohibitio. Antea diaconis concessa erat consuetudo cum uxoribus, ut testatur Ancyrana synodus, postea secuta est prohibitio. Et hae constitutiones de coelibatu subinde in omnibus synodis repetuntur, et adduntur acerbiores poenae, sicut quaedam Toletana synodus constituit, ut facultates mulierum vendantur, si redeant ad viros.

Porro haec Carthaginensis synodus continet et aliam memorabilem constitutionem, de sacellis ot aris sanctorum, ubi non sunt eorum corpora condita. Has aras et sacella iubet Episcopos demoliri, aut si metuant tumultus, iubet eos in concionibus populum dehortari, ne ad illa loca accedant. Apparet aliquos crescentem superstitionem in cultu sanctorum voluisse prohibere.

Synodus Carthaginensis anni 457. egit de provocatione Episcoporum. Romanus pontifex postulavit, ut concederetur provocatio, ubicunque aliquis ad Romanum provocasset, idque ut obtineret, commisit falsum, citavit commentitium decretum, quod affirmabat in eam sententiam editum esse in Nicena synodo. Postea ex Constantinopoli petitis exemplis deprehensa est vanitas, et repudiata petitio Romani pontificis. Huic synodo interfuit Augustinus. Talibus artificiis Romani pontifices viam sibi ad primatum struxerunt. Hoc exemplum monet, ne ita miremur antiquitatem, ut eam omnibus vitiis liberemus.

Carthaginensis quarta decretum continet de precatione et oblatione pro mortuis, his verbis: Poenitentes, qui diligenter servarunt Canones poenitentiae, si casu moriantur ante communionem, commendetur eorum memoria praecationibus et oblationibus. Illa aetas nondum habebat privatas Missas, sed tamen paulatim superstitio creverat. Hic Canon non recipit mortuos, nisi diligenter servatis ritibus poenitentiae. Item, addit morem de oblationibus.

Tractavit causam gravissimam synodus Milevitana, cui interfuit Augustinus, et recte defendit piam doctrinam de peccato originali, de gratia, et de iustificatione. Habet et politica quaedam, in quibus haec sunt memorabilia, vetat provocationem ad transmarinos Episcopos. Hoc decretum nunc ne Romanus quidem pontifex reciperet. Vetat item ab Imperatore peti iudices, non Episcopos. Id illis temporibus congruebat, nunc esset durum: de divortio etiam sanxit, ne persona innocens rursus contrahat matrimonium, et addit petendum esse, ut Imperator legem in eam sententiam ferat. Id quoque durius est. Nam Romae Fabiola contraxit aliud connubium, ut apparet ex Ieronymo.

Ea synodus confirmat et superstitionem de votis, concedit velari virgines ante vigesimum quintum annum contra veteres Canones. Quanquam igitur de doctrina tolerabiliter pronunciavit, tamen postea accedunt aliquae stipulae et superstitiosae constitutiones. Quare non omnia synodorum decreta sine delectu probanda sunt, et tamen fatendum est, pias synodos bene meritas esse, quia aliquos doctrinae Christianae articulos conservaverunt, et de his prodest tenere synodorum et antiquitatis testimonium.

De ecclesiasticis scriptoribus vetustis.

Hi quoque bene meriti sunt, praesertim quatenus sunt testes veteris et primae Ecclesiae Apostolorum. Confirmant enim nos suo testimonio, de Trinitate, de naturis in Christo, de baptismo infantum, de usu coenae Domini, de ordinatione ministrorum, de coniugio ministrorum, de usu indifferentium, de poenitentia lapsorum. De his articulis omnibus citantur memorabilia exempla Apostolorum, quae nobis patrocinantur.

Caeterum scriptores alii in aliis materiis fuerunt diligentiores, et, ut est humanum, saepe inconsiderate effundunt absurdas et falsas sententias, quas admoniti haud dubie fuerant correcturi. Saepe cum non male sentirent, tamen non satis perspicue dicere potuerunt, quod volebant. Saepe propter temporum consuetudinem praesentes traditiones durius defenderunt, aliquas etiam falsas opiniones interdum habuerunt. Quare non sunt sine delectu omnia patrum scripta probanda, et saepe ipsi inter sese pugnant, nec rarum est dissentire aliquem a seipso. Quare iudicium esse debet penes apostolicam scripturam. Sed subiicio exempla.

De Origene.

Origenes citans Apostolorum et veterum Ecclesiarum exempla et sententias, est testis utilis posteritati de aliquot articulis, de Trinitate, de duabus naturis in Christo, de baptismo infantum, de peccato originali, de usu coenae Domini, et de aliis quibusdam.

Caeterum miscuit suis scripturis multas falsas et absurdas sententias, quarum aliquas etiam ipsius aetas improbavit. Fingit ante hunc mundum fuisse plures mundos. Fingit diabolorum et damnatorum poenas cessaturas esse. Haec ipsius aetas etiam reprehendit.

In Rom. tractans hanc propositionem: Fide iustificamur, non ex operibus, intelligit eam κατὰ συνεκδοχὴν, fide sumus iusti, id est, perfecta fide complectente omnes virtutes. Idque declarat, dicit idem posse dici de caeteris virtutibus. Misericordia sumus iusti, scilicet perfecta, complectente caeteras virtutes. Hoc nihil aliud est dicere, quam homines propter opera et propter virtutes suas habere remissionem peccatorum et iustos esse. Cumque non attendat, quid agat Paulus, quid vocet fidem, quid sibi velit illa exclusiva: Non ex operibus, addit enarrationes confusas et perplexas, nec sibi constat.

Interdum enim effundit aliquod tolerabile dictum, sed id postea mox corrumpit, quale illud est Rom. 4. Initium iustificationis a Deo est fides, quae credit in iustificantem, et haec fides cum iustificata fuerit, tanquam radix imbre suscepto, haeret in animae solo, ut cum per legem Dei excoli coeperit, surgant in eo rami, qui fructus operum ferant. Non ergo ex operibus radix iusticiae, sed ex radice iusticiae fructus operum crescit, illa scilicet radice iusticiae, qua Deus acceptam fert iusticiam sine operibus.

In 3. capite: Ubi est gloriatio tua? Videtur iam propior esse Paulinae sententiae, admittit exclusivam, homines sola fide iustificari, et allegat latronem in cruce, et mulierem apud Lucam: Fides tua salvam te fecit. Sed postea declarans illa, videtur hoc velle, hominem initio consequi remissionem peccatorum sola fide, postea iustum esse caeteris virtutibus, sicut ipse postea inquit: Fides reputatur ad iusticiam, ei qui convertitur, sed postea iusticia reputatur ad iusticiam. Porro mira varietas et perplexitas est enarrationis, etiamsi largitur hominem initio sola fide consequi remissionem, tamen si postea imaginatur, conversos sine peccato esse, satisfacere legi, et iustos esse propter caeteras virtutes, dissentit a Paulo et a reliquis scripturis divinis, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Si dixerimus, quod peccatum non habemus etc.

In capite septimo clare dicit, sanctos repraesentare alienam personam, cum sibi tribuunt peccatum, ut apud Danielem: Non in iustificationibus nostris, sed in misericordia tua exaudies nos. Tales sententias corrumpit, et docet fiduciam propriae insticiae vel desperationem. Capite tertio inquit: Sine lege manifestata est insticia Dei, id est, sine lege naturali sunt traditae novae leges evangelicae, ut illa: Nesciat dextra quid faciat sinistra, haec, inquit, lex erat ante ignota. Item: Lex est spiritualis, intelligit tantum de allegoria, id est, ceremoniae habent allegoriam, et saepe incommode spiritum intelligit, non de Spiritus sancti motibus, sed tantum de interpretatione vel cogitatione allegorica.

Capite 8. Quod erat impossibile legi, quia infirmabatur per carnem, transfert carnem ad legem. Caro legis erat infirma, id est, ceremoniae erant impossibiles, inutiles etc. At Paulus carnem intelligit naturam hominis: Lex infirmabatur per carnem, id est, non poterat fieri ab humana natura. Hi loci ostendunt Origenem currere extra viam, nec attendere, quid agat Paulus.

Possem multa levia colligere, ut cum Petrum ait excellere caeteris, quia ei dicitur numero plurali, erit solutum in coelis. Ad totum coetum Apostolorum dicitur numero singulari, erit solutum in coelo. Sed haec futilia omitto. Caeterum eruditis et iudicium adhibentibus prodest vetera scripta legere, primum propter historica testimonia, deinde quia illorum collatio acuit, et exercet studiosos. Ita proderit et Origenis lectio iis, qui antea recte instituti sunt, et summam Christianae doctrinae tenent.

De Dionysio.

Unus est libellus Dionysii de ecclesiastica Ierarchia, qui propter historiam est utilis, caeteri continent otiosas speculationes. Illic autem traduntur ceremoniae sacramentorum, et ritus Ecclesiae, et apparet mediocres adhuc fuisse ceremonias illo tempore. Praecipue autem ritus Missae, ibi considerandi sunt, ut appareat recen-

tiores in Ecclesia Papae procul recessisse a veteri forma. Psalmi quidam et lectiones ex Evangelio recitabantur, dicebantur preces pro Ecclesia et Repub., postea presbyter stans ad aram, recitabat verba Christi de coena Domini, deinde distribuebat populo sacramentum, sequebatur gratiarum actio. Hic fuit ritus Missae, unde manifestum est, Missam tantum fuisse communionem, nec fuisse ullas privatas Missas. Quin et illud mirandum est, quod nec mentio fit oblationis ne ritum quidem recenset offerentis. Haec apud Dionysium praecipue prodest observare, ut antiquitatem opponamus iis, qui defendunt abusus Missarum.

Recenset baptismum, chrisma, communionem, ut dixi, ordinationem presbyterorum, et eorum, qui vota faciebant, et unctionem mortuorum, ubi narrat quales fuerint ceremoniae funerum, cum cadaver in templo collocatum esset, praesente populo recitabantur aliquae lectiones ex sacris literis de resurrectione. Deinde iubebatur populus gratias agerem precibus, quod hic pie decessisset in agnitione Evangelii. Addebatur adhortatio, ut sibi quisque precaretur pium exitum ex hac vita. Hic mos fuit plenus pietatis, et laude dignus. Quae enim possunt maiora beneficia cogitari, quam in illo ingenti agone, retinere Christi agnitionem, adiuvari a Christo et salvari? Hanc ceremoniam meliorem recentior aetas prorsus abolevit, retentis et cumulatis deterioribus.

Addit autem Dionysius, post hanc adhortationem abiisse presbyterum, et perfudisse oleo cadaver, et precatum esse, ut Deus ei condonaret infirmitatem, quae in eo reliqua fuisset post conversionem. Postea cadaver condebatur in terram. Hae tantum fuerunt funerum ceremoniae tunc quidem, nondum in Missa fiebat defunctorum mentio, multo minus offerebatur corpus Domini pro mortuis. Hanc prophanationem sacramenti posterior aetas addidit.

Hactenus de Dionysio: in quo etsi ceremoniae aliquando minus vitiosae sunt, tamen sunt initia monachatus, et hoc gravi reprehensione dignum est, quod non discernit inter sacramenta divinitus instituta, et humanas traditiones. De chrismate perinde loquitur, ut de baptismo, et aequat πάρεργα ἔργοις, ut ita dicam. Monachorum ordinationem etiam antefert ordinationi ministrorum, quod est valde vituperandum, cum ordinatio ministrorum pertineat ad praedicationem Evangelii, illa vero monachorum ordinatio sit superstitiosa, et tantum fiat propter cultum prohibitum, iuxta illud: Frustra me colunt mandatis hominum, et tamen ibi monachatus vocatur perfectio. Ergo valeant eius testimonia, quod ad historiam attinet, ut sciamus qui ritus tunc fuerint usitati, non fiant dogmata aut leges ex eius descriptionibus.

De Tertulliano.

Tertullianus recte confutavit Marcionem et reliquos eius factionis haereticos. Continet utilia testimonia de Trinitate, recitans non suam sententiam, sed veterem acceptam ab Apostolis. Adversus Praxeam extat luculentum testimonium de verbo, hoc est, de filio Dei, quod sit persona, etiam antequam adsumsit humanam naturam.

Caeterum et veteres reprehendunt quaedam eius errata, videlicet, quod secundas nuptias damnat, et ridicule argumentatur: Non licet fratris mortui uxorem ducere. Ducens viduam relictam a Christiano, duxit fratris mortui uxorem: ergo non recte facit.

Ludit etiam de regno sanctorum, quod fingebant duraturum esse mille annos in hac corporali vita, ante mundi conflagrationem, et ante novissimum iudicium, paulatim aliis, citius aliis tardius resurgentibus. Hoc Iudaicum deliramentum prorsus explodendum est ex Ecclesia.

In libello de corona militis multa dicit de ritibus humanis, et durissime declamitat de consuetudine, habendam eam esse pro lege. His dictis in Ecclesia male detortis, ut fit, confirmarentur ingentes errores omnibus aetatibus, quia nunquam tanta est vigilantia hominum, ut non obrepant aliquae vitiosae consuetudines.

Recenset autem Tertullianus admodum pueriles mores, ne post baptismum primis septem diebus eatur in balneum. Item, ut baptizatis praebeatur gustantum lac et mel. Ibi, inquit, etiam oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Id nunc impie detorquent adversarii nostri ad Missas pro mortuis. Cur natales omittunt, si tantum tribuunt autoritati Tertulliani? Sed ille non loquitur de coena Domini. Verum in diebus natalibus et funerum adferebantur in templa cibi, et alia munera pauperibus. Haec vocabant oblationes et ἀγάπας, et mos erat ab Ethnicis acceptus, sed nonnihil correctus. Nam Ethnici dabant epulas etiam in templis, in natalibus et

funeribus, ac postea Nicena synodus et aliae prohibuerunt hanc pompam natalium.

Ergo ut de caeteris dictum est, testimonia historica in Tertulliano prosunt, ubi commemorat, quid senserit prior Ecclesia. Sed eius enarrationes et disputationes non recipiantur tanquam dogmata, nisi quatenus consentiunt cum apostolica scriptura.

De Cypriano.

Cyprianus vixit circiter annum Domini 260. continet utilia testimonia, de Trinitate, de baptismo parvulorum, de usu coenae Domini, et de forma electionis Episcoporum, quos scribit electos esse a coetu Ecclesiae, et eam electionem comprobatam esse adhibitis aliquibus viciuis Episcopis.

Sed veteres etiam taxarunt Cyprianum, quod sentit baptizatos ab haereticis, rursus baptizandos esse. Effundit inter declamandum interdum absurdas sententias, cum exaggerat immoderatis hyperbolis causam, quam instituit. Ut de poenis canonicis admodum duriter scribit, ait non valere absolutionem, nisi illae poenae fuerint absolutae. Hoc dictum quantum habeat incommodi, non est obscurum.

Vehementer etiam declamitat de coelibatu, etsi eum quidem locum mitigat, iubet contrahere coniugia illos ipsos, qui vota fecerant, si non servent promissum. In libello de eleemosyna inquit, peccata ante baptismum commissa remitti propter Christi passionem, sed post baptismum quaerendam esse remissionem per eleemosynas. Idem repetit de lapsis, consumtum esse beneficium Christi in baptismo, postea per eleemosynas quaerendam esse remissionem. Haec sunt plena absurditatis, quae admonitus haud dubie correxisset. Non igitur dicta ipsius omnia pro dogmatibus habenda sunt.

De coena Domini solet uti verbis oblationis et sacrificii, sicut caeteri, qui dicunt promiscue offerimus orationes, offerimus panem, vinum, offerimus corpus et sanguinem Christi: nam id quoque reperitur apud Cyprianum. Hinc adversarii nostri sumunt testimonia, ad defendendam prophanationem coenae Domini in Missa privata etc.

Magna vis est consuetudinis, et hanc sequentes saepe improprie loquuntur homines: ut nunc Missam dicimus, cum nulli nota sit nominis etymologia. Ita veteres retinuerunt vocabula oblationis et sacrificii, non admodum curantes etymologiam, aut propriam significationem. Et quia vidit Augustinus aliquid in his appellationibus esse incommodi, ipse leniit, sacrificium inquit dici pro memoria sacrificii, et oblationem pro memoria oblationis. Hae sunt metonymiae, ut dicimus Pascha pro memoria seu signo transitus, sed nolo argute vel interpretari, vel excusare locutionem usitatam illius temporis. Sic enim populus loquebatur, qui interdum recipit impropriam vocem.

Irenaeus clare dicit, hanc oblationem esse gratiarum actionem. Idem sentiebant caeteri, ut testatur nomen Eucharistiae. Quare senserunt esse ceremoniam, qua aguntur gratiae. Id nihil habet incommodi. Accipimus enim ut admoneamur beneficii nobis donati a Christo, et fidem exuscitemus, deinde agamus gratias pro eo beneficio, nec inde sequitur id opus pro aliis faciendum esse, aliis applicandum esse etc. Haec monstra ne quidem cogitarunt patres. Ergo cum legimus nomen sacrificii et oblationis, intelligamus aut signum sacrificii et oblationis, aut gratiarum actionem, non affingamus applicationes pro aliis.

Interdum uno nomine vocant oblationem, totum illud negotium quod ibi agitur, videlicet orationes et coenam Domini. Hoc cum fit, orationes intelligantur esse oblationes.

Leguntur etiam apud Cyprianum de mortuis quaedam verba, quae recentiores male detorquent: Sacrificia pro eis offerimus, sed haec dicit de martyribus. Horum enim fiebat mentio in precationibus, cum agerentur gratiae Deo, quod illos adiuvisset. Sicut Graecus Canon dicit: Offerimus pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, id est, agimus gratias, quod Ecclesiam inde usque ab initio tibi elegisti, redemisti, sanctificasti etc. Haec fuit initio sententia horum verborum, non petebatur, ut mortuis Deus relaxaret poenas. Postea accesserunt tempore malae opiniones, et partim verba priora mutata sunt, partim retenta forma veterum verborum, aliud intellexit posteritas, quam priores intellexerant.

Ergo testimonia antiquitatis non patrocinantur recentioribus abusibus, quae partim aliena sunt a praesentibus moribus, partim si quid ha-

bent vitii, non debent opponi firmis testimoniis scripturae, quia etiam reliquae aetates habuerunt sua incommoda. Haec simplicissime sine sophistica respondeo ad verba oblationis et sacrificii.

De Basilio.

In Basilio extant utilia testimonia de Trinitate, et de poenitentia contra Novatum. In concione de humilitate tradit egregiam sententiam de iusticia fidei, quae nobis aperte patrocinatur. Sine ulla sophistica detrahit iustificationem bonis operibus, nec loquitur de ceremonialibus, sed de omnibus virtutibus, nec tantum loquitur de operibus ante renovationem, sed de virtutibus in renovatis, ac iubet sentire, quod sola fiducia misericordiae propter Christum promissae, iusti simus. Verba eius haec sunt: Dicit autem Apostolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens quod Christus nobis factus sit sapientia a Deo, iusticia, sanctificatio et redemtio, ut sicut scriptum est, gloriaturus in Domino glorietur. Haec est enim perfecta et integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter iusticiam suam aliquis effertur, sed agnoscit sibi deesse veram iusticiam, fide autem sola in Christum iustificari, et gloriatur Paulus se despicere suam iusticiam, quaerere autem fide per Christum iusticiam, quae ex Deo est.

Haec verba satis ostendunt Basilium sic intellixisse iusticiam fide, quod sentiendum sit, nos fide propter Christum per misericordiam iustos, id est, acceptos esse, non propter proprias virtutes.

Caeterum quod Basilius primum instituit coetus monachorum, id exemplum nocuit, et aliquid habuit vitii, etiamsi ipse primum non habuit crassas superstitiones, et illi coetus adhuc quaedam imago erant scholarum. Circumferuntur et libri quidam eius nomine, qui continent regulas monachorum, quorum aliqui haud dubie sunt suppositicii, et longo tempore post Basilium nati, sunt enim pleni falsarum opinionum de coelibatu, et aliis cultibus excogitatis sine mandato Dei, et continent ridiculas nugas, ut magnum acervum poenarum seu satisfactionum, quos vocat ἐπιτίμια: si riserit puella in choro, sedeat biduo in vestibulo, et similes naenias, quas si quis vellet renovare admiratione antiquitatis, vere insaniret.

De Gregorio Nazianzeno.

Nazianzenus tractavit articulum de Trinitate, alia dogmata leviter attingit. Scripsit vitam Cypriani, in qua narrat, quandam puellam amatam esse a Cypriano ante conversionem, quae invocans Mariam virginem, viceret magicas incantationes Cypriani.

Hoc exemplum citatur de invocatione sanctorum. Etsi autem videtur esse ficta fabella, et postea sparsa titulo Nazianzeni, tamen etiamsi vera esset historia, non est citanda ad confirmandam invocationem sanctorum. Nam errores piorum non sunt opponendi verbo Dei, et omnibus aetatibus etiam pii in Ecclesia habent suas infirmitates.

Allegant etiam ex Basilio et Nazianzeno, quod in fine concionum de sanctis solent eos compellare: O Athanasi ora pro nobis. Etsi autem hae apostrophae ex rhetoricis figuris excusari possunt, tamen fieri potest, ut more sui temporis tunc invocaverint sanctos. Nam invocatio sanctorum paulatim tunc in Ecclesiam irrepsit, et errores temporum trahunt homines, ut usitata minus improbent, et boni consulant: sicut impetus fluminum secum rapit navigantes. Nec tamen ideo approbanda est invocatio sanctorum. Ac postquam mos crevit, et iam retecta est impietas, prorsus ex Ecclesia tolli debet. Nec Basilius de invocatione quicquam dicit, tantum ait celebrari memoriam sanctorum, ut eorum virtutes imitemur, et vocat sanctos adiutores precum nostrarum, non quod sint invocandi, sed quia omnes beati in coelo orant pro Ecclesia, et eam Deo commendant.

Epiphanius scribit mulieres quasdam invocantes virginem Mariam, solitas circumferre eius statuam. Hoc totum negotium damnat et vocat idolatricum opus. Continet enim Epiphanius refutationes veterum haeresium, praecipue de Trinitate, et paucis aliis materiis, quam quidem historiam praecipue legendam esse censeo.

De Chrysostomo.

Chrysostomi aetas multos iam vitiosos mores receperat, quos ipse recensens non reprehendit, sicut laudat adeuntes monimenta sanctorum, facit mentionem orationis pro mortuis. Monasticam

immodicis et falsis laudibus ornat. In tractatu de poenitentia cum colligit multos modos consequendae remissionis peccatorum, scilicet eleemosynas, lacrymas, et alia opera, tamen non facit mentionem fidei, de qua oportuit dici, ac scriptum illud pleraque falsa continet, et confusum ac perplexum est.

Graeci maxime laudaverunt commentarios in Paulum, ubi in locis de iustificatione et de fide, series Paulinae disputationis deducit eum eo, ut saepe repetat hanc sententiam: Quod fide consequamur remissionem peccatorum propter Christum, non propter opera. Et diserte dicit: Fide non solum diligi Deum, sed vicissim credentes sentire, quod a Deo diligantur, quanquam multis modis rei sint.

In hac sententia satis significat, se intelligere fidem, non tantum de noticia historiae, sed de fiducia, qua credimus nobis remitti peccata, et quidem hanc fidem discernit ab operibus, a non furando, non occidendo etc. Et dicit hunc cultum superiorem esse. Quanquam autem eius enarratio simplicior est et minus impura, quam Origenica, tamen ipsa quoque est obscura, nec ubique secum ipsa consentit.

In 7. cap. longius currit extra septa: Ait concupiscentiam et adfectus, nisi pariant externum opus, non esse peccata. Sed tamen si quis attente et cum iudicio leget commentarios illos, multa inveniet testimonia multorum articulorum. Et quanquam tunc in Ecclesia caligo fuit, tamen apparet retinuisse plerosque hanc communem sententiam: Quod fide propter Christum, non propter opera donetur remissio peccatorum. Ideo etsi interdum minus commode loquuntur veteres, tamen in aliis locis, quid reipsa voluerint, animadverti potest.

De coena Domini ex Chrysostomo satis apparet, nullas fuisse privatas Missas. Describit enim presbyterum stantem ad aram, et vocantem populum, ut accedat communionem.

In libello de dignitate sacerdotii erudite discernit civilem et ecclesiasticam potestatem, negat ecclesiasticam habere ius coërcendi vi corporali.

De Ambrosio.

Multas causas attingit Ambrosius: videlicet de Trinitate, contra Novatianos, de iustificatione. Et quanquam in commentariis interdum dissimiles sententiae reperiuntur, non tam ab ipso scripti, quam ab aliis excepti esse videntur, tamen perspicuum est ex eius longioribus disputationibus, sensisse eum de gratia, et de iustificatione, quod nos docemus.

Id testatur Epistola ad Irenaeum de Paulino dicto: Lex iram efficit, Epistola 71. ubi sic inquit: Ex operibus legis nemo iustificatur, id est, per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur. Veniens igitur Dominus Iesus, peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit, et chirographum nostrum sui sanguinis effusione delevit, hoc est quod inquit: Superabundavit peccatum per legem, superabundavit gratia per Iesum, sicut Ioannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata etc. Ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia per Christum iustificatus est. Fides ergo est, quae liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, et venia donatur.

Et similes sententiae aliquot reperiuntur in aliis locis apud hunc scriptorem: ut de vocatione gentium. Item ad Demetriadem virginem, ubi inquit: Nec ob aliud datur praeceptum, nisi ut quaeratur praecipientis auxilium. Caeterum eius titulo extant quaedam praeparationes ad Missam, et quaedam inania, quae videntur esse suppositicia.

De Hieronymo.

Hieronymus in versionibus utilem operam Ecclesiae navavit, et quanquam enarrationes Prophetarum sunt tenues, tamen historiarum explicatio sumta a veteribus, est utilis. De dogmatibus pauca scripsit. Adversus Iovinianum valde confirmat falsas et superstitiosas opiniones de traditionibus humanis. Vituperat coniugium, et contumeliosa oratione insectatur, quae nequaquam digna est Christiano. Colligit male detortas sententias scripturae, quasi vituperent coniugium, ut: Si secundum carnem vixeritis, moriemini, et similes, et expresse dicit, non differre a meretrice nubentem post secundas nuptias. Item spectandum esse, non quid concedat Deus, sed quid velit, quasi Deus non velit coniugium. Postremo ethnico more colligit vulgaria convicia sexus muliebris, et coniugii de quibus Chri-

stianus longe aliter sentire debet, qui scit causam infirmitatis in utroque sexu esse naturae corruptionem, et tamen propter Deum sexui tribuendum esse honorem, et cum Deus non frustra condiderit hunc sexum, agnoscendum esse opus Dei, et ordinationem divinam magnifaciendam. Nec est minor infirmitas animorum in viris, in negotiis quae viris commissa sunt. Christianus autem propter Deum fert et mitigat imbecillitatem in sociis huius vitae divinitus adiunctis, et cohaeredibus aeternae gloriae, et scit Deum velle, ut illas curemus, tanquam partem generis humani, non despiciamus diabolica superbia. Haec atque alia in hanc sententiam in Christiana disputatione potius dicenda erant, quam illa scurrilia convicia sexus et divinae ordinationis.

De discrimine ciborum laudat ritus sine verbo Dei institutos, tanquam cultus Dei, imo tanquam perfectionem. Ridicula vox est quam ponit: Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare, ubi male detorsit dictum Pauli, qui cum inquit: Bonum est carnem non edere, addit, si fratri noceat exemplum. Cum autem necesse sit tales superstitiones in Ecclesia reprehendi, pariunt enim alios multos errores, prudenter de illis inconsiderate dictis iudicandum est.

In dialogo contra Pelagium recte disputat renovationem non fieri tantum viribus liberi arbitrii, sed opus esse auxilio Spiritus sancti. Recte etiam negat sanctos esse sine peccato, et ponit memorabile dictum: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores esse fatemur, et iusticia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia contingit. Sed postea non satis dicit: peccata sanctorum intelligit de actualibus peccatis, ut flammis libidinum, aut iracundiae et similibus. Non intelligit de interiore et perpetua dubitatione, securitate, concupiscentia. Constat igitur multos esse in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus.

De Augustino.

Augustinus multas necessarias controversias tractavit, refutavit Arrianos, Manichaeos, Donatistas et Pelagianos. Nam irrepserant iam in Ecclesiam philosophicae opiniones, quas Pelagius confirmavit, Evangelium transformans in philosophiam, contendebat enim nihil esse peccatum originis, homines legi Dei satisfacere posse, et illa externa obedientia mereri remissionem peccatorum iustos esse, et mereri vitam aeternam. Nihil de fide in Christum, nihil de auxilio Spiritus sancti docebat. Haec Pelagii doctrina non evangelica, sed philosophica erat, sicut propemodum scholasticorum doctorum sententia idem vult, nisi quod hi aliquid assuunt superstitionum monasticarum. Et nunc rursus multi delabuntur in opiniones Pelagianas, quia sunt plausibiles rationi.

Augustinus igitur sua aetate doctrinam Evangelii de gratia et fide in Christum pene extinctam restituit, et rursus accendit. Propter hoc beneficium Ecclesia ei plurimum debet. De peccato originis multo loquitur maiori perspicuitate, quam caeteri omnes. Distinctius etiam et rectius loquitur de libero arbitrio, quod viribus liberi arbitrii homines facere possint externa legis opera, et honesta opera civilia, sed sine Spiritu sancto non possint habere motus spirituales, verum timorem Dei, veram fiduciam, veram patientiam, hoc est, novitatem, quam oportet in iis existere, qui sunt salvandi.

Tradit utile discrimen literae et spiritus, docet de gratuita remissione, monet quomodo Paulus intelligendus sit, cum inquit: Ex operibus legis nemo iustificatur, quod videlicet non tantum detrahat iustificationem ceremoniis, sed etiam moralibus operibus. Hac admonitione valde opus fuit Ecclesiae. Nam Origenes et multi eum secuti sparserant falsam interpretationem in Ecclesia, tantum ceremoniis detrahi iustificationem, et finxerant homines legi satisfacere, et iustos esse propter opera. Ideo Augustinus diserte hanc quaestionem tractat in libro de spiritu et litera, et affirmat Paulum universaliter loqui etiam de moralibus, cum negat nos lege iustos esse. Item negat homines legi satisfacere Rom. capite 8.

Hanc admonitionem Augustini, et hunc locum ipsius plurimum refert meminisse, quia cum ratio non satis perspiciat magnitudinem peccati originis, et naturalis corruptionis, facile delabitur ad illas opiniones, ut putet legi satisfieri, et homines propter opera iustos esse. Ita e regione obscuratur et amittitur iusticia fidei et vera exercitia spiritualia excutiuntur, scilicet vera invocatio, quam oportet niti sola misericordia. Sicut nunc deridemur ab adversariis, qui volunt videri prudentiores, ac vociferantur nos inepte exaggerare infirmitatem, et ridicule detrahere

operibus iustificationem, cum tamen ratio non aliud intelligat esse iusticiam, nisi obedientiam iuxta legem.

Sed doctrina Evangelii de peccato, item de iusticia fidei, est arcana et peculiaris sapientia verae Ecclesiae, quam etiam pauci ex scriptoribus agnoverunt ac saniores alii obscurius, alii clarius agnoverunt, Scotistae et similes prorsus obruerunt. Ideo postquam Deus haec rursus patefecit, diligenter tueamur illustratam doctrinam.

Porro cur adversarii vicissim non considerant, quam sit absurdum dicere, quod Christus liberaverit nos tantum a ceremonialibus. Item si liberatio tantum ad ceremonialia pertinet, non profuit patribus ante Moysen. Necesse est autem statuere, quod liberatio a lege pertineat ad universam Ecclesiam a principio mundi usque ad finem. Haec copiosius disputantur, ut dixi, in libello de spiritu et litera.

Denique quid sit liberatio a lege, prorsus ignorant illi, qui intelligunt eam tantum de ceremoniis. Ut omnes homines post lapsum Adae sunt oppressi peccato, ira Dei, morte, ingentibus vitae aerumnis, aeternis poenis: ita sunt omnes onerati lege, quae peccatum arguit, nos accusat, et aeternis terroribus occidit, ut Paulus inquit: Ergo liberari a lege, est ab illa accusatione liberari, ne simus rei irae Dei, et aeternae mortis, est non tantum a ritibus aut externis spectaculis liberari, sed multo potius a lege perterrefaciente, maledicente, damnante et interficiente nos eripi. Cum videlicet alia res proponitur, propter quam iusti pronunciamur, scilicet filius Dei, factus pro nobis victima. Sic Adam, Noë, Abraham et omnes electi ante Moysen a lege liberati fuerunt. Accusabantur a lege, exercebantur horribilibus terroribus, et sensu irae Dei, et maledictionis. Sed inter hos terrores erigebantur agnitione misericordiae, propter venturum Dominum promissae, et statuebant se iustos pronunciari propter venturam victimam, non propter legem. Norant peccata esse non tantum externa delicta, sed interiorem immunditiem, horribilem dubitationem de Deo, fremitum et indignationem adsersus Deum in rebus adversis, et caeteros pravos impetus, et sciebant non aliqua lege tolli, vel ipsum peccatum et naturae infirmitatem, vel iram Dei, sed norant se agnitione et fiducia promissi salvatoris ex tantis aerumnis eripi. Sic et illi sunt liberati a lege morali, videlicet iudicante et occidente eos, et ab aeterna ira, quam lex denunciat. Norant in illa naturali noticia non proponi gratuitam remissionem peccatorum, ideo aliunde petebant remissionem. Quod si sensissent, ita se iustos fore, cum sine vitio essent, succubuissent in agone conscientiae, sed norant ideo promissum esse salvatorem, ut statuerent se placere Deo, etiamsi essent indigni et immundi. Sic sentiebant se iustos esse, non propter legem, sed propter venturum salvatorem.

Has tantas res complectitur liberatio a lege, quas non intelligunt homines securi, qui nesciunt quid sit vera poenitentia, invocatio: denique qui non exercentur adflictionibus, et aut habent animos occupatos voluptatibus, aut delectantur suis opinionibus et aspernantur verbum Dei, aut ad suas imaginationes inflectunt ac corrumpunt. Nonnulli adversarii astutiores, etsi vident Augustini et nostram interpretationem, vere esse Pauli ac propheticae et apostolicae scripturae sententiam, tamen obstrepunt nobis et Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, et nescio quorum autoritatem citant, non quod illos vere et ex animo probent, sed tantum ut fucum faciant imperitis, ne videantur victi. Non enim adferunt adversarii ad haec certamina bonam conscientiam, et studium, quaerendae veritatis, sed odium nostri, contemtum Evangelii, curam tuendae suae autoritatis. Quid populus de Christo sentiat, quomodo erudiantur Ecclesiae, nihil ad se pertinere iudicant, ac partim aperte exercent sycophanticam, ut Cochlaeus, Wicelius et similes, partim sunt tyranni et tyrannorum satellites, qui propter sapientiae aut virtutis opinionem gubernant pontificum, regum et principum consilia, cum sint homines ἄθεοι, qui in universum arbitrantur religiones commentitias esse, ac sibi ipsi mirum in modum hoc nomine placent, quod ausint ἀντιπέρδειν πρὸς τὰς βροντάς, ut ille apud comicum inquit. Et tales dicturi sunt sententias in synodis de Christi gloria, cuius nomen esse fabulosum cogitant.

Proinde pios lectores adhortor, Primum ut considerent genera doctrinae, utri simpliciter et sine sophistica sententiam scripturae propheticae et apostolicae proponant. Deinde cum patres citantur, quae dicta patrum sint consentanea divinae voci. Est enim magna dissimilitudo patrum. Postremo ut Paulus iubet probare spiritus, voluntas utriusque patris spectanda est, et summa con-

silii. Illud agunt adversarii, non ut aliquid emendent, sed ut qualicunque praetextu defendant suam tyrannidem, confirment et muniant opes. Ideo reges et pontifices adversantur coniugio sacerdotum, quia vident coelibatum, ad retinendam potentiam et opes, expeditiorem esse. Hoc modo cum extent notae impiae voluntatis in quibusdam manifestis articulis, satis apparet eos non agitari bono spiritu, sed esse hostes Christi, et nec in caeteris articulis quaerere veritatem. Quare eorum iudicia constanter repudiemus.

Psalmo 42. Affirmat renatum non esse iustum propter opera, sed fide, sic enim inquit: Plane time, si iustum te dicis, si non habes illam vocem, ex alio Psalmo: Ne intres in iudicium cum servo tuo: nam si iudicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ergo si non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia quicunque hic vivit, vae illi, si cum eo in iudicium Deus intraverit. Nam et apud alium Prophetam arrogantes et superbos sic obiurgat: Quare mecum iudicio contenditis? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Noli ergo iudicio contendere, da operam esse iustus, et quantumcunque fueris, confitere te peccatorem esse, et semper spera misericordiam, et in ista humili confessione securus alloquere turbantem te, et tumultuantem adversus te animam tuam. Quare tristis es anima mea, quare conturbas me? forte in te volebas sperare, spera in Domino, non in te, quid enim es in te, quid es de te? Ille sit sanitas in te, qui accepit vulnera propter te, et inquit, Spera in Dominum.

Psalm. 31. Qui sunt beati? Non illi, in quibus non inveniet peccatum, nam in omnibus invenit: Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendavit: Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iusticiam. Hic recte accommodat dictum de fide, et testatur se fidem intelligere, non tantum historiae noticiam, sed fiduciam confidimus nobis remitti peccata propter Christum. Nec vero quisquam potest assequi Pauli sententiam, nisi sic intelligat nomen fidei. Hoc vero est, ut dicitur, in foribus errare, fidem tantum intelligere noticiam historiae, non fiduciam promissae misericordiae propter Christum. Nec mirum est monachos tota via deerrasse in enarrando Paulo, quia in hoc ipso loco turpiter hallucinati sunt. Et nunc adversariis haec caligo praecipue impedimento est, quo minus recipiant doctrinam de fide, quia nomen fidei non recte intelligunt. Cur non expendunt talia Augustini dicta, quale hoc est, quod modo recitavi? Hic testatur Paulum hoc velle, Abraham pronunciari iustum, quia crediderit, non tantum de posteritate sua, sed remissione peccatorum.

Tales sententiae passim obviae apud Augustinum, satis ostendunt eum de gratia et de fide idem sentire, quod nos docemus. Sicut etiam de spiritu et litera inquit: Ex lege timemus Deum, per fidem autem confugimus ad misericordiam. Hic erudite discernit legem et Evangelium.

Etsi autem interdum in eius scriptis figurae orationis occurrunt non satis explicatae aut incommodae, hae temporibus condonandae sunt, quia vulgi consuetudo quasdam figuras receperat, ut appellationem meriti, et alias quasdam, et has explodere docti non poterant. Deinde nec ipsi scriptores satis assuefacti fuerunt ad accuratas disputationes, et quanta tunc fuerit caligo in Ecclesia, inde aestimari potest, quod Pelagii impia opinio tanto cum plausu excepta fuit, ut Augustinus et pauci quidam alii non sine magnis certaminibus eam rursus ex Ecclesiis explodere potuerint.

Caeterum de ceremoniis si quis aetatem Augustini nobis opponit, sciat ne ipsi quidem Augustino placuisse omnes ritus et persuasiones sui temporis. Quaeritur enim multas superstitiosas opiniones haerere in Ecclesia, anteferri humanas traditiones praeceptis Dei, et sic cumulatas esse ceremonias, ut Iudaeorum servitus tolerabilior fuerit, quam Ecclesiae. Verba eius haec sunt ad Ianuarium, Epistola 119. Ipsam tamen religionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior fuerit conditio Iudaeorum, qui tamen divinis legibus, non humanis subditi erant. Et primum de ritibus humanis inquit: Totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Deinde diserte iubet inutiles ritus humanos praecidi. Ergo non ita probat Augustinus ceremonias sui temporis, ut Ecclesiam ad eam normam constitui

velit. Multa enim recepta erant, quae ne ipse quidem probat, imo reprehendi et corrigi vult, quaedam more illius temporis observat, ut omnes praesentibus moribus multa condonamus.

Huius aetate percrebescere sermones de purgatorio coeperunt, quos ipse nec refutat, nec confirmat, tantum narrat, inquiens quosdam sic existimare, purgari animas piorum, postquam discesserunt a corporibus. Sed libro confessionum 9. petit his verbis precationem pro mortua matre: Inspira Domine servis tuis, ut ad altare meminerint matris meae et patris, nec petit amplius. Quanquam autem hoc verecunde dicitur apud illum, tamen nunc sceleste detorquetur ad oblationem sacramenti pro mortuis, qualis nondum fuit Augustini tempore.

Fuerunt et vota usitata eo tempore, et quaestio incidit, an coniugia post votum contracta dissolvi debeant. Hac de re extat sententia Augustini in decretis 27. q. 1. C. nuptiarum. Hic etsi Augustinus plus tribuit votis quam conveniebat, tamen pronunciat coniugia post votum contracta non esse dissolvenda, et affirmat vere esse coniugia, quia altera persona non debet cum iniuria alterius redire ad votum. Nec fit obligatio irrita inter duas personas, etiamsi altera attulit mutationem prioris propositi. Haec in summa dicit in eo textu. Sed plus valuit error de votis, quam haec mitigatio Augustini. Ideo constitutiones postea secutae, distraxerunt coniugia. Vidit Augustinus illam distractionem vitiosam esse, sed non satis consideravit, quid in ipsis etiam votis vitii fuerit, quod erat obscurius. Vincebatur enim vulgaribus opinionibus sui seculi. Iam mos receptus erat faciendi vota, magna erat admiratio multorum in eo vitae genere degentium: Admiratio autem iudicio officit. Non igitur disputabat, an valerent vota, cum quidem multi essent errores impliciti illis, habebantur pro cultibus, pro singulari merito iusticiae, perfectione, item plerisque erant impossibilia. Haec si prius refutasset, melius prohibere distractionem coniugiorum potuisset.

Constat igitur multos abusus illa aetate iam haesisse in Ecclesia, quorum etsi aliquibus adversatus est Augustinus, tamen aliquos boni consuluit, qui postquam retecti sunt, non debent defendi. Deinde etiamsi veterum exempla suo tempore dissimulata sunt, tamen nunc ad confirmandos maiores abusus, nequaquam accommodari debent, ut nequaquam valet consequentia: Augustinus iubet ad altare precationem fieri pro matre, Ergo approbandae sunt Missae pro mortuis. Aut: Augustini tempore quidam arbitrabantur esse purgatorium, Ergo approbandae sunt Missae, indulgentiae, et aliae fundationes pro mortuis excogitatae. Nam Augustini tempore nondum erant hae prodigiosae impietates, etsi paulatim semina sparsa sunt.

De Gregorio.

Anno 590. iniit pontificatum Gregorius, cum essent exacti anni post Augustini mortem 157. Interea influxerant in Italiam multae barbarae gentes, Gotthi, Longobardi, et horum socii. Et non solum studia literarum conticuerant, et Ecclesiae neglectae erant, sed etiam illae ipsae barbarae gentes, quae tenebant Italiam, secum invexerunt, aut facile receperunt multas superstitiosas opiniones. Ideo brevi tempore valde cumulati sunt abusus.

In illa dilaceratione Italiae videbatur esse peculiaris felicitas, abesse a Repub. procul in aliqua solitudine degere, sine familia, sine liberis, non spectare urbium excidia, et vastationem patriae. Miserum est enim dicere illud, quod Aeneas inquit: Et quorum pars magna fui. Itaque modesti homines, qui habebant familias, gratulabantur monachis suam tranquillitatem. Sic crevit admiratio monachorum, et plures coeperunt quaerere et amare secessus.

Deinde homines barbari natura mirantur novos ritus, qui speciem habent eximiae pietatis, et tanquam commercii cum Deo. Nihil mirum est igitur tunc et monachorum coetus crevisse, et plausibiles opiniones de illo genere operum latius vagatas esse, et extinctam Evangelii lucem de vera fide et veris cultibus.

Grata etiam barbaris fuit veneratio sanctorum. Postquam semel receptum erat ethnico more ornare statuis et peculiaribus templis, crevit mos imitatione potentum. Et paulatim tantum accessit impietatis, ut nihil differret veneratio sanctorum, his posterioribus seculis, a manifesta Ethnicorum idolatria. Invocabantur Anna, Georgius, non aliter quam Iuno, Mars, aut Hercules. Currebatur ad statuas, et magna autoritate talem εἰδωλομανίαν confirmabant Episcopi, laudabant doctores. Et in talibus cultibus erat re-

ligionis summa. Interim de Christi invocatione, de fide erat ingens silentium.

Principia igitur cavenda fuerunt tantae impietatatis, quae quidem Gregorius valde confirmavit, qui publicum ritum invocationis Divorum instituit, qui ossibus et pulveribus eorum templa dedicari iussit.

Tunc etiam irrepsit opinio, de oblatione corporis et sanguinis Christi facienda pro mortuis. Haec opinio peperit horribilem prophanationem sacramenti.

Etsi igitur post Gregorii aetatem maiores tenebrae secutae sunt, tamen hi errores tunc haeserunt in Ecclesia, falsa persuasio de monachatu, de operibus sine mandato Dei excogitatis, invocatio sanctorum, et oblatio corporis Christi pro mortuis: hi errores magnam deinde ruinam traxerunt. Itaque Gregorii aetas non potest esse norma emendandae Ecclesiae, quod quo' magis perspici possit, manifestiora errata Gregorii prius recitabo, deinde pauca de coena Domini disputabo. Gregorius lib. 3. Epistolarum, in Epistola ad Catanensem Episcopum in Sicilia, praecipit: Ne subdiaconi aut diaconi consuetudine coniugum utantur, quas ante ordinationem duxerant, cum quidem antea Siculi servassent Graecum morem, nec maritis interdixissent coniugum consuetudinem. Hic lapsus satis manifestus est. Nemo enim pius distractionem legitimi coniugii approbare potest.

Narrat fuisse quendam Speciosum, qui maluerit relinquere functionem subdiaconi, quam carere coniugis consuetudine. Hic quisquis fuit, saniore iudicio praeditus fuit, quam illi, qui talia coniugia distrahebant.

Auget peccatum Gregorii, quod hunc morem in Siculis Ecclesiis recipi voluit, quae ad id tempus iuxta synodorum veterum decreta, retinuerant coniugia in omnibus gradibus ecclesiasticis, nec onerabant votis diaconos aut alios. Cur sumit sibi imperium Gregorius in alienas Ecclesias, cum quidem tam tragice declamitet se abhorrere ab universalis Episcopi appellatione? Deinde cur ibi distrahit coniugia, ubi diaconi non fuerant onerati votis, cur hic non veretur superiorum synodorum autoritatem? Hic lapsus cum manifestam impietatem et tyrannidem contineat, satis apparet aetatem Gregorii non fuisse sine magnis erroribus.

Item quam iniustus est adversus eos, qui infantes in monasteriis educati fuerant iussu parentum, et postea facti puberes, aliud vitae genus expetebant. De his respondet, nefas esse tales deserere vitam monasticam. Haec durities non eo tantum reprehendenda est, quia aetati facta est iniuria, sed etiam quia valde confirmavit superstitiosas opiniones de monasticis cultibus.

Addam tertium erratum non obscurum. Movetur spectris, ut comprobet oblationem Sacramenti pro mortuis. Narrat duos, qui post mortem in balneis servierunt, quorum alter petivit, ut pro se fieret oblatio sacramenti, ut ab illis poenis liberaretur. Ab his spectris sumit dogmata in Ecclesia contra manifestum mandatum Dei. Deut. 18.: Non quaeras a mortuis veritatem. Et Esaiae 8.: Utrum populus a Deo quaerit veritatem pro vivis, an a mortuis? Ergo qualiscunque est animarum status post hanc vitam, tamen a spectris non sunt sumenda dogmata. Deinde quis non videt poëticum esse, quod dicit pios post mortem factos esse balneatores. Similis fabula est commento de filiabus Danai, quae hauriunt aquam cribris.

Non instituimus hunc Catalogum, ut errorum confutationes adderemus, quae extant alibi satis multae, tantum recensere errata volui, ut appareat falli eos, qui sic admirantur patres, tanquam fuerint ἀναμάρτητοι, et nusquam dissentiant a scriptis divinis manifestis. Etsi igitur aliquid monent interdum eruditiores patres, tamen de eis iudicandum est ex verbo Dei.

Omissis igitur aliis confutationibus, breviter quaedam de illa oblatione pro mortuis adiiciam: Non opus est quaeri, an sit purgatorium, nihil haec quaestio ad oblationem pertinet. Etiamsi esset purgatorium, tamen impium est offerre Sacramentum pro mortuis. Rationes multae sunt firmissimae. Prima: Impietas est, instituere cultum in Ecclesia, sine mandato Dei: Adplicatio coenae Domini pro aliis fit sine ullo mandato et testimonio divino, Ergo sine ulla dubitatione haec adplicatio est impia.

Maiorem confirmant plurimae sententiae: Non habebis Deos alienos. In hoc mandato etiam cultus alieni prohibentur. Et huc pertinet dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Quidquid non est ex fide, peccatum est. Porro, cultus sine mandato Dei non possunt ex fide fieri. sed mundus non intelligit, quantum

peccatum sit, fingere cultus sine mandato Dei, discedere a verbo Dei. De hoc scelere maxime concionantur Prophetae, et deplorant hominum coecitatem, qui cultus et dogmata de voluntate Dei fingunt horribili audacia, nec retinent verbum et cultus, in quibus Deus suam voluntatem nobis proposuit. Ipsi coeci quaerunt Deum aliis modis. Constat autem Christum non tradidisse Sacramentum, ut pro mortuis adplicetur. Quae ibi fit mentio mortuorum? Iubet celebrari coenam, ut recordemur mortis et beneficiorum suorum. An mortui adsunt, ut una recordentur? Sed breviter adiiciam et alias rationes.

Secunda. Sententia certa est, quae labefactari nequaquam potest: Iustus fide sua vivet. Quare necesse est nos accipere remissionem peccatorum vivos, ac impossibile est contingere ullis remissionem propter opus aut sacrificium cuiusquam sacrificuli. Causae obscurae, ambiguae, longas disputationes requirunt. Hic error de oblatione refutatur adeo perspicuis et firmis argumentis, ut nihil desiderent longam explicationem. Doctrina de remissione peccatorum certa et perspicua est. Nemini contingit remissio, nisi fide propria eam accipit. Hanc sententiam si quis tollit, contumelia afficit Christum. Ergo contumelia adficiunt Christum, qui fingunt oblationem illam mortuis mereri remissionem.

Tertia. Tantum iis prodest sacramenti usus, qui utentes eo recordantur mortem et beneficia Christi: ergo impossibile est id opus mortuis prodesse, qui nec utuntur ipsi, nec addunt ibi recordationem. Antecedens manifestum est ex Christi institutione, quia iubet celebrari hoc ministerium ad recordationem. Nec aliud institutioni affingendum est. Si quis plus affingit, si quis transfert ad mortuos, impie contaminat institutionem Christi.

Quarta. Aperte dicit scriptura: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Rom. 8. Corpus mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter iustificationem, id est, iustificati spiritu, donec hoc corpus circumferunt, in quo haerent reliquiae peccati, varie adfliguntur, ut in invocatione crescant fides, agnitio Dei, et novitas spiritualis. Sed mortuo corpore peccati reliquiae abolentur. Et diserte addit Paulus, vivere spiritum propter iustificationem. Illa vita iustificati spiritus non est pavor, aut sensus irae Dei, sed est gaudium in Spiritu sancto, sicut Paulus inquit. Non sunt igitur poenae purgatorii.

Christus inquit ad conversum latronem: Hodie mecum eris in Paradiso, hoc est, in vita tranquilla et beata, non in poenis et pavoribus. Non igitur discedunt iustorum animae ad cruciatus, sed ad gaudium spirituale, et ad pacem. In hac vita exercentur pii horribilibus adflictionibus, quia Deus mirabili consilio vult Ecclesiam suam subiectam esse cruci, et degustare adflictiones Christi. Sic Adam, Isaac, Iacob, Ioseph, David, Esaias, Ieremias, Ioannes Baptista, et caetera lumina Ecclesiae, fuerunt in aerumnis, quarum magnitudinem enarrare nemo potest. Ideo Petrus inquit: Humiliamini sub potenti manu Dei. Etsi igitur tales sunt poenae piorum, dum in corpore vivunt, tamen post mortem esse tales adflictiones cur dicetur? cum hae adflictiones sint destinatae ad agnoscendas peccati reliquias in carne, et ad poenitentiam. At post mortem non est locus poenitentiae, sicut Paulus clare adfirmat, 2. Corinth. 3. Reportabit unusquisque ea, quae gessit in corpore. Et Psalmi hoc docent: Non mortui laudabunt te Domine. Item: Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. Non igitur affirmari potest, aliquos post mortem adhuc exerceri illius cruciatibus, ut agant poenitentiam.

Si dicunt adversarii, cruciatus illos non eo infligi, ut crescat poenitentia, sed ut sint satisfactiones, multo magis explodenda est haec opinio. Nam doctrina satisfactionum, quam sententiarii confinxerunt, falsa et impia est. Et quidem in eas disputationes, tanquam in sentinam plurima mendacia confluunt, de purgatorio, de votis, de oblatione pro mortuis, denique alia multa. Cum igitur purgatorium, quod vocant, adfirmari non possit, impietas est instituere oblationem ad liberandos mortuos. Quanquam, etiamsi esset purgatorium, non transferri ad mortuos coena Domini posset.

Sed quid disputo? Orta est mentio purgatorii a spectris, deinde confirmata propter quaestum, et nunc defenditur a Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, Canonicis, qui palam sunt Epicurei, ac securissime contemnunt iudicium Dei, et quae de poenis post mortem legunt, sic accipiunt, ut fabulas poëtarum de Ixione, Sisypho, Tantalo, aut similes, ac rident stultitiam

aliorum, qui affirmant Deum proposuisse aeternas poenas impiis.

Omitto igitur disputationem in praesentia. Basileae in synodo exhibuerunt Graeci orationem de purgatorio, quae hodie extat in Phorcensi bibliotheca, in qua de loco Pauli 1. Corinth. 3. disserunt, quem ad purgatorium detorsit aetas recentior, cum constet eum locum de poenitentia loqui. Salvabitur, sic tamen quasi per ignem. Ergo vult lapsum poenitentia corrigi. Quare de praesenti vita loquitur, in qua locus est poenitentiae. Profecto verum est quod dicitur: Simplex est veritatis oratio. Cum Paulus de poenitentia loquatur, non potest hic locus detorqueri ad cruciatus post mortem.

De loco in Maccabaeis est etiam planissima responsio: Veritas rerum erroribus gestorum non vitiatur, inquit Iurisconsultus. Et Demosthenes contra Aristocraten reprehendens vitiosa exempla, inquit: *μὴ δὴ ἡμῖν τοῦτο ἐᾶτε λέγειν, ὡς γέγονεν, ἀλλ᾽ ἐστι δίκαιον γενέσθαι.* Sacrificia Levitica non delebant peccata coram Deo, deinde nulla pro mortuis instituta fuerunt. Ergo fuit error sacrificare pro mortuorum peccatis, ut Iudaei alios vitiosos cultus saepe receperunt. Natura enim hominum ad superstitionem propensa est omnibus aetatibus. Ideo cum exemplum illud pugnet cum scripturis, non est citandum ad confirmandas superstitiones in Ecclesia. Haec fere sunt praecipua, quae de purgatorio citantur. Ideo autem hanc disputationem inserui, ut magis appareat lapsum Gregorii, qui confirmavit oblationem pro mortuis aperte cum apostolicis scripturis pugnare.

Quod cum ita sit, etiam Canon Missae, ut vocatur, reprehendendus est, in quo dicitur fieri oblatio ad redimendos vivos et mortuos. Quae fuit audacia Sacramentum transferre ad mortuos? cum institutio tam clare de vivis, de recordatione loquatur. Gregorius scribit hunc canonem a quodam scholastico, ut ipse eum nominat, compositum esse. Sed quisquis fuit autor, qui hanc rhapsodiam congessit, illud negari non potest, dissentire Latinum canonem ab utroque Graeco, quanquam nec Graeci canones inter se consentiunt, et differunt in locis insignibus.

Hactenus de Gregorio dixi, nec volo sequentium seculorum scriptores adiicere. Nam doctrina magis degeneravit postea. Accessit et pontificum tyrannis, cum Gregorius adhuc appellationem universalis Episcopi repudiet, ac valde vituperet, ut testantur aliquot Epistolae in libro 4.

Possem adiicere querelas scriptorum veterum de Episcoporum cupiditatibus, et inscitia, quae si nihil aliud, tamen hoc monent, Ecclesiam nequaquam ad exemplum et ideam eius temporis constituendam esse. Sed in Apocalypsi Ioannis proponuntur terribiles imagines, quae significant haud dubie Ecclesiae tempora, et ostendunt grassaturos statim in Ecclesia impios doctores, ac tyrannica dominatione oppressuros veritatem.

Monstrant et synodorum historiae, quanta in Episcopis plurimis rabies fuerit, qui ad tuendam impietatem miris artibus incenderunt Principes et vulgus, prorsus ut nunc Pontifices et Episcopi omnibus artificiis regum animos ad movendum civile bellum incitare conantur.

Basilius in fine libri de Spiritu sancto, quam tragica querela deplorat Episcoporum sui temporis furorem et impietatam, narrat seditionibus et caedibus quaeri defensionem malorum dogmatum. Et ad Italicos ac Gallicos Episcopos ita scribit: *ἀνατέτραπται μὲν γὰρ τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα, συγκέχυνται δὲ εὐσεβείας θεσμοὶ, φιλαρχίαι δὲ τῶν μὴ φοβουμένων τὸν κύριον ταῖς προστασίαις ἐπιπηδῶσι, καὶ ἐκ τοῦ προφανοῦς λοιπὸν ἆθλον δυσσεβείας, ἡ προεδρία πρόκειται, ὥστε ὁ τὰ χαλεπώτερα βλασφημήσας, εἰς ἐπίσκοπον λαοῦ προτιμώτερος, οἴχεται σεμνότης ἱερατικὴ, ἐπιλελοίπασιν οἱ ποιμαίνοντες μετὰ ἐπιστήμης τὸ ποίμνιον τοῦ κυρίου.*

Id est, Eversa sunt veritatis dogmata, confusae leges pietatis, ambitio non timentium Deum rapit gubernationem Ecclesiarum, nec aditus est ad honores nisi per impietatem, ut quisque est rabiosissimus et audacissimus in lacerandis piis et veris dogmatibus, ita maxime dignus Episcopi honore iudicatur. Periit gravitas sacerdotibus conveniens, desunt pastores, qui eruditione gregem Domini pascant.

Sic ille sui temporis Episcopos depingit, quorum vitiis recentior aetas addidit imperia et tyrannides.

Cum igitur constet illam aetatem non sine vitiis esse, concedendum est Ecclesiae, ut de doctrina consulat verbum Dei, sicut pater coelestis praecipit, ut filium audiamus, et David inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Haec de veterum scriptorum erratis, etsi multa praetermisi absurde dicta, non eo collegi, ut de veris eorum laudibus aliquid detrahatur. Credo plerosque in his fuisse pios et praestantes viros, quidam etiam optime meriti sunt, sed ne ipsi quidem voluerunt anteferri sua dicta doctrinae Christi. Deinde hi, qui nunc nobis veterum autoritatem opponunt, valde illorum testimoniis abutuntur. Etsi illis temporibus semina errorum sparsa sunt, tamen nondum in Ecclesiam pervaserant tam tetri abusus. Erat initio qualiscunque mentio sanctorum. Quantum accessit impietatis postea? Non igitur citanda est Nazianzeni declamatio, cum illius aetas adhuc ignoraverit hanc recentem idolatriam.

Sed quid citant Ecclesiae autoritatem adversarii, cum non de doctrina, non de religione dimicent, sed de suis libidinibus atque opibus? Tranquillitatem suam turbari nolunt. Haec una et sola causa est, cur nos delere cupiant. Nam dogmata quaedam luce meridiana clariora sunt. Et tamen ut haec opprimant, manifesta crudelitas exercetur, interficiunt pios, doctos et bonos viros sacerdotes propter coniugium. Hoc ubi lectum est de ulla barbarie, interfici homines propter honestum coniugium? Si veterem Ecclesiam probant, cur hic non imitantur prima tempora? An Ambrosium vel Augustinum arbitrantur hanc crudelitatem suppliciorum probaturum fuisse? Illi vero execrati essent hanc immanitatem, et palam testati, hos pontifices autores crudelitatis, non Ecclesiae membra, sed diaboli organa esse, ac sine ulla dubitatione defensionem piorum sacerdotum, mulierum, puerorum, deinde tot gentium, quae sunt coniunctae huic causae, suscepissent.

Postquam autem dixi, quae sit vera Ecclesia, et constat nos doctrinam catholicae Ecclesiae Christi traditam in scripturis propheticis et apostolicis, et in symbolis fideliter retinere ac tueri, manifestum est nos vere cum Ecclesia catholica Christi sentire. Addo illud etiam, praecipuos scriptores, Ambrosium, Augustinum, et paucos alios idem sentire, si commode intelligantur, et pauca quaedam eis condonentur, quae tunc non venerunt in controversiam.

De Liturgia nihil dubium est, nec privatas, nec venales, nec funebres Missas fuisse ante Gregorium, nec invocatio sanctorum multo ante Gregorium celebrari coepit.

Est et Lex de coelibatu perpetuo, admodum recens, quae non aliam ob causam defenditur, nisi quia coelibatus est commodior ad tuendas opes. Et manifestam iniuriam verbo Dei faciunt, qui adfirmant coniugium sacerdotum cum iure divino pugnare.

De poenitentia, de remissione peccatorum ac iustificatione, quam dicimus homines fide propter Christum consequi, non propter opera, de satisfactionibus, de clavibus, de traditionibus humanis, de rebus politicis, pleraque nostri disputaverunt planius, quam veteres, quae tamen apparet consentanea esse perpetuis sententiis illorum, qui fuerunt eruditiores ac peritiores rerum spiritualium, qui quidem hanc explicationem ac methodum si legissent, pro sua pietate candide probaturi fuissent, ut audio narrasse virum praestantem, Theologum Parisiensem, se ex nostrorum explicatione, de iustificatione, primum rectius Augustini sententiam intellexisse.

Scio ex veteribus excerpi posse multa pugnantia cum nostris sententiis. Et excerpit pro suo adfectu quisque quod videtur commodum, ut ex iisdem floribus apes mella legunt, aranei venena. Sed absint a iudiciis ecclesiasticis sycophantiae. Non provoco ad omnes scriptores, sed ad meliores, Ambrosium, Augustinum, et quatenus alii cum his consentiunt, qui cum ipsi interdum pugnantia dixerint, veniam nobis dabunt, si quaedam reprehendimus, modo ut manifestam et certam scripturae divinae sententiam sequamur, nec discedamus a symbolis, et teneamus, quod ipsi spectarunt ac voluerunt, interdum autem explicare non potuerunt. Nihil enim dubium est hoc doctrinae genus, quod profitemur, vere esse ipsum consensum catholicae Ecclesiae Christi, ut ostendunt symbola, saniores synodi, et eruditiores patres. Haec respondi moderatioribus, qui autoritatem Ecclesiae aut patrum nobis opponunt.

Exoritur autem quoddam novum genus sapientum, qui cum sint ἄθεοι, nulla prorsus volunt moveri de religione certamina, laudant pacem et concordiam, execrantur omnes, qui quocunque modo serunt discordias, hos tanquam καθάρματα et pestes generis humani tollendos esse censent. Haec est una philosophia Pontificum, Cardinalium, Regum, Canonicorum et plurimorum, qui perhiberi volunt viri politici, qui scilicet otium suum interturbari nolunt, nolunt di-

gnitatem suam labefactari, oderunt doctrinam, quae videtur offectura commodis ipsorum, denique alius aliam habet causam. Horum omnium una vox est in regum consiliis: Nullam mutationem concedendam esse, retinendam esse concordiam Ecclesiae, autoritatem ordinariae potestatis.

Deinde habent suos rhetores, qui vehementissimas conciones in eam sententiam edunt, quos nominari omnes nihil opus est. Extant enim multorum scripta: sed ex omnibus illis centones nuper consuit Omphalius. Initio tanquam Solon aut Areopagita aliquis concionatur de legum dignitate, vituperat seditiones et legum contemtum commemorat, quam dulcis harmonia sit ordinis et *εὐταξίας* in Repub. quam leges efficiunt. Deinde etsi non nominat certam professionem, tamen quos praecipue petat, satis ostendit, declamitat adversus nos, qui quasdam tyrannicas et impias leges pontificum excussimus. Etsi autem non opinor eum haec gratis dicere, tamen cum eadem dicantur a multis summis et eloquentibus viris, non disputabo quid iste captet.

Totum hoc genus concionum spectat ad confirmandos potentum animos, ne ulla moderata et pia consilia audiantur, deinde ut inflammati iniustam saevitiam exerceant. Ut autem David petebat, ne valerent consilia Achitophel, sic nos precabimur Deum, ne horum rhetorum eloquentia veritatem et gloriam Christi opprimat. Et cum scriptum sit: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, sperabimus Deum non defuturum nobis esse in refutandis illis calumniis, et in gloria Christi illustranda.

Scio plausibiliter dici de legum dignitate, de pace, de tranquillitate communi: non adeo rudis sum literarum, nec adeo alienus a civili consuetudine vitae. Sentio etiam in Repub. communi tranquillitati ea onera condonanda esse, quae sine impietate tolerari possunt. Valeant in eo genere haec sententiae: *τὸ κακὸν εὖ κείμενον, μὴ κινητέον.* Et quod Plato dixit: ut deliri patris, ita patriae desipientis mores tolerandos esse. Recte ista in loco dicuntur de civilibus oneribus, quae sine impietate tolerantur, sed haec philosophia non transferatur ad obruendam gloriam Dei. Doctrinae errores et idolatria nequaquam dissimulari debent, sicut Christus inquit: Si quis negaverit me, confundam eum. Primum praeceptum: Non habebis Deos alienos, longe anteferendum est omnibus rebus humanis, legibus hominum, imperiis, ordinariae potestati, paci, patriae, concordiae. His nominibus nihil est augustius, sed tamen anteferendum est nomen Dei.

Prophetae, Apostoli haud dubie patriam et patriae tranquillitatem, si qui alii, amarunt maxime. Et tamen reprehendere impios cultus et pravas opiniones coacti sunt. Et quidem Christus profitetur se doctrinae genus adferre, tanquam ignem, qui sit accensurus ingentes discordias. Necesse est enim existere certamina de cultu Dei, quia diabolus ardet horribili odio Dei, et quantum potest, verbum Dei delere conatur, et adversus Deum homines impios incitat, ac secum trahit florentissima imperia: cum his hostibus belligeratur Christus.

Quare cum necesse sit piis reprehendere et abolere impios cultus, non possunt non esse mutationum autores Prophetae et Apostoli. Quanquam igitur politica sapientia abhorret ab ipso mutationis nomine, et pii, qui certe non omnes stolidi aut fatui sunt, intelligunt quantum difficultatum et periculorum adferant mutationes, tamen Christianum pectus antefert mandatum Dei, et excelso animo excipit omnes difficultates, easque intelligit regi a Christo, cui omnia subiecta sunt, ut inquit Propheta.

Haec breviter respondeo, non tam Omphalii orationi, quam illorum sapientum argumentis, qui in omnibus consiliis concionantur de vitandis mutationibus, de concordia. Etsi autem homines athei hanc responsionem derident, tamen piis utile est considerare haec argumenta, ne illa sapientiae species deterreat animos a pietati, et a professione veritatis.

Et haec scribo maxime admonendae iuventutis causa. Impii cum aliis illecebris, opibus et aliis commodis animos multorum capiunt, tum vero etiam irretitos tenent his persuasionibus, quod vitandae sint mutationes, quod deceat favere ordinariae potestati, tueri praesentem formam reipublicae. Haec quatenus laudanda sint, Christiani praemonendi sunt, ne obliviscantur huius praecepti: Non habebis Deos alienos.

Doleo quosdam excellentibus ingeniis praeditos conspirare cum impiis, ac faces esse ad incitandos reges ad crudelitatem, et ad stabiliendam impietatem. Illa est virtus digna magnis et praestantibus viris, praecipue ad Gloriam *Dei*

conferre industriam atque autoritatem. Hic scopus propositus esse debet omnibus, ut suo quisque loco, quantum potest, conferat aliquid operae ad conservationem coelestis doctrinae. De aliis parasitastris parvulis, qui scribunt sycophanticos libellos, hoc loco non dicam, qui sunt ex illo genere *κολάκων*, quales alebat Dionysius Siculus, qui sputum tyranni excipiebant ac lingebant, praedicantes nectare dulcius esse.

Redeo ad sapientes illos, quorum aliqui simulantes religionem, postquam vident absurdas superstitiones superiorum temporum excusari non posse, adfingunt ritibus et decretis molliores interpretationes, ut tecte stabiliant impietatem, conservatis ritibus ac vitiosis decretis. Talis est liber editus Coloniae, titulo reformationis. Audio et Contarenum Cordinalem in Italia dicere solere, Lutheranos iniuriam facere Romanis proceribus, cum adscribant illis errata plebeiorum scriptorum, ut Legendarum, Dormi secure, et similium, nunquam sic sensisse Romanos proceres, aut ineptias illas probasse: ita nunc a se derivant errata. Ac scio ubique gentium plurimos esse, qui hoc novo artificio laudem singularis sapientiae aucupantur, qui primum eo instituti sunt, quod cum pleraque a nobis correcta ex nostris libris mutuentur, et nostris se pennis ornent, ut fucum incautis faciant, tamen nobis iniqua *δίδακτρα* reddunt. Non enim desinunt in nos exercere crudelitatem, deinde non cogitant hanc novam sophisticam fore extremam perniciem verae religionis.

Si ingeniis petulantioribus licet comminisci glossas suo arbitrio, quid futurum est? Manifesta est idololatria in cultu sanctorum, in Missis pro mortuis, et tamen glossae affinguntur ad retinendos ritus per sese vitiosos. Ita paulo post fortassis Aegyptias superstitiones excusabunt. Absit ab Ecclesia haec impia et perniciosa sophistica, quae est protestatio contraria facto. Cultus non institutus expresso Dei verbo, per sese vitiosus est, etiamsi affingas quamcunque voles glossam, ut invocatio sanctorum per se vitiosa est, quia non est instituta divinitus, deinde et ob hanc causam per se vitiosa est, quia hic ipse mos, etiamsi diversum cogites, tribuis sanctis honorem Deo proprium, quod omnes audiant.

Possem exempla multa recitare, sed desino, ac pios hortor, ut istam nefariam sophisticam execrentur. Ezechias non solum superstitiosas opiniones de aeneo serpente correxit, sed ipsam statuam delevit. Ita pietas est cum impiis opinionibus ritus ipsos abiicere, qui non sunt proprie mores politici. Sicut scriptura praecipit idola destrui, sic ipsi ritus privatarum Missarum, invocatio sanctorum, votorum observatio, monasticus vestitus, sodalitia monastica, vinculum coelibatus, discrimina ciborum, et similes inepti ritus a superstitionibus orti, tollantur et aboleantur.

Sed quid disputo? Illi qui hac sophistica pingunt vitiosos ritus, non hoc vere agunt, ut tollant errores ex Ecclesia, sed ut qualicunque praetextu defendant suam autoritatem, et arte stabiliant impietatem. Facile enim repullulant pravae opiniones, si ritus ipsi maneant. Necesse est pios vigilantes esse. Nam diabolus oppugnat Evangelium, non tantum palam incitans tyrannos ad saevitiam, sed etiam callide insidias struens praetextu sapientiae, et offundens bellas persuasiones, de quibus cavendis toties praecipit Spiritus sanctus, ut ad Timotheum inquit Paulus, venturos spiritus impostores, et ad Colossenses ait, traditiones humanas speciem sapientiae habituras esse. Non tantum manifesta deliramenta spargentur, qualia fuerunt pleraque vetera et recentia, ut paulo ante manifestae fuerunt imposturae indulgentiarum: sed etiam homines astuti falsa dogmata, et impios ritus artificiose pingent, ut magno cum applausu excipiantur, amentur, ac retineantur. An non habet sapientiae speciem, impietas Samosateni? An non est plausibilis error Pelagii prophanis ingeniis? Ita habent haec speciem sapientiae. Prodest ad pacem et tranquillitatem retinere usitatos mores, decerpantur igitur horridiores opiniones, et affingantur interpretationes *εὐφημοτέραι*, ritus ipsi retineantur. Splendide hoc dici videtur, cum longe aliud agatur.

Hae sycophantiae significatae sunt in historia de Christo, quem cum oculos eius velassent, eique colaphos impegissent lictores irridentes, iusserunt vaticinari, a quo percussus esset. Sic excusatores isti impiorum rituum ludibrio habent Christum et Ecclesiam. Postquam insulsum aliquod glossema excogitarunt, putant se iam praestrinxisse Christo oculos, deinde addunt colaphos, hoc est, impietatem stabiliunt, incendunt reges ad crudelitatem, ac triumphos agunt, quasi iam prorsus deleverint veritatem. Ipsi plausum in

suo theatro auferunt, praedicantur a malis, amantur a regibus, quorum serviunt cupiditatibus. Sed orandus est Deus, ut hoc genus sycophantarum reprimat.

Nicander ait, genus esse serpentum, quod appellat Haemorrhoidas, sunt autem exiguae bestiolae, unius longitudine pedis, sed veneni tanta vis est, ut ab illis icto sudor erumpat cruentus toto corpore, ut ex ore, naribus, auribus, vesica large profluat sanguis, ut sanguineas lacrymas extillent oculi, ut ardeat incredibili inflammatione totum corpus. Huius generis bestia cum in Aegypto necasset Nauclerum Helenae, heroica mulier pede illam contrivit, unde et posteritas Haemorrhoidum dicatur claudicare amissa spina. Porro eventus ostendit, hanc novam sophisticam interpretandarum traditionum venenum esse non dissimile Haemorrhoidum. Indocti etsi sunt nobis infesti, tamen pertinacia et odio pugnant, non pugnant autoritate: istae Haemorrhoides propter doctrinae opinionem, propter sophismata, et ut vocat Paulus, propter speciem sapientiae, sunt in admiratione, incitant animos potentum ad opprimendam veritatem. Hoc veneno accensi principes, flammas odii concipiunt, fiunt cruenti et furenter crudeles. Sed Christus non sinet obrui lucem Evangelii, sicut scriptum est: Quod est ex Deo, non abolebitur. Proinde Ecclesia, in qua lucet vera doctrina, tandem illis Haemorrhoidibus spinas exteret. Non oppriment veritatem sophisticae illae interpretationes, et astuta et crudelia consilia impiorum.

Quod vero passim aliqui cupidi piae concordiae, expectant pontificum synodos, et sperant has Ecclesiae medicaturas esse, aut vitia correcturas, longe falluntur. Nunquam enim pontifices et eorum coniurati ac satellites desinent bellum gerere adversus Christum, quod ut ita existimem, moveor non tantum humanis coniecturis, quae multae et non leves sunt, sed Christi dictis moveor, deinde exemplis omnium aetatum. Nam Christus negat blasphemos sanari, qui contra conscientiam oppugnant veritatem, defendunt manifestam εἰδολωμανίαν, et piorum cruore se resperserunt. Furor blasphemias et parricidia haud dubie comitatur, sicut historiae Cain, Pharaonis, Saul, populi Iudaici, testantur. Et Deus minatur caecitatem blasphemis, sicut Psalmus inquit: Obscurentur oculi eorum. Itaque augent quotidie supplicia, obligant sibi principes impiis foederibus. Nec tantum palam grassantur, sed clam struunt insidias vitae piorum principum. An existimandum est hos moderata aut pia consilia admissuros esse? Et aliquoties iam experti sumus plerosque, qui simularunt moderationem, tamen reipsa nihil egisse, nisi ut nos irretitos opprimerent, ac totum doctrinae genus delerent. Scio paucos quosdam esse saniores in hostium collegiis, qui deplorant potentum pertinaciam, sed horum sententiae exploduntur, tanquam scholasticae. Haec cum ita sint, piae mentis est, et cogitantis de sua salute, de gloria Christi, quaerere quae sit vera Ecclesia, ut huic se adiungat, ut huius coetus et gregis Christi pars sit, sicut inquit Christus: Qui non est mecum, contra me est. Deinde sciat Ecclesiam nequaquam esse tyrannos et persecutores Christi, et eos, qui saevitiam vel adiuvant, vel comprobant. De his teneamus regulam certissimam Pauli: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Et cum ait, Anathema sit, non existimemus usum esse levi aut vulgari maledicto. Cum nominat anathema, significat Deum ex Ecclesia eiecisse hostes verae doctrinae, eosque fugiendos esse, tanquam diras pestes, quas Deus execratur. Pollui se horum societate et consuetudine boni sciant, et daturos graves poenas amicitiae et coniunctionis cum illis. Psalmus inquit de hoc genere: Induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossa eius. Huius maledictionis contagium nocet caeteris, qui sunt coniuncti cum illis, qui et veritatem oppugnant, et exercent saevitiam in pios. Non igitur existimemus parum momenti habere hoc mandatum: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Non sunt Episcopi, non sunt Ecclesiae membra, sed hostes Christi, qui cum furiis agitentur, non de Ecclesiae concordia et pace cogitant, sed de tyrannide stabilienda, non student sanare Ecclesias, sed moliuntur bella civilia, vastitatem Ecclesiarum, parricidia piorum sacerdotum, et piarum mulierum. Proinde non expectanda est ab illis emendatio Ecclesiarum, sed potius cogitandum, ut sententia, animo et voluntate quisque se ab illis seiungat, fugiat eorum εἰδωλομανίαν, non audiat convicia contra veram doctrinam, non adiuvet, non approbet illorum consilia, non confirmet eorum potentiam. Fugite idolatriam, inquit Paulus. Haec praecepta non sunt levia ducenda. Vera igi-

tur Ecclesia quaeratur, sciamus in hac exaudiri preces, in hac sciamus esse Christi membra, ad hanc sciamus pertinere promissiones Evangelii. Non pertinent promissiones ad hostes Evangelii, sicut nec ad Iudaeos, nec ad Mahometistas pertinent, ut saepe testatur Deus, et Psalmo 16. inquit pontifex Christus: Non offeram eorum libationes, nec faciam eorum mentionem labiis meis. Quem haec tam tristis comminatio non moveat, ut fugiat coetum adversantem verae Ecclesiae? Denique plena est in utramque partem scriptura divina talibus concionibus, quae iubent fugere hostes verae doctrinae et verae Ecclesiae, ac amplecti veram doctrinam, amare, iuvare, ornare veram Ecclesiam. Nec cogitemus tantum Platonicam civitatem esse Ecclesiam. Hic coetus est vera Ecclesia, in qua lucet pura Evangelii doctrina, in qua recte administrantur sacramenta divinitus tradita. In tali coetu necesse est aliqua esse viva Ecclesiae membra, quae praestant Deo veros cultus, agunt poenitentiam, invocant Deum vera fide, conferunt studium et operam ad Evangelii propagationem, ostendunt suam confessionem, serviunt vocationi, denique praestant pia officia a Deo mandata, exercentur periculis omnis generis, in quibus exercent invocationem, et alia bona opera. Hanc affirmo esse veram Ecclesiam, cum qua oportet pios ubique terrarum coniunctos esse, sententia, voluntate et confessione. Ac tales esse sentio Dei beneficio nostras Ecclesias, quae profitentur puram Evangelii doctrinam, quae est sine ulla dubitatione consentiens sententia catholicae Ecclesiae Christi. Utinam bonae mentes considerent, quantum referat non esse in castris hostium Ecclesiae, sed esse civem verae Ecclesiae Christi, propter quam Deus innotescere voluit, propter quam omnia condidit, quam filii sui sanguine sanctificavit, in qua patefecit se admirabilibus operibus per patres, Noë, Abraham, Ioseph, Mosen, Davidem, Eliam, Elisaeum, Apostolos, et reliqua lumina Ecclesiae, denique quae habebit vitam et gloriam aeternam, fruetur commercio Dei et piorum angelorum. Quanta gloria et beatitudo est, huius coetus socium esse, hoc agmine conspici, quod ducit Christus, quod circumvolant pii angeli, in quo incedunt principes, Adam, Noë, Abraham, Moses, Elias, et reliqui viri insignibus praediti donis. In hoc agmine iam certum tenes locum, si non adiuvas, non comprobas hostium Ecclesiae impietatem et crudelitatem, sed veram doctrinam amplecteris, confiteris, et piis moribus ornas. Psalmus inquit: Rogate pacem Ierusalem, Beati erunt qui diligent eam. O suavem et dulcem sententiam. Hortatur omnes, ut adiuvent omni genere officii Ecclesiam, ut doctrinae puritatem et consensum tueantur, ut doctoribus benefaciant, ut precibus et votis Deo communem salutem commendent, ut impios doctores, ut tyrannos inde arceant. Opto autem ex animo, ut magnitudinem horum officiorum viri politici considerent, qui et debent et possunt Ecclesiam iuvare. Intueantur posteritatem, cui ut Rempublicam constitutam relinquere cupiunt, ita multo magis debent veram Dei agnitionem, incorruptam religionem, purum Evangelium, recte constitutas Ecclesias tradere, sicut Paulus iubet Timotheum fideliter custodire depositum, ut integrum et incontaminatum ad posteros perveniat. Hac cura prorsus nihil adfici videmus Pontifices, Episcopos, Canonicos, de opibus suis dimicant, non de doctrina. Ergo alii in scholis, in gubernatione civitatum, suscipiant hanc curam. Hoc sacrificium praecipue Deus ab omnibus postulat, sicut Petrus inquit vocatos nos esse, ut celebremus Dei beneficium. Hic praecipuus finis omnium consiliorum atque actionum sapientibus propositus esse debet, ut ornent gloriam Christi. Pro hoc officio ingentia praemia pollicetur in hoc versiculo Deus: Beati erunt, qui diligent Ecclesiam: defensionem, successus, et salutem perpetuam promittit his, qui veram Ecclesiam amant. Hac voce pii exuscitent animos ad curam ornandae Ecclesiae, seque non modo adversus tyrannorum minas confirment, sed etiam contra sophisticam illorum muniant, qui falso antiquitatis et Ecclesiae testimonia ad defensionem impiorum dogmatum citant, ad quos refutandos nonnihil instruere studiosos volui.

Caput XV.

Debemus autem nos firmi infirmitates imbecillium tolerare.

Apostrophe est ad fortiores, in qua alteram ex superioribus propositionibus repetit. Nam cum antea utrique parti concionatus sit, nunc docet eam partem, a qua plus prudentiae atque aequitatis requiritur, videlicet doctiores. Po-

stulat enim, ut suum robur magis in tolerandis, quam perturbandis infirmis declarent. Sicut ad Corinthios scripsit: admonens doctos, ut habeant rationem indoctorum, cum ait: Scientia inflat, dilectio aedificat.

Apparet enim tunc quoque doctiores statim in usu libertatis, doctrinam suam ostentasse, sicut fit nostris temporibus. At Paulus contra fieri postulat, ut docti morem gerant indoctis, et sua commoditate invitent ad Evangelium imbecilles, et erigant atque confirment. Nam cum vires nostras non ad nocendum, sed ad iuvandos alios conferre debeamus, quo quisque dotes habet maiores, eo magis operam dare debebit, ut prosit aliis.

Addit autem particulam: Unusquisque nostrûm proximo prosit ad bonum et ad aedificationem. Hic admonet quomodo moderari usum libertatis, et quae scandala vitare debeamus. Duplex enim scandalum est, quoddam vocant acceptum, nos Pharisaicum vocabimus, cum videlicet non fratres, sed Evangelii hostes irritantur, cum aut docetur sana doctrina, ac reprehenditur impia ipsorum doctrina, aut fit aliquod bonum ac necessarium opus, ubi hypocritae putant sibi nocere exemplum, sicut offenduntur Pharisaei in Evangelio, cum Christus in Sabbato medetur aegrotis.

Cum autem Paulus ait: Praestandum esse, ut placeamus aliis ad bonum, et ad aedificationem, non vult impietatem hypocritarum nostra dissimulatione confirmari, sed vel invitis illis doctrina necessaria tradenda est, et opera a Deo mandata, facienda. Exempla sunt ubique obvia in scripturis. In mutationibus regnorum et rerum publicarum nihil scandali ac mali non inest. Et tamen Mosen oportuit mandato Dei parere. Apostolos oportuit Evangelium docere, etiamsi id prohiberent pontifices, et satis appareret universae Reipub. maximam mutationem allaturum esse.

Adversus haec scandala munit conscientias nostras sententia illa: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Ac in genere de doctrina sic sentiendum est, quod et apud hostes Evangelii, et apud hos, qui fratres perhiberi volunt, doctrina necessarie dissimulari debeat propter scandala. Fides enim dilectioni anteferenda est.

Aliud scandali genus est, quod vocant datum, quo fratres offenduntur. Est autem vel mala doctrina, vel malum exemplum, quod nocet aliis, sive quia alii imitantur, sive quia laeditur gloria Dei aut Ecclesiae. Etenim non solum hostes Evangelii, sed etiam infirmi fratres moventur malis exemplis ad maledicendum Ecclesiae et Evangelio, et ipsi Christo.

Ad hoc scandali genus pertinet et opus indifferens intempestive factum, ubi nocet aliis exemplum, sicut usus libertatis in vulgo, quod libertate efferatur, aut apud infirmos, qui cum non satis intelligant causas libertatis, absterrentur ab Evangelio, ac iudicant doctrinae genus prophanum esse, aut dubitante conscientia imitantur exempla libertatis.

De hoc genere proprie docet nos hoc loco Paulus: Iubet fratribus morigerari ad bonum et ad aedificationem, hoc est, iubet ut nostra commoditate invitemus alios ad Evengelium, et infirmos erigamus omnibus officiis, ut possint in Christi cognitione crescere ac proficere. Ubi videntur usu libertatis absterreri ab Evangelio, tantisper non utamur libertate, donec isti melius doceantur. Ac sunt fratres, non hypocritae, aut Epicurei, qui sanam doctrinam opprimunt, aut occidunt pia docentes, sed qui doceri se patiuntur.

Nam apud hostes Evangelii interdum ad confessionem pertinet, ostendere libertatis exemplum, quemadmodum Paulus se fecisse scribit ad Galatas. Et Christus Apostolos excusat violantes traditionem pharisaicam, Matthaei 15. Nam id quoque pharisaicum scandalum est, cum hostes Evangelii offenduntur exemplis libertatis, quae sunt testimonia doctrinae. Talibus offensionibus non vult nos perturbari Christus, cum ait: Sinite eos, caeci sunt, et duces caecorum. Quia enim Pharisaei suas traditiones cum impiis opinionibus requirunt, iure omitti possunt, ut supra dictum est.

Sed quoniam apud hostes interdum quidam sanabiles sunt, placet mihi hic quoque mediocritas. Amo enim peripateticam doctrinam, quae laudat in omnibus externis officiis, et hac consuetudine vitae mediocritatem, videlicet, ut apud hos quoque ita moderemur usum libertatis, ne desiderari in nobis humanitas possit, neve temere excitemus tumultus.

Ac sapientissimus vir Isocrates ait: Cum medium ipsum attingere sit difficilimum, satius esse in eam partem delinquere, ut minus ausimus,

quam opus est, quam in alteram, in qua plus est audaciae. Quod utinam in hoc negotio consideraretur, quod periculi plenum est. Verba eius adscribam, si quis forte praeceptum hoc magis amabit propter tanti viri autoritatem: *κράτιστον μὲν τῆς ἀκμῆς τῶν καιρῶν τυγχάνειν, ἐπειδὴ δὲ δυσκαταμαθήτως ἔχουσιν, ἐλλείπειν αἱροῦ, καὶ μὴ πλεονάζειν, αἱ γὰρ μετριότητες μᾶλλον ἐν ταῖς ἐνδείαις ἢ ταῖς ὑπερβολαῖς ἰσχνοῦσιν.*

Quod si virtus vere est mediocritas quaedam, iuxta proportionem geometricam, ut sentit Aristoteles, natura nos ipsa hoc docet, defectum magis congruere mediocritati, quam exuperantiam. Nam in proportione geometrica medius numerus propior est minimo quam maximo, quod attinet ad multitudinem, ut 2. 4. 8. Quis enim non videt quaternarium longius abesse ab octonario, quam a binario.

Etenim Christus non placuit sibi ipsi.

Addit praecepto rationem ab exemplo Christi sumtam, quae est satis perspicua. Postea commendat nobis divinas scripturas, et tradit praeceptum valde utile de usu scripturarum, cum iubet, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem teneamus. Magnam vim habet hoc praeceptum, si experiamur in tentationibus.

Est enim sententia, non alias revelationes, non alias illuminationes quaerendas aut expectandas esse de coelo. Sed cum angimur ad hoc verbum quod audimus, aut legimus, praescriptum in sacris libris, respiciendum esse, et sentiendum, quod promissiones in genere credentibus propositae, vere ad nos quoque pertineant. Hoc verbo fides ac spes erigi debent, et sciendum est, nobis quoque hic promissam esse consolationem, ac Deum per hoc verbum efficacem esse.

Quidam fanatici vociferantur nos tribuere verbis scripturae vim quandam magicam, et ablegatis scripturis iubent quaerere voluntatem Dei in aliis quibusdam cogitationibus. Sed res ostendit illos ignorare, quid sit fides. Deus enim vult in verbo suo quaeri, non extra verbum in humanis imaginationibus. Nec tribuimus verbis aliquam vim magicam, sed voluntatem Dei non posse cognosci, nisi per verbum sentimus. Itaque in omnibus afflictionibus decurrendum est ad verbum Dei, sicut et Paulus ad Ephesios praecipit. Nam fides est cognitio voluntatis Dei, cum sit fiducia misericordiae ac benevolentiae Dei.

Praeterea nihil fallacius est imaginationibus humanis extra verbum, quod cum e conspectu summotum est, mens obruitur rationibus, quae iubent homines desperare. Habent et Iudaei et Ethnici cogitationes de Deo, et quidem praedicant eum esse bonum ac misericordem. Sed in agone conscientiae obruuntur argumentis, quae iubent eos desperare, quia non apprehendunt firmam et certam promissionem, in qua Deus pollicetur sese gratis velle ignoscere.

Fanatici iactant spiritum suum, et magnos motus in animis effici a spiritu fingunt sine verbo Dei. At Paulus contra aperte ait: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Quare Spiritus sanctus per verbum afficax est: sed qui secus sentiunt, otiosis animis philosophantur, nec considerant, quomodo conscientiae in veris certaminibus erigendae atque consolandae sint.

Paulus coniungit patientiam et spem, ut significet quid intersit inter philosophicam patientiam et Christianam. Nam ut discernam plane et simpliciter. Philosophica patientia est sine fide et spe auxilii divini. Et si qua est philosophica patientia, tamen in iudicio Dei frangitur et superatur, cum sentit aeternam iram Dei. Fortassis in aliis calamitatibus adversus homines aliquantulum valet. Est enim obedientia, qua constanter paremus rectae rationi, ne dolore fracti, aliquid contra honestatem faciamus. At Christiana patientia duas res continet, Obedientiam erga Deum, et fidem, quae expectat et sperat auxilium divinum.

Deus patientiae.

Votum seu precatio est, quae est *παρασκευὴ* ad conclusionem huius loci de usu ceremoniarum, precamur enim utrisque dari studium pacis et concordiae. Vocat Deum patientiae, quasi dicat: Deum patientium, hoc est, respicientem patientes et consolantem, sicut saepe alias scriptura dicit, Psalmo 34.: Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. Psalmo 10.: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Psalmo 12.: Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Psalmo 145.: Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos. Psalmo 49.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam

te etc. Has sententias et similes nobis inculcemus, et ad nos quoque pertinere statuamus, et talibus promissionibus fidem in nobis excitemus, alamus, atque confirmemus: nam hoc exercitii genere fides alitur et corroboratur.

Ideo assumite vos mutuo, sicut et Christus assumsit nos.

Haec est conclusio totius loci de usu ceremoniarum, in quo adhortatur Gentes et Iudaeos ad concordiam, et allegat exemplum Christi quod supra proposuit: Qui cum sit filius Dei, tamen amantissime nos miseros et indignos complexus est, sua morte nos redemit, suo beneficio servat. Id exemplum iubet nos imitari, ut mutuo nos complectamur, nec propter dissimilitudinem rituum, tranquillitatem Ecclesiae, et concordiam labefieri sinamus.

Et quia tunc erat inter Gentes ac Iudaeos praecipue haec controversia de ritibus, iterum inculcat Iudaeis testimonia, quae ostendunt Evangelium etiam ad Gentes pertinere, quare Iudaei non debeant aspernari Gentes, sed velut fratres et vere populum Dei complecti. Interim et Gentes confirmat his testimoniis, ne dubitent Christi beneficia ad se pertinere.

Citat autem inter caeteros locos et sententiam ex Esaia sumtam, quam suo more recitat iuxta translationem septuaginta Interpretum. Neque tamen sententia Graecae lectionis ab Hebraica discrepat, ac ne verbis quidem multum dissonat. Hebraei sic legunt: Et erit illo die radix Iessae, quae stabit, ut sit signum populis, Gentes eam requirent, et erit mors eius gloriosa. Quod hic legitur: Stabit, ut sit signum populis, Graeci verterunt, Erigetur, ut imperet Gentibus. Verbum enim Ebraicum, quod hic signum vertimus, significat vexilla et trophaea, et similia monumenta. Intelligit enim Christum ducem ac victorem fore, sub cuius vexillo tuti erimus, cuius praesidio tegemur ac defendemur adversus summa mala, peccatum, iram Dei, inferos, et adversus potentiam diaboli. Et quod Ebraeus habet: Gentes eum requirent, idem est, quod ait Graecus: Gentes in eo sperabunt. Nam qui ab aliquo auxilium et salutem expetunt, sperant et expectant, concurrunt et confugiunt ad eum. Id Ebraeus dixit: Requirent eum. Ita si quis dextre interpretetur Graecam lectionem, videbit sententiam cum Ebraica omnino congruere.

Pulcre autem depingit haec sententia resurrectionem et regnum Christi. Quod enim dicit: Erit mors eius gloriosa, significat eum non periturum in morte sicut alii reges, cum moriuntur, amittunt regna. At hic Rex per mortem occupabit regnum, et post mortem vere ac gloriose regnabit. Nam etiam post mortem erit signum populis, Gentes ad eum concurrent, auxilium et salutem ab eo expectabunt. Quare reviviscet post mortem, nec erit otiosus, sed defendet, gubernabit, et servabit eos, qui ad ipsum confugient.

Atque ita solent Prophetae subindicare Christi resurrectionem, quia testantur futurum, ut perpetuo adorent eum homines, ut Psalmo 72.: Et timebunt eum donec erit sol et luna. Item: Tu es sacerdos in aeternum. Necesse enim erat Christum resuscitare ex morte, siquidem perpetuo regnaturus erat. Nam in hac mortali vita nullus rex perpetuo vivit, aut regnat.

Deinde significatur hoc quoque regnum Christi fore non mundanum, sed coeleste, in quo divinitus res geretur, in quo Dei voluntas ad nos perferretur.

Porro sententia tristis esset, si tale regnum describeret, in quo tantum proponerentur minae de iudicio Dei adversus homines. Itaque longe aliter hic describitur regnum Christi. Ingens consolatio in his verbis suavissime proponitur. In eo gentes sperabunt. Erit igitur regnum Christi non regnum exitii et perditionis, sed regnum spei et salutis. Venit Christus non ut damnet, non perdat, sed ut servet ac restituat nos iam ante damnatos et adiudicatos morti.

Nam hoc regnum novum ideo constitutum est, ut sit potentius regno peccati et legis. Et cum lex antea edita sit, in qua ira Dei adversus peccatum ostensa est, non iam venit Christus ut legem afferat, in qua rursus condemnet nos, sed adversus illam condemnationem affert promissionem et consolationem. Itaque etsi terrent nos peccata nostra, tamen sciamus hunc Christum propositum esse, ut speremus salutem. Hoc pontifice habemus Deum placatum. Hic dux teget nos adversus diabolum, adversus mortem, adversus mundi saevitiam. Quare in omnibus afflictionibus ad hunc versiculum respiciamus: In eo gentes sperabunt, sciamus auxilium es salutem a Christo petendam et expectandam esse.

Atque illud ipsum vult particula: Stabit, ut sit signum populis, hoc est, regnabit, et ad

ipsum velut ad vexillum victoris respicient et confugient homines, et hoc duce ac victore defendentur.

Iam illud etiam indicat quale sit futurum regnum Chriti, cum ait: Sperabunt, significat enim nos hic spe sustentari. Quare interim in hoc mundo affligimur, et duriter exercemur, et tamen defendimur ac eripimur per Christum. Sed hic exiguus versiculus tam multa complectitur, ut enumerare omnia difficile sit, tantum abest, ut explicare me posse confidam.

Illud etiam adiiciendum est, quod describitur in regno Christi summus cultus esse, sperare in eum. Id egregium fidei praeconium est, quod Deus praecipue coli vult hac spe et fiducia misericordiae. Et continet magnam consolationem, cum enim hanc spem requirat adversus iram, profecto odit et prohibet desperationem.

Praeterea tribuit hic versiculus Christo divinam potentiam, iubet invocare Christum non regnantem visibiliter. Iubet in eum sperare. Id certe est tribuere ei divinam potentiam, quod exaudiat, quod sit efficax in nobis, cum tamen non versetur nobiscum visibili et mortali consuetudine, sed non possum evolvere omnia, quae hic Esaiae locus continet.

Haec dixi, ut de illa praecipua particula lectorem admonerem, eamque velut in illustriore loco ponerem, quod docet nos regnum Christi non esse regnum exitii et perditionis, sed regnum spei ac salutis.

Certus sum autem fratres mei.

Absoluto hoc toto loco de usu ceremoniarum, quia videri poterat vehementius obiurgasse, aut certe notasse tum abutentes libertate, tum alios morosos, qui per superstitionem iniquiores et asperiores erant bonis libertate utentibus: addit excusationem qua rursus mitigat universum coetum eius Ecclesiae. Nam haec excusatio libertatis, meo iudicio, proprie pertinet ad hunc locum de usu ceremoniarum, in quo etsi brevis est oratio, tamen si quis observabit verborum pondera, sentiet non molliter utrosque castigari, videlicet, et praeferoces illos, qui ubique sibi volunt omnia licere, et istos Timones, qui ceremonias superstitiosa quadam et Iudaica diligentia observari postulant, ubi si quem offendit, hic rursus civiliter placat, idque ita facit.

Cum benevolentiam conciliet inprimis honorifica de eo, qui cum agimus, opinio, primum tribuit eis laudem et bonitatis, et doctrinae. Deinde ostendit se officio adductum, non tam ut doceret eos, quam ut admoneret doctos. Nam verbum admonendi minus habet offensionis. Cumque officii mentionem fecit, obiter commemorat quam late sparserit Evangelium, et ut fidem habeant suae doctrinae, allegat et miracula, quae comprobant doctrinam, quae meminisse debemus, ut sciamus nos tuto posse assentiri Pauli doctrinae, tanquam verbo Dei, ac certo sciamus Pauli doctrinam a Deo approbatam esse.

Caeterum hic iterum alludit ad locum communem de sacrificio, cum ait, se sacrificare Evangelium etc. Dixi autem supra, sacrificium esse opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus, ac fateamur eum vere Deum esse, qui nos exaudiat etc. Cum autem novum Testamentum requirat veram noticiam Dei, et iusticiam cordis, affert enim cum vita aeterna sapientiam et iusticiam aeternam, habet hostias, non mortuas pecudes, sed res vivas ac perpetuas, hoc est, corda, quae offerant noticiam Dei, timorem, fidem, invocationem, praedicationem Evangelii et beneficiorum Dei, gratiarum actionem, confessionem, patientiam, et similes motus obedientes legi Dei. Et haec significata sunt in ceremoniis Leviticis.

Nunc autem novum Testamentum, quia non continet umbras, sed sapientiam et iusticiam cordis, non habet ceremonias, quae sint sacrificia ex opere operato. In lege Levitae praeparabant hostias, et mactabant pecudes, Sacerdotes vero offerebant. Ita in novo Testamento ministri Evangelii, et offerunt ipsi, et alias hostias praeparant. Cum enim docent Evangelium, et praedicant misericordiam Dei, cum invocant Deum, cum agunt gratias, vere sacrificant et offerunt Deo laudem, et fatentur eum vere esse Deum et Salvatorem, sicut ad Hebraeos scriptum est: Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.

Deinde cum docent, praeparant etiam alias hostias. Nam hi qui credunt Evangelio, fiunt etiam hostiae, mortificantur, hoc est, perterrefiunt agnito peccato, et vivificantur, eriguntur fiducia misericordiae Dei, et agnoscunt Deum. Itaque offerunt ei invocationem, gratiarum actionem, confessionem, patientiam, et similes vir-

tutes. Hae hostiae sunt acceptae Deo propter pontificem Christum, quem audito Evangelio apprehendunt tanquam mediatorem.

Hinc facile intelligi potest, quare hac figura delectatus sit, ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον, sasacrificantem Evangelium. Voluit enim admonere, quae sint verae hostiae novi Testamenti. Et quod addit, Ut oblatio gentium fiat accepta, etsi ambigue dictum videtur, tamen sententiae inter se sunt affines, ut Gentes oblatae per me, hoc est, praeparatae tanquam hostiae, fiant acceptae, aut hoc modo, ut Gentes iam offerentes, hoc est, credentes et invocantes Deum, fiant acceptae. Nam et ipsae Gentes praeparatae, et, ut ita dicam, consecratae, offerunt suas hostias. Itaque res eodem redit. Dicit enim in summa, se ubique spargere Evangelium, ut Gentes agnoscant Christum, et fiant populus Dei et hostiae, ac invocent et celebrent Deum.

Quod vero addit: Sanctificata in Spiritu sancto, iterum docet in novo Testamento officia externa non esse sacrificia, nec placere Deo ex opere operato. Sic enim oblatio Gentium est accepta, inquit, si sit sanctificata Spiritu sancto, id est, si Gentes offerant spirituales motus, timorem Dei, et fiduciam misericordiae Dei.

Observemus autem hic honestissimas laudes ministerii verbi, quod videlicet Evangelii praedicatio, enarratio, tractatio, sint sacrificia necessaria novi Testamenti. Id consolari debet, et docentes et discentes Evangelium inter tot molestias, qui utrisque perpetiendae sunt. Doctores sciant hunc cultum Dei necessarium esse, sciant eum propter gloriam Dei praestandum esse, sciant eum Deo placere, etiamsi homines alii negligenter audiunt Evangelium, alii contemnunt, alii etiam persequuntur. Meminerint et hi qui discunt Evangelium, hoc studium discendi Evangelii cultum Dei esse, quem et requirit et approbat Deus. Videmus enim quam severe hoc praecipiat Deus, cum ait de filio: Hunc audite. Quare hoc officium, hunc cultum Deo praestare necesse est.

Proinde etiamsi in aliis artibus versamur, tamen, sicut Agricolae sui laboris primitias Deo consecrare in lege iubentur, ita nos partem operae ac studii consecremus Deo. Et quanquam magno in contemtu atque odio sunt, qui postquam in literis humanioribus et aliis disciplinis communibus mediocriter versati sunt, totos se dedunt studio sacrarum literarum, tamen hi quoque consolentur se hac ratione, quod hoc studii genus sit necessarius cultus Dei, et ad gloriam Dei pertineat, modo ut pie tractetur. Quod si considerabunt, facile contemnent iudicia istorum, qui velut contagium procul fugiunt doctrinam Christianam, vel propter contemtum religionis, vel quia aliae artes magis quaestuosae sunt, ac caeteros irrident omnes, qui non abstinent a sacris literis omnino.

Nunc autem proficiscor in Ierusalem, ut serviam sanctis.

Cum de suo officio diceret, obiter commemoravit suas peregrinationes, et adiecit se Romam etiam aliquando venturum esse, postquam ex Ierosolyma redierit, quo nunc proficisci se dicit, ut eo pecuniam afferat passim collectam ad adiuvandos Christianos in Iudaea, quibus fortunae omnes ereptae erant propter Evangelii professionem. Et sub Claudio Caesare, cuius temporibus haec Epistola a Paulo scripta est, fame gravissime laboratum est fere in toto orbe, maximeque in Oriente. Tali tempore Christiani in Iudaea praecipue indigebant aliena ope, quia facultatibus suis spoliati erant.

Discernit autem Paulus ab aliis eleemosynis hanc collatam ad usus illorum, qui primi docuerunt Evangelium. Nam haec est verius merces debita doctoribus. Ideo ait: Debitores eorum sunt. Si enim gentes fruuntur spiritualibus bonis istorum, debent eis vicissim carnalia bona suppeditare. Admonet itaque nos hoc loco Paulus, quid Evangelii doctoribus debeamus, qua de re saepe concionatur in aliis Epistolis copiosissime.

Cum autem ferrea quaedam aetas nunc agatur, in qua crudelissime tractantur hi, qui docent et gubernant Ecclesias, duxi hic admonendos esse lectores, ut quid debeant gubernatoribus Ecclesiarum considerent. Discant item, quam graves poenas minatus sit Deus his, qui sacerdotes et doctores Ecclesiarum contemnunt, nec pro virili iuvant. Christus enim cum inquit: Operarium mercede dignum esse, ostendit deberi sacerdotibus mercedem. Quare hoc officium cum sit debitum, magis requiritur a nobis, quam caeterae eleemosynae, quae gratis dantur. Et alio in loco addit Christus magnificam promissionem: Quisquis potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Si

Christo credimus, hic declaremus fidem nostram, et hac spe humanius et liberalius tractemus sacerdotes, expectantes Christum haud dubie nobis cumulate redditurum esse gratiam.

Hoc officii genus meretur multa et magna praemia, tum spiritualia, tum corporalia, pacem publicam, facultatum nostrarum incrementa, et defensionem, sicut Paulus docet 2. Corinth. 9. Et econtra huius officii praetermissio punitur gravissimis poenis, ut in Haggaeo scriptum est: Ubi Deus ideo corruptas esse segetes inquit, et praeterea alias calamitates accidisse, quia populus negligat Templum et Sacerdotes. Haec enim sunt verba: Quia domus mea negligitur, et vos cumulatis unusquisque domi suae. Propter hoc super vos prohibiti sunt coeli, ne darent rorem et terra prohibita est, ne daret germen, etc.

Quid autem nunc fit? Sacerdotes alibi plusquam Scythica crudelitate trucidantur, alibi pene coguntur fame perire cum miseris coniugibus et parvis liberis. Populus non solum de suo nihil impertit eis, sed etiam pensiones, quae liberalitate maiorum Ecclesiis donatae sunt, ad alendos et doctores et scholasticos sacrarum literarum, foede diripit. Qua in re duplex malum est: nam et praesentes sacerdotes fame necantur, et quia nulli de publico aluntur, qui discant sacras literas, paulo post defuturi sunt homines idonei ad Ecclesias docendas. Ea res interitum minatur universae religioni Christianae. Quomodo enim conservari religio poterit, sine literarum studiis, sine idoneis doctoribus? ita sacrilegi isti, non solum erga praesentes sacerdotes crudeles sunt, sed etiam universam religionem Christianam, quantum in ipsis est, delere conantur.

Veterum principum leges atrocissimas poenas in sacrilegia constituunt, non, ut imperiti iudicant, superstitione aliqua, quasi Deus auro placari et coli velit, sed quod intelligebant sapientissimi principes ad studia doctrinae Christianae conservanda, Ecclesiarum facultates retinendas esse. Id enim Reipublicae interest, non solum ut praesentibus sacerdotibus curetur victus, sed etiam ut doctrina Christiana propagetur ad posteros. Id aliter fieri non potest, nisi de publico alantur bona ingenia, destinata studiis sacrarum literarum, ut ad posteros reliqui sint, qui recte docere possint. Necesse est enim hos de publico ali, sicut milites, quia dum huic rei operam dant, non possunt alias quaestuosas artes discere, quare victum, nisi de publico, habere non possunt. Ideo Paulus gravissime dixit, comparans cum militibus hunc ordinem, tum docentium, tum discentium: Nemo militat suis stipendiis. Significat enim publicis stipendiis alendos esse hos, qui Ecclesiae serviunt.

Sed haec frustra declamamus his miserrimis temporibus, quibus iacet oppressa multiplici tyrannide religio Christiana. Boni tamen hoc magis admonendi sunt, ne exemplis illis adducantur, ut ipsi quoque parum reverenter sentiant de sacerdotibus. Vidimus enim quantum haec exempla vulgo noceant. Quare haec nobis ipsi saepe subiiciamus, saepe haec inculcemus populo: Magna nos mereri praemia, si sacerdotes benigne tractemus, eos iuvemus, si Christi doctrinam fideliter ad posteros prapagari curemus, et horribiles poenas Deo daturos esse iustos, qui crudeles sunt in sacerdotes, qui recusant studia doctrinae Christianae iuvare.

Vicissim et sui officii meminerint sacerdotes, ut recte doceant, ut conscientias ambigentes sanent, ut commoditate morum ornent Evangelium. Non enim vocari sacerdotes merentur. Epicurei isti qui non solum non docent Evangelium, sed suaviter irrident omnes religiones, et interim sacra in quaestu habent.

Caput XVI.

Hoc Caput fere totum consumitur in salutationibus. Ac prodest hoc exemplum meminisse, adversus hypocritas quosdam, qui omnia humanitatis officia sanctis adimunt, cum quidem haec comitas significationem habeat Christianae dilectionis, et vel praecipue deceat doctores.

In fine admonet, ne admittant, neve audiant perniciosos doctores, et serentes doctrinam cum Evangelio pugnantem. Ut enim medicus, cum remedia monstravit, iubet etiam cavere ea, quae videntur nocitura: ita Apostolus postquam supra tradidit praecipuum locum doctrinae Christianae, hortatur ut sint circumspecti, et advigilent, ne qui obrepant ipsis doctores impii.

Et ut cavere facilius possint, artes indicat, quibus imperitos isti impostores circumveniunt. Decipiunt, inquit, per *χρηστολογίας καὶ εὐλογίας.*

Χρηστολογίαι haud dubie significant blandos sermones. Sunt autem blanditiae et in moribus docentium, et in ipso genere doctrinae. Etenim

quod ad mores attinet, hypocritae isti gnaviter norunt simulare comitatem, facilitatem, patientiam, norunt apte alludere ad eorum affectus, quibus cum agunt. Huius rei exempla facile est reperire apud monachos. Et hoc tempore Anabaptistae, cum quidem multa doceant, non solum falsa, sed etiam absurda et palam abhorrentia a tota natura hominum, tamen animos hominum, tamen animos hominum capiunt illa prodigiosa simulatione patientiae et modestiae. Habet alicubi suas blanditias etiam doctrina, quae et ipsa figurate interdum adulatur populo, ut cum vulgus intempestive levatur oneribus traditionum: cum homines ingeniosi solvuntur vinculis dogmatum coelestium, quae rationi videntur absurda.

Εὐλογίαι significant Graecis laudationes, sed Paulus Hebraico more *εὐλογίας* vocat benedictiones, hoc est, bonas imprecationes et magnificas promissiones. Nam hae facilime infatuant animos spe, metu et aliis affectibus occupatos, ut cum Annae cultoribus promittuntur divitiae, cum monachi promittunt vitam aeternam pro suis ritibus, cum promittunt felicitatem in omnibus negotiis pro sacrificio Missae. Adversus omnes huiusmodi insidias muniri oportet animos certa et firma cognitione verbi Dei. Sicut ait Petrus 2. Pet. 1.: Benefacitis, attendentes prophetico sermoni, tanquam lucernae lucenti in loco caliginoso, donec illucescat dies, et oriatur lucifer in cordibus vestris.

Deus itaque gubernet corda nostra propter Dominum nostrum Iesum Christum Spiritu sancto, ut Evangelium de coelo traditum retineamus, et in agnitione et fiducia Christi proficiamus, et ut gloriam Evangelii omnibus piis officiis ornemus, et reddat Ecclesiae concordiam piam et perpetuam, Amen.

Deo Gratia.

Finis.

PHIL. MEL.
ENARRATIO EPISTOLAE PAULI AD ROMANOS.

Sedecim annis, postquam Commentarii Mel. in Epist. ad Rom. lucem viderant, praeterlapsis, Melanthon novam enarrationem eiusdem epistolae elaboravit et edidit, *Ulrico Mordeisen* inscriptam. (Vid. epist. nuncupat. supra Vol. VIII. p. 737.)

Epistolae Pauli scriptae ad Romanos Enarratio, edita a Phil. Melanthone. A. 1556. (In fine:) Witebergae ex offic. typographica Viti Creutzeri, sumptibus Conradi Rhuel. 1 Alph. 8 pl. 8.

Repetita ibid. et apud eundem anno 1558. 1 Alph. 9 pl. — et iterum: Epistolae Pauli — — — Viteberg. exceut. Io. Lufft. 1561. 1 Alph. 9 pl. 8.

In opp. Melanthonis a Peucero editis Tom. IV. p. 35—209.

EPISTOLAE PAULI SCRIPTAE AD ROMANOS ENARRATIO EDITA A PHIL. MELANTHONE ANNO M.D.LVI.

Argumentum Epistolae.

Deus vult agnosci filium mediatorem, nec vult aliter liberare homines a peccato et a morte aeterna, nisi in invocatione filii, sicut in secundo Psalmo dicit: Osculamini filium, Beati omnes, qui confidunt in eo. Et patris vox, sonans de coelo haec est: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Et filius inquit: Nemo venit ad patrem, nisi per filium. Item: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti, Iesum esse Christum.

Necesse est igitur, in Ecclesia recte conspici beneficia filii Dei propria, id est, remissionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus sancti, iusticiae, et vitae aeternae. Et ut filius Dei recte agnoscatur, necesse est econtra intelligi, quale malum sit Peccatum, et cerni discrimen inter philosophiam, legem et Evangelium, inter iusticiam fidei et iusticiam operum, quae est qualiscunque diligentia humana, faciendi legem. Necesse est etiam scire, qualis coetus sit Ecclesia Dei in hac vita.

Harum maximarum rerum cognitio, sapientia est Ecclesiae propria, patefacta in promissionibus et voce Evangelii, inde usque ab initio, a promulgata prima promissione ad primos parentes, et saepe deinde repetita. Cum enim haec doctrina sit extra iudicia humana, subinde homines amittunt veram lucem de mediatore, et de iusticia fidei, et delabuntur ad opiniones humanas, quae imaginantur, nostram disciplinam remissionem peccatorum et homines tali disciplina iustos esse, id est, acceptos Deo, et haeredes vitae aeternae, et obliviscuntur mediatorem.

Ita magna pars in Israël semper sensit, et postremo Pharisaei palam magna contentione docuerunt, homines mereri remissionem peccatorum, et iustos esse illa disciplina, et diligentia faciendae legis. Deinde finxerunt, Messiam venturum esse, ut politicum imperium in hac mortali vita iustius et tranquillius constitueret.

Sed hos errores subinde taxavit Deus, missis Prophetis et piis doctoribus, misso filio et Apostolis. Vagantur autem similes errores in genere humano omnibus temporibus. Sic fingebant Ethnici, qui non volebant videri athei, se mereri suis sacrificiis remissionem peccatorum, et esse iustos disciplina. Sic longo tempore Sacrificuli et Monachi docuerunt se mereri remissionem peccatorum sacrificio Missae et aliis operibus, et tali disciplina iustos esse.

Hos errores refutari in Ecclesia semper necessarium est, et contra illustrari doctrinam de

filio Dei et eius beneficiis. Haec fiunt summa perspicuitate in Epistola Pauli ad Romanos. Quia cum Pharisaei et multi alii tunc acerrime defenderent suos errores de iusticia legis, et non agnoscerent filium Dei et iusticiam fidei, necesse fuit opponi perspicuam refutationem. Nec tamen tantum ad illud tempus haec Epistola accommodanda est, sed semper necesse est, recte agnosci filium Dei, et intelligi iusticiam fidei, et discrimen legis et Evangelii.

Concionatur ergo haec Epistola Ecclesiae, usque ad extremum iudicium, sicut res eaedem antea a Prophetis traditae sunt, in quibus extant severissimae conciones contra illas pharisaicas tenebras, et multi propter has reprehensiones a Sacerdotibus et Pharisaeis interfecti sunt. Imo Paulus, cum quidem affirmet, se doctrinam accepisse revelante filio Dei, ut ad Galatas expresse inquit: tamen citat testimonia Prophetarum, ut ostendat, unam perpetuam vocem Evangelii in Ecclesia esse, de beneficiis filii Dei, de modo reconciliationis, de iusticia, de veris cultibus, de vera Ecclesia, et de iudicio Dei.

Sed haec Epistola Pauli eo magis perspicua est, quia continet expressam antithesin contrariarum sententiarum, et ordine disputat, ut facit artifex, ac propemodum methodus est doctrinae, quae Ecclesiae propria est, quia principales materias tam accurate exponit, beneficia mediatoris, discrimen legis et Evangelii, discrimen iusticiae fidei, et iusticiae operum, doctrinam de vera Ecclesia, et de veris cultibus.

Necesse est igitur, hanc Epistolam familiarissime notam esse omnibus, et summa vigilantia adhibenda est, ut eius sententia retineatur incorrupta. Sed antequam de corruptelis dicam, prius recitabo summam doctrinae de iustificatione, ut postea collatio magis perspicua sit.

Summa doctrinae in scriptis propheticis et apostolicis traditae, de iustificatione coram Deo.

Principio recitabo duo exempla, quae ideo semper in conspectu sint, non solum quia totam hanc doctrinam illustrant, sed etiam, ut nos ipsos de poenitentia et de vera consolatione commonefaciant.

Cum Adam post lapsum a Deo arguitur, horribiliter expavescit, quia, cum Deus ipse sua voce accusat creaturam, non existimemus, otiosum esse colloquium, sed Deus est ignis consumens, ut scriptum est. Iacet igitur Adam prostratus coram Deo, nihil nisi legem sciens, ex qua recte ratiocinatur, se perpetuo damnatum esse. Sic enim cogitat: Iusticia Dei immutabilis est, punire, et abiicere inobedientes. Ego non obtemperavi, et fui horribiliter ingratus Deo, cum adeo dilexerit hanc naturam, ut in eam transfuderit sua summa dona, et fecerit eam imaginem suam, Ego et destruxi hoc opus Dei, et abieci tanta dona et excussi habitantem in me Deum: Ergo necesse est, me vicissim abiici.

In hoc iudicio ac vero agone nulla talis in Adam cogitatio erat, se posse mereri remissionem peccatorum, ac posse tollere peccatum, sed vere sentiebat iram Dei, et se displicere Deo, et vere sentiebat, se nullius creaturae ope iuvari posse, et argumentum ex lege sumtum verum erat, nec potuisset ab ulla creatura solvi.

Sed filius Dei fit deprecator, et poenam in sese transfert mirabili et inenarrabili consilio. Verissimum est enim, iusticiam Dei immutabilem esse, ac Deum vere et horribiliter irasci peccatis. Ego peccavi, Ergo puniar. Hic respondet filius Dei: Vel Adam punietur, vel alius me deprecante, scilicet, ego ipse assumta natura humana, cuius poena erit aequivalens pretium pro genere humano, persolvam.

De hac admiranda deliberatione, sapientiam, iusticiam et misericordiam Dei considerabimus in vita aeterna. Nec nostrae poenae in hac vita sunt pretium placans iram Dei, sed tantum sunt signa et commonefactiones, ut cogitemus, Deum vere irasci peccatis. Itaque Adam ignarus adhuc promissionis, et audiens accusationem divinam, luctatur cum morte et nihil usquam auxilii videt. Etsi autem antea trepidare coeperat, foliis fici tegens partem corporis, tamen nondum in tanto dolore fuerat, nondum sic senserat iram Dei: postea vero loquente Deo agnoscit istis foliis fici non tegi peccata. Tandem vero audit consolationem, cum promissio, ex arcano consilio Dei prolata, promulgatur, quae affirmat, semen mulieris venturum esse, quo rursus tollendum sit peccatum.

Recipi igitur se Adam intelligit, et erigitur fide huius promissionis, et propter hoc semen statuit, se iam placere Deo, etiamsi longe deformior erat, quam fuerat ante lapsum. Hac itaque fide accipit remissionem peccatorum, et deinde iustus est coram Deo, accedit ad Deum, in-

vocat, et vivificatur per filium Dei Spiritu sancto, audita promissione, incipit rursus obedire, ita, ne contra conscientiam faciat.

Haec imago conversionis Adae, et quomodo audita promissione erigatur fide, et sit iustus, id est, acceptus Deo, et postea rursus incipiat obedire, semper sit in conspectu, quia eodem modo fiunt conversio et consolatio in caeteris. Sed doctrina de fide illustrior est in primo exemplo, in quo necesse est fuisse horribiles dolores, et quia magnitudinem lapsus magis intellexit Adam, qui sciebat, qualis fuerat, et quia insanabile malum esse cogitabat, cum promissio nondum edita esset, et quia reiectionem daemonum norat. Sed nos nimis otiosis animis illam tantam historiam legimus, in qua tam multa concurrunt, quorum alia iram Dei ingentem, alia immensam magnitudinem misericordiae ostendunt. Quod enim recipit Deus homines lapsos, cum iusticia eius sit immutabilis, et quod sic recipit, ut filius fiat victima, haec miranda consilia longe superant omnium creaturarum sapientiam. Et tamen vult Deus, ut suam iusticiam et misericordiam aliquo modo in hac vita consideremus, ut accendantur in nobis verus timor, vera fides, invocatio, gratitudo, dilectio, et caeterae virtutes.

Alterum exemplum sit conversio Davidis post lapsum, in qua etiam conspiciuntur hi duo motus, ingens pavor, et deinde consolatio. Nam cum a Propheta Nathan arguitur, de rapta coniuge alterius, et de nece mariti, existunt in Davide horrendi pavores, quales saepe describit: Non est pax ossibus meis a conspectu peccatorum meorum etc. Agnoscit iram Dei adversus peccatum, dolet propterea, quod offendit Deum, metuit se abiici a Deo, sicut ante viderat horribiliter abiici Saulem. Denique metuit aeternas et praesentes poenas, nec iam colligere merita potest, videt irae Dei non posse opponi suas virtutes, aut priora facta, et extingueretur magnitudine doloris, nisi accederet consolatio: Non morieris, Dominus abstulit peccatum tuum. Hac audita absolutione rursus accenditur in eo fides, qua apprehendens absolutionem, incipit intueri misericordiam Dei, et cogitat iam caeteras promissiones, et in mediatore acquiescit, ac agnoscit homines recipi per immensam misericordiam propter summum sacerdotem, interpellantem pro nobis, quem ipse nominat Sacerdotem secundum ordinem Melchizedech. Hunc scit esse mediatorem et placatorem. Statuit igitur, se quoque propter eum recipi, et scit hunc cultum et hunc honorem Deo praestandum esse, ut promissioni credat, nec accuset Deum mendacii, nec deficiat a Deo, nec contemnat mediatorem.

In haec exempla et similia intuentes facilius intelligemus doctrinam de Iustificatione, praesertim si non erit tantum frigida otiosi animi cogitatio, sed si nos quoque serio expavescimus recordatione nostrorum delictorum, et quaerimus consolationem.

Sciamus igitur, hanc esse doctrinam Evangelii, de qua Paulus in hac Epistola concionatur. Arguit peccatum, sicut scriptum est: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, et proponit consolationem, videlicet, promissionem de remissione peccatorum, et reconciliatione donanda propter filium Dei, et affirmat eos, qui in illis pavoribus credunt, sibi remitti peccata propter filium mediatorem, gratis, vere recipi, et accipere remissionem peccatorum, et simul cum remissione peccatorum datur Spiritus sanctus, qui adiuvat luctantem conscientiam, et sustentantem se fide, et simul accendit caeteras virtutes, scilicet invocationem Dei, et confirmat voluntatem, ut se subiiciat Deo, habeat timorem Dei, dilectionem et bonum propositum, sicut clare dicitur ad Gala. 3.: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Haec voluntas Dei, de reconciliatione propter filium, non est nota hominibus naturali luce, sicut lex, sed immensa bonitate intercedente filio, patefacta est voce Dei initio in promissionibus, et postea illustrata per Prophetas, per ipsum filium et Apostolos.

Quanquam autem perspicue tradita est haec doctrina in Prophetis et Apostolis, tamen subinde in mundo varie obscurata est. Monendi sunt igitur iuniores, ut nativam Evangelii sententiam retineant. Certissimum est, Paulum hoc velle, *Fide* iustificamur gratis, id est, propter filium Dei, et non propter nostram dignitatem, aut ulla nostra merita accipimus remissionem peccatorum, et reconciliationem et imputationem iusticiae, cum credimus Evangelio, et fide statuimus, haec beneficia nobis propter filium Dei dari, et quidem credit haec fides omnibus articulis fidei, et refert caeteros ad hunc ipsum articulum: Remissionem peccatorum, de quo articulo non tantum in genere credendum est, quibusdam aliis remitti, sicut et daemones credunt, sed revera tibi ipsi cre-

das donari remissionem peccatorum. Cum hac fide erigimur, simul, ut dixi, filius Dei vivificat credentem, et donat Spiritum sanctum, et nos accipimus remissionem peccatorum, et sumus iusti, id est, accepti Deo ad vitam aeternam propter mediatorem, etiamsi sunt in nobis adhuc reliquiae peccati, et magna infirmitas.

Hanc esse planam et nativam sententiam Pauli non dubium est, ut postea copiosius declarabimus. Ac retinemus nos in hac interpretatione proprietatem verborum Pauli, et auditores sumus Pauli, non affingimus alia significata sermoni Paulino, et hanc nostram interpretationem nativam et veram esse apparet, collatis omnibus membris Paulinae disputationis. Item, collatis Prophetarum et Christi concionibus. Item, collato testimonio Ecclesiae catholicae Dei, id est, omnium hominum, qui intelligunt exercitia poenitentiae et invocationis, et didicerunt acquiescendum esse fide in filio Dei. Tales semper fuerunt, sunt et erunt multi in Ecclesia, in quibus lucet vera Evangelii sententia. Et quanquam scriptores interdum improprie loquuti sunt, tamen congruere cum hac sententia multos videmus, ut Augustinum, Prosperum, Ambrosium, Basilium, Bernardum, Taulerum, et alios. Adeoque non contemnimus Ecclesiae iudicium ac testimonium, ut ad pias mentes toto orbe terrarum, intelligentes exercitia poenitentiae, provocemus.

Etsi autem in corruptelis huius dicti: Fide iustificamur, alii aliter loquuti sunt, tamen eadem est causa erroris omnibus, et eandem sententiam falsam omnes extruunt. Omnes intelligunt fide tantum significari noticiam historiae, et iustum intelligunt philosophice, habentem ipsas virtutes, ut cum dicimus, aqua calefacta est, id est, calor transfusus est in aquam. Hoc modo cum de vocabulis errent, affingunt deinde alienas interpretationes, quae tamen omnes in summa hoc volunt, in hac propositione synecdochen esse, fide iustificamur, id est, fide et caeteris virtutibus iustificamur, seu fide praeparamur, ut postea aliis virtutibus iusti simus. Monachi sic loquuti sunt, fide formata, scilicet, dilectione iusti sumus, quod sic intellexerunt, propter dilectionem iusti sumus. Alii sic interpretati sunt, fide, id est, operibus a Deo mandatis, iusti sumus, non operibus traditionum humanarum. Alii hoc modo depravant, fide, id est, interiore cultu, non externis operibus iusti sumus.

Hae interpretationes omnes hoc volunt: Homo est iustus, id est, Deo acceptus ad vitam aeternam propter proprias virtutes et opera. Et hoc alii enarrant absurdius, alii quaedam absurda omittunt. Monachi dicunt, homines mereri remissionem peccatorum suis virtutibus et operibus, dicunt iustos satisfacere legi, ut Malvenda inquit, ideo hominem dici iustum, quia Deo persolvat debitum. Et addunt amplius: Cum nemo sciat, quando satis operum habeat, iubent semper dubitare an sis in gratia, et hanc dubitationem dicunt piam esse. Ita prorsus removent fidem, et delent vocem Evangelii, et consolationem, quam Deus immensa bonitate patefecit, et vult in Ecclesia extare.

Nunc videant studiosi, an hae interpretationes congruant cum integra disputatione Pauli. Item, an congruant cum perpetua sententia prophetica et apostolica. Manifestum est autem, haec tria membra praecipua esse Paulinae disputationis. Primum perspicue et sine ulla ambiguitate affirmat, homines non satisfacere legi Dei, nec lege iustos esse, sed omnes reos et sub peccato esse, ut Capite 3. perspicue dicitur: Ut omne os obturetur, et totus mundus reus sit coram Deo. Conclusit omnes sub peccatum, ut Omnium misereatur.

Secundo affirmat, recipi homines propter mediatorem, gratis, et vult intelligi, propter hanc ipsam causam missum esse Messiam, ut sit placator, et tollat peccatum et mortem, non ut imperia mundi constituat, sicut somniabant Pharisaei.

Tertio affirmat, oportere fide accipi reconciliationem, et fide statuendum esse, non receptos esse, et placere Deo propter mediatorem, nec manendum esse in dubitatione.

Iam cum manifestum sit, haec tria membra a Paulo tradita esse, constat interpretationes pugnantes cum his tribus membris falsas esse. Nec difficilis est refutatio, tenentibus haec fundamenta, quae recensui. Quia particula Gratis expresse tollit nostra merita, et deducit nos ad merita filii Dei, et vult Deus agnosci filium, et hunc ei honorem tribui, ut fateamur, esse Propiciatorem et Mediatorem. Quare manifestum est, errare monachos, cum docent, homines suis operibus aut virtutibus mereri remissionem peccatorum.

Erant etiam, cum fidem intelligunt tantum noticiam historiae, et iubent homines semper manere in dubitatione, quia Paulus manifeste inquit, Oportet promissionem fide accipi. Loquitur igitur de fide, qua et caeteros articulos fidei amplectimur, et assentimur promissioni, et statuimus, promissum beneficium *nobis* exhiberi, cum qua fide est fiducia acquiescens in misericordia promissa propter filium, seu acquiescens in filio, accedens ad Deum, invocans et clamans Abba Pater etc. Item, qui manet in dubitatione, non statuit sibi mediatorem esse filium Dei. Non igitur tribuit ei debitum honorem.

Sed altera quaestio hic agitatur, postquam homo conversus est, et iam accensa est in eo novitas spiritualis, seu, ut alii loquuntur, dilectio, dicunt eum iustum esse post conversionem hac novitate seu dilectione, id est, personam acceptam esse Deo et haeredem vitae aeternae propter dilectionem, et haec cumularunt antea monachi, dixerunt hanc novitatem esse meritum vitae aeternae de condigno, id est, pretium propter quod debeatur vita aeterna, et declamitant non esse extenuandum donum Dei in conversis, cum ideo fiat conversio, ut homo ex iniusto fiat iustus, et cum dilectio sit iusticia, vociferantur absurdum esse negare hominem propter eam iustum esse, cum tamen propter albedinem paries dicatur albus, et huc accommodant multa dicta. Qui facit iusticiam iustus est. Item: Non auditores legis, sed factores iusti sunt. Item: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, etc.

Cum autem necesse sit teneri simplicem veritatem Evangelii, et mediatori semper tribui debitum honorem, et retineri conscientiae firmam consolationem, et recte gubernari corda in omni invocatione, docendi sunt conversi, quomodo de iusticia fidei etiam post conversionem sentiendum sit. Vera doctrina est et perpetuus Ecclesiae consensus per Prophetas et Apostolos traditus, etiam post conversionem statuendum esse, iustam esse personam, id est, acceptam Deo ad vitam aeternam, propter mediatorem, sola fide, per misericordiam, non propter propriam dignitatem virtutum, qualitatum aut operum etc.

Etsi enim sunt incoatae virtutes, tamen simul adhuc multae sordes haerent in converso, nec filius Dei postea desinit esse mediator. Ideo statuendum est, fide nos propter ipsum placere, non propter nostram dignitatem: semper manet mediator velut umbraculum, amplectens nos, et tegens nostras sordes, et propter ipsum nos certo recipit aeternus pater. Huc pertinent haec dicta: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item, 1. Ioh. 1.: Si dicimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos decipimus etc. Et 1. Corinth. 4.: Nil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Et Exod. 34.: Coram te innocens non est innocens. Item 1. Corint. 1.: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Semper igitur vera est haec propositio: In conversione et post conversionem in hac vita fide propter filium Dei persona est iusta, id est, accepta Deo per misericordiam, non propter propriam dignitatem, sola fide. Et tamen aeterna et immota veritas est, quod oportet in converso incoatam esse dilectionem, et in voluntate bonum propositum esse, et novae obedientiae initia, iuxta illud: Qui non diligit, manet in morte. Et tamen supra haec omnia collocandus est mediator, hunc fide apprehendi oportet, et haec fides praeluceat in omni invocatione.

Semper autem obstrepit invocanti propria indignitas: Quid petis, quid expectas a Deo, cum sis indignus, meritus poenam, et adhuc circumferas tecum multum sordium? Contra hanc cogitationem quotidie haec doctrina exercenda est, scias vocem Evangelii aeternam et immotam esse, ut conversus ad Deum statuas te propter filium certo recipi, et exaudiri per misericordiam, gratis, non propter propriam dignitatem, sicut et Daniel orat: Exaudi nos Domine, non propter iusticiam nostram, sed per misericordiam propter Dominum. Hanc consolationem necessariam esse omnes pii intelligunt.

Sed adversarii fingentes conversum iustum esse propter novam dilectionem, removent mediatorem, nec plus ei tribuunt, quam quod nobis initia illarum qualitatum meruit, seu quod sit causa illius mutationis in nobis, postea eum sepeliunt, et de eius intercessione, et de imputatione iusticiae nullum verbum dicunt. Quia vero homo intuens suas qualitates multum sordium invenit, non solum consolationem veram et fidem in invocatione extinguunt, sed etiam dubitare iubent.

Nec plus dicunt de iusticia, quam quantum Plato dixit, tunc esse excellentem seu heroicam virtutem, quando pectora non tantum diligentia humana reguntur, sed etiam divino motu seu afflatu accenduntur. Id vere dicitur, et con-

sideratio est naturae et operis divini conveniens philosophiae, sed nondum satis est conscientiae quaerenti an Deo placeat, et vox Evangelii plus addit, dicit conversum recipi propter filium Dei, et donari Spiritu sancto, et quanquam iam in eo initia sunt novarum virtutum, tamen dicit personam deinceps etiam placere, et imputatione iustam esse propter mediatorem fide, non propter propriam munditiem, cum haereant adhuc in nobis reliquiae peccati: et hac fide accedendum esse ad Deum, quod propter mediatorem recepti simus.

Haec ut illustret Paulus, citat primum dictum in Genesi de fide, et proponit exemplum insigne ipsum Abraham. Simul enim et hoc vult ostendere, doctrinam de fide, quae tunc voce Evangelii renovabatur, non novam esse, sed perpetuum verae Ecclesiae consensum esse. Ideo ab illo primo dicto orditur. Quanquam igitur multae excellentes virtutes sunt in Abraham, tamen dicit, Imputari ei iusticiam, id est, certo eum recipi, et placere per misericordiam, cum fide acquiescit in promissione, non propter suas virtutes. Et hanc sententiam declarat pluribus verbis, et nominatim inquit: Fides ei imputatur ad iusticiam, ut sciamus fidem non tantum noticiam esse, quae sit praeparatio ad iusticiam, sed esse hoc ipsum, quo acquiescentes in promissione recipimur et vivificamur, iuxta illud: Quod autem nunc vivo, in fide filii Dei vivo.

Ex hac recitatione et argumentum Pauli intelligitur, et certo indicari potest, quae sit nativa sententia, et fontes apparent, unde sumi possunt firma argumenta ad refutandas corruptelas, seu Origenicas seu recentes. Nos sermonem Pauli sequimur incorruptum, agnoscimus nos discipulos divinae vocis esse debere, ac τὸ ῥητὸν dextre et pie retinere, non afferre Paulum διάνοιαν in philosophia natam, quae pugnat cum Paulo, et seriem disputationis eius corrumpit. Ut autem supra dixi, nostrae interpretationi non deesse testimonia: ita nunc repeto eam commonefactionem, etiamsi Ambrosius, Augustinus, Bernhardus, alibi magis, alibi minus proprie loquuntur, quia multi sunt et fuerunt negligentes in dicendo, tamen satis intelligi potest, collatis eorum dictis, perpetuam eorum sententiam congruere cum nostra interpretatione. Deinde et perspicuum et gravissimum testimonium est Ecclesiae, videlicet, experientia omnium piorum et peritorum. Qui intelligunt exercitia poenitentiae et invocationis, hi fatentur, acquiescendum esse in mediatore.

Ut igitur de poenitentia notissima est doctrina: Iureiurando Deus affirmat, se velle, ut convertamur et vivamus. Ita hic discamus, et quomodo fiat conversio, et quomodo fiat reconciliatio, et exempla, quae supra recitavi, Adae et Davidis, saepe intueamur. Non fit conversio, donec manet homo securus, et retinens propositum faciendi contra legem Dei, vivit in contemtu iudicii divini. Expressa est enim sententia: Manifesta sunt opera carnis, adulterium etc. propter haec venit ira Dei super inobedientes. Ideo necessaria est contritio. Id est, oportet existere in nostris cordibus pavores, propter iram Dei adversus peccatum, et dolendum est, nos peccasse, id est, Deum a nobis offensum esse.

In his pavoribus et doloribus cum petis remissionem, et vere credis, Tibi remitti peccatum, et Te recipi propter filium Dei, gratis, non propter tuam dignitatem aut merita, et hac fide et consolatione cor pavidum sustentas, certo remittuntur tibi peccata, et Deus te recipit in gratiam, et simul dat Spritum sanctum, qui accipitur in hac ipsa consolatione, cum cogitatione promissionis fidem excuscitamus. Et concurrunt hae causae: Verbum Dei, et Spiritus sanctus in cogitatione verbi Dei, adiuvans mentem et voluntatem. Item: Mens et Voluntas. Et dato Spiritu sancto fides magis magisque accenditur, et vincit pavores, et clamat Abba Pater, invocat Deum, et agnita misericordia iam subiicit nos Deo. Ita incoantur dilectio Dei, et bonum propositum. Et Spiritus sanctus accendit motus convenientes voluntati divinae, quae expressa est in lege Dei. Ideo dictum est: Dabo legem meam in corda eorum etc. Ita semper necessario coniuncta est cum remissione peccatorum et reconciliatione novitas spiritualis. Et fides est illa ipsa res, quae est initium novitatis, et qua vivificamur ad vitam aeternam, iuxta illud: Iustus fide sua vivet.

Argumentorum quorundam explicatio.

Prorsus impossibile est, sola noticia hominem istum esse:

Fides est tantum noticia,

Ergo impossibile est, hominem sola fide iustum esse.

Hac imaginatione moventur praecipue multi non indocti, ut valde abhorreant ab hac propositione, Fide iustificamur, sed verissima et firmissima responsio est, negandum esse minorem. Nam in hac propositione apud Paulum, fide iustificati pacem habemus, et in dictis similibus, fides nequaquam significat tantum noticiam, qualis est in diabolis, quae noticia auget pavores, fugam et consternationem. Ideo enim metus iudicii et poenarum atrocior et maior est in daemonibus, quia magis intelligunt magnitudinem et atrocitatem suorum scelerum adversus Deum et adversus filium Dei, et magis norunt magnitudinem irae Dei, et certius statuunt, Deum iudicem esse: sed fides, de qua Paulus loquitur, prorsus contrarios effectus habet, sanat pavores et adducit nos ad Deum adiunctos mediatori, quia non est tantum noticia historiae, sed est assensus, quo amplecteris promissiones, ita ut nominatim Tibi peccatum remitti, et te recipi statuas, et cum hoc assensu necessario simul est fiducia acquiescens in mediatore, quae est in voluntate, et laeta accedit ad Deum ducente mediatore, et invocat. De hac fide loqui Paulum manifestissimum est, qua inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et Ephe. 3.: Per quem audemus accedere confidenter per fidem eius. Inde hanc fidei definitionem sumemus.

Fides est assensus, quo omni verbo Dei nobis tradito, ac promissioni reconciliationis assentimur, et est fiducia acquiescens in mediatore, clamans: Abba Pater.

Differt autem fides seu fiducia a spe, quia spes est expectatio futurae liberationis: at fides accipit praesens beneficium, scilicet remissionem peccatorum in praesentia, et reconciliationem ac imputationem iusticiae.

Scimus autem monachos fascinatos suis imaginationibus furenter reiicere hanc interpretationem, sed dolendum est, Ecclesiam quasi linguae suae oblitam esse, cum de vocabulo fidei tanta sint certamina. Perspicuum et firmissimum est testimonium Pauli Rom. 4., Fidem esse fiduciam, qua accipimus promissionem. Postquam autem de vera significatione vocabuli dictum est, deinde et hoc monendi sunt studiosi. Hoc argumentum oritur ex imaginatione philosophica seu legali, quod iusti simus propter nostram qualitatem. Ideo quaerit, ubi sit illa qualitas. Toties autem iam dictum est in hac propositione: Fide sumus iusti, non hoc dici, nos propter nostram qualitatem iustos esse, sed propter mediatorem, et hunc fide apprehendi opportet, et iustificatio significat remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iusticiae, id est, acceptationem ad vitam aeternam, cum qua acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti.

Secundum argumentum.

Qui non diligit, manet in morte:
Igitur non sola fide sumus iusti.

Antecedens simpliciter ut sonat verissimum est. Nam haec omnia oportet in converso esse, contritionem, fidem, dilectionem, bonum propositum, obedientiam, quae est iusticia bonae conscientiae.

Sed in argumento consequentia neganda est. Non enim sequitur: Iusticia bonae conscientiae est simul, Ergo propter eam persona est iusta, id est, accepta in iudicio Dei, sicut clarissime inquit Paulus: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Bona res est, seu virtus dare Eleemosynas. Sed persona, in qua adhuc multum est sordium, non propter tales virtutes in iudicio Dei accepta est, sed per misericordiam propter mediatorem, ut dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo etc. Item: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et tamen manet dicti illius immota veritas: Quia non diligit, manet in morte, qui simul esse necesse est multas virtutes.

Tertium argumentum.

Dilectio est iusticia:
Ergo dilectione sumus iusti.

Valet consequentia et loco coniugatorum. Ut cum dicimus: Albedo est color, Ergo paries albus albedine est coloratus.

Valet conscientia in coniugatis, si nulla sit ambiguitas, ut si hic iusticia intelligatur virtus, vera est propositio haec dilectio est iusticia, id est, pulcra et excellens virtus. Ergo dilectione sumus iusti, id est, habentes hanc virtutem. Sed aliud est loqui de iusticia Personae, aliud de iusticia operum seu virtutum. Iusticia personae est imputatio iusticiae seu acceptatio in iudicio Dei, quae fit propter mediatorem sola fide. At iusticia operum virtutes sunt in nobis, et bona opera, quae sunt quidem res valde bonae, sed aliud est, propter quod persona placet, quae

nondum fatisfacit legi Dei, et adhuc multas sordes et infirmitates circumfert. Hoc discrimine de iusticia personae et operum considerato, multum lucis accedit universae huic doctrinae. Iam rursus consideres haec coniugata. Dilectio est iusticia, id est, virtus, Ergo dilectione sumus iusti, hic si iusti significet personam acceptam esse coram Deo, non valebit consequentia propter ambiguitatem, ut si dicas: Amor patriae est iusticia, Ergo Cicero propter amorem patriae est iustus coram Deo. Manifestum est hic non valere consequentiam propter ambiguitatem.

Quartum argumentum.

Medium quo non est terminus ad quem,
Fides est medium quo accipimus remissionem peccatorum:
Igitur fides non est iusticia, sed res qua accipimus eam.

Concedo totum propriisime loquendo, quia verum est, fide accipi, id est, applicari nobis iusticiam, id est, imputationem iusticiae, quia non sumus iusti et accepti propter nostras qualitates, sed propter filium Dei mediatorem, quem tamen necesse est fide intueri et apprehendere. Deinde haec ipsa fides initium est victutum omnium, quae in nobis accenduntur, et quas esse in conversis oportet.

Quintum argumentum.

Iustificari est ex iniusto iustum fieri:
Efficimur iusti, id est, mutati iam in nobis fide, spe, et dilectione:
Ergo non sola fide.

Primum ad maiorem, ut descriptio vocabuli propria teneatur. Ambiguitas est in maiore, iustificari est ex iniusto iustum fieri: haec intelligunt adversarii tantum hoc modo, iustum, id est, alium, indutum novis qualitatibus. Id non satis est, sed intelligi oportet iustum, id est, reconciliatum Deo facta remissione peccatorum, et acceptum Deo. Deinde vero addendum est, indutum novis qualitatibus. Haec vocabuli interpretatio diligenter consideranda est, ut ad hanc speciosam cavillationem dextre responderi possit: iam vocabuli interpretatione constituta respondeatur ad maiorem. Maior est vera de mutatione in nobis. Sed non est vera de remissione peccatorum, et acceptatione personae. Verum est, multas virtutes simul accendi oportere, sed tamen persona iusta est, id est, habens remissionem peccatorum, et accepta Deo, fide, propter mediatorem, non propter proprias virtutes. His explicationibus consideratis aliae similes praestigiae etiam facile indicari et refutari possunt, et alibi multarum obiectionum explicationes tradidi. Caeterum ad intellectum et controversiae huius et Epistolae Paulinae, necesse est recte et vere cognosci discrimen legis et Evangelii. Item proprias et veras significationes vocabulorum iustificationis, Gratiae, Fidei, etc. et phrasis prophetica et apostolica sine corruptelis intelligenda est.

Enarratio aliquot vocabulorum.

Lex Dei est doctrina consentiens cum aeterna et immota norma mentis divinae, praecipiens quales non esse, et quae facere et omittere oporteat, et damnans omnes, qui non praestant integram obedientiam legi Dei. Haec definitio sumta est ex his verbis Moisi: Maledictus, qui non manet in omnibus, quae scripta sunt in lege.

Ac necesse est in Ecclesia extare et retineri hoc discrimen. Humano iudicio existimatur satisfactum esse legi divinae, et aliis, quando externa obedientia praestatur.

Sed iudicium Dei et legis divinae aliud est, videlicet, ut ordo non solum in externis factis, sed etiam in tota hominis natura congruat cum mente et voluntate divina. Quia homo ita conditus est, ut sit imago Dei, et lex insita est mentibus humanis, ut ordo in tota natura hominis, congrueret cum ordine mentis divinae. Quia vero post lapsum non congruit natura hominis cum illa aeterna norma in mente divina, Deus vere irascitur huic depravatione interiori non tantum externis delictis, sed etiam interiori depravationi. Quanquam autem lex antea insita fuit mentibus, tamen Deus expressa voce eam promulgavit, quia mentibus humanis post lapsum coepit obscurior esse. Voluit igitur Deus eam renovare, et edidit illustria testimonia, ut sciamus noticiam mentibus insitam lumen esse a Deo traditum, et quatenus mentes humanae cum iudicio Dei congruant. Item ut extet iudicium Dei adsersus peccata interiora et exteriora. Nam ipsa vox legis expresse testatur, postulari integram obedientiam. Sicut verba dicunt: Diligas Dominum Deum tuum ex tota corde, ex tota anima, ex omnibus viribus. Item: Non concupiscas. Hunc intellectum legis necesse est in Ecclesia conservari. Ideo et

Matth. 5. haec interpretatio proponitur, ut sit doctrina poenitentiae, et agnito peccato quaeratur mediator.

Sicut autem Pharisaei olim tantum disciplinam externam satisfacere legi Dei imaginabantur, et postea multos errores affingebant, hac disciplina homines mereri remissionem peccatorum, item, iustos esse hac disciplina coram Deo et de mediatore prorsus silentium erat. Ita saepe in Ecclesia similes errores late vagati sunt, sic Pelagiani et recentes scriptores, Thomas, Scotus et similes finxerunt, homines legi Dei satisfacere hac disciplina, et mereri remissionem peccatorum, et iustos esse coram Deo hac disciplina. Hae impiae imaginationes et legem et beneficia filii Dei obscuraverunt. Haec initio monere de intellectu legis necesse est, sicut et Paulus 2. Corinth 3. discernit pharisaicum intellectum legis a vero intellectu. Sapientia humana intuetur faciem Moisi velatam, id est, externam disciplinam existimat esse legis impletionem. Sed quando indicantur corda in vera poenitentia per evangelicum Ministerium, aliquo modo retegitur facies Moisi, et cognoscitur iudicium Dei adversus peccata, significatum radiis sparsis ex facie Moisi.

De Peccato.

Peccati nomine Paulus saepe utitur pro tota radice et malis fructibus, sed docendi causa recte et utiliter tradita est distinctio peccati Originalis et Actualis. Ac prorsus ac Ecclesia necesse est scire, peccatum non tantum significare vitiosas actiones, ut grammaticis videtur sonare vocabulum, seu ut de vitiosis actionibus aut habitibus loquuntur Philosophi, aut leges politicae, sed Ebraea phrasis nominat Peccatum malum quodcunque pugnans cum legi Dei, et reum coram Deo. Complectitur ergo non tantum vitiosas actiones, sed etiam radicem, scilicet, malum originale, cuius descriptio infra recitanda erit. Nunc generalis definitio, conveniens et originali et actuali peccato, constitui talis potest.

Peccatum est defectus, vel inclinatio, vel actio, pugnans cum lege Dei, offendens Deum, et commerens aeternas poenas, nisi facta sit remissio propter filium Dei. Sumitur autem et haec definitio ex dicto Moisi: Maledictus qui non manet in omnibus, quae scripta sunt in lege. Postea autem copiosius explicabitur distinctio peccati originalis et actualis. Nunc enim haec brevis admonitio recitatur, ne iuniores politico more tantum putent externa delicta nominari peccata, sed ut sciant, magna interiora mala esse, dubitare, an curet Deus humana, an vere irascatur omnium peccatis, an vere recipiat omnes agentes poenitentiam. Item, esse sine timore Dei, sine fide et sine fiducia, sine dilectione Dei, sine invocatione, fingere secundas et adversas res accidere, vel in adversis irasci Deo, et fugere eum. Item, corde contumacem esse adversus legem Dei, et ardere multis flammis errantium cupiditatum.

Haec magna confusio malorum in homine agnoscenda et deploranda est, et sciendum, multo plura mala peccati nomine comprehendi in Ecclesia, quam in philosophia et politica doctrina. Monachi vero et hoc vocabulum corruperunt, quia negant, malum originale in renatis esse malum pugnans cum lege Dei, etc.

De Gratia.

Nomen Gratiae valde obscuratum est, cum monachi tantum usurparunt pro habitu infuso, et hinc tenebrae sequutae sunt in universa doctrina de Gratia, Iusticia, et Fide. Sciendum est igitur, *Gratiam* significare gratuitam misericordiam, seu remissionem peccatorum, et acceptationem, donatam propter filium, cum qua tamen coniuncta est donatio Spiritus sancti, accendentis novam lucem, et novas virtutes in corde hominis, cui remittuntur peccata. Utitur Paulus duabus appellationibus, ut discernat haec duo: gratuitatam acceptationem et novas virtutes in nobis accensas. Rom. 5.: Multo magis gratia Dei, et donum per gratiam, per Iesum Christum in multos exuberant. Sic cum dicitur: Non estis sub lege, sed sub gratia, non satis est sic intelligi, gubernamini habitu infuso, sed necesse est, prius hanc dulcissimam consolationem tenere: estis sub gratia, id est, habetis remissionem peccatorum, et accepti estis Deo propter mediatorem, gratis, etiamsi adhuc in vobis reliquiae sunt peccati, magna infirmitas, et multum sordium.

De Iustificatione.

Iusticia, cum de legis Iusticia loquimur, significat virtutes in nobis, et Iustus idem quod habens illas virtutes. Haec cum philosophica et legalia sint, Thomas et similes tantum hoc modo intellexerunt haec vocabula de qualitatibus, et

verbum Iustificare interpretati sunt, infundere virtutes, ut si dicerent, Calefacere significat infundere calorem.

Etsi autem necesse est novas virtutes in nobis accendi, ut saepe iam dictum est, tamen phrasis in his appellationibus alia est. Nam Evangelium aliter de iusticia loquitur, quam Lex aut Philosophia. Cum tua mens angitur, an sis iustus, non hoc principaliter quaeritur, quae sint in corde qualitates. Imo vero cernis etiam, magnam esse immunditiem cordis, sed hoc quaeritur, an sis acceptus Deo, an Deus te receperit, an remiserit tibi peccata. Est igitur principalis significatio vocabuli Iustus in hac quaestione, acceptus Deo ad vitam aeternam. Inde et verbum iustificare significat absolvere a peccatis, et iustum, id est, acceptum reputare seu pronunciare, sicut plerunque in forensi sermone etiamsi loquuti sunt Ebraei, ut si dicerent, Populus Romanus iustificavit Scipionem accusatum a Tribuno, id est, pronunciavit iustum.

Cum igitur quaeritur, an fide iustificemur, non hoc quaeritur, an sola fides in corde sit, sed an receperit nos Deus, an remiserit peccata, an simus accepti propter filium Dei, non propter qualitates nostras. Et tamen cum accensa est fides, qua agnoscimus filium Dei, et promissionem amplectimur, necesse est multas virtutes simul esse. Nam fiducia acquiescens in Deo, et erigens corda in veris pavoribus, nequaquam est sine dilectione, sine invocatione, sine timore, et est motus clamans, ut Paulus inquit: Abba Pater.

Postea, cum de Operibus dicitur, quis sit usus verborum, iustus et iustificari, non rudis grammaticae facile indicabit, ut cum dicitur: Non auditores legis, sed factores iustificantur, id est, pronunciantur habentes illam legis iusticiam.

De vocabulo Fidei.

Etsi pertinacissime et sine ullo fine contendunt adversarii, fide tantum significari noticiam, tamen certa et immota veritas est, in hoc dicto: Iustus fide sua vivet. Item: Fide iustificamur, et similibus, nomine Fidei complecti et noticiam omnium articulorum fidei, et fiduciam acquiescentem in promissione, quae et ipsa comprehenditur in articulis Symboli, scilicet: Credo remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam. Necesse est enim priores articulos ad haec beneficia referre. Et Paulus Rom. 4. manifeste affirmat, se de ea fide loqui, quae promissionem amplectitur. Haec autem est fiducia, qua acquiescit mens in filio Dei, statuens non tantum aliis quibusdam, sed Tibi ipsi remitti peccata.

Teneatur ergo docendi causa haec definitio: Fides est assensus, quo verbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni reconciliationis etiam assentimur: et est fiducia, acquiescens in filio Dei, iuxta promissionem.

Caput I.

Paulus servus Christi vocatus Apostolus.

Epigrapha, ut fit in Epistolis, praeposita est. Et propter magnas causas inserta est mentio officii et doctrinae. Necesse est in Ecclesia discerni vocationes seu doctores. Ac sicut Deo ipsi, sua voce concionanti in Paradiso, vel ad Abraham, aut Moisen, et sicut ipsi filio Dei sua voce concionanti, credi necesse est, et illa ipsa vox divina rata, firma et immutabilis est: sic Prophetis et Apostolis credi necesse est, quia non gignunt ipsi novum genus doctrinae, sed accipiunt certa mandata a Deo, haec sonant, et addit testimonia Deus, quod non errent, sicut Moises subinde repetit hoc exordium: Locutus est Dominus Deus etc. Sic igitur audiendi sunt, sicut vox Dei sonans de coelo, et confirmata illustribus testimoniis. Et necesse est, eis omnes homines assentiri, et nulli creaturae licet eorum doctrinam mutare.

Deinde vero a Prophetis et Apostolis alii doctores accipere vocem debent, et hanc unam sonare, et hanc cum sonant, recte docent. Sed multi ab hac voce discedunt, et alia de suo affingentes errant. Sciendum est igitur, Episcopis vel doctoribus aliis, praeter Deum, Prophetas et Apostolos, non necessario credendum esse, nisi quatenus illam ipsam vocem Dei, Prophetarum et Apostolorum recitant.

Ac erudite teneantur discrimina. Propheta in populo Israël, est persona immediate a Deo vocata ad docendum et illustrandum Evangelium, habens testimonium, quod non erret, et missa ad gubernanda aliqua politica consilia, ut Moises, Samuel, Elias, Elisaeus, Esaias, Ieremias etc.

Apostolus est persona, immediate a Deo vocata, ad docendum Evangelium, habens testimonium quod non erret, neque tamen missa est, ut regat consilia gubernationis politicae. Habet autem vocationem universalem, ut quocunque loco docere possit.

Episcopus est persona, vocata per homines, ad docendum Evangelium, in loco certo, quae non habet testimonia, quod non erret: sed errare et labi potest, cum videlicet a voce prophetica et apostolica discedit.

Hoc discrimine considerato, intelligimus multas causas esse, cur mentio fiat officii. Primum sciri necesse est, non vagari Paulum suo privato consilio, sed a Deo vocatum missum esse. Secundo circumferre eum doctrinam, non ab ipso excogitatam, sed commendatam ei divinitus, quae quidem est admirandum decretum divinitatis, de liberatione generis humani a peccato et a morte per filium. Tertio, ut sciamus, nihil erroris admixtum esse huic doctrinae. Quarto, ut ei credatur, tanquam voci Dei, de coelo sonanti, et acquiescat fides in eius concionibus, et certo statuat, hanc esse voluntatem immotam Dei, quam proponit. Haec considerare necesse est, et ad consolationem nostram, et ad prohibendam horribilem audaciam mutandae doctrinae. Quia Deus immensa misericordia decretum illud suum patefecit, quod nulli creaturae mutare licet.

Segregatus in Evangelium Dei.

In descriptione officii iam recitat, quodnam sit Officium, scilicet, munus docendi Evangelii, quod deinde definit, ut discernat a lege. Primum autem observetur vocabulum Segregatus, quod significat, delectum esse cum quadam segregatione ad divinum usum, non communem reliquae multitudini, sicut et de victimis dicitur, segregari eas, id est, eligi ad hunc usum, ut Deo mactentur. Sic et in Numeris capite 8. dicitur, Levitas segregari a reliqua multitudine ad divinos usus. Et imago insignis proponitur in victimis. Ministri Evangelii sunt similes victimis, et praecipua victima est summus sacerdos, filius Dei. Significat igitur metaphora, Apostolos non ad imperium, non ad opes, non ad delicias vocari, sed ad ingentia pericula et certamina, ut Psalmo 43. inquit: Propter te mortificamur tota die, et sicut oves occisionis aestimati sumus.

Hic necesse est cogitari collationem. Vocationes Moisi, Iosuae, Samuelis, Eliae, Elisaei, quam gloriosae fuerunt? Hi manifestis testimoniis Dei imperia constituerunt et rexerunt. Haec res gloriosa est hominum iudiciis, quia beneficia praesentia incurrunt in oculos. Sed species in vocatione apostolica longe dissimilis est. Vagantur ut errones miseri, sine certis hospitiis, interficiuntur crudelissimis suppliciis. Etsi autem dissimilis species est, tamen Deus et ipsos testimoniis ornat, ut certi simus de doctrina. Hic autem dulcissima consolatio, quam tradit in 2. ad Corinth. saepe et diligenter cogitetur. Cum magna fuerit gloria veteris Testamenti in eductione ex Aegypto, in promulgatione legis, in defensione perpetua illius politiae, confidite et Ecclesiae Deum adfuturum esse, et eam inter calamitates defensurum, et postea ingenti gloria ornaturum esse. Haec collatio ad nos consolandos saepe cogitanda est, ut confirmemus hanc sententiam in mentibus nostris, quod filius Dei vere adsit Ecclesiae, sicut dicit: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Erit igitur semper ministerium Evangelii, erunt alicubi aliqui coetus, et aliqua doctrinae hospitia etiam invitis portis inferorum. Hac spe petamus et expectemus Ecclesiae defensionem, et non abiiciamus doctrinae studia etc. Aggregemus nos ad eum coetum, in quo sonat vox Evangelii.

In Evangelium Dei.

Praecipue in Ecclesia extare necesse est illustre discrimen legis et Evangelii. Nisi enim in universa doctrina praeluceat hoc discrimen, sequuntur magnae tenebrae et perniciosi errores. Et quia alibi copiose de hoc discrimine dicitur, imo haec ipsa Epistola ad Romanos praecipue monstrat discrimen, hic breviter monendus est lector. Sciant autem iuniores, praecipue dici de lege morali, quam usitate vocamus Decalogum. Nascitur nobiscum aliqua legis moralis noticia, ut numerorum. Et considerent hic iuniores doctrinam usitatam de principiis.

Evangelium vero doctrina est, nequaquam naturae hominum, aut ulli creaturae nota, sine revelatione divina, quia decretum est arcani consilii divinitatis, de filio deprecante pro genere humano, de mittendo filio, ut fieret victima, de annuncianda gratuita remissione propter filium, de donanda iusticia, et vita aeterna etc. Hoc

decretum neque angeli, neque homines nosse poterant, nisi Deo ipso promulgante. Sit igitur haec definitio.

Evangelium est praedicatio poenitentiae, et promissio, cuius noticia non nascitur cum hominibus, sed ex arcano consilio aeterni patris, immensa bonitate, prolata et patefacta est, in qua promittit Deus propter filium, gratis, remissionem peccatorum, reconciliationem, Spiritum sanctum, iusticiam et vitam aeternam, credentibus in filium.

Haec definitio sumitur et ex hac ipsa epigrapha, et deinceps ex perspicuis membris praecipuae disputationis in hac Epistola. Ut infra Capite 3. cum dicitur. Nunc sine lege manifestata est iusticia Dei. Item: Gratis iustificamur fide, propter filium etc. Et quia infra res eaedem repetendae erunt, nunc satis sit iuniores monuisse, ut semper in conspectu habeant discrimen legis et Evangelii, ne delabatur posteritas in perniciosum errorem eorum, qui finxerunt, tres esse leges: Naturalem, Mosaicam, et Evangelicam, et obruerunt doctrinam de gratuita remissione, et de multis articulis Evangelii.

Quod antea promisit per Prophetas in scripturis sanctis.

Occurrit obiectioni: Sine ulla dubitatione verum est, articulum doctrinae in Ecclesia principalem. oportere omnibus temporibus notum esse: Tu adfers novam doctrinam, Non est igitur necessaria Ecclesiae.

Huic argumento statim hic in vestibulo respondet Paulus, et constanter asseverat, hanc doctrinam, de remissione peccatorum, de iusticia et vita aeterna, donanda propter filium, nequaquam novam esse, sed statim initio Ecclesiae patefactam esse promissionem a Deo, et deinceps voce Prophetarum illustribus testimoniis divinis propagatam esse. Et quidem deducit nos ad ipsa scripta prophetica. Ad haec alligata est Ecclesia, sicut alias dicitur, Ecclesiam extructam esse super fundamentum Apostolorum et Prophetarum etc.

Hic rursus admonendi sunt iuniores, de discrimine legis et Evangelii. Una est lex moralis, et aeterna omnium temporum, cui nullo tempore haec corrupta hominum natura satisfacere potuit, neque satisfacere potest. Quare Patres et Prophetae non habebant remissionem peccatorum, neque erant iusti coram Deo, id est, accepti ad vitam aeternam, propter legem, sed propter mediatorem fide. Una est enim et promissio remissionis peccatorum et vitae aeternae omnium temporum, edita initio his verbis: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, et deinde magis magisque illustrata voce Prophetarum. Quare uno et eodem modo omnes sancti ab initio accipiunt remissionem peccatorum et vitam aeternam fide, id est, fiducia mediatoris, quem promissio monstrat, iuxta illud: Huic omnes Prophetae perhibent testimonium, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, Omnes qui credunt in eum.

De filio suo, qui natus est ex semine David, secundum carnem. Et qui declaratus est, esse filius Dei potens, id est, omnipotens.

Hic Paulus concionatur de duabus naturis in Messia. De natura humana, quam assumsit filius coaeternus patri λόγος ex semine David, id est, ex virgine Maria. De natura divina autem addit: Qui declaratus est, esse filius Dei. Refutat enim vulgatissimum errorum Iudaeorum, qui et tunc impie cogitabant et adhuc ita clamitant, in Messia tantum humanam naturam fore. Paulus contra nominat Messiam filium Dei, secundum naturam potentem, seu omnipotentem et vivificatricem. Et est usus insigni verbo, ὁρισθέντος, quod significat, certo cognitum esse, quasi dicat: De filio, qui natus est ex semine David secundum carnem, et quem certo cognitum est, esse filium Dei omnipotentem. Nam ὁρίζεσθαι significat, certissime definiri, sine ulla dubitatione comprehendi et cognosci: quam vocem utcunque reddit recentior versio: Qui declaratus est. Antiqua versio prorsus obscuravit: Qui praedestinatus est, et praebuit occasionem alienis disputationibus. Est igitur vera interpretatio: quem certissime cognitum est, esse filium Dei. Loquitur enim Paulus, non de praedestinatione in mente divina, sed de certissima manifestatione filii Dei in toto genere humano. Convincimur enim, hunc Messiam esse omnipotentem, quia et resurrexit a mortuis, et resuscitavit mortuos etc.

In potentia.

Iuniores diligenter considerent phrasin: Quia declaratus est, esse filius Dei in potentia, id est, potens. Opponitur autem haec particula

priori. Natus ex semine David secundum carnem, id est, secundum naturam humanam, obnoxiam morti, sine peccato etc. Reliqua opponuntur deliriis Iudaeorum, qui expectabant Messiam potentem armis, victoriis, opulentia, imperiis mundi. At Paulus inquit, potentem esse secundum Spiritum sanctificantem, id est, quia dat Spiritum sanctum, et aufert peccatum et mortem, et reddit iusticiam et vitam aeternam. Haec autem omnia propria sunt divinae potentiae. Est igitur filius natura omnipotens. Sic ait cognitum esse per ipsius resurrectionem, et per omnia miracula, per resuscitationem mortuorum, et alia, et per donationem Spiritus sancti, qui de eo illustribus miraculis testificatus est.

Gratia et pax.

Gratia usitate significat relative remissionem peccatorum gratuitam, et reconciliationem seu acceptationem gratuitam propter filium Dei, cum qua coniuncta est vivificatio per filium, et donatio Spiritus sancti.

Pax Ebraico more prorsus usurpatur sicut apud nos salus. Significat autem ipsam donationem Spiritus sancti, et effectus multos, scilicet pacem conscientiae, fidem, spem, invocationem, auxilium divinum in gubernatione, et successus in vocatione, et in omnibus vitae partibus.

A Deo patre nostro, et Domino Iesu Christo.

Usitate coniungit patrem, et Dominum nostrum Iesum Christum. Primum, ut moneat, filium quoque natura Deum esse, a quo petenda et accipienda sint haec bona. Secundo, ut moneat, dari haec bona propter filium, iuxta illud: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, faciam. Tertio, ut moneat, sic oportere agnosci Deum, ut sit directa mens et compellatio ad hunc verum Deum, qui se patefecit misso filio, iuxta illud: Nemo potest venire ad patrem, nisi per filium. Cogitemus autem inenarrabilem bonitatem Dei, qui cum essentia Dei sit invisibilis, semper aliquod testimonium suo verbo addidit, quo discerneretur verus Deus a commentitiis numinibus. Sed praecipuum testimonium est, quod filium misit, quem assumta humana natura, mente intueri nos oportet, et fide statuere, veram essentiam divinam conditricem coeli et terrae, et hominum et aliarum creaturarum, esse patrem huius Domini nostri Iesu Christi, et hunc filium Iesum Christum, et Spiritum sanctum, procedentem ab aeterno patre et filio. Et in invocatione patefactiones cogitandae sunt, qualis facta est in baptismo Christi.

Exordium.

Antequam instituit disputationem, usitato more in orationibus, exordium praeponit, cuius prima propositio est Gratulatio, sicut usitatissimum est, a gratulationibus et a precationibus ordiri. Et gratulationem sequitur alia vicina propositio, videlicet: Et ipse ad vos proficisci saepe constitui, ut vos docerem et confirmarem. Deinde sequitur adversativa: Sed cum impeditus etc. Quarto sequitur αἰτιολογία, sumta ex proprio officio. Quia debitor sum sapientibus et insipientibus. Quinto, Occupatio, qua occurrit tectae obiectioni: Etiamsi scio professionem Evangelii et despectam et invisam esse sapientibus mundi, tamen me non pudet huius doctrinae. Ibi addit asseverationem contrariam iudiciis mundi, et affirmat, sic colligi aeternam Ecclesiam Deo per ministerium Evangelii, et addit propositionem principalem Epistolae: Iustus fide sua vivet.

Cui servio in Spiritu meo.

Discernit cultus Leviticos ab interiore cultu, et a praedicatione Evangelii et confessione, sicut et Christus inquit Ioan. 4.: Veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu et Veritate, id est, motu cordis accenso per Spiritum sanctum, et in veritate, id est, vera agnitione Dei et fiducia filii, iuxta verbum a Deo traditum, sicut et alibi dicitur: Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Significat enim, non esse sanctificationem in aliis Sectis et opinionibus, sed oportere agnosci Evangelium, et teneri incorruptum. Nominat igitur et hic cultum Dei, docere, discere et confiteri Evangelium, sicut infra inquit: Sacrifico Evangelium. Haec dicta affirmant, Deo placere laborem docendi et discendi. Et quanquam magna sunt pericula docentium et discentium, tamen non abiiciamus haec studia, fracti terroribus, sed statuamus, Deum nobis adfuturum esse, nec labores nostros irritos fore, et Deum servaturum esse aliquos coetus, ipsum invocantes, qui sint custodes doctrinae. Huc pertinent multa testimonia. Psalm. 1.: Folia eius non defluent. Et Iohan. 15.: In hoc glorificatur

pater meus, ut fructum copiosum feratis, et sitis mei discipuli. Item Esaiae 51.: Posui verba mea in ore tuo, et manu mea protegam te, ut plantes coelos. Hae consolationes saepe cogitandae sunt, ne studia doctrinae abiiciamus.

Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.

Haec vox impiis et ignorantibus quid sit Evangelium, arrogantissima esse videtur, qui cogitabant magnam impudentiam esse, hunc errorem promittere sapientiam, quae fuerit ignota sapientissimis hominibus, qui ante multa secula Respublicas constituerunt. Sed nos in Ecclesia scimus, promissionem de redemtione et restitutione generis humani, discernendam esse a sapientia politica et philosophica. Ac nisi Deus ipse promissionem patefecisset, nulla eam creatura scire posset. Primum autem ipsius Dei voce tradita est promissio, de filio, et saepe postea, cum vel oblivione deleta esset, vel erroribus obscurata, rursus immensa bonitate Dei novis revelationibus illustrata est per Patres, Prophetas, filium Dei, Apostolos, et pios doctores. Et quidem vult Deus exaudiri eam a toto genere humano, et agnosci filium a toto genere humano, iuxta illud: Hunc audite. Ideo Paulus hic omnes homines complectitur, ait se Omnibus concionari, sapientibus et insipientibus, quia non adfert politicam aut philosophicam sapientiam, sed promissionem prolatam ex arcano sinu Dei, quam vult Deus exaudiri a toto genere humano.

Utrique autem hic de officio suo cogitent, doctores et discipuli, utrique sunt debitores. Doctores, ut doceant, Auditores vero, ut audiant et discant. Huc pertinent plurima dicta, quae praecipiunt doctoribus, ut fideliter doceant, et tueantur puritatem doctrinae incorruptam, ut consulant firmis et infirmis etc. Item, alia mandata, quae caeteris praecipiunt, ut audiant et discant Evangelium, iuxta illud: Hunc audite. Item: Primum quaerite regnum Dei. Item: Qui non audierit, ego ultor ero. Item: Et nunc Reges intelligite, Osculamini filium, ne quando irascatur. Item: Qui non diligit Dominum Iesum Christum, sit Anathema, Maran atha, id est, Dominus venit.

Non enim pudet me Evangelii.

Locus est attentionis, et respondet iudiciis hostium. Et est *αἰτιολογία* sumta ex vera dignitate et efficacia Evangelii. Ut autem haec brevis asseveratio: Non pudet me Evangelii, intelligatur, consideranda sunt iudicia, quorum acerbitas tunc magis conspicitur, quando motis controversiis voluntates hominum patefiunt. Sapientes profani summum bonum esse ducunt, tranquillitatem politicam. Hanc cum nolunt turbari ulla novitate, acerbissime oderunt novam doctrinam de Deo, tanquam facem seditionum et horribilium discordiarum, et tolli curant doctores et auditores, tanquam seditiosos et hostes patriae. Deinde alii non profani, sed fascinati superstitione, ardent multo truculentioribus odiis, quia plures causas habere se existimant, ut dimicent, sicut ipsi loquuntur de gloria Dei, de unitate Ecclesiae, et de pace politica. Accusant enim pios doctores in reprehensione vitiosorum cultuum, quod impediant, quo minus Deo debiti honores tribuantur. Deinde quaeruntur, distrahi Ecclesiam, et turbari pacem. Ac de lege Moisi difficilior disputatio tunc erat, quia summum scelus videbatur abolere cultus a Deo institutos. Sicut et nunc multi summum scelus esse vociferantur, non facere oblationem in missa. Ideo execrantur dissentientes tanquam haereticos, schismaticos et seditiosos, et existimant, Deo gratum officium esse, interficere nos, tanquam pestes generis humani, seu tanquam *καθάρματα καὶ ἀλάστορας.*

Adversuss haec acerbissima iudicia magno robore fidei inquit Paulus: Non pudet me Evangelii. Sic Esaiae 51. dicitur: Non timete probra hominum. Quantum autem sit onus, sustinere tam virulenta iudicia, et tantum odiorum acerbitatem, experientia ostendit, estque difficile ita confirmare animos, ne fracti talibus iudiciis, calumniis, odiis, terroribus, suppliciis, abiiciant Evangelii professionem.

Potentia enim Dei est ad salutem omni credenti.

Ex fontibus principalis doctrinae sumitur ratio, de dignitate et efficacia Evangelii, quasi dicat: Non est inanis fabula Evangelium, ut profani homines iudicant. Imo etiam potentius est, quam lex, quia est illa vox, per quam Deus vere est efficax in genere humano, colligit sibi aeternam Ecclesiam, vere tollit peccatum et mortem, dat Spiritum sanctum, reddit nobis iusticiam et vitam aeternam. Haec summa bona nec per hu-

manam sapientiam, nec per legem dantur, sed per hanc Evangelii vocem.

Meminerimus autem, in hoc dicto testimonium proponi, de efficacia ministerii Evangelii. Cum oculi non cernant Deum, quaerit mens, quid sit, et ubi sit Deus, quem alloqui et invocare vult, et quomodo sit discernendus verus Deus a commentitiis numinibus, quae sit voluntas eius, an et cur exaudiat. De his quaestionibus omnibus respondet hoc dictum: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, Deus alligavit se ad vocem Evangelii, sic vult agnosci, hunc vere Deum esse, qui se patefecit misso filio, et tradidit promissionem in Evangelio propositam. Hac cogitatione vult discerni a commentitiis numinibus, vult agnosci voluntatem suam, cur velit exaudire, et cogitata promissione vult te credere et acquiscere, ac si videres et audires ipsum Deum te consolantem. Et cum sic credimus, vere Deus efficax est in nobis.

Haec est efficacia ministerii describitur in multis dictis. Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei, id est, instrumentum, per quod Deus est efficax ad salutem in credentibus. Non est otiosa vox, aut inanis sonitus, sed instrumentum Dei, cum assentimur, et fide accipimus. Item, Romanos 10. dicitur: Fides ex auditu est. Et 2. Corinth. 3.: Evangelium est ministerium spiritus. Et Galatas 3.: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Matth. 10.: Qui vos audit, me audit. Eph. 4.: Ut perficiantur sancti, ad aedificationem corporis Christi. Rom. 15.: Ut per consolationem scripturarum spem habeamus.

Haec dicta omnia testantur, Deum efficacem esse, cum Evangelium cogitamus, et ei assentimur. Nec enim ita intelligatur haec efficacia, ut si de calefactione loqueremur: Ignis est efficax in stramine, etiamsi stramen nihil agit. Sic Manichaei, Enthusiastae, Anabaptistae somniabant, fieri illuminationes in mente prorsus otiosa, et cogitabant, tunc demum se velle credere, cum prius sentirent in se illud novum lumen. Hae imaginationes explodendae sunt, et sciendum est, oportere nos audire Evangelium, cogitare, et assensu amplecti, et repugnare dubitationi. Hoc cum facimus, simul Spiritus sanctus est efficax in ipsa consolatione et in hac lucta. Haec in experientia et quotidiana invocatione discenda sunt.

Omni credenti.

Est et particula universalis consideranda, Omni credenti. Ac infra saepe de hac universali dicendum erit, ne turbetur fides hac humana imaginatione, quae Deo tribuit προσωποληψίαν: Deus alios quosdam recipit, Te non recipit. Huic imaginationi particularitatis opponendum est dictum universale, quod saepe repetit Paulus. Includamus igitur nos quoque in universalem promissionem, et pertinere eam ad nos quoque statuamus, ut Deo laudem veritatis tribuamus, et teneamus dicta universalia multa in promtu: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Iusticia enim Dei revelatur in eo.

Antea, ut in loco attentionis, mentionem fecit dignitatis et efficaciae Evangelii. Hic idem membrum illustrat, et nominatim dicit, quomodo prosit Evangelium ad salutem, quia patefacit mirandum decretum Dei iustificatione hominis, hoc est, de liberatione a peccato, et de donatione iusticiae et vitae aeternae. Atque ita in fine exordii recitat propositionem huius Epistolae, et (ut ita dicam) statum totius causae, quam exponet, et simul discernit legem et Evangelium, et iusticiam legis, a iusticia fidei.

Ut autem phrasis dextre intelligatur, monendi sunt iuniores, iusticiam Dei hoc loco, et saepe alias dici, non qua ipse iustus est, ut dicimus, Iusticia iudicis puniri latronem, sed qua Deus nos pronunciat esse iustos, et quam Deus donat nobis per fidem, cum propter filium nos recipit, et pronunciat nos iustos, id est, absolutos seu liberatos a peccato, et receptos in gratiam, et sanctificat nos Spiritu sancto ad vitam aeternam.

Nec sine singulari causa usus est verbo Revelandi, quasi dicat: In Evangelio arcanum decretum Dei patefit, quod videlicet velit genus humanum immensa misericordia propter filium deprecatorem gratis recipere, ac mittere filium, ut fiat victima, et tollere peccatum et mortem, ac reddere iusticiam et vitam aeternam Omnibus, qui vere credent, se propter filium gratis recipi. Hoc decretum nulla creatura cernere poterat, sed ipsius Dei voce patefactum et promulgatum est, et alia vox est, quam vox legis de iusticia. Nam iusticia legis est, facere legem, seu, ut Philosophi

dicunt, iusticia universalis est obedientia nostra iuxta omnes leges. Haec definitio describit legis iusticiam, quae neque adfert remissionem peccatorum, neque tollit peccatum aut mortem. Ideo Paulus dicit, aliam iusticiam in promissionibus seu voce Evangelii proponi, sicut et infra inquit: Nunc iusticia Dei manifestata est, sine lege. Haec iusticia, id est, remissio peccatorum propter filium gratuita, et acceptatio coram Deo, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti et haereditas vitae aeternae, datur non propter legem aut legis iusticiam etc.

Ex fide in fidem.

Simus contenti vulgari enarratione: Fide imperfecta in ardentiorem et firmiorem. Quia in invocatione et quotidianis periculis fiat assensio firmior, et magis statuamus, nos Deo curae esse, nos receptos esse, nos exaudiri et protegi a Deo, statuamus firmius Deum vere sibi colligere aeternam Ecclesiam voce Evangelii, et nos vere membra esse illius aeternae Ecclesiae, et nobis adesse Deum, etiamsi horribilibus aerumnis premimur.

Alii interpretantur: Ex fide patrum ante resurrectionem Christi, in fidem sanctorum post resurrectionem, quia tota Ecclesia omnibus temporibus, inde usque ab Adam, eodem modo iustificatur et salvatur, scilicet fiducia mediatoris, non propter impletionem legis. Et tamen hoc discrimen considerandum est. Illi venturum Messiam agnoscebant, nos exhibitum esse scimus.

Addit propositioni de iusticia fidei testimonium ex Abacuc, quod et alibi citat, ac perspicue in Galatis, opponit iusticiae legis, inquiens: Quod autem lege nemo iustificetur, manifestum est, quia iustus fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in eis etc. In hanc antithesi Paulus diserte inquit, neminem lege iustificari. Sic igitur sentit, credentem fide iustum, id est, acceptum Deo esse, et vivificari. Et haec ipsa ἀντίθεσις in Paulo refutat calumniosas interpretationes, excogitatas contra Pauli sententiam, qualis haec est: Iustus scilicet operibus postea placet, cum accedit fides, id est, professio doctrinae. Haec corruptela pugnat cum ipso Paulo, quia praefatur, nemo lege iustificatur. Sed hic necesse est constitui, quid significet vocabulum Fides, de quo supra et alibi saepe dictum est. Non enim tantum noticiam, seu professionem doctrinae fignificat, sed fiduciam, qua promissionem accipimus et acquiescimus in misericordia Dei, quae in promissione ostensa est: et sic intelligi fidem in ipsa narratione Abacuc manifestum est. Loquitur enim de expectatione Messiae, et liberationis per Messiam. Hoc igitur sentit: Iustus fide, id est, fiducia misericordiae propter Messiam promissae, non opprimetur desperatione, non ruet in aeternum exitium, sed sustentabitur hac vera consolatione, nec fallet eum expectatio, sed Deus credentem servabit.

Hic rursus astuti quidam novos tumultus excitant, clamant Paulum aliena dicta ad suam causam detorquere. Abrahae promittitur posteritas, inquiunt: Sicut Gedeoni victoria. Quid haec ad remissionem peccatorum, seu ad iusticiam? De hac speciosa reprehensione necesse est pias mentes recte erudiri. Ac primum sciant omnes pii, semper in fide, quanquam corporalia beneficia petuntur, oportere praelucere fidem, quae accipit remissionem peccatorum, et reconciliationem seu imputationem iusticiae. David non potest petere vel expectare victoriam, donec mens existimat irasci Deum, et trepida ac fugitans non audet expectare auxilium. Necesse est igitur praecedere fiduciam misericordiae, et quidem promissiones corporales omnes propter principalem promissionem de Messia et datae sunt et valent, quia propter mediatorem intercedentem pro nobis dantur omnia bona. Ac patres universaliter omnes promissiones ad primam illam et praecipuam referebant. Petebant et expectabant necessaria omnia propter Messiam, propter quem et populum et Ecclesiam Dei se esse sciebant. Ita in precatione Dominica expresse copulatae sunt petitiones corporalium et spiritualium beneficiorum. Cum petimus panem, mox conscientia obstrepit: Cur petis, cum sis indignus? Addita est igitur expressa petitio: Remitte nobis debita nostra etc. Semper igitur praeluceat haec fides, statuens de remissione peccatorum, et in quotidiana invocatione haec necessaria doctrina exerceatur. Vult Deus sic coli petitione, spe et expectatione spiritualium et corporalium bonorum, et quidem vult in petitione corporalium simul lucere fidem, quae statuit de remissione peccatorum. De hoc cultu pugnabant Prophetae cum hypocritis.

Etsi autem differunt negotia externa Abrahae et Gedeonis, Davidis praeliantis, et mulieris par-

turientis: tamen fides similis est. Et principale obiectum fidei semper est Deus, qui in promissione patefecit voluntatem suam. Uterque accedit ad Deum accipiens reconciliationem propter promissum mediatorem. Deinde vero petit et expectat auxilium in suo corporali dolore. Sic in Epistola ad Ebraeos multa exempla de fide coacervantur, ubi etsi dissimilia sunt externa negotia, fides tamen eandem principalem promissionem, ut dictum est, intuetur. Quare non imaginandum est, Paulum aliena dicta citare, quasi David non crediderit de reconciliatione, sed tantum de victoria. Haec admonitio necessaria magis perspicua erit, si eam cogitabimus in quotidiana invocatione.

Caeterum et hoc verum est, dicta quae citat Paulus, nominatim de Messia loqui. Abacuc manifeste concionatur de venturo liberatore, et Abraham norat promissionem antea datam patribus, et audit haec dicta, quae reconciliationem significant: Benedicam tibi. Item: Ero protector tuus, scilicet propter mediatorem, de quo postea expresse dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Revelatur ira Dei super omnem impietatem.

Una et eadem vox est Evangelii omnibus temporibus, inde usque a prima concione in Paradiso facta, cum arguerentur et reciperentur primi parentes. Semper vox Evangelii arguit peccatum, et postea addit consolationem, videlicet promissionem reconciliationis gratuitae propter mediatorem. Sic in Paradiso ipse filius Dei concionatur. Sic Prophetae, sic Baptista, sic filius Dei clamitat: Agite poenitentiam, et credite Evangelio. Sic Apostolis Dominus praecipit docere: Praedicate poenitentiam in nomine meo, et remissionem peccatorum. Ac discentibus prodest haec consideratio. Magis enim fit perspicua doctrina, cum intelligimus, semper eandem vocem recte docentes in Ecclesia sonare.

Ut igitur in Paradiso primum arguitur peccatum, et ut Esaias orditur a grandi et terribili exordio: Audite coelum et terra, Vae genti peccatrici, dereliquerunt Dominum, blasphemarunt sanctum Israël etc. Ita hic narratio incoatur a tristissima condemnatione: Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem. Initio igitur arguit peccatum, ut fit in praedicatione poenitentiae. Postea addit consolationem.

Et quia Paulus disputationem instituit, tradet duas propositiones in hac narratione praecipuas, quarum prior haec est: Deus in ministerio Evangelii omnibus temporibus arguit omnes homines, in hac naturae infirmitate, et affirmat omnes sub peccato esse, id est, reos peccati et aeternae poenae, nec posse liberari a peccato, et ab aeterna ira per propriam iusticiam seu legem.

In hac propositione commoratur per duo capita, quae nobis ita magis perspicua erit, si nobis ipsis doctrinam de poenitentia seu conversione proponemus, si iram Dei adversus nostra peccata cogitabimus, si excussa tetra securitate vere expavescemus cogitatione iudicii et irae Dei, quam quidem declarat horribilibus poenis, vagantibus per totum genus humanum. Declarat et voce ministerii, ut et Dominus inquit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Sed maxima pars hominum secura et furens indulget sibi, excusso metu iudicii et irae divinae: ideo hae tristes conciones divinae praetervolant aures, et quanquam non sunt obscurae, tamen eo videntur frigidiores, quia pectora nostra non adficiuntur sensu irae Dei. Possunt autem sine longa enarratione proprie et recte intelligi ab omnibus piis, qui norunt exercitia poenitentiae.

Haec ideo dixi, ut iuniores considerent, quare sic incoata sit narratio a praedicatione poenitentiae, et quo tendat Paulus. Postea enim addit alteram propositionem seu consolationem: Certo accipimus remissionem peccatorum et reconciliationem, et reputamur iusti, propter filium Dei, gratis, fide. Ad hanc secundam propositionem in tertio Capite perveniet, quae principalis status est disputationis in hac Epistola, ut suo loco copiosius dicemus.

Super omnem impietatem, veritatem in iniusticia detinentium.

Id est, omnes homines arguuntur in hac corruptione naturae. Etsi enim norunt legem Dei, tamen noticiam in iniusticia captivam detinent, id est, non obtemperant ei. Breve dictum est, sed atrocissimam accusationem continet, et duas partes in homine pingit: Noticias veras, quae sunt sapientia, congruens cum sapientia Dei, videlicet legis noticia. Deinde vero hanc ipsam divinam sapientiam inquit oppressam esse horribili contumacia naturae humanae, id est, etiamsi lucent in parte cognoscente noticiae legis, et qui-

dem divinitus insitae, quae affirmant, quod sit Deus, quod sit iudicaturus, et docens qualis sit, videlicet sapiens, bonus, verax, iustus, castus: tamen in cordibus talis est aversio a Deo, ut non vere timeant, non vere diligant Deum non vere confidant ei, non vere invocent: imo plerunque manifestis furoribus hunc iudicem contemnant.

Haec ut fiant planiora, hic recordanda est puerilis doctrina, quae discernit noticias ab appetitionibus, et videndum, quae potentiae sint domicilia noticiae, unde sint hae noticiae, et quales: et cur in natura humana reliquae sint, ubi sit contumacia naturae. Sciant igitur iuniores, Legis noticiam divinitus insitam esse mentibus humanis in creatione, sicut numerorum noticia nobis insita est, estque in parte cognoscente, cum qua ante lapsum congruebat Voluntas et Cor. Sed haec harmonia in lapsu turbata est, nec iam ardent Voluntas et Cor dilectione Dei. Et tamen voluit Deus reliquam esse noticiam, ut extet in natura testimonium de Deo, et ut agnoscamus peccatum, et ut fateamur, nos iuste a Deo puniri. Postremo etiam, ut hac noticia regatur disciplina.

Cogitetur etiam, quam horribilis miseria sit naturae humanae: haec turbatio pulcerrimi ordinis, cum iam voluntas et cor expulso Deo rectore, contemnunt conditorem, et ut infra dicitur, cum iam sensus carnis inimicitia sit adversus Deum. Nec potest tristioribus aut atrocioribus verbis magnitudo peccati in natura hominis describi, iam hoc ipso Paulino dicto.

Hic etiam recordanda est doctrina Ecclesiae, quae discernit, qualis libertas voluntatis in homine reliqua sit, qualis amissa sit. Ut enim disciplina regi possit, Deus hanc libertatem voluit reliquam esse, ut locomotiva obtemperet imperio voluntatis. Sed actiones bonae erga Deum in corde, non fiunt sine conversione ad filium Dei, et sine auxilio Spiritus sancti. Haec doctrina alibi copiosius traditur, quae cum ad hanc enarrationem necessaria sit, hic cogitatione repetenda est.

Quatenus enim Deus cognosci potest, notus est Deus.

Expositio est propositionis antea recitatae, qua generaliter arguuntur omnes homines, quod veritatem in iniusticia detineant, id est, non obtemperent legi Dei. Addit igitur, quae sit illa Veritas, quam sic nominavit. Est noticia, inquit, de Deo, et caeterae noticiae, quae vocantur Leges Naturales, quae omnes sunt testimonium de Deo, et docent, quales sit Deus, et quod iudicaturus sit. Quia autem et Gentes et Iudaeos accusat, facit mentionem legis naturae, seu noticiae naturalis de Deo. Ubi iuniores monendi sunt, nos quidem in Ecclesia, ut confirmemus assensionem nostram, intueri debere ordine omnes historias, in quibus se patefecit Deus, ut miracula facta in exitu ex Aegypto, resuscitationes mortuorum, et alia, et in horum cogitatione simul hoc complecti, hunc ipsum vere Deum esse conditorem, qui se ibi patefecit, et Deo pro his testimoniis gratias agamus.

Has patefactiones cum consideravimus, deinde prodest etiam cogitare de noticia naturali, et quaerere testimonia in natura, quorum aliqua valde illustria sunt, et convincunt humanas mentes, ut statuant, hunc mundum non extitisse casu, cum intuentur pulcerrimum ordinem corporum coeli, et Elementorum. Item ordinem in noticiis numerorum, et aliis, ac praesertim in discrimine honestorum et turpium: quod nullum esse posset, si non a tali natura orti essemus, quae ipsa intelligat hoc discrimen. Item, in conservatione specierum. Item, in politica societate, et regularibus poenis atrocium delictorum. Haec omnia collecta confirmant nos de providentia. Sed dolendum est, tantam caliginem esse mentis humanae, ut tamen assensio valde languida sit, et facile excutiatur. Ideo Deus addidit alias manifestas patefactiones et miracula. Horum cogitationem adiungamus ad haec physica.

Nunc ad verba textus redeo. Syntaxis haec est: Invisibilia Dei, videlicet aeterna potentia, et divinitas eius, conspiciuntur ab opificio mundi, animadversa ex operibus, id est, ex ordine et arte operum. Cum autem nominat divinitatem, intelligit talem essentiam, videlicet aeternam, conditricem rerum, omnipotentem, sapientem, veracem, iustam, bonam, beneficam, castam, liberam, discernentem recte facta et scelera, et punientem delicta. Talem essentiam vult intelligi, cum nominat divinitatem.

Ac meminerimus hoc loco, noticiam naturalem de Deo esse legis noticiam, et non promissionem evangelicam, de gratuita remissione propter filium. Nam haec promissio nequaquam insita est in creatione mentibus humanis, sed

postea nova et singulari patefactione promulgata est, et a lege discernenda est, ut saepe dictum est.

Fit autem hic mentio legis naturae, de qua cogitantes totam complectamur, id est, sciamus simul dici et esse Deum, et quod coli velit observatione discriminis honestorum et turpium. Hic etiam repetant iuniores doctrinam philosophicam de principiis, ut perspicuam definitionem legis naturae teneant. Lex naturae et noticia principiorum practicorum et conclusionum, quae inde necessaria consequentia extruuntur, insita mentibus hominum a Deo, et congruens cum aeterna norma mentis divinae, ut ostendat, et esse Deum, et qualis sit, et quod praecipiat servari discrimen honestorum et turpium, et quod iudicaturus sit, ac puniturus eos qui non servant.

Addidit autem Paulus diserte: Deus eis manifestavit, id est, duplex lumen inditum est humanis mentibus. Noticia simplex, quod sit Deus, et ratiocinatio, quaerens testimonia in ordine creaturarum.

Ut sint inexcusabiles.

Hic sciendum est, propter quas causas Deus in homine voluerit reliquam esse legis noticiam, quarum prima est, ut extet testimonium de Deo in nobis. Secunda, ut accuset et damnet peccata. Tertia, ut regat disciplinam. Postea renatis etiam opus est cognitione Decalogi, ut sciant, qui cultus Deo placeant.

Non glorificaverunt.

Primum accusat impietatem. Et complectenda sunt hic omnia peccata pugnantia cum prima Tabula, quorum catalogus sumatur ex enarratione Decalogi. Et diligentissime cogitemus doctrinam de prima tabula, quomodo velit agnosci et invocari Deus: Quid differat invocatio ethnica ab invocatione vera. Quid sit Timor, quid Fides, quid fiducia accedens ad Deum in invocatione, quid Spes, qui sint veri cultus, quomodo fieri possint, et quomodo placeant. Haec omnia necesse est complecti, ut intelligatur, quid sit glorificare Deum. Est enim glorificare, tribuere ei gloriam, id est, agnoscere et fateri, quod vere sit Deus, sapiens, verax, bonus, iustus, castus, liber, omnipotens, conditor mundi, non otiosus, puniens impios, et exaudiens ac iuvans eos, qui ad mediatorem confugiunt. Et cum sic de Deo sentimus, ad glorificationem pertinet, timere eum, credere ei, diligere eum, invocare eum, et obedire ei in cultibus, quos praecepit.

Discamus autem singuli in exercitiis timoris Dei, et invocationis, quid sit haec glorificatio. Ac fiunt hae descriptiones illustriores considerata antithesi. Non tribuunt Deo gloriam ἄθεοι. Nec cultores idolorum, qui fingunt horribili audacia turbam Deorum. Nec qui invocant homines mortuos. Nec qui aliud fingunt esse Deum, quam sicut se patefecit, ut Mahometistae et Iudaei impii, et haeretici. Nec qui manent in perpetua dubitatione. Nec qui impia securitate ruunt in scelera contra conscientiam. Nec qui invocant sine agnitione mediatoris, et sine vera fide. Nec qui excogitant cultus contra mandatum Dei. Nec qui contemnunt aut persequuntur Evangelium. Denique ut ante dixi, catalogus sumatur ex enarratione Decalogi. Iam cogita, in toto genere humano, quam horribiliter grassentur multiplices furores contra primam tabulam. Agnoscamus et infirmitates nostras, quia timor et fides, et aliae virtutes, multo sunt languidiores, quam esse debebant etc.

Gratias agere est pars glorificationis, videlicet agnoscere, quod non sit otiosus Deus, sed vere nos curet, exaudiat, iuvet recte invocantes, et hanc bonitatem celebrare, et nos Deo reverenter subiicere et eum diligere.

Tradidit eos Deus.

Dixi primam accusationem fuisse peccatorum, quae pugnant cum prima Tabula. Deinde sequitur accusatio scelerum contra secundam tabulam. Quia quando corda non reguntur a Deo, sequuntur etiam tetra delicta contra secundam tabulam, sicut hic Paulus significat, coecitatem poenam esse impietatis: et expresse inquit Paulus ad Ephesios secundo, Diabolum efficacem esse in impiis. Et de Iuda dicitur: Intravit in eum Satanas. Item: Qui facit peccatum, ex diabolo est. Item, Lucae 11.: Ingressi habitant ibi. Hae horrendae conciones ostendunt, quanta sit miseria hominis, qui est sine poenitentia, et sine invocatione Dei, Hic et sua infirmitate ruit in varia delicta externa, et a diabolo impellitur, ut multa moveat perniciosa multis. Ut quanquam fuit magnum ingenium, magna sapientia et virtus in Saule, Pericle, Alcibiade, Catone, Iulio, Bruto et aliis innumerabilibus: tamen et manife-

sta scelera multa volentes perpetrarunt, et impulsi a diabolis tetros furores de Deo, et de actionibus vitae humanae adprobaverunt, et moverunt negotia, exitiosa sibi et aliis. Saul urebatur gloria Davidis. Huic adfectui dum indulget volens et sua sponte, accedit diabolus, qui has flammas auget, retinet Saulem in cogitationibus venenatis, incitat calumniatores, qui fabellas ad regem adferunt, ardentem iam ira et odio incitat, ut interficiat sacerdotes.

Talia exempla considerentur, et cum illis dictis, quae recitavi, conferantur, videlicet cum hac tristi descriptione Iudae: Satanas intravit in eum. Nec desunt exempla ullis temporibus. Saepe frater a fratre interficitur. Saepe mater necat infantem, quem recenti partu edidit. Hi tetri eventus a diabolo oriuntur, qui securos homines, et sine invocatione Dei viventes, opprimit. Expavescamus igitur, et dictum filii Dei meminerimus: Orate, ne intretis in tentationem. Petamus a Spiritu sancto propter Christum gubernari mentes, voluntates et corda nostra, accendi in nobis veram de Deo lucem, timorem, fidem, et alias virtutes, sicut clamat Propheta: Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis etc. Et sit in conspectu promissio: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Diximus autem, causas malarum actionum efficaces et proprie dictas, esse voluntatem delinquentium et diabolorum, ut de Saule dictum est. Ideo de phrasi hoc loco moneri iuniores necesse est: Tradidit eos in desideria cordium, id est, permisit eos ruere sua voluntate, aut impulsos a diabolo. Nam haec significatio permissionis usitatissima est in verbis Ebraeorum. Ut in precatione Dominica: Ne inducas nos in tentationem, id est, non sinas nos opprimi tentatione. Et in Psalmo centesimo quarto: Mutavit corda eorum, ut odissent populum eius, id est, mutari permisit. Deus enim non fuit causa odii in Pharaone adversus Israëlitas. Haec simplex et vera grammatica interpretatio labyrinthos multarum quaestionum tollit. Estque tenenda verissima sententia, quae extat apud Hoseam: Ex te perditio tua, Tantum in me auxilium tuum. Nec vult, nec adprobat, nec efficit peccatum Deus. Haec vera sententia firmissime retinenda est.

Enarratio vocabulorum sequentium.

Acervus est vocabulorum, quae significant peccata, et multa congessit Paulus, ut lectorem commonefaciat, quales furores in genere humano grassentur. Et haec tabella fere speculum est vitae impiorum. In aliis autem alia vitia et scelera magis conspiciuntur. Sciant autem iuniores, optimam enumerationem virtutum iuxta ordinem praeceptorum Decalogi institui posse. Ad eundem modum perspicue distribui possunt species vitiorum. Et eruditos decet nosse distributiones seu species virtutum ac vitiorum, de quibus et in Ethnicis suo loco dictum est.

Ἀδικία, Iniusticia, significat universalem iniusticiam, ut in philosophia loquimur, id est, inobedientiam violantem omnes leges. Ut Catilina est *ἄδικος*, id est, nec Deum metuit, nec curat humana officia, interficit cives, est incestus, rapax, seditiosus.

Πορνεία, Scortatio, et complectitur omnes contaminationes pugnantes cum sexto praecepto.

Πονηρία, Pravitas, et significat plus, quam *κακία*. Nam *κακία* etiam generale nomen est vitii, et significat peccata commissionis et omissionis, negligentiae et petulantiae. At *πονηρία* significat cupiditatem nocendi, et petulantiam. Ut Antonius est *κακὸς*, helluo, ebriosus, negligens. At Domitianus est *πονηρὸς*, cupidus nocendi, cui hoc ipsum voluptati est, aliis etiam gratis nocere.

Πλεονεξία significat avariciam, et complectitur omnia vitia et scelera pugnantia cum praecepto septimo: Non furtum facies. Iam cogita, quam variae fraudes, et varia sint iniusta aucupia lucri in toto genere humano, furta, rapinae usurae, stellionatus, mendicitates, concussiones, imposturae, et huiusmodi alia.

Κακοήθεια, malevolentia, pugnat cum praecepto quinto et octavo, id est, opposita est Iusticiae, Candori et Veritati. Ut, Tiberius est plenus veneni et malevolentiae, *κακόηθες μὴ καθαρὸν*. Haec enim inter se Plutarchus opponit. Coniunctum vitium est malevolentiae Obtrectatio, haec patefacit malevolentiam, arte depravans recte facta, et certe non malo studio facta. Ut, Scipionem optime meritum de patria allatrabant Lentulus, Cato et alii, sola malevolentia. Extant versiculi Menandri, in quibus describuntur

gradus quidam hominum, quibus praecipue delectantur potentes:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων, δεύτερα
ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτα λέγει.

Primum locum tribuit Adsentatori. Nam hic dulcissimus est. Proximus est delator, seu susurro, qui init gratiam perferendis fabellis, ac instruendis calumniis. Tertium locum habet *κακοήθης*, qui novit alludere ad Domini adfectus, bono studio facta secus interpretari, odia incendere.

Θεοστυγεῖς sive active sive passive accipitur, significat palam contumeliosos adversus Deum, quales sunt *ἄθεοι* omnibus temporibus multi, qui ne quidem dissimulant suos furores, sicut Mezentius apud Virgilium, Sennacherib et Rapsaces in historia Esaiae. Antiochus in historia Maccabaeorum, et similes tyranni plurimi, qui aperte profitentur, se esse hostes Dei.

Ἐφευρετὰς κακῶν nominat inventores novorum scelerum, et novos autores malorum exemplorum, ut Lamech primus discessit a vera coniugii institutione, et simul plures uxores habuit, et hunc vitiosum morem in mundum invexit, contra ordinem initio a Deo institutum. Tales sunt, qui in aulis excogitant novos praetextus iniustarum expilationum, aut qui fingunt causas occupandi aliena. Item Mercatores, qui novas imposturas excogitant, mutant iusta pretia monetae, inveniunt nova usurarum incrementa, et novos praetextus. Denique late patet hoc malum, multae novae fraudes, et multae praestigiae excogitantur ad excusanda scelera in multis vitae negotiis.

Ἀσύνετοι, furiosi, qui coeci contra iudicium communis sensus ruunt praecipites in omnia scelera, et sibi ipsis manifesta amentia accersunt exitium, ut Catilina, Thomas Monetarius, qui furens movit seditionem in Turingia, et multitudinem, quae temerario concursu confluxerat, arma capere iussit ad delendos vicinos Principes, ad diripiendas locupletum facultates. Item, Nebulo Monasteriensis in Westvalia, qui se nominabat Regem templi Dei. Hanc amentiam saepe dicunt Prophetae poenam esse impietatis, ut Esaiae 19. Miscuit inter eos spiritum vertiginis, videlicet, tanquam infundens in poculum. Sic Pharao, Saul et alii innumerabiles manifesto furore se et alios perdiderunt. Ac utrunque talibus deest: Bona conscientia, et moderatum consilium.

Ἀσύνθετοι non servantes pacta in promissionibus honestis, contractibus aut foederibus, et aut sine ulla excusatione fallentes, aut sophistice eludentes promissa. Ut Thraces pacti triginta dierum indutias noctu populabantur agros, quia dierum non noctium indutias pacti essent. Ac adeo crebra sunt perfidiae exempla, ut dictum Virgilii omnibus in ore sit: Nusquam tuta fides. Item: Quos credis fidos, effuge, tutus eris. Et illud Epicharmi: *νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα φρενῶν.*

Ἄστοργοι, qui naturales adfectus erga parentes, sobolem, fratres, aut bene meritos exuunt. Nam *στοργαὶ* sunt boni adfectus, quia Deus ita condidit corda, praesertim in hominibus, ut mirabili quodam naturali incendio ament cognatos tanquam suae naturae partem. Imo in matre ubera pectori addita sunt, propter has causas: Primum, ut lac melius coquatur calore cordis. Deinde, ut a corde etiam spiritus et amor transfundatur in foetum, et mutuus amor perpetuo flagret inter parentes et natos. Nam in bestiis extinguitur memoria parentum et sobolis.

Ac discant in hoc loco studiosi, fugiendum et explodendum esse Stoicorum errorem, qui omnes adfectus tolli volunt ex natura. Manifeste enim reclamat lex divina, quae dicit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Item: Diligas proximum, sicut te ipsum. Et quidem in aeterno patre verum et ardentem amorem esse erga filium, ipsius vox testatur, cum inquit: Hic est filius meus dilectus, quo delector. Et in Deo erga nos homines verus amor est, ut scriptum est: Sic Deus dilexit mundum etc. In filio mediatore magnum esse incendium amoris erga nos certissimum est. Suntque impressae *στοργαὶ* hominum naturae, ut sint commonefactiones de amore aeterni patris erga filium, et erga nos.

Vult igitur Deus, esse in nobis adfectus congruentes suae legi. Et sunt aliqui boni adfectus in naturis non monstrosis, qui etiamsi propter communem naturae depravationem aliquid habent contagii, tamen Deus eos adprobat, et vult eos recte gubernari. Vult ut maritus amet coniugem, parentes ament natos, frater fratrem, adfectus beneficio benefactorem, vult homines talibus vinculis inter sese coniunctos et consociatos esse. Ut enim dici solet, Bonum natura sui con-

servativum et congregativum et communicativum esse, ita Deus et vere amans est congregationis et communicationis beneficiorum. Vult homines inter se multis vinculis copulatos esse, coniugio, amore erga natos, tanquam erga partem propriae naturae, cura educandi natos, communicatione beneficiorum, intellectu insticiae, quae pro beneficiis iubet vicissim beneficia reddere. Et his vinculis et hac communicatione vult conservari naturam. Ita causa conspicitur, cur impressae sint hominibus *στοργαί*. Estque tota haec sapientia de bonitate Dei comprehensa in hoc dulcissimo dicto: Deus est dilectio, et qui in dilectione manet, in Deo manet, et Deus in eo. Et vicina sunt haec dicta: Deus est bonus, et, Deus est dilectio, id est, vere diligens suam effigiem, naturam intelligentem. Nam hoc posterius dictum magis ad naturas intelligentes congruit.

Iam cogita, cum *στοργαὶ* sint vere opera Dei, et referant Dei bonitatem, et sint res in natura ordinatae, quam dira depravatio sit in diabolis, qui abiecerunt *στοργὰς*, et in multis hominibus, qui hoc naturali amore et vinculo consociationis extincto, bellum gerunt cum Deo et cum natura generis humani. Talis est Cain, tales sunt Atreus et Thyestes, talis est Medea, quae filios suos interficit.

Cum autem natura in homine, nondum prorsus furioso, tamen aliqua ex parte naturales inclinationes sentiat, non dubium est a diabolis impelli Cain et similes, qui extincta naturali benevolentia, saevitiam in cognatos et naturae suae partem exercere possunt. Et de talibus quoque verum est dictum: Satanas intravit in corda eorum. Considerantes igitur, quam dira et tetra sint haec scelera, et unde oriantur, magna cura Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem *φιλόστοργον* generis humani, oremus, ut propter filium, quem ardenti benevolentia diligit, corda nostra Spiritu suo sancto custodiat et regat, ac depellat a nobis insidiatores diabolos, hostes suos. Primis etiam initiis ac scintillis talium odiorum sapienter repugnemus ipsi, ne diabolus invitetur.

Multa grassantur scelera huius generis inter homines, privatim et publice, alia magis, alia minus atrocia, ut magis est *ἄστοργος* Cain, quam Esau. Sunt etiam *ἄστοργοι* homines seditiosi, qui Ecclesiam aut patriam sine necessariis causis turbant, quia causae sunt ingentium dolorum, et mortis multorum honorum hominum, senum, matronarum, puerorum. Et semel motis Rebuspublicis non facile postea pax, disciplina, leges, religio restitui possunt.

Ἄσπονδοι sunt implacabiles, sicut Saul nullo officio placari potuit, ut deponeret iniustum odium, quo ardebat adversus Davidem, bene de patria et de ipso meritum. Haec pertinacia odiorum in hominibus lividis et saevis non rara est.

Ἀνελεήμονες, immisericordes: haec appellatio plura comprehendit, quam crudelitas. Crudelis est, qui laedit alium atrociter, sine causa iusta, aut poena maiore adficit, quam pro modo delicti. Ut crudelis erat Augusti hospes, qui servum obiicere murenis voluit, quia fregerat poculum crystallinum. Sed immisericors est non solum crudelis, sed etiam qui cum probabilis ratio est, non mitigat iustam asperitatem.

Nam iusticia est, neminem laedere sine causa. Est et in poenis servare aequalitatem: misericordia vero primum iusta est, non laedit insontes. Deinde probabili ratione etiam iustam poenam mitigat. Ita Deus misericors est, et ut Psalmus inquit: Non accendit totam iram suam.

Hanc grammaticam enarrationem quarundam vocum addidi, ut iuniores adsuefiant ad diligentiam in consideranda proprietate verborum et in distribuendis virtutibus et vitiis. Intueantur autem, ut saepe alias dixi, Decalogum.

Scientes ius Dei.

Hic addit regulam de legibus naturalibus seu noticiis naturalibus, quae nominantur *Ius naturae*. Ut enim in hac accusatione convincat homines, proponit eis naturales illas noticias. Hae inquit, accusant vos, quas quidem ideo in hominum natura Deus non voluit prorsus extingui, ut essent testimonia de Deo et de iudicio Dei, et certo sciremus, hac voce naturae commonefacti, Deum vere et horribiliter irasci omnibus facientibus contra has noticias, divinitus nobis insitas.

Considerent autem iuniores Pauli sermonem. Has noticias, quas vocamus Leges naturae seu Ius naturae, expresse hic nominat Ius Dei. Sciamus igitur, quod verissimum est, leges naturae esse ius divinum: est enim lux a Deo in mentibus nostris condita, et verissime congruit cum Decalogo et aliis dictis in lege Moisi, in quibus repetitum est ius naturae. Sunt enim gravissimae causae,

propter quas Deus expressa voce hanc ipsam legem antea in creatione mentibus insitam, repetivit, et testimonia illustria addidit, et scribi eam iussit. Nam post naturae humanae depravationem in mentibus est caligo, et multum dubitationum. Et paulatim mala exempla augebant caliginem. Sed de his materiis alibi saepe dixi. Et discant iuniores, quid vere sit Lex naturae, et teneant regulam a veteribus traditam: Violatio iuris naturae est peccatum mortale, sicut violatio iuris divini.

Quod talia facientes digni morte sint.

Mira profecto sententia est, quod ait, homines naturaliter intelligere, dignos morte esse omnes, qui violant leges naturae. Sed Paulus non loquitur de politica gubernatione, quae tantum externa facta punit: Verum de iudicio proprio in cuiusque conscientia, intuente Deum. Ac multo altius introspicit mentes hominum, quam vel Epicurei, vel hypocritae, qui securi et ebrii voluptatibus, non sunt experti veros pavores conscientiae. Non indicat Saul, se morte dignum esse, cum contra mandatum Samuelis parcit regi captivo. Sed tunc agnoscit conscientia, quodlibet peccatum morte dignum esse, cum intuetur Deum, et sentit iram Dei, et reputat, quantum malum sit neglectio Dei, vel contumacia adversus Deum. In hoc iudicio vident mentes, peccatum esse non tantum deformitatem dissentientem ab harmonia naturae, sed quiddam reum, et damnatum coram Deo, et hanc sontem naturam propter contemtum Dei dignam esse horrendis poenis et destructione. Adam cum gustaret pomum contra mandatum, existimabat, id factum non magni momenti esse. Nondum hos horrendos terrores conscientiae expertus erat, qui hanc miseram naturam opprimunt morte. Postea vero obiurgatus a Deo, agnovit peccatum esse neglectionem seu contemtum Dei, sensit irasci Deum, expavit, et extinctus esset magnitudine doloris, nisi divina promissione ex morte revocatus esset. Lex, inquit Paulus, est potentia peccati. Ita lex naturae in mentibus hominum iudicat et damnat peccatum. Et in veris pavoribus ostendit, Deum irasci omnibus peccatis, externis et interioribus,

De hoc vero iudicio propriae conscientiae loquitur hic Paulus, ac damnat non solum externa delicta, sed etiam universam immunditiem interiorem, aversionem a Deo, dubitationes de Deo, coecam securitatem, et contemtum Dei, et omnes pravas inclinationes, et errantes cupiditates. Ideo accusat non solum facientes, sed etiam, ut hic nominat, *συνευδοκοῦντας*, id est, qui in sua natura similia vitia cernunt, et ab eis non abhorrent, nec dolent, cum titillantur his suis vitiis. Erumpunt autem alii adfectus in aliis. Atticus non est incestus, non fecit caedem manibus, sed tamen dubitat, an Deus curet humana, an puniat, an exaudiat homines, gaudet sibi eximi metum iudicii divini academicis disputationibus, quaerit suam tranquillitatem sine agnitione Dei, et sentit ipse, se habere multos motus aberrantes a lege naturae.

Nominat enim Paulus hic *συνευδοκοῦντας*, non ut in foro dicimus, consentientes, qui manifeste adiuvant aut defendunt aliorum scelera: sed eos, qui in sua natura titillantur similibus inclinationibus, etiamsi eas non proferunt. Nam *εὐδοκεῖν* generaliter est, benevolo animo esse erga aliquid, ut *εὐδοκεῖ ξένῳ*, id est, est benevolo animo erga hospitem, non est aliena voluntate. *εὐδοκεῖ λεγομένοις*, recipit dicta. Atticus *συνευδοκεῖ φιλοσόφοις καταγελῶσι τῶν πιστευόντων, εἶναι τιμωρίας τινὰς ἀνθρώπου μετὰ θάνατον.* Ex talibus exemplis verbi significatio satis intelligi potest.

Caput II.

In secundi Capitis initio addit conclusionem, proprie pertinentem ad hanc accusationem interiorum vitiorum. Ergo et tu, qui iudicas, id est, qui quanquam non facis externa scelera, sed tamen in mente et corde similem habes immunditiem, reus es coram Deo.

Syllogismus integer est. In fine prioris capitis recitatur maior: Digni morte sunt omnes, cum externa scelera facientes, tum vero alii, qui falsas opiniones de Deo in mente circumferunt, et habent vitiosas inclinationes in corde plurimas. Sequitur minor in secundo capite: Tu qui iudicas alterum, facis eadem, id est, qui regis honeste externas actiones, et iudicas eos tantum displicere Deo, qui externis delictis polluti sunt, nec damnas teipsum, sed iudicas te iustum esse coram Deo propter externas actiones honestas, facis tamen eadem, id est, habes similia vitia in mente et corde: Dubitas an Deus curet humana, an pu-

niat, an exaudiat homines, habes et alias errantes cupiditates. Haec est sententia huius dicti: Eadem facis, scilicet interioribus animi motibus. Quia notissimum est principales causas actionum esse mentem, voluntatem et Cor. Accedit igitur conclusio: Ergo, cum eadem facias, inexcusabilis es quisquis iudicas, id est, alios damnas, externis delictis contaminatos, Te non damnas, qui similem habes interiorem pravitatem.

Estque haec conclusio accusatio omnium, qui se propter civiles mores arbitrantur iustos esse coram Deo, cum sciant, mentes plenas esse dubitationum et errorum, et corda multis vitiosis cupiditatibus ardere.

Addit autem Paulus confirmationem: Iudicium Dei secundum veritatem est, id est, iudicat non solum externam umbram actionum, sed mentes et fontem actionum. Si in mentibus non lucet vera de Deo sententia, si voluntates aversae sunt a Deo, et sese plus amant, quam Deum, certe non obtemperant legi Dei, quae inquit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde etc.

Existimas autem o homo.

Intertexit brevem adhortationem, qua omnes vocat ad poenitentiam, ac docet, quare Deus differat poenas, videlicet, ut spatium nobis concedat ad conversionem. Singuli, in quocunque lapsu, rei fiunt mortis aeternae, et iuste possent a Deo interfici: sed immensa bonitas Dei, quia non vult totum genus humanum perire, concedit spatium miseris, ut in viam redeant, iuxta illud: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris etc. Huc pertinet parabola de ficu, Lucae 13. Dolendum est autem, tam tetram pravitatem esse humanae naturae, ut haec ipsa mora, pro qua gratias agere debebat, confirmet multiplicem impietatem. Levius enim curant homines iudicium Dei, propterea quod poenae differentur, etsi haec ipsa mora valde brevis est. Insuper igitur scelera sceleribus adduntur. Hanc perniciosam securitatem Paulus brevi quidem dicto, sed tamen atrocibus verbis accusat, dicit homines contemnere bonitatem et tolerantiam Dei. Item, sibi cumulare iram.

Reddet unicuique iuxta opera sua.

Relinquamus omnes praestigias sophismatum, et agnoscamus phrasin legis. Reddet unicuique iuxta opera sua, id est, iniustos afficiet poena, iustis dabit bona. De iniustis manifestum est, deberi poenas pro ipsorum factis, et propter ipsorum facta. De iustis ex Evangelio sciendum est, quomodo sint iusti. Et cum fidem opporteat esse in nobis, sicut Evangelium docet, haec ipsa mentio fidei, quae nititur non nostra dignitate, sed misericordia promissa propter mediatorem, ostendit, dari vitam aeternam propter filium Dei. Et tamen quia fides virtus est in nobis, lex suo more tanquam de nostra virtute loquitur.

Non est enim acceptio personarum apud Deum.

Ut hoc loco ad Romanos inquit Paulus: Non est acceptio personarum apud Deum: ita et in Actis capite 10. scriptum est: Non est personae acceptor Deus. Et alibi saepe repetitur hoc dictum, ut Esaiae 42. de Messia: Non accipite personam etc. Significat autem generaliter, non accipere personam, facere iudicium de re, sine discrimine accidentium, quae a re aliena sunt. Ut Torquatus de sola re iudicat condemnans filium, nec obruit rem propter cognationem.

Usitate describitur acceptio personarum: Est dare aequalia inaequalibus, vel inaequalia aequalibus. Oritur autem sententia, prohibens προσωποληψίαν, ex fontibus iusticiae. Iusticia est aequalitas, sed ordinata secundum mensuram aliquam. Ut Iudex tunc est iustus, cum aequaliter mensuram servat, punit sontes, et defendit innocentes, nec discedit a mensura propter alia accidentia in hominibus. Et contra hanc mensuram facere, inaequalitas est, quae est iniusta et tyrannis.

Ideo cum dicitur: Apud Deum non est acceptio personarum, tribuitur ei laus iusticiae et aequalitatis, cuius haec mensura est. Universaliter irascitur Deus peccato in homine, et universaliter accipit omnes ad mediatorem confugientes. Hanc mensuram suo sapientissimo et iustissimo consilio sanxit, et vult immotam esse. Ac fingere, quod non servet hanc aequalitatem, est tribuere ei προσωποληψίαν. Ideo et Paulus inquit: Deus vult omnes homines salvos fieri, id est, aequalis est omnibus, iuxta mensuram quam instituit. Et quod ad ipsius voluntatem attinet, vult *Omnes* homines salvos facere, sed multi sua culpa oblatum beneficium non accipiunt etc.

Haec est magna et necessaria consolatio, quia in omnium hominum mentibus magna est trepi-

datio, propter hanc imaginationem, quae fingit in Deo inaequalitatem. Saepe clamant homines: Etiamsi Deus aliquos recipit, tamen tu non es in illo numero, nec scriptus in illis tabulis fatalibus. Tam potens Dominus non posset abiicere quos vellet?

Opponenda est autem vox promissionum, in qua Deus vult agnosci suam voluntatem. Et promissio est universalis. Nec sunt in Deo contradictoriae voluntates, quia Deus est verax. Ideo necesse est nos obedire promissioni, et firma fide statuere, vere hanc esse voluntatem Dei, quam ostendit in promissione, et vere Deum aequalem esse omnibus, iuxta mensuram, quam sua voce instituit. Haec dixi breviter, ut iuniores hoc dictum maiore cura observent, et ad timorem alendum, et ad consolationem suam accommodent. Non, ut moveantur sophistica certamina, sed discamus intueri voluntatem Dei patefactam, in ea acquiescere, et ei reverenter gratias agere pro immenso beneficio donatae promissionis etc.

Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.

Hic necesse est intelligi hoc dictum, sine scripta lege aut promulgata: quia postea expresse addit correctionem: Imo et Gentes habuerunt legem, hoc est, noticiam naturalem, discernentem honesta et turpia. Ait enim: Sibi ipsis sunt lex, et est in eis conscientia accusans et excusans. Ergo est in eis naturalis noticia, discernens honesta et turpia, quae re ipsa est lex Dei, congruens cum Decalogo.

Hic rursus observent studiosi describi et approbari legem naturae, et recte discant, quae sit lex naturae, ut supra, et alibi saepe de demonstrationibus practicis dixi. Et haec insignis descriptio est, quod videlicet ait, noticiam esse accusantem et excusantem. Significat enim lucem divinam, quam Deus ideo transfudit in humanas mentes, ut ipse agnascatur, et peccatum in nobis arguatur. Sicut homicidae sentiunt horribiles pavores, etiam cum sunt in tuto, et nullos magistratus metuunt.

Augustinus hoc loco de multis membris nimis anxie disputat. Respondet iis, qui contra iusticiam fidei citant dictum: Factores legis iustificantur. Sed propria et perspicua responsio est, haec descriptio est iusticiae legis, quae nihil impedit alia dicta de iusticia fidei. Quia verum est, iusticiam legis esse, facere legem, non tantum audire. Nam hoc loco Paulus hoc proprie agit, iusticiam non esse noticiam seu professionem, ut multi homines sibi blandientes imaginantur, sed esse obedientiam in voluntate. Hoc generale dictum in iusticia legis, prorsus nihil impedit ea, quae postea dicuntur de iusticia fidei. Adsit tantum in interpretatione dexteritas, non corrumpantur recte dicta.

Postea disputat Augustinus, An Gentes legem fecerint, et an natura fecerint? Paulus tantum hoc ratiocinari vult, in Gentibus esse noticiam legis quod inde ratiocinatur, quia multi tantum fecerint iudicio naturali, quantum Iudaei lege scripta: Et diiudicari in conscientiis honesta et turpia. Hoc sequitur, si tantum disciplina et externa facta considerentur. Scipio non attigit sponsam alterius, quia sciebat adulterium turpe esse, et a Deo puniri. Fecit igitur opus legis, et Paulus non dicit, Gentes legem fecisse, sed ea quae sunt legis, id est, aliqua legis opera.

Et vocabulum Natura hic significat idem quod naturali noticia, monstrante discrimen honestorum et turpium. Haec est simplex et nativa sententia, quam lector amplectatur reiectis corruptelis, quas finxit Pelagius et caeteri.

Et quod inquit Paulus, Opus scriptum in cordibus, significat has noticias naturales dona esse attributa naturae, et nobiscum nascentia, sicut noticiae numerorum naturae attributae sunt, et nobiscum nascuntur.

Ecce tu, qui Iudaeus nominaris.

Antea Gentes accusavit, nunc accusat Iudaeos, ut perveniat ad hanc exaequationem: Omnes homines in hac depravatione naturae sub peccato esse, nec lege liberari a peccato et ab ira Dei, ut infra dicitur: Conclusit Omnes sub peccatum. Sic autem accipiatur haec obiurgatio, ut intelligas, non tantum externa delicta accusari, sed etiam hypocrisin, et fiduciam propriae iusticiae, qualis erat arrogantia in Iudaeis, propter titulum et professionem. Et loquitur Paulus de Iudaeis, quatenus erant sine vera agnitione Messiae, qui etiamsi excellebant disciplina, tamen fateri cogebantur, se habere corda vitiosa, nec lege, vel ceremoniis, vel sacrificiis eos morbos tolli.

Addit autem et reprehensionem vanissimae persuasionis, qua fingebant, se propter titulum seu professionem et ceremonias iustos esse. Et regulam tradit, Valere externas ceremonias ita,

si corda congruant cum lege Dei. Circumcisio prodest, si legem observes. Hic observandum est, semper in mundo vagari has falsas persuasiones de ceremoniis, vel quod mereantur remissionem peccatorum, vel quod sint cultus, et Deo placeant, etiam sine iusticia cordis: et ut vulgo dicitur, ex opere operato, sicut de oblatione in missa impudenter scripserunt monachi. Omnibus igitur aetatibus in Ecclesia aliqui taxaverunt hunc errorem, ut Psalmo 50.: Non in sacrificiis tuis arguam te. Et Ieremiae 7.: Non praecepi eis de holocaustis, sed hoc verbum praecepi: Audite vocem meam, et ero vobis Deus.

Dictum est autem alias saepe, quo ordine placeant ceremoniae, et pinxi navim, et in navi librum, et supra librum stare calicem, id est: Primum audienda est promissio de filio Dei, et fide statuendum, te recipi propter eum. Haec fides incoat novam obedientiam, in corde dilectionem, spem, invocationem, et alias virtutes.

Deinde accedunt ceremoniae, ut signa, quae de promissione nos commonefaciant, vel exercitia externi ministerii, invocationis, gratiarum actionis etc., ut alibi copiosius dictum est.

Sed hinc asperrima certamina semper in Ecclesia et fuerunt et erunt. Hypocritae furenter irascuntur, cum detrahitur ceremoniis opinio meriti. Ut Iudaei vociferabantur: Si non sumus iusti lege, cur data est lex? Huic quaestioni mox respondet Paulus, et necessaria est explicatio, quia omnibus temporibus haec quaestio agitatur: Si nostra diligentia non meretur remissionem peccatorum, cur disciplina flagitatur? Item: Si non sumus iusti propter nostras virtutes, cur non conceditur licentia cupiditatibus? Ideo initio tertii Capitis movet hanc quaestionem Paulus: Quid igitur habet Iudaeus, quo antecellat? Quare lex data est? Quare politia Moisi constituta est? Quare dicimur populus Dei, si non sumus iusti hac observatione? De his quaestionibus necesse est in Ecclesia extare veram et perspicuam doctrinam, et illa tetra deliramenta reiici, quae finxerunt tres leges: Primam Naturae, secundam Moisi, tertiam Evangelicam, et quolibet tempore homines suae legis observatione iustos fuisse. Adversus hos perniciosos errores sciendum, ut saepe dicitur, Unam esse aeternam legem moralem, quae accusat peccatum in omnibus, omni tempore: nec patres fuisse iustos lege, sed fide mediatoris, quem ex promissione agnoscebant.

Caput III.

Qua igitur re antecellit Iudaeis?

Obiter inserta est quaestio. Et occasio diligenter observanda est, quam recitavi. Inde enim oritur haec quaestio. Cum Iudaei non mereantur remissionem, nec sint iusti lege, cur data est Lex? et qua re antecellunt Gentibus, unde potius ipsi sint populus Dei, quam Gentes.

De hac quaestione dupliciter respondet. Retinet enim suam propositionem, quod Iudaei non mereantur remissionem peccatorum, nec sint iusti lege. Sed causas alias narrat, cur pulcerrima illa politia constituta sit, et unde sit Israël populus Dei. Ac primum ait, posteros Abrahae esse populus Dei, quia promissio ipsis tradita est, et certo ad eos pertinet. Sunt igitur populus Dei propter promissionem, et non propter legem. Ac praecipuum beneficium est, promissio Messiae, non politia seu legis promulgatio. Sed tamen et postea ingens beneficium fuit ipsa politiae constitutio, quae servivit promissioni, quia voluit Deus certum locum, certam nationem et familiam esse, in qua se patefaceret, ubi promissiones ederet et repeteret, et ostenderet promissionis testimonia, ubi publicus aliquis coetus esset invocans verum Deum, et testificans de vero Deo, ubi Messias nasceretur, conspiceretur, doceret, ederet testimonia doctrinae, fieret victima, resuscitaretur ex mortuis, ubi conspicerentur testimonia resurrectionis. Harum maximarum rerum Deus certam sedem, et notos ac fide dignos testes esse voluit.

Haec est principalis causa, cur politia illa constituta sit, et multa beneficia concurrunt. Ibi exempla plurima praesentiae Dei, irae et misericordiae conspecta sunt. Ibi multae mirandae defensiones et liberationes factae sunt. Quam gloriosa fuit continua Prophetarum successio, Samuelis, Davidis, Eliae, Elisaei, Esaiae, Ieremiae, Danielis et sequentium? Gratissimum et hoc fuit bonis mentibus, certam esse Ecclesiae sedem, certam et perpetuam scholam verae doctrinae. Quam gradum nunc bonus mentibus esset, scire ad posteros diu haec oppida mansura esse, et hic Ecclesiae et doctrinae sedem mansuram esse? Has res esse maximas omnes sani intelligunt.

Anni sunt ab exitu ex Aegypto usque ad resurrectionem Christi 1545. Tam diu in eodem vestigio mansisse Ecclesiam et doctrinae sedem, fuit ingens bonum. Propter has causas intelligebant seniores politiam Mosaicam constitutam esse. Nam ut certus esset populus, discerni eum politicis vinculis et ritibus ab aliis gentibus oportuit. Et in ritibus elegantia exercitia, et signa quae essent typi promissionis addita sunt. Itaque Paulus in prima promissione longe antefert Iudaeos Gentibus. Dicit, eos amplissimis beneficiis prae aliis ornatos fuisse, quae iam brevissime recitavimus.

Et sunt insignia verborum pondera. Dicit, multum et omnibus modis antecellere, quia verissimum est, magnam fuisse amplitudinem beneficiorum, de quibus dixi, quorum praecipuum ipse hic esse inquit: Quod huic familiae, id est, posteris Abrahae, tradita est promissio Messiae. Ubi etiam insigni verbo usus est, Promissiones sunt commendatae eis, seu creditae, id est, ipsi facti sunt custodes promissionum. Et fuit ingens praerogativa, sonare in hac familia promissionem. Et semper ibi aliqua sunt vera membra aeternae Ecclesiae, ubi vox promissionis sonat, sicut alias saepe dicitur, In coetu vocatorum semper aliquos esse electos.

Sed statim adiungenda est et altera responsio. Non antecelluerunt Iudaei, quod ad meritum attinet, id est, nec merebantur remissionem peccatorum, nec erant iusti lege coram Deo, sed illi, qui Deo reconciliati sunt, fide propter promissam Messiam recepti sunt, et fide iusti erant.

Quid enim, etiamsi aliqui non crediderunt.

Inserit et alias quaestiones, ut fit in difficilibus controversiis. Cum dixisset, promissionem gratiae traditam esse Abrahae et eius posteris, quaerit, an rata sit, cum tam multi sint et fuerint impii, qui eam aspernati sunt? Respondet, promissionem ratam esse, etiamsi plurimi non credunt.

Consideres autem, hic necessariam consolationem nobis proponi, contra vulgarem tentationem, quae valde oppugnat fidem hoc argumento: Cum alii tam multi pereant, num te putes a Deo prae tam multis recipi? Hic exemplis Paulus opponit promissionem Dei, et immotum argumentum, quod Deus sit verax. Statuamus igitur certissime ratam esse promissionem omnibus credentibus, ut infra dicitur. Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio.

Citantur autem hic dicta ex Psalmis, ut antithesis augeat perspicuitatem. Deus est verax, omnis autem homo mendax. Servat enim Deus promissa, etiam indignis, propter suam veritatem et bonitatem. Omnis homo mendax, id est, vel prorsus dubitans, vel multis dubitationibus conflictans, nec valde timens, nec firmiter credens Deo. Nam et in sanctis horum vitiorum reliquiae maneant.

Ut iu iustificeris, ut vincas cum iudicaris.

Addit aliud testimonium, quod detrahit nobis dignitatem seu gloriam iusticiae et meritorum. Continet autem hic versus et doctrinam necessariam de confessione nostrae indignitatis, et dulcissimam consolationem. Tibi tantum sum peccator, seu quiddam reum et dignum poena, quod fateor, ut tu iustus pronuncieris cum punis, et vincas cum iudicaris, id est, cum te hypocritae iudicant: sicut fere omnes homines in clamitatibus cogitant, Deum vel iniustum vel crudelem esse, et hanc imbecillem naturam nimis magnis aerumnis onerare. Multi etiam fremunt, cum sint benemeriti, ut Saul, vel causas iustiores defenderint, ut Cato, et tamen se opprimi calamitatibus, sicut Pompeius, Cato, Brutus, de providentia quaesti sunt.

Sed Daniel clamitat: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei nostrae. Et Iob inquit: Vere scio, quod non iustificetur homo comparatus Deo etc. Etiamsi occiderit me, in eo sperabo. Veruntamen vias meas in conspectu eius arguam, et ipse erit salvator meus, nec veniet in conspectum eius omnis hypocrita, id est, qui vult accedere sua iusticia. Et imperator Mauricius inquit: Iustus es Domine, et rectum iudicium tuum.

Cum igitur inquit David: Ut vincas cum iudicaris, intuetur hypocritas accusantes Deum iniusticiae vel crudelitatis, et ostendit, Ecclesiae confessionem Deo tribuere laudem Iusticiae, et propterea obedientiam aliquo modo voluntariam in poenis praestare, iuxta illud: Humiliamini sub potenti manu Dei. Item: Orate sine ira et sine haesitatione.

Haec de doctrina confessionis in hoc versu primum consideranda sunt. Postea discatur et

consolatio. Fatemur nos indignos et reos esse, et recipi tamen propter promissionem. Ita Deo laudem Veritatis tribuimus, quam hypocritae non tribuunt ei, sed cogitant se negligi, quia non satis meritorum afferunt. Tu vero scias accedendum esse ad Deum fiducia mediatoris, iuxta promissionem. Etiamsi affers magna peccata et magnam immunditiem, exuberat tamen gratia supra delictum, et vincit Deus verax, qui promisit, se recepturum nos gratis propter mediatorem. Utraque sententia de confessione et consolatione fit illustris in verbis doloribus et vera poenitentia.

Si autem iniusticia nostra commendat iusticiam Dei, quid dicemus?

Sequuntur aliae obiectiones, quarum haec est sententia: Cum audiunt homines, nostra opera et hanc qualemcunque diligentiam regendi mores, non mereri remissionem peccatorum, sed gratis remitti peccata, nec solum frugalem, sed etiam filium prodigum recipi, obiiciunt haec absurda: Si hic magnus et gravis labor regendi mores non meretur remissionem, laxemus potius frenos cupiditatibus, praesertim si gloria misericordiae fit illustrior. Quia polluti magnis peccatis recipiuntur, ut ostendit receptio filii prodigi. Haec profana obiectio non tunc solum opponebatur doctrinae de Gratia, sed omnibus temporibus haec argumenta turbant humanam rationem. Et dolendum est, bonos etiam fieri negligentiores in seipsis frenandis, cum opinio meriti detracta est illi diligentiae.

Cum autem hae profanae obiectiones tantum sint calumniae, et pii sciant, non propterea concedi licentiam peccandi, abrumpit Paulus has quaestiones, opposita brevi et tristi obiurgatione: Quorum condemnatio iusta est, videlicet eorum, qui talibus calumniis immensam misericordiam Dei obscurant etc. Infra autem cap. 6. respondebit ad hanc obiectionem. Interea satis est sciri, non concedi licentiam peccandi, sed Deum vere et horribiliter irasci peccatis. Ideo autem recipi nos gratis, ut deleatur peccatum, non ut confirmetur. Haec infra copiosius exponentur. Nunc redit Paulus ad principale institutum.

Quid igitur praecellit.

Altera et principalis responsio negativa est, Iudaei non merentur remissionem peccatorum suis operibus, nec sunt iusti coram Deo, nec placent Deo propter sua opera. Et additur universalis propositio, collecta ex duabus praecedentibus: Omnes homines in hac naturae depravatione secundum naturam sunt sub peccato, id est, sunt rei irae Dei et poenae aeternae, et ita captivi, ut non possint ab eo liberari propriis meritis, seu observatione legis. Cognoscenda est enim phrasis: Sub peccato esse, est captivum peccati esse. Ac loquitur de omnibus, excepto Domino nostro Iesu Christo. De aliis omnibus loquitur, ac de sanctis etiam, quatenus natura eorum consideratur, nec intelliguntur per misericordiam reconciliati.

Semper autem haec exaequatio nos admoneat, accusari superbos et perterrefieri. Econtra vero consolationem proponi perterrefactis, quia conspicitur amplitudo misericordiae, cum affirmat haec concio, vere recipi nos gratis, propter mediatorem, quanquam indigni simus, et polluti peccatis.

Confirmat autem propositionem citatis testimoniis, in quibus accusantur non tantum externa delicta, sed etiam interiora. Non est intelligens nec requirens Deum, id est, corda in hac pravitate naturae plena sunt caliginis et dubitationum de Deo, Quid sit, Quomodo velit agnosci? An curet, An exaudiat nos? Non vere timent iram et iudicium, sunt plena diffidentiae, quaerunt praesidia humana sine ordine, sese amant plus quam Deum etc.

Innumirabiles homines horribili audacia ludum ingeniorum esse putant, gignere suas quasdam opiniones de Deo, ut aliud fingebant Stoici, aliud Idolatrae, aliud Haeretici. Denique semper fuit, est et erit horribilis confusio opinionum de Deo. Has tenebras in natura hominum saepe et iustissime accusat vox divina, de quibus et haec dicta concionantur, in quibus magna est verborum atrocitas: Linguis suis dolose agebant, Venenum aspidum sub labiis eorum.

Diligentissime autem observandum est, quod repetit universalem propositionem, insigni figura et verborum emphasi, ut omne os obturetur, et reus sit totus mundus Deo. Hanc universalem propositionem infigamus animis, et ut nos ipsos reos esse agnoscamus, et ut opponamus eam Pelagianis et monachis, et similibus, fingentibus, hominem mereri remissionem suis operibus, aut iustum esse propriis meritis. Agnoscamus etiam,

vere voluntatem Dei esse, ut nos propter mediatorem recipi credamus, quanquam sumus indigni et polluti peccatis. Hac nos consolatione sustentemus, et hanc fidem in vera poenitentia et invocatione exerceamus.

Propterea quod ex operibus legis non iustificatur omnis caro.

Manifesta asseveratio est, opera legis non mereri remissionem peccatorum, nec propter ea homines iustos esse coram Deo, id est, acceptos ad vitam aeternam. Eluserunt autem hoc dictum alii aliter. Multi dixerunt, Paulum loqui tantum de Ceremoniis, non de moralibus operibus. Nemo iustificabitur ex operibus legis scilicet ceremonialibus. Sed haec elusio falsa est, quia Paulus de omnibus partibus legis loquitur, ut infra sumit exemplum ex lege morali: Non concupisces. Imo legi morali minime satisfaciunt homines.

Alii sic eludunt, dicunt synecdochen esse, quae accuset plurimos, non omnes. Pauci sunt, inquiunt, quia pauci obtemperant legi. Interea tamen aliqui iusti sunt, ut Pomponius Atticus, Fabius, Scipio, quia legi obtemperant. Hanc synecdochen perspicue refutat ipse Paulus, quia diserte non solum personas accusat, sed ipsis operibus detrahit insticiam, quasi dicat: De his ipsis loquor, qui faciunt opera legis, hos nego iustos esse propter haec opera.

Colligantur ergo toties repetitae sententiae, quae idem expresse affirmant, non mereri homines remissionem peccatorum propriis operibus, nec iustos esse propter hanc qualemcunque legis observationem coram Deo, et constanter reiiciantur Pelagii et monachorum falsae opiniones, quae doctrinam Ecclesiae corruperunt, et finxerunt homines mereri remissionem peccatorum, et iustos esse hac disciplina, seu qualicunque legis impletione, quam efficere homines possunt.

Diserte autem addit Paulus haec verba: *Coram Deo*, ut moneat se de iudicio *Dei* loqui, non de humano iudicio. Non tollitur ira Dei nostris operibus, nec meretur remissionem peccatorum haec nostra iusticia, nec satisfacit legi Dei, sicut et Psalmus inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Per legem enim agnitio peccati.

Occupatio est breviter inserta de usu legis, de quo postea cap. 7. copiose dicet. Poterat enim quaeri: Si non prodest lex ad iustitiam, cur data est? Certe legumlatores ideo proponunt leges, ut Cives faciant meliores, et eos qui obediunt, nominant iustos, id est, approbant.

Huic quaestioni respondet: Imo, inquit, lex divina extat, ut sit testimonium iudicii Dei, monstrans quae sint peccata in genere humano. Haec sapientia dissimilis est politicae sapientiae, quia verum est in imperiis condi leges, non solum ut monstrent peccata, sed ut tollant, videlicet externa scelera. Sed lex divina prohibet interiorem immunditiem. Hanc iudicat et accusat coram Deo, non tollit. Ideo haec Paulina dicta nequaquam miscenda sunt politicae sapientiae. Longe alia res hic agitur, scilicet, An ira Dei nostris operibus, seu lege tollatur.

Sciendum est autem tres esse legis usus, quos usitate sic discernimus ad commonefaciendos iuniores.

Primus usus est politicus seu paedagogicus, qui est noticia legis, regens seu metu seu qualicunque adsuefactione externa membra, ut actiones externae non pugnent cum lege: ut quia cogitat civis praeceptum, Non occides, et metuit poenam, hac cogitatione ciet nervos, ut manus reprimant, ne interficiant inimicum, etiamsi odit. Hanc disciplinam seu locomotivae gubernationem necessariam esse etiam in non renatis, saepe dicimus, et humana voluntas aliquo modo libertatem habet ciendi nervos, ut moveant aut reprimant membra, ut haec in doctrina physica copiose declarantur. Achilles potest imperare nervis, ut manus recondant gladium in vaginam. Et haec disciplina est cogitatio in mente et cerebro, quae nervis imperat, ut externa membra sic cieant. Nec est iusticia cordis, nec est impletio legis, sed litera, videlicet, cogitatio quasi picta in cerebro, sic regens externa membra. Clare autem adfirmamus, hanc disciplinam nec mereri remissionem peccatorum, nec iusticiam coram Deo esse. Ideo autem dicimus esse necessariam: quia necesse est Deo obedire, qui et hanc disciplinam omnibus praecipit. Deinde necessaria est ad vitandes poenas corporales in hac vita. Sed de hoc usu Paulus in hac Epistola non loquitur. Alibi hunc usum indicat, cum ait: Lex est bona legitime utenti. Et sunt haec alibi saepe copiosius declarata.

Secundus usus est Iudicium spirituale, de quo inquit Paulus: Lex spiritualis est, id est, iudicium

spirituale, quo Deus ostendit iram adversus peccatum, iudicat et perterrefacit corda, de quo usu dicitur: Lex iram efficit. Item: Aculeus mortis peccatum est, Potentia peccati lex est. Hic usus aliquo modo discitur in vera conversione et contritione, ut cum David inquit: Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Item Ezechias [Esaias]: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. De hoc usu et hic ait Paulus: Per legem cognitio peccati, et infra Capite septimo haec prolixe declarat. Nec sunt confundendae sententiae de hoc spirituali iudicio, cum politica sapientia, quae habet suas metas, quas etiam recte cognosci oportet.

Tertius usus est in renatis docere et testificari, qualis sit ipse Deus, videlicet sapiens, verax, beneficus, iustus, aequalis, castus, postulans conformitatem in nobis, et quales cultus, quae opera ipsi placeant. Quomodo autem placeat incoata obedientia propter mediatorem in credentibus, postea dicetur.

Nunc vero sine lege iusticia Dei manifestata est.

Ut postea planior sit enarratio, primum refutabo Osiandri errorem. Osiander intelligit iusticiam Dei ipsum Deum habitantem in renato, et moventem eum, ut iusta faciat. Ita re ipsa docet hominem novitate et operibus iustum esse. Sed pro effectu nominat causam, ipsum Deum. Etsi autem multa miscet, et quaedam velut consulto ambiguis involucris obscurat, et sua quadam grandiloquentia, in qua multa sunt θαύματα ῥημάτων, tonat: Summa tamen dogmatis eius, et status, et ut ita dicam, arx est, hominem esse novitate et operibus iustum, sicut et Paptistae contendunt.

Primum autem consideres, quid mali sit in ista imaginatione. In veris doloribus et sensu irae Dei quaerit homo, non qualis in ipso novitas sit, imo cernit suam immunditiem, et molem peccati, iuxta dictum: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hic docet ubique vox Evangelii, primum oportere accipi remissionem peccatorum et reconciliationem fide propter mediatorem, gratis, non propter nostram dignitatem, et sic oportere homines accedere ad Deum fiducia mediatoris. Et sint in conspectu illustria testimonia, ut Acto. 10.: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius etc. Et Daniel: Non in iusticia nostra.

Ephes. 3.: Per quem audemus accedere confidenter per fidem in ipsum.

1. Iohan. 1.: Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.

Rom. 5.: Iustificati sanguine eius.

Item: Reconciliati per mortem eius.

Psalm. 6.: Eripe animam meam, et salvum me fac propter misericordiam tuam.

Psalm. 31.: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

Dixi confitebor etc.

Haec et similia dicta ostendunt nos in hac vita afferre ad Deum peccata, et velle Deum, ut certo statuamus, nos propter filium mediatorem recipi et placere Deo, non propter propriam dignitatem aut novitatem. Sic accedunt ad Deum omnes Prophetae, quorum dicta intuens, certus eris, te non errare, sic accedentem ad Deum.

Hanc doctrinam et consolationem obruit Osiander, negans hominem iustum esse fide propter mediatorem, sed contendens hominem iustum esse propter Deum inhabitantem, seu, ut ipse loquitur, iusticiam essentialem, quae efficit nos iusta facere. Praeterea, si fingit, ut loquitur, Neronem habere remissionem, sed ideo damnatum esse, quia non habet iusticiam essentialem, horribilis impietas est. Nam distractio remissionis et iustificationis manifeste pugnat cum scriptura, iuxta dictum: Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum.

Hanc praemonitionem de Osiandri errore cogitantes, postea facilius intelligemus vocabula. Cum igitur Paulus hic dicit: Sine lege iusticia Dei manifestata est, intelligit iusticiam promissam propter mediatorem, qua nos Deus recipit, et iustos pronunciat propter filium. Simul autem credentes per filium vivificat, et a morte aeterna liberat, et nititur fides obedientia mediatoris, non inhabitatione, seu iusticia essentiali, efficiente nos iusta facere: imo obedientia mediatoris in infinitum anteferenda est actionibus, quae fiunt in renato.

Manifestum est in politicis sermonibus vocabulum iusticiae habere has duas significationes.

Alias significat iusticiam universalem, quae est obedientia erga omnes leges, seu congruentia cum omnibus legibus, quae sunt radii sapientiae Dei discernentis recta et non recta. Ut cum Ari-

stides nominatur iustus, intelligitur vir nullius criminis reus, sed obediens omnibus legibus in externa disciplina. Sic usitate dicitur de iusticia universali.

Iusticia in sese virtutes continet omnes.

Et apud Horatium: Iustum et tenacem propositi virum, Non vultus instantis tyranni mente quatit solida, Si fractus illabatur urbis, impavidum ferient ruinae.

Alias significat iusticiam particularem, quae est aequalitatem in contractibus servare, ut Mecaenas in emtionibus iustus est, etiamsi in voluptatibus non servat modum.

Hae sunt significationes legi convenientes, quare et Prophetae et Apostoli, cum legis more de operibus loquuntur, incurrunt in has significationes, ut Psalmus de universali loquitur: Feci iudicium et iusticiam, et Ioannes: Qui facit iusticiam, iustus est. Interdum de particulari iusticia dicitur, ut Psalm. 7.: Iudica me Domine secundum iusticiam meam, scilicet particularem, hoc est, secundum hanc causam iustam, in qua Saul me falso criminatur, quod sim seditiosus, et velim eum ex regno excutere, Tu sis testis, me non habere hanc iniusticiam.

Aliud est loqui de iusticia personae coram Deo, id est, de acceptatione personae: sed Persona fide iusta seu accepta, postea dicitur habere bonam conscientiam, et petere a Deo auxilium et defensionem in causa bona. Hic intelligi potest, quantum referat vocabulum iusticiae ibi recte intelligi de particulari iusticia. Genesis 30.: Cras respondebit mihi iusticia mea, scilicet particularis, quod iuste mercedem postulem. Matth. 3.: Decet nos implere omnem iusticiam, scilicet particularem suae cuiusque vocationis, me meam, te tuam.

Est et illa legalis definitio, complectens universalem et particularem iusticiam: *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετ' ἰσότητος.* Prior pars loquitur de novitate, qua Deus lucet in renatis, et accendit fidem, timorem, et alias virtutes. Secunda pars loquitur de operibus secundae tabulae, quae concionatur de aequalitate erga proximum, ut dicitur: Diligas proximum tuum sicut te ipsum. Item: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Sed intelligatur aequalitas ordinata lege Dei, iuxta haec dicta: Non moechaberis, Non furtum facies.

Sed cogita Davidem, qui cum obiurgatur a Nathan, sentiens iram Dei, et videns ingentem molem peccatorum, adulterii, homicidii, et horribilium scandalorum, fugit Deum, et luctatur cum morte. Hic non disputat, quas virtutes habeat, et videt se non habere iusticiam essentialem. De hoc agone loquitur Paulus, inquiens: Omnes peccaverunt, id est, omnes sunt rei, et carent gloria Dei, id est, luce Dei fulgente in natura incorrupta, seu ipso Deo carent, ostendente se et accendente ardentem dilectionem, et alios motus legi congruentes, sine ullo peccato. Cum enim Paulus nominat Gloriam Dei, loquitur de illa luce: et mihi non displicet effectum et causam complecti, ut cum dicitur: Erit Deus omnia in omnibus. Inquit autem Paulus, omnes esse immundos et reos coram Deo.

Cum igitur David in hoc sensu irae Dei quaerit iusticiam, quid offert promissio et vox Evangelii? Non ait eum iustum esse impletione legis, sed monstrat beneficia mediatoris, remissionem peccatorum et reconciliationem gratuitam, seu imputationem iusticiae propter mediatorem, cum qua simul fit vivificatio, cum credit se propter obedientiam mediatoris recipi.

Quibuscunque igitur verbis uti velis, necesse est complecti remissionem peccatorum, reconciliationem, seu imputationem iusticiae propter mediatorem. Nam his verbis expresse utitur Paulus, et quaerit David, non quae virtutes in eo habitent, aut qualis sit inhabitatio in ipso iusticiae essentialis, sed quomodo accipiat remissionem peccatorum et reconciliationem, quomodo placeat, et sit acceptus Deo. Has relationes necesse est complecti, quibuscunque tandem verbis uti voles.

Cum igitur considerabimus veram conversionem, facilius intelligemus, quid Paulus nominet Iusticiam, seu Iustificationem. Nihil dubium est, doceri hoc loco, quomodo homo sit iustus coram Deo, cum tamen nostra natura sit immunda, oppressa mole peccatorum, et rea. Hic inquit Paulus Rom. 3.: Iustificamur gratis, per redemtionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per sanguinem ipsius. Item Rom. 5.: Iustificati sanguine eius. Item: Reconciliati Deo per mortem filii.

Cum igitur iustificatio sit acceptio remissionis peccatorum et reconciliationis, seu acceptationis coram Deo, per fidem in mediatorem, in

qua simul fit vivificatio per filium: complecti omnia beneficia Messiae necesse est, nec divellenda est remissio a praesenti conversione, sicut Osiander fingit, Neroni remissa esse peccata, sed damnari eum, quia non habeat iusticiam essentialem. Horresco haec referens, et valde doleo, tales sermones repetendos esse, contra quos tenendae sunt hae sententiae: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnes qui credunt in eum etc. Item: Qui non credit in filium, manet ira Dei super eum. Non igitur divellenda est remissio peccatorum a iustificatione.

Cum igitur nominat Paulus hoc loco iusticiam, inquiens: Sine lege iusticia Dei apparuit, manifestum est, complectenda esse omnia beneficia mediatoris, remissionem peccatorum, reconciliationem, seu imputationem iusticiae et vivificationem. Loquitur enim Paulus de iusticia propter mediatorem promissa.

Rom. 4. Nominat Paulus imputationem iusticiae, vult enim discerni iusticiam, quae est nostra legis impletio, ab hac iusticia, quae est acceptatio propter mediatorem, cum non habeamus integram legis impletionem. Manifestum est enim, vocabulo imputationis significari relationem, ut alibi usitate vox illa, quae ibi in Genesi ponitur, cogitationem significat, Genesis 50.: Vos cogitastis adversus me malum, Dominus cogitavit hoc ad bonum. Haec cogitatio est acceptatio, quae voce Evangelii annunciatur, et fide accipitur. Et relative intelligendum esse vocabulum imputationis, ostendit mox eodem loco Paulus, dicens: David dicit beatitudinem hominis esse, cui Deus imputat iusticiam sine operibus, et addit: Beati quorum remissae sunt iniquitates, id est, Persona sic recipitur afferens ad Deum non propriam iusticiam, aut iusticiam essentialem, sed in sensu irae Dei contra peccata confugiens ad mediatorem, et credens propter mediatorem sibi remitti peccata, et imputari iusticiam, et quasi vestri nos insticia mediatoris. Haec est simplex Psalmi et Pauli sententia.

Cum igitur Paulus hoc loco inquit: Iusticia Dei manifestatur, non intelligenda est phrasis de iusticia eius essentiali, ut si dicas: Iusticia iudicis Aureliani cernitur in poena militis, qui vi stupraverat hospitam. Haec phrasis legalis huc non pertinet, sed hoc loco iusticia Dei simplicissime intelligatur iusticia promissa propter mediatorem.

Haec forma loquendi mihi quidem simplicissima videtur, ut sit iusticia Dei, qua Deus nos iustificat, seu qua nos iustos pronunciat, id est, acceptos ad vitam aeternam, quae iusticia cum fide accipitur, simul fit vivificatio, iuxta haec dicta: Iustus ex fide sua vivet. Item: Iustificati fide pacem habemus. Item: Qui habet filium, habet vitam. Nam habere filium, est fide accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, et imputationem iusticiae, propter mediatorem, et vivificari per eum.

Sine lege.

Quomodo haec congruunt: Iusticia Dei sine lege manifestata est, cum lex re ipsa sit sapientia et iusticia in Deo, nobis patefacta, et postulans conformitatem? Quomodo igitur manifestari potest sine lege? Certe iusticia essentialis non est sine lege, sed est re ipsa sapientia et iusticia legis in Deo.

Refutant igitur Osiandrum et haec verba: Iusticia sine lege. Quia hic intelligitur iusticia promissa propter mediatorem, et imputata nobis, etiamsi legis iusticia non est in nobis, et legi valde dissimiles sumus.

David clamat: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Videt se dissimilem esse legi, recipi autem se et iustum, id est, acceptum esse propter mediatorem. Annunciat igitur promissio gratiae, seu Evangelii iusticiam aliam, quae non est iusticia legis, nec datur propter legem, nec propter nostra opera, nec propter qualitates et virtutes nostras.

Haeret in hoc loco Origenes, nec potest eluctari, disputans, quomodo iusticia Evangelii manifestata sit sine lege: sed error in principio parit deinde alios multos errores. Densissimae tenebrae sunt in mentibus humanis de lege Dei, de peccato. Imaginantur homines legi Dei satisfieri qualicunque externa disciplina, et peccata tantum esse externa scelera. Itaque cum non consideret Origenes, quanta res sit lex Dei, quam procul absit haec misera natura ab illa conformitate cum Deo, de qua lex concionatur, et quantum malum sit peccatum, nec recte discernat legem et Evangelium, delabitur ad has hallucinationes, Evangelium esse novam legem, et iusticiam Evangelii esse opera, quae praecipiuntur in

dictis legalibus, quae passim recitantur a Christo et Apostolis.

Hae imaginationes prorsus alienae sunt a Paulo, qui ideo discernit iusticiam Dei a lege, quia legis iusticiam, id est, impletionem integram haec natura non potest habere, sicut infra dicitur: Caro legi Dei ne potest quidem subiici. Alia igitur iusticia in promissione gratiae manifestata est, scilicet remissio et reconciliatio, seu imputatio iusticiae et vivificatio propter mediatorem, et per eum. Ac haec bona dantur gratis credenti in mediatorem, non propter legem: et sine lege, quia haec natura hominum in hac vita dissimilis est legi, nec pendet reconciliatio ex hac conditione: Si nos legem impleamus: sicut legales promissiones pendent ex conditione impletae legis, Qui fecerit ea, vivet in eis.

Ecclesia non gignit novam doctrinam, sed in ministerio propagatrix est vocis acceptae a Deo, nec addere quidquam, nec mutilare eam velit. Cum autem sit discipula vocis divinae, retinere etiam debet nativam significationem verborum et phrasis. Usitata est autem sophistica in omnibus corruptelis, affingere dictis propheticis et apostolicis alienas significationes.

Ut Samosatenus *λόγον* interpretatur propositum seu decretum in Deo, de salvandis hominibus, non *λόγον ὑφιστάμενον*, qui adsumserit humanam naturam.

Pelagius gratiam interpretabatur ipsam legem, quia etiam beneficium Dei est.

Origenes, et alii multi in dicto: Iusticia Dei revelata est sine lege, fecit perniciosam mutilationem: Sine lege, scilicet ceremoniali et iudicali, nec interpretatur Paulum de tota lege, cum quidem manifeste loquatur de omnibus partibus legis: Iusticia Dei sine lege revelata est, scilicet morali, ceremoniali et iudiciali.

Nunc Osiander offundit caliginem, interpretans iusticiam Dei, iusticiam essentialem, quae est in Deo, seu quae est ipse Deus. Notum est autem hanc iusticiam in lege revelatam esse, quae ideo tradita est, ut sit testimonium, quod sit Deus, et qualis sit, quod velit nos sibi esse conformes, et destruat omnes non conformes. Postea addunt Osiandrici amplius, ponunt enim iusticiam Dei, esse iusticiam tropicam. Item, Christum iustificare per accidens. Hae impiae voces execrandae sunt.

Et tenenda est refutatio, ut cum dicunt,
Solus Deus est bonus:
Ergo solus Deus est iusticia.

Respondeo ad antecedens: Solus Deus est bonus, scilicet origine, perfectione et causa, id est, fons bonitatis, perfecte bonus, et causa boni in creaturis. Deinde vera est tamen et haec propositio: Vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona, id est, conformia sapientiae Dei, singula suo gradu, sicut condita erant a Deo.

Ac nequaquam dicendum est, Obedientiam Christi tantum tropice iusticiam esse, est enim conformitas summa in mente et voluntate cum aeterno patre, sicut Psalm. 39. dicitur: Deus meus volui, et lex tua in medio cordis mei. Hoc velle in filio, quo se subiicit aeterno patri, honorans eum maiore humilitate, quam ulla creatura, et perfectissime diligens eum, nominatur vere iusticia, Rom. 5., non aliqua figura, seu nominis abusu.

Et horribile mendacium est dicere, Christum per accidens iustificare, cum sit praedicatio proprii effectus de propria causa, ut cum dico: Ignis calefacit, seu calor calefacit.

Alibi dicitur in Paulo: Deus est iustus, et iustificans eum, qui est ex fide Iesu, id est, vere damnans peccatum in omnibus hominibus, iustificans eum, qui est ex fide Iesu, id est, recipiens credentes in filium propter eius obedientiam. Hic utraque per se causa et immutabilis nominatur, Deus iustificat, ut causa efficiens. Et obedientia filii est impulsiva per se causa. Et possent haec dici subtilius, sed fugio nimiam subtilitatem, et moneo iuniores, ut reverenter de tantis rebus loquantur.

Causa per accidens talis est, sine qua res fieri poterat, ut cum dicis, febrim causam per accidens esse temperantiae, poterant etiam ante febrim sine ea frenare manus cogitatio et voluntas: at Christi obedientia sic ordinata est immutabili decreto Dei, ut hoc modo, et non aliter fiat reconciliatio. Non est igitur causa per accidens.

Aliud.

Misericordia iustificat,
Misericordia est essentia Dei:
Ergo essentia Dei iustificat.

Respondeo, Concedo totum *περὶ πρώτου αἰτίου*, ut cum Paulus dicit: Deus est qui iustificat.

Verissimum est enim, Deum esse efficientem causam iustificationis, qui et recipit nos, et vivificat. Sed quaestio est de causa impulsiva, seu formali, ut, an haec propositio sit vera: Sumus iusti, id est, accepti essentia Dei. Aut an illa sit vera: Sumus iusti, id est, accepti obedientia mediatoris. Hic manifestum est Pauli dictum: Propter unius obedientiam iusti constituentur multi. Est ergo efficiens causa *καὶ πρῶτον αἴτιον* Deus recipiens nos. Causa impulsiva seu formalis est obedientia mediatoris.

Declarari autem et refutari argumentum facile potest, commemoratione aliarum proprietatum Dei.

Essentia est omnipotentia,
Item, Deus est ignis consumens:
Ergo ignis consumens iustificat, siquidem essentia iustificat.

Concedendum est argumentum de causa efficiente, Quia idem Deus, qui est omnipotens et iustus, puniens iniustos, iustificat. Sed manet quaestio de causa impulsiva seu formali, quos et quomodo iustificet. Hoc exemplum ostendit confusionem causarum in istis praestigiis.

Aliud.

Iusticia est, quod facit nos iusta facere,
Essentia divina facit nos iusta facere:
Ergo essentia divina est nostra iusticia.

Respondeo simplicissime, et sine contentione. Concedo totum, legaliter loquendo. Sed in hac vita non sumus iusti obedientia legis: ideo in promissione revelata est alia iusticia, scilicet reconciliatio, seu acceptatio propter filium. Quare definitio Osiandrica tantum legalis est. Ac manifeste conspicitur hic Osiandri error, fons enim multarum confusionum est error in definitione. Necesse est igitur opponi definitioni legali aliam propriam Evangelii.

Iusticia est remissio peccatorum, et imputatio propter obedientiam filii Dei, per fidem, qua credimus nos propter filium Deo acceptos esse. Simul autem in hac consolatione, cum vivificamur per filium, datur Spiritus sanctus ad incoandam obedientiam, quae erit consummata in vita aeterna.

Iam igitur repetas argumentum, refutata maiore per aliam definitionem: Iusticia secundum Evangelium est acceptio remissionis peccatorum et imputationis iusticiae per fidem, haec remissio et imputatio fit propter obedientiam filii, non propter essentiam patris, aut Spiritus sancti, Ergo propter obedientiam filii sumus iusti.

Aliud.

Daniel inquit: Adducetur iusticia sempiterna.
Solus Deus est aeternus:
Ergo solus Deus est iusticia.

Respondeo breviter: Si retines in vocabulo Aeternus eandem significationem sine principio et sine fine, concedo totum argumentum, Solum Deum esse aeternam et essentialem iusticiam. Sed Daniel loquitur de iusticia donata hominibus, qui non sunt sine principio. Et simplicissime interpretor Danielem, cum nominat iusticiam sempiternam, de consummato beneficio Christi, ut Esaias de consummato beneficio loquitur, cum ait Cap. 45.: In Domino iustificabitur omne semen Israël. Et in eodem capite: Israël salvatus est in Domino, salute aeterna. In his dictis complectitur Esaias omnia Christi beneficia, et tamen discerni oportet imputationem iusticiae in hac vita, et consummationem iusticiae in vita aeterna.

Nec repugnabo, si quis iusticiam sempiternam intelligat ipsam personam Christi, Deum et hominem, sicut Ieremias locutus est: Vocabitur nomen eius Iehova, iusticia nostra. Ubi etiam vocabulo iusticiae comprehendit omnia beneficia. In hac vita propter obedientiam Christi habemus remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae, et per Christum incoationem novitatis et vitae aeternae, et vivificationem ad vitam aeternam. Et deinde, per eum, resuscitationem, iusticiam, et vitam aeternam: haec simplex interpretatio vera est, nec delectemur praestigiis cavillationum, quales sine fine a sophisticis ingeniis finguntur.

Aliud.

Daniel nominat iusticiam sempiternam.
Remissio peccatorum non est aeterna, ut isti dicunt:
Ergo non est iusticia.

Respondeo. Nego minorem, quia remissio peccatorum intelligenda est de reconciliatione in tota aeternitate, in qua et peccatum ita remissum est, ut totum deleatur, sicut dicitur: O mors, ero mors tua, et o inferne ero pestis tua.

Quanquam, ut antea dixi, concinnius est interpretari iusticiam sempiternam de consummato beneficio, quo comprehenduntur et remissio, et vita aeterna. Et quidem Daniel simul ibi expresse nominat remissionem peccatorum his verbis: Praevaricatio finietur, peccatum obsignabitur, id est, claudetur, ne nos accuset, et propiciatio fiet pro iniquitate. Ac deinde sequitur: Adducetur iusticia sempiterna, quae significat remissionem, de qua prius dixerat, non tantum esse praesentis vitae bonum, sed initium esse aeternae salutis et vitae. Loquitur ergo de consummato beneficio. Ac manifestum est, nomen aeternae iusticiae opponi iusticiae operum, quae desinit cum hac corporali vita.

Testimonium habens in lege et Prophetis.

Diximus iusticiam Dei hoc loco necessario intelligi promissam propter mediatorem: hanc ait nunc in Evangelio manifeste praedicari.

Sed posset obiici: Cum semper fuerit Ecclesia, necesse est hanc iusticiam et Patribus et Prophetis notam fuisse: et regula vera est, Primum quodque verissimum est.

Huic obiectioni, ut occurrat, vel occupationi, inserit haec verba, quibus adfirmat non solum notam fuisse hanc iusticiam promissam propter mediatorem, sed ideo Prophetas omnes missos esse, et confirmatam eorum vocationem illustribus miraculis, ut de hac promissione testes essent, sicut Petrus inquit: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent. Emphasis igitur in hoc loco in vocabulo testimonii consideretur, et inde usque ab initio Patrum et Prophetarum doctrinam vocationes et miracula intueamur.

Primum ad Adam edita est promissio: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Postea ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et Iacob inquit: Non auferetur sceptrum a Iuda, donec venerit Siloh, et ad hunc gentes congregabuntur. Et Deut. 18.: Prophetam suscitabo eis ex fratribus meis, similem tui.

Deinde in Psalmis et omnium Prophetarum scriptis magis perspicua testimonia sunt, ut Esaiae 53.: Agnitio servi mei iusti iustificabit multos. Et Danielis 9.: Adducetur iusticia sempiterna et finietur praevaricatio, et fiet propiciatio pro peccato, et ungetur Sanctus Sanctorum. Manifestum est igitur recte dici a Paulo, extare testimonia de hac iusticia, quam adducet Messias.

Sed cur dicit: In lege? Osiander non vult intelligi librum Moisi et scripta Prophetarum, sed proprie legem: sit ita sane. Nam et victimae in lege significabant victimam filium Dei, et Paulus inquit: Finis legis est Christus, quod non de ceremoniis tantum dicitur, sed de lege morali quoque. Ideo lex moralis promulgata est, ut arguat peccatum, et ostendat omnes homines reos esse, ut Paulus inquit: Conclusit omnes sub peccatum. Est igitur lex testimonium, quod non simus iusti legi. Quare necesse est esse mediatorem et propiciatorem, propter quem detur remissio peccatorum, Et cum lex non sit frustra lata, necesse est restitui naturam, ut fiat lex. Ita Christus est finis legis, scilicet, dans reconciliationem, postquam lex iram ostendit, quia Deus non vult nos in morte manere, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris. Est et restitutor legis Christus, cum resuscitat et dat vitam aeternam, in qua Deus erit omnia in omnibus.

Simul autem refutat Paulus stultum et perniciosum errorem illorum, qui finxerunt, ordine in genere humano tres fuisse leges, Legem naturae, Mosaicam et evangelicam. Et homines salvatos esse quolibet tempore operibus legum sui temporis.

Hae stultae imaginationes inde ortae sunt, quod discrimen legis et Evangelii ignotum fuit. Necesse est igitur, notissimam esse vocem Pauli, Iusticia Dei, videlicet promissa propter mediatorem, sine lege manifestata est, sed testimonia habet prophetica omnibus temporibus, videlicet in promissione gratiae, tradita Adae et Abrahae. Sicut autem una et eadem est sapientia in Deo discernens recta, et non recta. Sic in omni aeternitate eadem est lex moralis, quae in Ecclesia omnibus temporibus repetita est, non tunc primum doceri coepit, cum in monte Sinai inter magna miracula recitata est.

Rursus etiam sciendum est, unicam esse promissionem gratiae, quae statim, cum Adam et Eva reciperentur, prolata est ex sinu aeterni patris per filium: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Haec promissio postea voce Prophetarum et in Evangelio repetita et illustrata est. Nec patres fuerunt iusti propter legem, sed sola fide promissae misericordiae propter mediatorem, sicut expresse inquit Petrus in Actis: Per gratiam

Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, sicut et illi. Et Dominus inquit: Abraham vidit diem meum, et laetatus est.

Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes.

In qualibet disputatione necesse est maxime intentum esse in controversiae statum et principalem propositionem. Sciant igitur iuniores, hoc loco tradi principalem propositionem de iustificatione. Obiter autem repetit Paulus aliam antecedentem propositionem paulo ante recitatam: Totus mundus est reus Deo. Ita hic inquit: Omnes peccaverunt, et carent gloria Dei, ubi prorsus idem dicitur, quod ante dictum est: Omnes homines natos in hac depravatione naturae habere peccatum, et reos esse coram Deo. Et neque fieri neque esse iustos lege, sicut Psalmus inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo etc. Ita hic dicitur: Omnes peccaverunt, id est, habent peccatum, et sunt rei (Nota sit enim phrasis Ebraea). Et carent gloria Dei, id est, Deo ipso lucente in eis, qui vere est gloria, id est, lux, sapientia, iusticia, vita aeterna et laetitia aeterna. Et communicans sese beatis, facit ut in eis luceat ipsius lux, sapientia, iusticia, vita aeterna et laetitia; sicut dicitur: Deus erit omnia in omnibus.

Haec interpretatio hoc loco quadrat, quia hic affirmatur, quod in nobis non sit illa iusticia, quae est gloria coram Deo, id est, res optima, propter quam Deus hominem diligeret, et non destrueret. Intelligatur ergo gloria, vel ipse Deus sese nobis communicans, vel conformitas cum Deo lucente in nobis. Nam haec interitura vita et haec iusticia operum, quantacunque est, non est gloria coram Deo, id est, res talis, propter quam Deus diligat hominem, et non destruat. Etiamsi est excellens gloria coram hominibus iusticia Solonis, aut Aristidis, tamen non tribuit ei vitam aeternam.

Longae sunt disputationes aliorum de hac phrasi: Carent gloria Dei, sed sententia non est obscura. Paulus affirmat deesse hanc iusticiam in hominum natura, quae est integra conformitas cum Deo, sine peccato et sine morte.

Diligenter autem observanda est universalis particula in utraque propositione, in praedicatione poenitentiae et promissione gratiae: Damnantur omnes homines nati in hac corruptione naturae, ut inquit: Omnes carent gloria Dei, non est distinctio. Postea et de promissione inculcabit particulam universalem. Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, et super omnes. Iusticia Dei, id est, quam Deus promisit propter mediatorem ignotam rationi, quae non est iusticia legis, seu operum, sed est remissio peccatorum et reconciliatio, et imputatio iusticiae, seu acceptatio propter mediatoris obedientiam, cum qua reconciliatione coniuncta est vivificatio, quae fit per ipsum filium Dei, cum fide apprehendimus verbum Evangelii. Hanc iusticiam ait offerri omnibus, sicut alibi saepe inculcat universalem.

Cap. 10. Dives Deus in omnes, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Et Cap. 11. Conclusit Deus omnes sub peccatum etc.

Et Dominus inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis etc.

Item: Deus vult omnes homines salvos fieri.

Et Esai. 42.: Non accipiet personam.

53.: Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum.

Haec universalia dicta de promissione teneamus et opponamus tentationi de particularitate, cum disputant mentes, an sint in numero electorum? ab hac disputatione ad revelatam Dei voluntatem in Evangelio deducamur, et credamus expresso verbo Dei, et nos in universalem promissionem includamus, sciamus eam ad nos quoque pertinere, sciamus filium Dei veracem nuncium esse, per quem prolata est promissio ex sinu aeterni patris, nec fingamus de eadem re contradictorias voluntates in Deo, quia Deus verax est. Hanc consolationem sumtam ex verbo expresso teneamus, nec nos ipsos inextricabilibus labyrinthis disputationum implicemus, quae fidem evertunt, ac multo magis luctemur cum nostra imbecillitate, et ei promissionem universalem opponamus, cui assentiamur, et simul petamus nos confirmari, sicut ille inquit: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae, nec indulgeamus nostrae diffidentiae. Hanc admonitionem utilem esse manifestum est.

Iustificamur autem Gratis.

Haec tota periodus, quae sequitur, est principalis propositio et status in hac disputatione Pauli, ac multae circumstantiae hic intexuntur. Sit autem nota phrasis Iustificamur, id est, ex reis pronunciamur non rei, donamur remissione

peccatorum, reconciliatione seu imputatione iusticiae, cum qua coniuncta est vivificatio, quae fit per ipsum filium Dei, cum fide verbum vocale accipimus, cum quo vere est efficax filius Dei, ut dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Etsi enim necesse est retineri in vocabulo iustificationis relationem, scilicet remissionem peccatorum et reconciliationem, seu imputationem iusticiae, propter mediatorem, tamen sciri oportet simul fieri vivificationem fide, cum filius dicit consolationem in cordibus per verbum vocale, et ostendit hanc esse voluntatem aeterni patris, et dat Spiritum sanctum, sicut Esai. 38. dulcissime dicitur, ubi vera conversio describitur. Cum dixisset Ezechias de terroribus seu contritione: Sicut leo contrivit omnia ossa mea: postea addit de consolatione, Corripies me et vivificabis me, tu autem eruisti animam meam, ut non periret, Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Ita universaliter de conversione concionatur vox divina in scriptura, et duos motus coniungit, Pavores et consolationem, quae fit fide, id est, agnitione et fiducia filii Dei, iuxta dictum: Noticia servi mei iusti iustificabit multos.

Nec fingimus iustificationem, quae sit otiosa cogitatio de remissione, sed dicimus hos motus divinitus fieri in homine, cum arguitur peccatum voce ministerii, quod docet, quae sint peccata, mentione legis et Evangelii arguentis incredulitatem, iuxta dictum: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me: sentiunt homines iram Dei. Et in hoc sensu irae Dei, cum vox Evangelii ostendit filium mediatorem, et offert remissionem peccatorum, hac voce filius Dei colligens Ecclesiam simul immediate est efficax, ut corda incipiant credere, et se sustentent, agnita misericordia propter filium promissa, in ea consolatione vivificat corda, ne opprimantur doloribus inferorum.

Ita aspiciamus veram conversionem, seu poenitentiam, et Pauli doctrinam ad usum transferamus, in quo fiet illustrior. Simul autem et phrasis consideretur. Quanqam sunt in conversione plures motus, tamen vocabulum iustificari, significat haud dubie accipere remissionem, reconciliationem, ac imputationem iusticiae. Hanc autem cum accipimus, simul vivificamur. Ideo Ezechias haec duo coniunxit: Proiecisti post tergum omnia peccata mea. Hoc de remissione, reconciliatione, et imputatione iusticiae dictum est, illud de vivificatione dixit: Eripuisti animam meam, ne periret.

Sequitur particula exclusiva, Gratis, quae excludit nostra merita, et tamen causa reconciliationis mox addita est, scilicet, per gratiam ipsius, id est, per misericordiam, ut ad Ephesios inquit: Dilecti in dilecto. Et postea sequitur, mirando consilio temperatam esse misericordiae iusticiam. Remittit Deus per misericordiam, sed ita, ut servari tamen ordinem iusticiae velit.

Omnis lex obligat, vel ad obedientiam, vel ad poenam. Postquam igitur homines facti sunt rei, offert se filius ad poenam, quae valet pro aliis, quia ipse et innocens est et vere diligitur. Hoc mirandum consilium et temperamentum misericordiae et iusticiae in tota aeternitate contemplabimur in Deo, et de eo filium Dei nos docentem audiemus, et celebrabimus hoc mirandum foedus, copulationem divinae et humanae naturae, et Deo gratias agemus. Incoari tamen has cogitationes in hac vita necesse sst.

Assiduo consideremus, quanta res sit, quod divina persona se demittit, et assumit massam nostrae naturae, quantus amor sit in filio erga nos, quanta misericordia aeterni patris, quod filium mittit, quam pretiosa sit haec obedientia in filio, quae horribilibus sceleribus omnium hominum anteferenda est, iuxta dictum: Gratia exuberat supra delictum.

Cogitandae sunt causae, quare filius missus sit, et quare copulatae sint in Messia natura divina et humana, et quod Messias non tantum sit victima, sed quod filius missus sit ab initio, ut Ecclesiam colliga, et in ea sit efficax, sicut inquit: Ego vitam aeternam do eis. Item: Nemo novit patrem, nisi filius, et cui filius volet revelare. Sint autem in conspectu causae copulationis divinae et humanae naturae.

1. Nisi factum esset decretum, ut filius assumeret massam generis humani, tota natura humana mox funditus deleta esset. Servata est autem, ut hic filius nasceretur, et deinde inserti ei credentes rursus per eum vivificarentur.

2. Cum genus humanum peccaverit, congruebat, ut poenam lueret aliquis in genere humano. Ideo filius intercessor assumsit humanam naturam, ut Psalmo secundo dicitur: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam.

3. Nullius creatura robur tantum est, ut sustinere tantam iram potuerit, ideo hic Redemtor Deus est.

4. Ut pretium esset aequale, redemtor est Deus, ideo cogitandum est meritum filii mediatoris in infinitum longe antecellere omnibus omnium peccatis.

5. Creatura non est vivificatrix, sed ut Ioannis primo scriptum est: In ipso erat vita ideo hic redemtor est omnipotens, ut vincat mortem, et restituat humanae naturae vitam: sicut initio in creatione λόγος immediate fuit vivificator, ita et nunc est vivificator.

6. Hic mediator assidue interpellat pro Ecclesia, filius autem videt arcanum pectus patris, sicut inquit: Nemo novit patrem, nisi filius, et cui filius volet revelare.

Hic salvator assidue adest Ecclesiae, exaudit eam, servat, protegit, reddit vitam aeternam, sicut inquit: Ego vitam aeternam do eis. Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere. Item: Sedet ad dextram aeterni patris dans dona hominibus. Haec autem sunt proprie omnipotentis naturae.

Haec attente consideranda sunt in quotidiana invocatioe, ut in propheticis scriptis invocatio Messiae est illustre et firmum testimonium, quod ostendit eum esse natura Deum et omnipotentem, iuxta dicta, Psal. 72.: Et adorabunt eum omnes reges terrae. Et apud Ieremiam: Vocabunt eum, Deus iusticia nostra, id est, invocabunt, et invocatione confitebuntur esse Deum iusticiam nostram. Sic ipse nos ad sese vocat: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Cum igitur fit mentio particulae Gratis, primum sciamus excludi omnia merita nostra, et non solum opera ceremonialia, sed etiam operibus decalogi detrahi meritum, et simul sciamus constitutum esse meritum filii Dei, propter quod solum recipiuntur omnes in conversione, qui credunt in filium, et id tam magnum est, ut longe vincat omnia omnium peccata. Ut igitur latro in cruce, mulier peccatrix, Manasses, et alii, propter mediatorem gratis recipiuntur fide, et simul vivificantur per filium dato Spiritu sancto, et fiunt haeredes vitae aeternae: sic et Ioseph et Daniel Gratis per misericordiam propter mediatorem recipiuntur fide, et simul vivificantur per filium dato Spiritu sancto, et fiunt haeredes vitae aeternae. Haec exaequatio et opponenda est superbiae, sicut dicitur: Totus mundus reus sit Deo, et consolatio firma est omnibus, qui aliquo modo sentiunt molem suorum peccatorum. Ideo Dominus inquit Lucae 5.: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.

Huc pertinet et parabolae de filio prodigo, item de ove quae fuerat amissa, et hoc dictum: Maius gaudium est coelo de uno peccatore. 1. Timoth. 1. Certus est sermo, et omni acceptione dignus, quod Iesus Christus venerit in mundum, peccatores salvos facere etc.

Semper autem in conspectu sint hae quatuor causae, propter quas necesse est retinere exclusivam.

Prima, quae est principalis, ut debitus honos filio Dei tribuatur: quod sola ipsius obedientia sit pretium et meritum pro peccatis hominum, non ullius hominis opera. Ideo dictum est in Psalmo 39.: Holocaustum et hostiam pro peccato non postulasti. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam. Item, unica oblatione consummavit sanctos.

Secunda causa, ut conscientiae habeant firmam consolationem: quia, si remissio peccatorum penderet ex conditione nostrae dignitatis, fieret incerta, inquit igitur Paulus: Ideo ex fide, Gratis, ut sit firma promissio.

Tertia causa, ut possit invocatio fieri fiducia filii Dei, non fiducia nostrorum meritorum, iuxta haec dicta: Quomodo invocabunt, nisi credent. Item: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est, id agnitione et fiducia mei, dabit vobis. Donec enim corda fugiunt Deum, et retinent iram et fremitus adversus eum, non fit vera invocatio.

Quarta causa, ut sit conspectius discrimen legis et Evangelii. Habet lex suas promissiones, sed nequaquam gratuitas, ut dicitur: Quia fecerit ea, vivet in eis. At particula, Gratis propter filium Dei, manifeste discernit Evangelium a lege.

Haec simplicissima elementa doctrinae in Ecclesia necesse est omnibus familiarissime nota esse. Quare, cum hoc loco Paulus expresse particulam Gratis posuerit, breviter hanc sententiam repetivimus. Et in eandem sententiam dicitur in Ecclesiis nostris: Sola fide iustificamur, id est, agnitione et fiducia solius filii Dei statuente, quod

propter eum nobis dentur remissio peccatorum, et reconciliatio et vivificatio per ipsum, dato Spiritu sancto, et haereditas vitae aeternae.

Certissimum ast autem, dato Spiritu sancto multas virtutes simul incoari, iuxta dictum: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Et tamen propositio vera est: Sola fide Paulus est iustus, quia propter mediatorem placet fide, non propter propriam dignitatem seu novitatem. Particula ergo, Gratis, non excludit caeteras virtutes, ne adsint, sed excludit conditionem meriti seu dignitatis nostrae, ut usitate dicimus: Etiamsi multae virtutes simul sunt, tamen non sunt causae, vel meritum remissionis peccatorum, seu iustificationis et acceptationis ad vitam aeternam.

Haec recte intellecta illustrant promissionem et beneficia Christi, et afferunt piis consolationem, et accendunt veram invocationem, qua accedimus ad Deum fiducia filii mediatoris.

Hic iuniores monendi sunt de corruptela vocabuli Gratiae, quod interpretati sunt monachi de qualitatibus infusis, ut ipsi loquuntur, cum hic sine ulla dubitatione significet gratuitam misericordiam. Ac suo loco alibi de usu vocabuli proxilius dictum est.

Per redemtionem, quae est in Christo Iesu.

Cum antea dixisset, gratuitam esse misericordiam, mox addit commemorationem de mediatore, ut intelligamus excludi nostra merita, et non meritum filii Dei, sed in illo arcano decreto de generis humani restitutione mirando consilio temperatam esse misericordiae iusticiam.

Immensae misericordiae est, quod divinitas non vult perire in totam aeternitatem genus humanum, sicut in tota aeternitate abiecit diabolos: sed tamen ut iusticiae quoque Dei satisfieret pro nostro peccato, ordinata est poena, quae est obedientia mediatoris innocentis: haec est meritum et pretium, propter quod et peccata nostra remittuntur, et nos Deo placemus seu accepti sumus, cum fide nobis applicatur, ut mox Paulus de fide dicit. Et quatuor opera immensae misericordiae concurrunt, videlicet, quod recipimur propter filium, et ut recipi possimus liberrime mittitur filius, constituitur mediator et propiciator, et idem filius efficax est, profert Evangelium, colligit Ecclesiam, vivificat credentes, postea resuscitat ad vitam aeternam.

Horum mirabilium consiliorum, et operum causas, et motum in tota aeternitate contemplabimur in Deo: nunc, ut infantes et lactentes, utcunque initia huius doctrinae cogitanda sunt, agnoscenda ingentia beneficia Dei, et accipienda fide, et gratiae agendae sunt Deo mittenti filium, et filio passo pro nobis et resuscitato, ac colligenti aeternam Ecclesiam, et doceri et confirmari nos petamus, clamemus adsidue: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae. Ac saepe repetatur cogitatione argumentum primorum parentum, qui post lapsum ante editam promissionem in sensu irae Dei sic ratiocinabantur:

Iusticia Dei est immutabilis,
Nos sumus rei:
Ergo destructio est immutabilis.

Huius argumenti solutionem nulla creatura norat, sed filius Dei intercedens pro nobis, et sese offerens ad poenam, profert et ostendit huius argumenti solutionem, et docet quomodo congruant misericordia et iusticia. Haec pie et reverenter cogitanda sunt, Ut quantum malum sit peccatum, consideremus: rursus etiam, ut beneficia Dei magnifaciamus.

Quem constituit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius.

Intelligatur ergo in appellatione propiciatoris, offerens pro nobis sua merita, et persolvens poenam, et applicans sua merita nobis, sicut ipse Dominus inquit: Ego me pro eis sanctifico. Haec proprietas propria huius personae, quae sola constituta est, ut sit mediatrix, comprehenditur in omnibus his appellationibus mediatoris, summi sacerdotis, propiciatoris et redemtoris, nec transferendus est hic honos in ullos alios homines aut angelos, et tota haec doctrina fit illistrior, collata huc definitione summi sacerdotis, quae traditur in Epistola ad Ebraeos.

Summus sacerdos, et filius Dei, immediate ab aeterno patre missus, et ordinatus ad proferendum Evangelium et ad offerendam suam mortem, ut esset placatio irae patris, et pretium pro aliis persolvendum iusticiae divinae, et semper intercedens pro nobis, et habens promissionem, quod certo exaudiatur.

Haec definitio, et tota doctrina de sacerdotio Christi, plena est dulcissimarum consolationum, et quotidie cogitanda.

Addidit autem Paulus hoc loco singulari consilio hanc particulam: Quem posuit propiciatorem per fidem in sanguine ipsius. Hic enim de applicatione nos docet.

Dicunt et Papistae, filium Dei mediatorem, redemtorem et propiciatorem esse, sed hoc ipsum postea delent, quia prorsus omittunt mentionem fidei, imo iubent te dubitare, an haec beneficia filii Dei ad te pertineant, videlicet, an sis in gratia, ac tantum sic loquuntur: Christus meruit primam gratiam, id est, occasionem merendi, ut si paterfamilias sit servo placatus ab amico aliquo, posteo autem servus placeat suis officiis, nihil deinde ibi negotii est illi amico. Sic Papistae sepeliunt Christum, cum fingunt hominem postea propriis virtutibus iustum esse, non fide, non misericordia propter filium Dei, imputata iusticia.

At cum Paulus nominat hic fidem, opponit eam dubitationi, vult vinci dubitationem, vult applicationem fieri fide, vult te firmiter statuere, quod propter hunc propiciatorem, seu propter eius obedientiam accipimus remissionem peccatorum, reconcilationem, seu acceptationem, imputata iusticia propter sanguinem mediatoris, scilicet, donata nobis ipsius obedientia, sicut propter eam simus iusti, id est, placentes et accepti Deo. Ita semper manet nobis filius propiciator, propter quem placemus, non propter nostras virtutes, quae non possunt opponi irae Dei.

Habent excellentes virtutes et divinas actiones in sese, Ioseph, Elias, Elisaeus, Daniel, sed has virtutes et actiones divinas non opponunt iudicio Dei, sed confugiunt ad mediatorem et promissam misericordiam, et statuunt se placere Deo, per misericordiam propter mediatorem, sicut in Psalmo dicitur: Convertere Domine, et eripe me propter misericordiam tuam, salvum me fac. Et Daniel inquit: Non in iusticia nostra exaudi nos, sed propter Dominum per misericordiam.

Ad ostensionem iusticiae suae propter remissionem peccatorum.

Id est, ut declaret suam iusticiam in remissione peccatorum, et sequitur postea, quod sit iustus et iustificans eum: qui est ex fide Iesu. Ac Paulus mox declarat, quomodo velit intelligi vocabulum iusticiae, cum ait, ut sit iustus, et iustificans eum, qui est ex fide Iesu, id est, in Evangelio declaratur iusticia Dei, quod ipse sit iustus, non nos, et iuste damnet peccatum in omnibus, sicut inquit, ut totus mundus reus sit Deo. Item: Tibi soli sum peccator et malum coram te feci, iustificeris in sermonibus tuis, et vincas cum iudicaris. Declarat ergo Deus sese esse iustum et damnantem peccata, deinde et hoc declarat, quod ipse iustificet, nec ipsi nos iustificare possimus operibus legis. Iustificet autem hoc modo ipse, scilicet remissione peccatorum. Definit igitur iustificationem ut infra, cum citat dictum: Beati quorum remissae sunt iniquitates. Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum, seu reconciliationis per fidem, qua filius Dei consolatur nos, ostendens misericordiam aeterni patris in voce Evangelii, et liberans ex morte aeterna vivificat nos, et dat Spiritum sanctum, ac facit nos haeredes vitae aeternae. Sicut Iohannes inquit: Qui habet filium, habet vitam. Hac definitione considerata intelligi potest, non divelli remissionem peccatorum, et vivificationem, sed haec correlative se habere: sic enim fit remissio, cum fide accipitur, cogitata voce Evangelii. Et hac fide intuente obedientiam filii Dei, ipse filius λόγος aeterni patris, vivificat credentes et habitat in eis, Spiritu sancto confirmans corda. Neque tamen fit vivificatio aut haec inhabitatio, nisi praeluceat fides, qui nititur obedientia filii Dei.

Sed cur inquit: Praecedentium peccatorum? Hic respondent quidam hanc particulam adiectam esse, ut sciamus in Evangelio non concedi licentiam peccandi, sed sciamus peccata remitti in his, qui agunt poenitentiam, in quibus peccatum desinit regnare. Ac Novatiani hoc loco abusi sunt: cum non sequatur inde, Lapsis si rursus convertantur, non remitti delicta: quotiescunque enim fit remissio, fit praecedentium peccatorum remissio. Sed hoc loco remissio peccatorum non tantum de actualibus delictis intelligitur, sed de remissione actualium peccatorum et originalis, quo remisso in hac vita tamen morbus manet. Sed Paulus opponit hanc particulam Praecedentium peccatorum, Legi, quasi dicat: Ne lex quidem abolevit peccatum, sed id praecedit donec agnitione et fiducia Messiae tollitur, sicut postea dicet: Usque ad legem peccatum fuit in mundo, id est, etiam cum lex lata est, manserunt tamen peccatum et mors. Tollitur autem agnitione et fiducia

filii Dei dupliciter, imputatione, scilicet in hac vita, quia reatus tollitur, et persona fit iusta, id est, accepta fide propter mediatorem. Et re ipsa incipit renovatio in corde per filium et Spiritum sanctum, quae postea erit integra in resurrectione.

Ubi est igitur gloriatio?

Addit epiphonema ex collatione contrarii. Cum vera sit haec sententia, homines iustos esse fide coram Deo. Sequitur nullam esse gloriationem nostram, id est, nos non habere propriam iusticiam, seu legis impletionem seu meritum. Estque perspicua confirmatio nostrae interpretationis, haec ipsa antithesis. Si essemus iusti impletione legis, haberemus gloriam et meritum, sed hanc gloriam et meritum expresse detrahunt nobis haec dicta, Psalm 142.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Iob: Vere scio, quod non sit homo iustus coram Deo. Et Paulus dixit: Omnes carent gloria Dei. Item, ut totus mundus reus sit Deo.

Est igitur perspicua antithesis: Ergo cum simus iusti sola misericordia, non habemus gloriam propriae iusticiae in iudicio Dei. Saepe autem iam dictum est, has propositiones correlative intelligendas esse, per misericordiam propter filium Dei sumus iusti, id est, fiducia misericordiae propter mediatorem. Ut Romanorum 4. correlative connectit promissionem et fidem: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio: inquit igitur Paulus, exclusivam esse gloriationem lege fidei, id est, doctrina de fide, quae affirmat nos per misericordiam propter mediatorem iustos esse, et acquiescit in Deo propter mediatorem, non propter propriam dignitatem. Excludit ergo propriam dignitatem et meritum. Hanc esse nativam et simplicissimam enarrationem congruentem universae propheticae scripturae, nihil dubium est. Sic orat Daniel: Exaudi nos non propter nostram iusticiam, sed per misericordiam propter Dominum, et David inquit: Salvum me fac propter misericordiam tuam. Sic accedamus ad Deum quotidie in invocatione fiducia mediatoris, non fiducia nostrae dignitatis aut iusticiae essentialis.

Nota sint et haec recte dicta scriptorum, Augustinus inquit: Totius fiduciae certitudo esse debet in pretioso sanguine Christi. Et Basilius inquit in concione de humilitate, pag. 388.: Dicit autem Apostolus: Qui gloriatur in Domino glorietur, dicens, quod Christus nobis sit sapientia a Deo, iusticia, et sanctificatio et redemtio, sicut scriptum est: Qui gloriatur in Domino glorietur. Haec est enim perfecta et integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter suam iusticiam aliquis extollitur, sed agnoscit sese carere vera iusticia, sola autem fide in Christum iustificari. Haec congruunt cum hoc dicto: Exclusa est gloriatio per doctrinam de fide. Hanc opponit legi operum, quae est doctrina praecipiens integram obedientiam, et docens iusticiam esse, habere integram obedientiam, sicut infra inquit capite 10. Moises describit iusticiam, quae ex lege est, qui fecerit ea, vivet in eis. Nominat ergo legem operum, doctrinam legis, id est, ipsam legem sic proprie dictam, de qua alibi dicitur: Lex iram efficit. Libenter autem usa est illa gens nomine legis, quare saepe generaliter pro doctrina, seu pro verbo Dei usurpatur, ut in toto Psal. 118.: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Item: Pax multa diligentibus legem tuam, et non est eis scandalum.

Adseveramus igitur fide iustificari hominem sine operibus.

Epiphonemati adiecit Conclusionem, in qua breviter repetit summam propositionis, et iterum inculcat Exclusivam. Nam ad hoc repetitiones conducunt, ut sciat lector non obiter eam particulam dicenti excidisse, sed serio et re deliberata velle eum hoc, quod toties inculcat. Nec obscuritas est in dicto Pauli, sed verborum proprietas retineatur. Puerile est, quod quidam disputant de verbo arbitramur: nam Graece λογιζόμεθα significat asseverationem collectam ex praecedenti copulatione. Fides significat assensionem, qua amplectimur promissionem gratiae, quae in Evangelio propter mediatorem offertur, et est fiducia promissae misericordiae, ut haec vocabuli enarratio saepe tradita est: ut Ephesios quarto Paulus enarrat unum vocabulum multis: Per quem audemus accedere in fiducia per fidem eius, ut et Psalmus loquitur: Beati omnes qui confidunt in eo.

Iustificari significat accipere remissionem peccatorum et reconciliationem, et imputationem iusticiae seu acceptationem, cum qua simul est efficax filius Dei, dicit consolationem voce Evangelii in mente, et ostendit voluntatem patris, et vivificat credentem, ac effundit Spiritum sanctum in cor, sicut 1. Iohan. 4. dicitur: In hoc cogno-

scimus, quod in ipso manemus et ipse in nobis, quia de spiritu suo dat nobis. Est igitur sententia propositionis: Asseveramus hominem accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, et imputationem iusticiae, propter filium Dei mediatorem per misericordiam gratis, non propter legem, seu nostras virtutes, seu opera. Et hanc misericordiam accipi oportet fide: hanc simplicem sententiam cum verba Pauli gignant, simus discipuli sermonis divini, et retineamus nativum intellectum verborum.

Nihil significat monachis fide iustificari, quia fidem intelligunt tantum noticiam, qualis est et in diabolis. Adfingunt igitur hanc synecdochen, fide iustificamur, scilicet formata, dicunt doctrinam initium esse, sed postea hominem esse iustum dilectione, id est, obedientia quam legi praestat. Ideo addunt Paulo hanc particulam, fide homo iustificatur, scilicet formata per dilectionem. Et hoc somnio declarant appellationem. Ut cum anima corpori infunditur vivit corpus, sic dicunt noticiam fieri vivam, cum accedit reliqua obedientia. Haec imaginatio prorsus corruptela est: nam fides non dicitur viva propter dilectionem. Est enim motus divinus, quo cor ex pavoribus liberatur, et acquiescit in Deo, agnita misericordia propter mediatorem, desinit fugere Deum, et clamat Abba Pater, nec accipit vitam a dilectione, quae sequitur, sed est causa dilectionis. Ideo enim diligitur Deus, quia misericordia propter filium promissa agnita est, qui pro nobis orans, inquit: Sit dilectio tua in eis, qua me diligis.

Monachi Exclusivam sine operibus sic restrinxerunt: Sine operibus, videlicet ceremonialibus et forensibus Moisi. Et interea retinent hanc propositionem, opera moralia mereri remissionem, hominem iustum esse propter opera moralia coram Deo. Haec tota corruptela monachorum reiicienda est, et constanter haec vera sententia retinenda est, quam toties Paulus repetit, cum utitur exclusiva, Gratis: videlicet, homines nec mereri remissionem peccatorum propriis operibus moralibus aut aliis, nec coram Deo iustos esse propter bona opera moralia, seu propter virtutes proprias, neque ante renovationem, neque post renovationem in hac vita, nec habere in hac vita integram obedientiam decalogi. Ideo supra dictum est: Totus mundus reus sit Deo. Et in Psalmo dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Iob inquit Cap. 9.: Vere scio, quod non sit homo iustus coram Deo. Hae perspicuae confessiones non sic corrumpendae sunt. Non est homo iustus coram Deo ceremoniis, sed est iustus, quia habet perfectam obedientiam decalogi. In tali imaginatione manifestum esset mendacium. Necesse est enim fateri omnes homines natos in hac naturae immunditie, non habere se perfectam obedientiam decalogi. Ostendit igitur Evangelium, mediatorem et misericordiam, ac adfirmat homines iustos esse, id est, habentes remissionem peccatorum, et placentes Deo propter mediatorem per misericordiam, Gratis, fide, id est, fiducia misericordiae acquiescente in Deo propter mediatorem. Itaque adversus corruptelam monachorum, qui tantum ceremonias excludunt, opponenda est particula Gratis, quae testatur nec moralia opera mereri remissionem peccatorum: nam reconciliatio neque gratuita, neque certa nobis esset, si penderet ex conditione impleti decalogi. Quare et postea inquit Paulus: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Deinde et expressa confessio non impleti decalogi opponatur corruptelae monachorum: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hac confessione posita, manifestum est reconciliationem dari propter mediatorem, non propter nostras virtutes, et accipi eam fide. Haec est sententia Exclusivae in nostris Ecclesiis etiam, cum dicimus hominem iustificari sola fide.

Hic et corruptela Osiandrica refutanda est, quae est similis synecdochae monachorum, iustificamur fide praeparative, ut si dicas: Motus calefacit, scilicet praeparative, sed postea calore sumus calidi. Sic contendit Osiander dici: Fide iustificamur, id est, fides praeparat nos, ut postea alia re simus iusti, scilicet novitate. Quanquam autem novitas sequitur, et verum est, hominem fieri templum Dei et habitare Deum in conversis seu renatis, tamen retinenda est haec consolatio, quod conversi seu renati sint iusti fide gratis, propter obedientiam mediatoris, non propter sequentem novitatem aut iusticiam essentialem, sed propter mediatorem. Hanc consolationem retineri necesse est in hoc dicto: Iustus fide sua vivet.

Intueamur verum agonem conscientiae in conversione, et deinceps in magna lucta, et cogitemus quae sit vera consolatio. Hic certissi-

mum est omnes Prophetas et omnes sanctos statuere, quod per misericordiam Deo placeant, et hanc misericordiam promissam et certam esse propter mediatorem, et fidem niti obedientia mediatoris, non iusticia essentiali. Haec manifesta sunt etiam ex hoc dicto ad Ephesios: Per ipsum audemus accedere in fiducia per fidem in ipsum. Et quanquam verum est, in ea consolatione fieri vivificationem, et Deum accendere novas actiones in homine, tamen credens in infinitum antefert obedientiam mediatoris his actionibus Dei, quae iam in renato fiunt. Haec sunt perspicua consideranti discrimen legis et Evangelii, et consolationes in vera conversione.

An igitur legem abolemus? Absit.

Cur inquit stabiliri legem, cum iam politia Moisi funditus deleta sit horribili irae Dei? An hoc non est abolere legem? Et decretum Apostolorum, quod recitatur in Actis capite 15. in quo expresse pronunciatur, Ceremonias Mosaicas non esse iusticiam, de qua concionatur Evangelium, nec res necessarias esse in Ecclesia filii Dei, factum et editum est antequam Paulus hanc Epistolam ad Romanos scripsit, quia decretum illud factum est priusquam Paulus in Europam traiecit. Et haec Epistola scripta est a Paulo, cum in urbe Corintho esset. Sed facilis est explicatio consideranti haec dicta: Christus est finis legis. Item: Non veni solvere legem, sed implere. Tota lex significat Christum, ut manifestum est, victimas fuisse typos et umbras venturae victimae, cuius obedientiam mirando consilio Deus voluit esse pretium pro nobis. Exhibita autem vera victima, exhibetur id quod significaverant typi, scilicet reconciliatio et iusticia per mediatorem, quae agnitione et fiducia mediatoris accipitur. Facile intelligi potest, Christum finem esse ceremoniarum, quia certe typi sunt propter significatam victimam.

Et tota politia umbra est aeterni regni seu aeternae Ecclesiae. Cum igitur Messias exhibet aeternum regnum, cedit umbra rei significatae. Et quidem omnia miracula defensionis et conservationis illius politiae sunt testimonia de venturo Messia.

Sed has partes legis omitto. Praecipue enim de lege morali hic dicitur, quia loquitur de lege, quae significat iusticiam et arguit peccatum. Christus est finis etiam legis moralis, quia Lex Moralis est horribile testimonium et iudicium in natura hominum adversus peccatum, et arguit ream naturam, non liberat: testatur ergo opus esse mediatore, et significat iusticiam, quam mediator adfert. Haec omnia minus intelligimus in hac nostra caligine, quia de lege morali humanae mentes nimis puerilia somnia habent, cogitamus qualecunque frenum esse regens externos gestus, et fremimus adversus hoc vinculum, et mallemus vagari opinionibus et cupiditatibus sine ullis metis. Haec tristissima mala in hominum natura non satis agnoscimus: postea fingimus qualemcunque externam disciplinam esse legis impletionem et iusticiam. Cum igitur non satis cogitemus, quid sit lex Dei, et quare naturae hominum insita sit, quare voce Dei repetita sit, et quod ad eam condita sit natura hominum, et ad eam restituatur per filium Dei, et quam dissimilis sit legi natura hominum: propter hanc nostram caliginem dicta Pauli videntur nobis obscura, et interdum accidit in Enarrationibus, id quod in proverbio dicitur, ut sonet: Aliud Pes, aliud Cithara.

Non imaginemur legem moralem esse decretum simile Spartanae legi de ferreo numo, quod non solum mutari et aboleri potuit, sed etiam facile et commode mutatum est. Sed sciamus legem Dei, quae nominatur moralis, esse aeternam et immotam sapientiam et normam iusticiae in Deo patefactam rationali creaturae, et postulantem, ut rationalis creatura sit conformis Deo, et destruentem omnes non conformes. Haec aeterna sapientia Dei nequaquam aboletur in Evangelio. Et sicut hominum natura mirando consilio ad hanc sapientiam et conformitatem cum Deo condita est, ita vult Deus restitui nos ad hanc ipsam lucem et conformitatem per filium. Ideo Christus dicitur esse finis legis. Et hic Paulus inquit: Fide legem stabilimus, quod de lege morali sic interpretor. Etsi autem iudico nostram interpretationem veram esse, et congruentem cum Paulo, tamen fateor me amplitudinem sapientiae apostolicae non satis explicare posse. Deploro gemens meam caliginem, et doleo in hac barbarie vitae impediri etiam cogitationes de tantis rebus.

Scio Augustinum hac enarratione saepe uti: Per fidem lex stabilitur, id est, impetratur auxilium, ut legi obedire possis. Haec enarratio valde tenuis et mutila est. Etsi verum est, dari Spiri-

tum sanctum in consolatione, in qua fide acquiescimus in mediatore, et accendi motus tales a Spiritu sancto, qualis ipse est: tamen haec incoata obedientia in nobis adhuc procul abest a perfectione legis. Recte dicit Osiander, Deum habitare in credentibus, sed simul adhuc in hominibus magna moles est peccati. Tunc cum Deus erit omnia in omnibus, id est, cum fulgebit in beatis, in quibus non erit peccatum, ibi intelligemus quid sit legis impletio, ibi erimus iusti Deo fulgente in nobis. Sed in hac vita in tanta infirmitate sic accedimus ad Deum, ut ad misericordiam propter mediatorem promissam confugiamus, et tegamur a mediatore, sicut in Esaia nominatur mediator Umbraculum. Et Paulus inquit: Per hunc audemus accedere in fiducia, per fidem in ipsum. Sic igitur utcunque docendi causa dico, legem stabiliri fide tripliciter.

Primum, confessione veritatis, quod sit lex Dei iuste iudicans et damnans nos, et quod nostra iusticia non mereatur reconciliationem, nec sit legis impletio.

Secundo, imputatione iusticiae propter mediatorem. Quia enim fide agnoscimus mediatorem, et credimus nobis propter eum dari remissionem peccatorum et reconciliationem, et nos reputari iustos propter ipsius obedientiam, sumus iusti et accepti Deo in hac vita propter obedientiam filii, fide. Stabilitur ergo lex, quia agnoscimus legem non esse inane murmur, sed poenam pro genere humano fuisse persolvendam, et hanc persolutionem nobis donatam esse. Regula est autem stabiliri et confirmari leges poena. Et quanquam in hac vita incoatur obedientia, tamen adhuc procul absumus a perfectione legis, sed reputamur iusti, id est, habentes remissionem peccatorum et reconciliationem propter mediatorem fide: sic habemus hoc quod lex significabat, non nostra impletione tolli iram Dei, et fieri reconciliationem, sed mediatoris obedientiam donari credentibus. Sic Rom. 5. dicitur: Iustificati sanguine eius, salvabimur per eum ab ira.

Tertio, stabilitur lex fide, iuxta dictum ad Galatas: Nos spiritu ex fide spem iusticiae expectamus, id est, reconciliati fide habebunt integram iusticiam in lege significatam. Certissimum est enim in lege non tantum significari incoationem, quae fit in hac vita, sed significari perfectam conformitatem cum Deo, quae erit, cum Deus erit omnia in omnibus, id est, cum sese nobis communicabit in clarissima luce, et vivificabit nos vita aeterna, et fulgebunt in nobis ipsius sapientia, iusticia et laetitia, et nequaquam simul erunt in nobis reliquiae peccati.

Hoc consummatum beneficium intueamur, cum dicitur: Non veni solvere legem, sed implere. Item: Iehova iusticia nostra. Et simul sciamus in hac vita credentes habere initia aeternae vitae, iuxta dictum: Qui habet filium, habet vitam. Id intelligatur ordine, et de initio, et de vita aeterna in illa coelesti Ecclesia. Habet autem filium in hac vita, quisquis in vera conversione, credit se propter obedientiam mediatoris habere remissionem peccatorum, reconciliationem et imputationem iusticiae. Hac consolatione cum erigitur, filius aeterni patris immediate est efficax voce Evangelii, et vivificat credentem, et effundit in cor Spiritum sanctum, quo laetitia acquiescens in Deo, dilectio Dei et vera invocatio accenduntur. Haec sunt initia vitae aeternae: sic concionatur et Dominus, inquiens: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Primum iubet filius se audiri, et accipi vocem Evangelii.

Ita orditur sanationem a voce Evangelii. Credentem autem diligit pater, vide proprietatem orationis. Etsi nondum in hac vita sine peccato sumus, tamen credens diligitur a Deo, est iustus, quia pater eum per misericordiam propter filium mediatorem recipit, et imputat ei iusticiam. Ut autem et natura nostra restituatur, simul hoc fit: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Aeternus pater misit filium ad proferendam vocem Evangelii arcanam et ignotam omnibus creaturis, Et per hunc filium immediate colligit Ecclesiam voce Evangelii. Hic filius immediate est efficax, cum fit consolatio voce Evangelii vere adest $\lambda \acute{o} \gamma o \varsigma$, et ostendit patrem, sicut inquit: Nemo novit patrem, nisi filius, et cui filius volet revelare. Et tunc simul pater et filius effundunt Spiritum sanctum in cor credentis: datur enim Spiritus sanctus per filium, cum voce Evangelii fit consolatio. Et nota sit sententia Athanasii, In quocunqe dicitur esse Spiritus sanctus, ibi est per Verbum. Quare et infra fit utriusque personae mentio, Romanorum 8. capite: Siquidem spiritus Dei habitat in vobis. Item: Si Christus est in vobis. Et ipse inquit: Ego sum vitis, vos palmites, Qui manet in me, et Ego in

eo. Vere ergo λόγος filius Dei adest in credente, et est efficax voce Evangelii. Sic et ad Ephesios tertio dictum est: Ut habitet Christus per fidem in cordibus vestris.

Haec immensa beneficia mediatoris omnia complectitur Paulus, cum inquit, Legem fide stabilimus, videlicet et imputatione iusticiae et praesentia Dei in credentibus, qui et in hac vita accendit novam lucem, et novos motus in cordibus, et postea dat vitam aeternam, in qua iusticia Dei, significata in lege, erit in nobis integra, quae describitur his verbis in lege: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima etc. Ac in quotidiana invocatione cogimus de his maximis rebus, de omnibus beneficiis filii Dei ordine, quod missus sit, ut colligat aeternam Ecclesiam, quod vere adsit et sit efficax voce Evangelii, quod propter eum aeternus pater recipiat nos, et simul adsit in nobis, et velit nobis miseris opitulari et vere per filium det Spiritum sanctum, ut gubernet nos. Haec beneficia cum petimus, tunc fit hoc quod Paulus hic inquit: Legem fide stabilimus, quia haec vera invocatio est initium novae obedientiae.

Simul autem cogitemus communem doctrinam, quod persona sit iusta fide propter mediatorem in hac vita, etiamsi adhuc natura nostra valde dissimilis est legi Dei. Hanc fidem praelucere oportet novae obedientiae. Deinde sciendum est etiam, quomodo et incoëtur et placeat Deo nova obedentia. Incoatur, quia vere habitat Deus in corde credentis, et placet Deo, quia persona propter mediatorem sola fide placet, et credit hanc ipsam obedientiam Deo placere, non quia legi satisfaciat, sed propter mediatorem, qui est summus sacerdos adsidue pro nobis interpellans. Quanquam igitur propter ingentem infirmitatem nostrae naturae in hac vita, haec incoata obedientia valde languida et squalida est, tamen illo modo, ut dictum est, placet Deo, et nominatur Iusticia et Sacrificium.

Fit magis perspicua haec tota doctrina, cum pie cogitatur in quotidiana invocatione, in veris doloribus et exercitiis conversionis, in quibus ipsi gemitus piorum refutant etiam furores Monachorum et Antinomorum. Monachi fidem non intelligunt aliud, nisi noticiam historiae, et iubent homines semper dubitare an placeant Deo. Postea fingunt opera sua esse impletionem legis et merita vitae aeternae, et multos errores cumulant, quorum falsitas conspicitur in illis ipsis doloribus piorum. Refutantur et Antinomi, sentiunt enim pii se iudicari lege Dei, sentiunt in poenis publicis et privatis iram Dei iustam, quae est legis executio, et fatentur idem quod Propheta inquit: Propter iniquitatem corripis homines. Non cogitant legem, iudicium Dei, iram Dei, inania vocabula esse.

Intueamur ergo in lectione Paulina veram conversionem, non quid audacissime fingant Epicurei, qui sunt Antinomi, nec quid simulent monachi, qui iactitant se legi Dei obtemperare aut etiam satisfacere, imo et perfectos esse, cum revera mentes sint Epicureae et derideant Deum, et hanc simulationem ad quaestum conferant.

Magis est impudens etiam Cynicus in Austria, qui recens renovavit scriptis errores de perfectione: nominat perfectionem monachorum mendicitatem, quam scit aucupium esse artificiose institutum, non tam ad pascendum ventrem, quam ad potentiam quaerendam. Sed te fili Dei Domine Iesu Christe, qui vere colligis aeternam Ecclesiam voce Evangelii, oro, ut veritatem tuam illustres et reprimas omnes impiorum furores. Tu vides quanta sit et rabies, et potentia hostium veritatis, Te supplex obtestor propter tuam gloriam, ut veritatem tuam illustres, et nos gubernes, et in nobis accendas et augeas lucem tuam, et deleas mendacia et blasphemias, quas cyclopica prophanitate contra te multi et dicunt et defendere conantur.

Ut autem hoc loco Paulus inquit, fide legem stabilimus, ita inquit Dominus: Non veni solvere legem, sed implere. Graeca phrasis est λύειν νόμον, quod significat, non tantum delictum admittere contra legem, sed ipsam legem abolere, ut cum dicimus: Cicero Consul abolevit legem agrariam. Adfirmat igitur Dominus noster Iesus Christus, se non venisse ut legem aboleat, sed ut impleat.

Impleat autem quatuor modis. Primum propria obedientia quae est integra. Secundo derivando in sese poenam, quam nos legi debuimus. Adeo enim vult Deus ratam esse legem suam, quae est aeterna sapientia et norma iusticiae in ipso, ut quanquam per misericordiam recipit homines, tamen ita sit copulata iusticia, ut legi satisfieri et persolvi poenam pro nobis voluerit. Hic cogitent Antimoni, si non sunt Epicurei, quid sit lex, et quare voluerit Deus esse ratam, cum non

receptum sit genus humanum, nisi filius pro nobis poenam solveret. Hoc mirandum consilium, legis autoritatem, iusticiae et misericordiae temperamentum, et magnitudinem amoris in filio Deo erga nos, et in aeterno patre erga filium et erga nos, in illa aeterna academia contemplabimur. Nunc tamen vult Deus nos huius sapientiae prima elementa discere. Fateor de tantarum rerum magnitudine meam orationem longe tenuiorem esse, quam esse debebat, sed tamen qualicunque clamore significo indignationem adversus Hypocritas, Monachos, et Antinomos, qui de lege Dei scurriliter loquuntur.

Cum autem significat Dominus se pro nobis legi Dei poenam persolvere simul complectitur doctrinam de remissione peccatorum et de reconciliatione, de imputatione iusticiae. Quia enim poenam pro nobis persolvit, et nobis placat iram aeterni patris, donantur credentibus propter ipsius sacrificium, remissio peccatorum, reconciliatio, imputatio iusticiae, vivificatio per filium et Spiritum sanctum, et donatio vitae aeternae.

Tertio, implet filius Dei legem effectione seu restitutione in nobis. Adeo enim vult Deus ratam esse legem, ut ideo filium miserit, ut et poenam pro nobis lueret, et restituat in nobis obedientiam seu conformitatem cum ipso, quae quidem in hac vita incoatur. Sed in Ecclesia coelesti erit integra, cum Deus erit omnia in omnibus beatis.

Quarto, implet filius Dei legem moralem, docendo, seu sanciendo, seu repetendo decalogum. Etsi enim non est missus, ut sit legis conditor, nam lex antea initio fuit insita rationalibus creaturis, et postea semper in Ecclesia divinitus repetita est, et quidem in sola Dei Ecclesia semper lex sine corruptelis retenta est: tamen ipse eam repetit, et testatur hoc esse indicium Dei, arguens peccata, et ostendens veros cultos, et eam enarrat, et detergit pharisaicas sordes, quibus legem et tunc et omnibus temporibus hypocritae corrumpunt.

Caput IV.

Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem?

In quarto capite incoatur confirmatio propositionis, sumta ex exemplo Abrahae et primo dicto, in quo expresse fit mentio iusticiae fidei. Vult enim Paulus ostendere doctrinam in Evangelio proponi non ignotam veteri Ecclesiae, Prophetarum et Patrum, sed unam perpetuam et consentientem vocem esse Patrum, Prophetarum, Christi et Apostolorum, sicut ipse Dominus inquit: Abraham vidit diem meum, et laetatus est.

Etsi autem haec confirmatio tota nascitur ex dicto illo, Credidit Abraham Deo etc.: tamen quia circumstantiarum explicatio gignit multa argumenta, distribuemus eam in haec quinque argumenta, quae sint in conspectu, et ut nos de doctrina confirment, et in quotidiana invocatione et consolatione exuscitent fidem, quia non potest fieri invocatio, nisi praeluceat haec fides, quod recipiamur et exaudiamur propter filium, et quidem propter obedientiam filii.

Primum argumentum.

Abraham non fuit iustus propter opera coram Deo, sed fide, Ergo nec caeteri sunt iusti propter opera, sed fide. Valet consequentia: Quia Abraham ut exemplum doctrinae proponitur. Antecedens probatur ex dicto: Credidit Abraham Deo.

Secundum.

Iustificatio est imputatio iusticiae, qua Deus per misericordiam nos recipit et vivificat, Non igitur sumus iusti nostris operibus aut meritis.

Tertium.

Iustificatio est remissio peccatorum, qua Deus nos recipit et vivificat propter mediatorem, et per eum, Igitur non sumus iusti nostris operibus aut meritis.

Quartum.

Abraham est fide iustus ante circumcisionem, Ergo non est iustus circumcisione.

Quintum.

Oportet promissionem gratiae seu reconciliationis esse certam.

Promissio pendens ex conditione legis fit incerta, quia lex iram efficit,

Igitur promissio gratiae non pendet ex conditione legis, sed gratis datur, et fide accipienda est.

Si enim Abraham ex operibus etc.

Primum expressa asseveratio in textu consideranda est, quod aperte affirmat Paulus Abraham non fuisse iustum coram Deo propter opera sua, sicut et supra dictum est: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Et nihil dubium est complecti Paulum opera moralia: nam et Abraham antecessit politiam Moisi annis quadringentis et triginta vel circiter.

Deinde consideretur accommodatio dicti: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam. Alibi citat haec dicta: Iustus sua vivet. Item: Qui credit in eum, non confundetur. Hic autem recitat primum dictum, in quo expresse fit mentio fidei. Vult enim et hoc ostendere, non afferri nunc doctrinam ignotam Ecclesiae Patrum et Prophetarum, sed eandem in vera Ecclesia doctrinam de iusticia semper fuisse. Ut autem accomodatio recte intelligatur, cavillationes refutandae sunt, quae opponuntur, quarum prima haec est.

Prima cavillatio adversariorum.

Adversarii dicunt, Paulum abuti hoc dicto, quia ibi dicitur de fide expectante posteritatem. At Evangelium loquitur de fide agnoscente Christum crucifixum et resuscitatum, et accipiente remissionem peccatorum, Ergo de alia fide Moises, de alia Paulus loquitur.

Respondeo: De omnibus exemplis in quibus laudatur fides, ut Gedeon, David, credunt Deum ipsis praeliantibus affuturum esse: etiam cum res externa petitur et expectatur, semper tamen oportet praelucere hanc fidem, qua accipitur reconciliatio propter mediatorem, iuxta dictum: Nemo potest venire ad patrem nisi per filium. Item Rom. 5.: Per hunc habemus accessum fide. Semper igitur primum et principale obiectum fidei est Deus non irascens, sed propter filium nos recipiens, et prima lucta est, An Deus velit te recipere.

Cumque iam credimus eum esse propicium, postea expectamus ab eo caetera beneficia. Gedeon, David non possent a Deo petere vel expectare victorias, nisi prius crederent se receptos esse et placere Deo. Sciunt autem ex promissione, quod recipiantur homines per misericordiam propter mediatorem, iuxta dictum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et sicut certum est Ecclesiam colligi propter filium, ita norunt sancti et promissiones bonorum corporalium traditas esse propter filium, quia Ecclesiae necessaria sunt. Ideo 2. Corinth. 7. dicitur: Omnes promissiones in Christo ratae sunt.

Discernantur ergo obiecta fidei: primum et principale est Deus propicius propter mediatorem, postea possunt accedere alia externa obiecta. Ut Abraham petit protectionem inter impias gentes, petit posteritatem et conservationem Ecclesiae. Denique in quotidiana invocatione singuli multa complectimur, sed uno et eodem modo ad Deum accedunt omnes sancti, scilicet, Credentes Deum esse propicium propter mediatorem, sicut ipse Dominus inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Iam considerentur verba textus. In capite 12. Gene. dicit Dominus: Benedicam tibi. Item: In te benedicentur omnes gentes. Postea in capite 15. dicitur: Noli timere, ego protector tuus et magna merces valde. In his dulcissimis promissionibus manifeste ostenditur reconciliatio, et norat Abraham primam promissionem: Semen mulieris conteret caput serpentis. Et quidem sciebat hanc promissionem, iam restringi ad suam posteritatem, quia dictum erat: In te benedicentur omnes gentes. Accipit igitur simul et promissionem reconciliationis et seminis benedicti et posteritatis, id est, propagandae Ecclesiae.

Has promissiones cum fide accipiat manifestum est, eandem esse fidem Abrahae et Pauli, et omnium sanctorum in vera Ecclesia accipientem reconciliationem propter mediatorem. Ideo et Dominus inquit: Vidit Abraham diem meum id est, agnovit in promissione mediatorem et fiducia mediatoris accepit remissionem peccatorum, et liberatus est ab inferis et ab ira Dei. Credidit Abraham Deo etc.

Haec responsio vera et firma est, sicut et experientia testatur in omnium piorum cordibus.

Idem textus in Moise ostendit, quid ibi nominet Fidem, videlicet non tantum noticiam te Deo, qualis est in diabolis, vel in Ethnicis, quod sit Deus, quod sit conditor mundi, sapiens, verax, iustus, castus, postulans obedientiam congruentem ipsius sapientiae et voluntati, et iudicans ac puniens inobedientes, sicut Latomus Lovaniensis inquit, Non aliam fuisse in

Abraham fidem, quam qualis fuit noticia in Cicerone aut in Xenophonte. Sed hic textus in Moise antea recitavit promissiones: In te benedicentur omnes gentes. Item: Noli timere, ego protector tuus etc.

Cum igitur inquit, Credidit Abraham, necesse est hoc referri ad praecedentes promissiones: nam et fides est assentiri omni verbo Dei patefacto. Quare necessario et manifeste sequitur fidem Abrahae non tantum fuisse noticiam historiae, sed etiam noticiam et assensum, quo promissiones amplexus est. Non loquuntur Moises et Paulus de mutilata fide, quae est tantum noticia historiae, sed de hac fide, quae est historiae et promissionum noticia, et est assensus ac fiducia, qua promissionem amplectimur, et corda acquiescunt in mediatore promisso, seu in Deo promittente propter mediatorem. Ideo et Paulus mox in hoc capite promissionem et fidem copulat, ut ostendat se de ea fide loqui, quae promissionem accipit, qua Deus propter mediatorem omnibus credentibus promittit remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iusticiae, sanctificationem per Spiritum sanctum et vitam aeternam.

Cum igitur perspicuum sit, quid Moises et Paulus nominent Fidem, refutatio cavillationum, quae obiiciuntur manifesta est, quales sunt.

Daemones credunt et non sunt iusti,
Non igitur iustificantur homines fide. Item:
Nulla natura est iusta sola noticia,
Fides est tantum noticia,
Nemo igitur fide iustus est. Item:
Fides est opus,
Ergo: Operibus iusti sumus.

Harum obiectionum explicatio declarat vocabulum Fidei, nec fingimus praestigias aut subtilitates, sed illustramus nativam vocabuli significationem in sermone Prophetarum et Apostolorum, Est igitur responsio ad primam obiectionem.

Daemones credunt, sed mutilata fide, id est, tenent noticiam historiae, et sciunt filium Dei horribili iudicio puniturum esse omnes diabolos, nequaquam autem amplectuntur promissiones, non statuunt sibi remitti peccata: ideo furenter oderunt Deum et Christum, et sentiunt poenas, et metuunt tristiores cruciatus. De hac fide non loquitur Paulus, cum inquit, Iustificati fide pacem habemus erga Deum: sed de fide, quae non solum est noticia historiae, sed etiam promissionem amplectitur, et est fiducia acquiescens in mediatore. Ideo usitata apud nos definitio est: Fides est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiae, et est fiducia acquiescens in promissione, id est, in Deo promittente propter mediatorem.

Secundum argumentum.

Nulla natura est iusta sola noticia,
Fides est tantum noticia,
Ergo: Non sola fide sumus iusti.

Respondeo simpliciter: Nego minorem. Nam ut antea dictum est Fides quae assentitur promissioni non est tantum noticia, sed est simul fiducia, quae est motus a Spiritu sancto accensus, quo voluntas et cor vivificantur et laetificantur, ut acquiescant in Deo propter mediatorem: ut cum audit David absolutionem: Dominus abstulit peccatum tuum, non tantum in eo noticia est huius propositionis, sed voluntas et cor ostenso hoc bono rursus ex summis doloribus et ex inferis emergunt. Sicut dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Et Ezechias inquit: Tu autem eruisti animam meam ut non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Sic ostendit Paulus, quos motus complectatur fides, cum inquit: Per hunc audemus accedere in fiducia per fidem ipsius. Ibi ostendit fiduciam et accessum ad Deum in hac fide comprehendi, de qua loquitur, Et necesse est haec comprehendi, quia de ea fide dicitur, quae assentitur promissioni. Dictum est autem supra hanc fidem, qua homo iustificatur, assentiri promissioni. Est igitur et fiducia in voluntate et corde acquiescens in promissione, id est, in Deo promittente propter mediatorem.

Tertium argumentum.

Fide iustificamur,
Fides est opus,
Ergo: Operibus iustificamur.

Respondeo: Simplex et vera explicatio est, qua omnes mediocriter docti in nostris Ecclesiis semper usi sunt, videlicet has propositiones:

Fide habemus remissionem peccatorum,
Fide iustificamur.

Nequaquam sic intelligi, propter hoc opus in nobis, scilicet credere, seu propter dignitatem huius operis, habere homines remissionem aut iustificari. Nam Paulus universaliter hoc vult, ho-

mines gratis propter mediatorem habere remissionem, et esse acceptos Deo, non propter ullius operis dignitatem in nobis, sive fiat nostris viribus, sive Deo movente corda. Sunt et haec opera a Deo in nobis accensa, dilectio Dei, patientia, castitas. Sicut autem non habemus remissionem propter haec opera, ita nec propter fidem, quatenus est qualitas, seu opus in nobis, sed quia fide agnoscimus mediatorem, et beneficia eius adplicari nobis oportet fide, cogitata voce Evangelii. Respondeo igitur ad maiorem, sicut usitate dicimus: Fide iustificamur.

Haec propositio correlative intelligenda est, quasi dicatur, Per misericordiam propter mediatorem iustificamur, quem tamen fide agnosci et adplicari nobis eius beneficia fide oportet. Est ergo sententia in maiore: Propter Christum habemus remissionem et sumus iusti, id est, accepti. Non igitur sequitur conclusio, quod propter opera simus iusti. Sic cum in Esaia dicitur: Noticia servi mei iusti, iustificabit multos: non intelligatur, credentes propter dignitatem fidei placere, sed ideo sic loquitur Propheta, quia agnosci mediatorem et fide adplicari eius beneficia oportet. Antea enim dixerat: Livore eius sanati sumus.

Haec breviter dicta sunt, ut vocabulum Fides, seu credidit, sit perspicuum. Nunc sequuntur caetera vocabula, Imputata est ei iusticia: sic enim Hebraei legunt, id est, Cogitata seu decreta est huic, qui antea reus erat, iusticia, id est, remissio peccatorum, et acceptatio divina et haereditas aeternae vitae et iusticiae, cum credit promissioni. Ac citat Paulus hoc dictum, quia primum expresse dicit, Quomodo homini decernatur iusticia sine conditione. In lege enim tantum conditionales propositiones sunt: Maledictus qui non manet in omnibus etc. Addit igitur declarationem, quod imputatio sit gratuita, videlicet quod Deus hunc credentem cogitet seu decernat esse iustum sua misericordia, etiamsi non est in eo impletio legis, quam Deus adprobaret ex debito, si adesset, inquit igitur: Merces datur ex debito, id est, Ubi est reipsa legis impletio, Deus, qui est talis, approbat eam ex sua iusticia.

Hic discant iuniores vocabula Debiti et Meriti correlativa esse. Cum monachi dixerunt: Contritus habet merita de condigno, hoc voluerunt, hanc obedientiam esse iusticiam, quam recipiat Deus ex debito etc. Ut igitur hic Paulus reiicit debitum, ita sciamus reiici meritum remissionis peccatorum et vitae aeternae.

Consilium Pauli diligenter considerandum est. Ideo citat dictum in Genesi de fide, quia ibi expresse et sine conditione fit asseveratio, et revelatur expresso testimonio, quod credens sit iustus. Hoc opponit legi, quasi dicat: Nusquam legimus pronunciari aliquem iustum, quia legem implevit, sed lex semper accusat homines, Ergo non sumus lege iusti. Retinenda est igitur haec consolatio Abrahae dicta, quod sit iustus fide.

Commoratur autem Paulus in declaratione imputationis, ut ostendat gratuitam esse, et esse eam remissionem peccatorum, et reconciliationem, seu acceptationem propter mediatorem. Adiungit igitur dicta Psalmi: Beati quorum remissae sunt iniquitates etc. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum etc.

Recitat Paulus antecedens, sed fiet accommodatio magis perspicua, cum consequens attexitur, videlicet: Cum nemo aliter sit beatus, id est, iustus seu acceptus Deo, nisi peccata remittantur, tegantur et non imputentur, manifeste sequitur, neminem in hac depravata natura satisfacere legi, neminem lege iustum esse, et in omnibus haerere peccata, quia propter mediatorem remittuntur credenti. Sit autem Psalmus ille totus notissimus, quia doctrinam necessariam et dulcissimam consolationem continet. Cum enim didicimus et ex eo Psalmo, et ex hac integra Pauli doctrina, quod hoc modo tantum et non aliter homo fiat iustus, id est, acceptus Deo, cum credit sibi remitti peccata propter mediatorem, gratis, et quod velit Deus hanc suam misericordiam agnosci, et conspici beneficia filii, sicut clamat, Osculamini filium, Beati omnes qui confidunt in eo: amplissima consolatio nobis proponitur, quae sustentat nos in conversione, ne mergamur in desperationem et exitium, sed accedamus ad Deum hac fide.

Vocabula in Psalmo sunt perspicua. Primum nominatur remissio peccatorum, quae est desinere irasci peccatis, seu praeteritis seu praesentibus. Deinde tegi peccata est mediatorem esse umbraculum, ne effundatur in nos ira Dei. Et proprie dicitur: Tegi peccatum, quod adhuc adest in renatis. Etsi enim est peccatum, et dignum aeterna poena, tamen tegimur per filium Dei, sicut dicitur: Non estis sub lege, sed sub gratia. Et quanquam intelligit Psalmus tegi pec-

cata, quo ad poenam aeternam, tamen sciamus sic etiam ea tegi, quo ad poenam corporalem, iuxta dicta: Misericordia Domini, quod non consumti sumus. Vult enim Deus superstitem esse Ecclesiam. Non imputari peccata intelligitur etiam et de praeteritis et de praesentibus, et est non cogitare, non decernere, quod ille credens sit puniendus aeterna poena, quanquam antea deliquit, et adhuc sunt in eo sordes. Latini dicerent, Non exprobrare ea, non accusare hominem tanquam reum poenae aeternae. Sed hic usitata obiectio recitanda est, quare Paulus citat dictum de remissione, et non adiungit dicta de operibus, Beati mites, Beati misericordes. Respondeo: Quia semper dicta de laudibus operum sunt synecdochae. Laudantur enim in his, qui sunt reconciliati fide, iuxta dicta, Rom. 14.: Omne quod non est ex fide peccatum est. Rom. 3.: Legem stabilimus fide. Universaliter igitur in laudibus operum prius intelligatur fides praelucens, quae accipit remissionem peccatorum, et reconciliationem gratis propter mediatorem. Ideo haec dicta hoc loco non citantur, quia bona opera sequuntur in iustificatis, non iustificant.

Paulus autem hic quaerit non quomodo postea opera fiant aut placeant, sed quomodo persona fiat iusta, id est, accepta Deo, videlicet remissione peccatorum. Ideo dicta de remissione citat, quae non sunt synecdoche, quia gratis propter filium recipimur, et haec remissio antecedit bona opera.

Addenda est et haec admonitio. Osiander interpretatur haec verba: Imputata est ei iusticia hoc modo, id est, transfusa est in eum divinitas. Etsi autem verissimum est, in remissione peccatorum fieri renovationem, cum audita voce Evangelii in corde perterrefacto filius Dei hanc consolationem dicit, Remittuntur tibi peccata, Et dat Spiritum sanctum: tamen aliud est loqui de illa renovatione, aliud de causa, propter quam persona prius accipit remissionem peccatorum, et fit accepta, seu de modo quo accedimus ad Deum.

Sicut autem infra dicitur, Propter obedientiam unius constituuntur iusti multi: ita hic intelligamus imputari nobis obedientiam mediatoris, propter quem habemus remissionem peccatorum et acceptationem. Ideo et hic Paulus citans Psalmum: Beati quorum remissae sunt iniquitates etc. Ostendit se loqui de imputatione, qua nobis propter mediatorem peccata remittuntur, et qua persona accepta est. Ideo et postea dicit: Fides imputatur ei ad iusticiam, sed propter mediatorem, et illa fides, quae nititur mediatore petens et accipiens remissionem peccatorum. Ac universaliter sic docent Prophetae, Accedendum esse ad Deum fiducia misericordiae propter mediatorem, sicut Daniel inquit: Non in iusticia nostra, sed in misericordia tua propter Dominum exaudi nos. Et Psalmo 6.: Salvum me fac propter misericordiam tuam. Et Exod.: Dominator Dominus Deus misericors.

Et Rom. 5.: Per hunc habemus accessum ad Deum. Item: Nemo pervenit ad patrem, nisi per filium. Et tamen verum est, ut toties diximus, Simul in hac remissione filium Dei dare nobis de spiritu suo, sed non obscurandum est meritum Christi, nec abducendae sunt mentes ab hac unica consolatione in Evangelio proposita, quae affirmat, recipi et placere credentes propter mediatorem, sicut supra dixit: Quem posuit propiciatorem fide. Retineatur autem adversus multas cavillationes haec admonitio, cum in vocabulo iusticiae fatendum sit, esse hanc relationem acceptationis, necesse est intelligi nos iustos, id est, acceptos esse propter mediatorem Deum et hominem, et non intelligi iusticiam tantum de divinitate.

Imputatum est ei in praeputio.

Quartum argumentum.

Iusticia imputata est ante circumcisionem,
Ergo circumcisio non est causa, propter quam Abraham est iustus.

Consequentia manifesta est, quia effectus non antecedit causam tempore. Circumcisus est autem Abraham anno aetatis suae 99., cum antea vocatus esset ex Haran 75. Sunt ergo anni ab ea vocatione ad circumcisionem 24.

In hoc argumento continetur doctrina de signis seu sacramentis, ut usitate nominamus, et doctrina de bonis operibus. Abraham non est iustus propter opus, quod quidem a Deo mandatum erat: ergo nec nos sumus iusti propter opera, sed placent Deo bona opera in his, qui iam fide iusti sunt, etiamsi haerent adhuc in eis reliquiae peccati, ut alibi copiosius dicitur.

Nunc de Sacramentis dicamus. Paulus insigni verbo usus est, nominat hunc ritum sigillum iusticiae fidei. Hic primum considerent discentes, quae sint usitata hominum iudicia de

talibus ritibus. Homines existimant tales ritus aut esse signa professionis externae, seu distinctionis inter homines, sicut Toga discernebat Romanum a Graecis, aut esse allegorias tantum de nostris operibus. Sic Anabaptistae universaliter docent anabaptismum, quem habent, esse distinctionem sui coetus a caeteris hominibus: deinde esse allegoriam de patientia, quae commonefaciat eos velut in fluctus mergi. Coenam Domini dicunt esse foedus mutuae benevolentiae, sicut semper apud omnes gentes communis mensa fuit signum amicitiae. Tales sunt humanae interpretationes de Sacramentis: quibus etsi postea suus locus erit, tamen alia principalis interpretatio prius tenenda est, et considerandi sunt fines principales.

Semper autem antecedunt duo principales fines. Prior, quod sacramenta sunt pars publici ministerii, quia vult Deus colligi Ecclesiam externo ministerio, et vult eam esse congregationem visibilem. Sic baptismus est pars ministerii, quo visibiliter colligitur Ecclesia, et sonat externa invocatio Patris, Filii et Spiritus sancti.

Coena Domini est nervus publicae congregationis, in qua vult Deus publice sonare totam doctrinam Evangelii, ut scriptum est: Quotiescunque convenientis, mortem Domini annunciabitis donec venerit.

Secundus finis est privatim ad singulos pertinens, quod sacramenta sunt signa non tantum erga homines, sed erga Deum, et sunt tanquam testimonia seu pignora promissionis gratiae. Ut cum verbo excitatur fides per Spiritum sanctum, accedit hoc externum testimonium tanquam signum, et quidem adplicans generalem promissionem ad singulos, id est, testificans promissionem ad singulos pertinere.

Nominat igitur Paulus circumcisionem sigillum iusticiae fidei, quia erat testificatio in corpore Abrahae a Deo tradita, commonefaciens eum de promissione et ostendens promissionem ad ipsum pertinere. Sicut autem Abraham confirmabatur accepto hoc novo signo de coelo, sic nos in usu sacramentorum confirmari oportet, quasi novam vocem aut signum ex coelo acciperemus, et scire nobis applicari promissionem. Sed consuetudo facit, ut illa testimonia Dei nobis tradita levius curentur. Recte igitur cogitemus de usu sacramentorum, et sciamus esse sigilla, id est, commonefactiones de promissione et testificationes de applicatione, quod videlicet promissio vere ad te pertineat, et fides intuens promissionem, statuat vere nos recipi et exaudiri a Deo propter mediatorem. Haec in veris exercitiis conversionis et in vera consolatione fiunt illustriora. Et quia requirit in usu sacramentorum fidem, manifestum est, damnari tetram impietatem, quae fingit illa opera mereri remissionem ex opere operato.

Si hi, qui ex lege sunt haeredes, irrita est promissio etc.

Quinta argumentum.

Nulla promissio pendens ex conditione legis est nobis rata et certa,

Promissionem gratiae oportet esse ratam et certam, Ergo:

Promissio gratiae non pendet ex conditione legis, sed est gratuita et accipienda fide.

Hoc argumentum sumtum est ex fontibus totius doctrinae ecclesiasticae, et est fundamentum ac συνεχὸν totius controversiae, et ostendit discrimen legis et Evangelii. Erit autem illustrius considerato primo exemplo. Cum Adam et Eva lapsi sunt, non poterant aliter ratiocinari ex lege, nisi se iam in tota aeternitate abiectos esse, et totum genus humanum iam perierat, nisi Deus edita promissione retraxisset eos ex morte, et hac promissione gratiae condidisset Ecclesiam: ita scimus Deum velle sibi in genere humano colligere aeternam Ecclesiam, quia praeter legem edidit admirandam promissionem, de mediatore, de remissione peccatorum gratuita, de reconliliatione, et de vita aeterna. Haec initia Ecclesiae considerentur, ut fiat conspectior promissio et cogitetur quomodo semper Ecclesia collecta sit, et quae res fecerit discrimen inter Ecclesiam et Ethnicos. Norunt legem utrique, et utrosque lex accusat, sed promissio gratiae facit discrimen, semper enim tantum ibi fuit, est et erit vera Dei Ecclesia, ubi manet promissio et intellectus promissionis gratiae, sicut Paulus inquit: Fundamentum alind poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.

Sint igitur in conspectu illa prima exempla Adae et Evae. Hi perspicue intellexerunt maiorem propositionem, Nulla promissio pendens ex conditione legis, est nobis rata et certa, Ipsi norant legem, sed post lapsum intelligebant se iudi-

cari a lege non liberari a peccato, et deinceps omnes sancti patres intellexerunt se lege accusari, quia lex non tantum externam disciplinam postulat, sed est triste iudicium Dei, quo Deus ostendit nobis ingentia mala in nostris cordibus, et opprimit homines terrore et dolore, in quo fugiunt Deum horribili fremitu, sicut dicitur: Deus est ignis consumens. Item: Non est pax ossibus meis etc.

Addit igitur confirmationem maiori propositioni: Lex iram efficit, id est, quia haec depravata natura nequaquam congruit cum lege. Ideo semper accusat nos lex, efficit iram, id est, pavores, tristes fremitus in corde, et exitiosos dolores in sensu iudicii et irae Dei, sicut alibi dicitur: Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati lex est, id est, vera agnitio peccati: ut cum Nathan obiurgat Davidem, Deus per illam obiurgationem tanquam suo fulmine iudicat Davidem, et ostendit ei magnitudinem peccati. Idem infra dicitur: Lex occidit etc. Ex his dictis utcunque intelligi maior propositio potest, quae infra declarabitur in capite septimo.

Confirmatio minoris illustratur ex maiore. Quia enim lex non annunciat remissionem peccatorum, imo semper accusat, satis intelligi potest, non potuisse homines salvos fieri, nisi edita perspicua et gratuita promissione de remissione peccatorum, et de restitutione iusticiae et vitae aeternae. Sicut Adam et Eva ratiocinabantur se perituros esse, et periissent, nisi Deus immensa misericordia nova reconciliatione reddidisset eis vitam, et reddidit promissione edita de semine. Ideo inquit Dominus: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit etc.

Haec amplissima promissio edita est deprecante filio, immensa bonitate Dei, non propter legem aut merita ullorum hominum, et confirmavit eam Deus multis miraculis et iureiurando, iuxta haec dicta: Iuravit Dominus, et non poenitebit eum. Item: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris etc. Est igitur certa et rata promissio de filii missione, et de beneficiis eius propter veritatem Dei, non propter ullam hominum dignitatem.

Hic utile est moneri iuniores de errore, quem monachi docuerunt et docent, et Synodus Tridentina stabilivit, videlicet, Unumquemlibet semper debere dubitare, an sibi remissa sint peccata, et an Deo placeat, et hanc dubitationem dicunt piam esse.

Hic perniciosus error delet promissionem Evangelii, et pugnat cum hac tota doctrina Pauli, et summam consolationem piis eripit. Doctrina Ecclesiae in neutra parte relinquit homines in dubitatione.

Tenendae sunt igitur hae verissimae sententiae. Qui perseverat in delictis contra conscientiam, is certo statuat se reum esse irae Dei et aeternae poenae, iuxta haec dicta: Talia facientes, non possidebunt regnum Dei. Item: Qui facit peccatum, ex diabolo est. Contra vero, quisquis convertitur ad Deum vera poenitentia, debet apprehendere fide promissionem, et statuere vere sibi remitti peccata, et se deinceps placere Deo propter mediatorem, non propter propriam dignatem, et se vivificari et sanctificari a filio Dei per Spiritum sanctum, sicut dicitur: Ipse dat nobis de spiritu suo.

Et quanquam in hac nostra infirmitate semper in singulis haeret adhuc magna dubitatio, tamen vinci dubitationem fide necesse est, alioqui cor non eluctatur ex doloribus inferorum. Ideo Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus. Item: Per hunc habemus accessum ad Deum fide. Item: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae. Item: Omnis qui credit in filium, habet vitam aeternam. Item: Qui non credit in eum, arguit eum mendacii. Non velle credere promissioni Dei propter filium traditae, est fingere peccatum et regnum diaboli potentius esse filio Dei, et pugnat cum hoc dicto: Gratia exuberat supra delictum.

Haec doctrina opponenda est impio decreto Synodi Tridentinae, et perniciosis monachorum deliramentis, et cogitanda est quotidie in omni invocatione. Item in symbolo: Credo remissionem peccatorum.

Ex his perspicuum est Ecclesiam discerni a caeteris gentibus, noticia promissionis de mediatore et eius beneficiis, sicut Paulus inquit: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Non est igitur Ecclesia Dei, ubi non est noticia mediatoris et beneficiorum eius, etiamsi est ibi aliqua legis noticia, quia nec remissio peccatorum, nec vera invocatio fieri potest, nisi fide apprehendatur promissio de gratuita reconciliatione propter mediatorem.

Hic textus etiam ostendit fidem hic intelligi non noticiam legis, quia expresse concionatur Paulus de promissione, quae hanc ipsam ob causam edita est, quia nemo lege iustus est. Et quia talis fides postulatur, quae promissionem accipit, manifestum est intelligi fidem, quae est assentiri promissioni, in qua ostenditur misericordia propter mediatorem promissa, hac misericordia ostensa acquiescit cor fiducia mediatoris, et sic accipit remissionem et liberatur ex doloribus inferorum. Sic et in Actis dicitur: Huic omnes Prophetae testimonium etc.

Praeterea manifestum est Paulum loqui de ea fide, quae affert pacem et laeticiam cordi, ut cum inquit: Iustificati fide pacem habemus. Item: Qui credit in eum, non confundetur. At noticia historiae in diabolis et aliis impiis horribiliter augent terrores, quia enim sciunt diaboli filium Dei iudicem esse, quem ipsi superbissime oderunt, et coram tota Ecclesia coelesti ostensurum esse malitiam ipsorum, et se in poenis aeternis certo futuros esse: ideo magis dolent et fremunt.

Necesse est igitur Paulum intelligi non tantum de noticia historiae, sed de hac fide, quae assentitur promissioni, et quidem sic eam accipit, ut tibi ipsi credas dari beneficia mediatoris. Et quia fides correlative se habet ad promissionem et ad mediatorem, sciendum est hanc propositionem: Fide iustificamur, correlative intelligendam esse, pro hac propositione: Propter filium Dei mediatorem per misericordiam, Gratis, accipimus remissionem peccatorum et reconciliationem fide, non propter dignitatem nostri operis, quod nominatur fides, et tamen fides est medium, quo apprehendimus mediatorem et in eo acquiescimus. Haec omnia consideranda sunt, ut propositio: Fide iustificamur, sic intelligatur, ut Paulus loquitur. Osiandri alia est imaginatio: Fide iustificamur, id est, apprehendimus Deum ipsum, ut sit in nobis, et sit efficax: et deinde dicit nos iustos esse, quia habemus iusticiam, scilicet Deum moventem nos, ut iuste agamus.

Haec dicuntur de novitate sequenti, non de acceptione remissionis peccatorum, et reconciliationis, et de consolatione, quam semper praelucere novitati oportet. Primum enim quaerit conscientia, an habeat remissionem peccatorum et reconciliationem, et hanc accipit fide intuente mediatorem Deum et hominem, sicut dictum est: Per hunc habemus accessum etc.

Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.

Haec est syllogismi conclusio, quae cum sit perspicua asseveratio de gratuita reconciliatione propter filium Dei per fidem, non solum doctrinae causa, sed etiam propter consolationem sit notissima, et semper in conspectu sit. Deus promissionem reconciliationis vult nobis ratam et firmam esse propter suam veritatem, et propter mediatorem filium, non propter nostra merita ulla. Ac vult accipi promissionem fide, et acquiescere corda nostra in ipso propter mediatorem.

Haec est summa consolatio in veris doloribus, et in hac consolatione intelliguntur haec dicta: Iustificati fide pacem habemus. Item: Qui credunt in eum, non confundentur. Et Ionae 2.: Qui non confugiunt ad misericordiam, sectantur vana. Item Ephes. 3.: Per quem audemus accedere confidenter per fidem Iesu Christi. Et Hebr. 4.: Hunc habentes pontificem etc.

Talium testimoniorum acervus teneatur, ut et de doctrina nos confirmemus, ac sciamus vere sic ad Deum accedendum esse, et vere sic recipi homines, cum in veris doloribus sustentant se promissione, et credunt se propter filium Dei recipi, et iustos, id est, acceptos esse, et hanc consolationem in quotidiana invocatione exerceamus. In his exercitiis erit illustrior et haec sententia: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio: nec aliam interpretationem addo, sed nativa sententia ex ipsis verbis sumatur.

Hae consolationes tenendae sunt contra multos errores. Monachi dicunt manendum esse in dubitatione, et dicunt: Ita placebis, si legem impleveris. Osiander sic dicit: Ita es iustus, cum iusticia essentialis impellit te ad bene operandum, iubet te quaerere quales in te sint impulsiones. Sed Paulus deducit te ad filium Dei mediatorem et ad promissionem, iuxta dicta: Per hunc audemus accedere per fidem etc. Item: Qui non confugiunt ad misericordiam, sectantur vana.

Deinde sequitur amplificatio, quae cum ostendit qualis fuerit fides Abrahae, multa docet de natura fidei, et in fine addit principalem applicationem, affirmat dictum in Genesi scriptum esse, non propter Abraham tantum, sed etiam propter nos, ut sciamus nobis quoque im-

putari iusticiam credentibus in mediatorem, et communem doctrinam esse, et ad totam Ecclesiam pertinere. Iam particulae considerentur de natura fidei: Credidit contra spem in spem, id est, contra obiecta spei, propter quae ratio desperat, Innixus est obiecto invisibili Deo monstrato in promissione, sicut fides est ἔλεγχος non adparentium. Moises credit, se evasurum esse, quanquam hostis instat et interclusus est montibus et mari. Baptista credit se victurum esse, etiamsi interficitur. Ubique magnae sunt confusiones generis humani, et multum vitiorum, quaerimus igitur: An sit et ubi sit Ecclesia? sed fide statuendum est, et esse aliquam Dei Ecclesiam, et inter has ruinas mundi non prorsus interituram esse.

Non dubitavit diffidentia.

Hic expresse ostendit fidem et dubitationem inter se pugnare, et eluctandum esse ex dubitatione. Languida fides, sed tamen fides est in illo apud Marcum, qui inquit: Credo Domine, sed opem fert diffidentiae meae. Ita eluctari fidem ex dubitatione necesse est, alioqui non sequeretur fidem pax, seu laetitia. Repetita est haec particula in dictione: Certus fuit. Haec certitudo est assentiri verbo Dei et promissioni, nec avelli propter contraria, quae ratio ostendit: ut ratio dicit, populo impossibile est per aquas evadere, sed Moises assentiens promissioni divinae retinet certitudinem. State, inquit, et videbitis magnalia Dei.

Additur hic particula: Dans gloriam Deo. Hoc insigne praeconium fidei est. Gloriam Deo tribuere, est vere agnoscere et celebrare, quod sit Deus, et quod sit sapiens, verax, bonus, iustus, omnipotens, vindex, misericors, agens liberum, conditor totius opificii mundi, conservans res, diligens et curans genus humanum, et propter filium colligens aeternam Ecclesiam in genere humano, exaudiens et iuvans invocantes fiducia filii, communicans nobis seipsum, et dans nobis Spiritum sanctum et vitam aeternam. Haec tota copulativa comprehenditur in hoc dicto: Dans gloriam Deo.

Fiunt autem haec illustria antithesi. Epicurei non tribuunt gloriam Deo, quia dicunt, eum nihil esse aut nihil curare etc. Diaboli, et Saul, Iudas et similes esse norunt Deum, et conditorem ac vindicem esse, et sentiunt eius iram, sed horribili fremitu eum oderunt, et contumeliis afficiunt, quod sit inaequalis more tyrannico. David vero, Ezechias, Daniel, et alii sancti vere tribuunt gloriam Deo, iuxta illam copulativam supra recitatam. Non solum fatentur esse Deum, et conditorem ac vindicem, sed etiam agnoscunt et fatentur bonum et misericordem esse, recipientem, exaudientem et salvantem invocantes ipsum propter filium. Ubi haec fides lucet in corde, vere tribuitur Deo gloria, et sentitur eius praesentia, et sustentatur cor fiducia auxilii divini. Ubi vero haec fides non lucet in corde, homo aut securus est more Epicureo, vel academico, plenus dubitationum, et non est domilicilium Dei, aut sentiens iram horribiliter fugit Deum. Neutri invocant Deum, neutri expectant auxilium a Deo, ideo non tribuunt ei gloriam bonitatis, sed afficiunt eum contumelia.

Ex hac antithesi aliquo modo intelligitur horrenda peccata esse, non credere remissionem peccatorum, et non invocare Deum, quia non tribuitur gloria Deo debita. Excitentur ergo corda ad veram conversionem, et erigantur fide accipiente beneficia mediatoris, et petant augeri fidem et veram invocationem. De hac gloria saepe concionantur Prophetae, ut Ieremiae 13.: Date Domino Deo vestro gloriam antequam fient tenebrae, id est, Credite ei iuxta omnes articulos fidei, Convertimini et invocate eum. Et Malachiae 2.: Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem.

Traditus est propter peccata nostra, et resurrexit propter iusticiam nostram.

Discernit Paulus meritum Christi et distributionem meriti. Tota obedientia Christi est pretium pro nostris peccatis et propiciatio, qua placatur ira Dei. Reviviscit autem Christus, et quia est victor mortis, et ut regnet ac nobis merita sua adplicet, ac reddat nobis vitam et iusticiam aeternam, sicut Oseae 13. dicitur: O mors, ero mors tua, et inferne ero pestis tua. Et Esaiae 25.: Absorpta est mors in perpetuum. Et quanquam aliud est meritum Christi, et aliud adplicatio ad nos, tamen haec adplicatio ita fit simul et eodem tempore, cum homo convertitur ad Deum, et fide ac agnitione filii Dei erigitur, ut simul fiant remissio peccatorum, iustificatio, re-

conciliatio, et donatio Spiritus sancti, iuxta haec dicta, Iohannes 3.: Qui non credit, manet ira Dei super eum. Acto. 10.: Remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Et Galat. 3.: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem etc.

Quanquam enim praecessit meritum, tamen ita ordinatum fuit ab initio, ut tunc singulis adplicaretur, cum fide acciperent. Nec imaginandum est, peccata Neronis remissa esse, sed tantum hoc ei deesse, quod non sit iustus.

Hanc distractionem excogitavit diabolus, ut peccati magnitudinem extenuaret, et confirmaret securitatem Quare contra tales furores muniti simus divinis testimoniis perspicuis. Cum autem inquit Paulus: Resurrexit propter iusticiam nostram, intellige consummatum beneficium, id est, propter remissionem peccatorum, reconciliationem, vivificationem et iustificationem, vitam, insticiam et laetitiam aeternam. Sicut et Daniel loquitur, inquiens: Peccatum delebitur et adducetur iusticia sempiterna.

Caput V.

Iustificati ergo fide pacem habemus apud Deum etc.

Initium Capitis quinti est epilogus, in quo brevissime repetita est principalis propositio, et additur amplificatio necessaria de effectibus reconciliationis, videlicet de consummatione beneficii Christi.

Quid enim prodesset accepisse remissionem peccatorum, si non sequeretur vita et iusticia aeterna? Ideo iam de his beneficiis concionatur, quae fidem sequuntur, et simul respondet obiectioni omnium hominum: Quid gloriamini vos esse Ecclesiam Dei, vos iustos et Deo caros esse, cum sitis omnium hominum miserrimi, sine imperio, sine defensione, dissipati, vagantes incertis sedibus, et multis modis aerumnosi?

Ad has obiectiones respondet: Fateor, inquit, Ecclesiam Dei certo consilio subiectam esse cruci, sed tamen est haeres aeternae vitae, insticiae et laetitiae, hanc certo expectamus inter has aerumnas, et addit argumenta consolationis, sumta ex testimoniis amoris Dei erga nos in ipso filio, et ex testimonio Spiritus sancti, in consolatione cordium nostrorum inter ipsas aerumnas.

Haec est epilogi summa. Postea instituit aliam partem, quae est tanquam methodus de praecipuis articulis doctrinae, quae propria est Ecclesiae, videlicet de peccato, unde sit, quid sit, et quale sit. Deinde quis sit usus legis. Tertio quid sit gratia, et quae sit gratiae amplitudo.

Nunc diligenter consideretur proprietas verborum textus: Iustificati fide, id est, absoluti a peccatis, et reconciliati ac accepti Deo per fidem, scilicet, quae nititur mediatore Christo Deo et homine, pacem habemus erga Deum, id est, consolationem ipsa fide sentimus, qua liberamur ab ira Dei et horrendis doloribus inferorum, de quibus dicit Ezechias: Sicut leo contrivit omnia ossa mea.

Loquitur ergo Paulus de consolatione, qua corda liberantur ab illis doloribus et vivificantur, sicut supra inquit: Iustus fide sua vivet, et infra: Qui credunt in eum, non confundentur. Et Psalm. 2.: Beati omnes qui confidunt in eo. Et Psalm. 118.: Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti, Haec me consolata est in humilitate mea, Quia eloquium tuum vivificat me. Et Psalm. 129.: Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino etc.

In spe gloriae Dei etc.

Manifesta asseveratio est, quod iustificati fide placeant Deo propter mediatorem, et sint haeredes vitae aeternae. Hanc doctrinam et consolationem de consummato beneficio tenere necesse est: ne cogitemus, etsi iam conversus sum ad Deum, et annunciata est mihi remissio peccatorum, tamen postea incertum est, an placeam Deo, cum tanta sit infirmitas, et an sim haeres aeterni vitae. Adversus has dubitationes perspicuam doctrinam et consolationem hic tradit, affirmat conversos ad Deum, placere Deo propter mediatorem fide, et propter eum certo haeredes esse vitae aeternae, non propter propriam dignitatem.

Sicut et Ioan. 3. dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et 1. Ioan. 5.: Qui habet filium, habet vitam. Et Romanorum octavo: Quos iustificat eosdem et glorificat. Ita hic inquit: Per Christum habemus accessum ad Deum in gratiam, id est, gratuitam acceptationem, in qua stamus, scilicet, retinentes fidem: Sumus et deinceps ac-

cepti, et gloriamur spe gloriae Dei, id est, laetamur et statuimus, quod Deus sit nos gloria sua aeterna ornaturus, id est, vita aeterna et communicatione sui ipsius, videlicet suae lucis, sapientiae, iusticiae et laetitiae aeternae. Et phrasis observetur: Gloria Dei, scilicet, quatenus eam nobis communicat, et facit nos similes sibi, ut Ioannes loquitur.

Significat autem gloriari, laetari, et statuere aliquid nobis gloriosum esse, id est, rem bonam seu salutarem esse. Ita laetamur spe venturae gloriae, et ducimus illam gloriam esse veram salutem et liberationem.

Hic et definitio spei teneatur: Spes est certa expectatio aeternae vitae, Gratis dandae propter mediatorem, et mitigationis praesentium calamitatum, iuxta consilium Dei.

Imo etiam gloriamur in afflictionibus.

Legis et rationis iudicium est, Iustis debet bene esse. Id verum est, sed intelligendum est iuxta Evangelii declarationem, quod docet, quomodo homines fiant iusti, et quando sint accepturi praemia, et cur in hac vita subiecti sint cruci. Sed mundus haec ignorans, iudicat ex tristissimis spectaculis miseriarum Ecclesiae, negligi eam a Deo.

Adversus hoc iudicium confirmat nos Deus in tota doctrina Ecclesiae, ut Psalm. 33.: Multae tribulationes iustorum, sed ex omnibus his liberabit eos Dominus. Et Paulus hic inquit: Gloriamur in afflictionibus, Laetamur et statuimus eas esse non signa irae Dei, sed res bonas, ut Psalmus inquit: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas etc.

Intexit autem Paulus hanc necessariam commemorationem de afflictionibus, ut occurrat humanae obiectioni: Si sumus iusti et cari Deo, cur sumus in tantis aerumnis?

Respondet autem breviter: Hae aerumnae sunt exercitia fidei et spei, non sunt signa irae Dei adversus nos. Iam huc adiungatur integra doctrina, quare totum genus humanum sit subiectum morti et aliis calamitatibus? Deinde quare Ecclesia magis aerumnosa sit, quam alii homines.

Prima causa est mortis et communium calamitatum in toto genere humano, lapsus primorum parentum, et peccatum quod nascentes afferimus. Deinde cumulantur poenae actualibus delictis quotidie, et accedunt furores diabolorum, qui in hanc miseram et desertam naturam exercent horribilem saevitiam, quia sunt homicidae. Sed quare Ecclesia magis est aerumnosa. Hic primum repetendae sunt communes causae, quia omnes nascimur cum peccato. Vult autem Deus in Ecclesia praecipue intelligi iram adversus peccatum, quod mundus securus contemnit. Exercetur ergo Ecclesia durius, ut commonefiat de ira Dei. Huc pertinent δοκιμασίαι, iuxta dictum: Filium quem diligit, castigat.

Secunda, Diabolus odio Christi atrocius saevire conatur in Ecclesiam.

Tertia, Valde multa sunt et actualia delicta in Ecclesia, ut Davidis adulterium, Manassae idolatria. Haec etiam Deus punit atrocibus poenis in hac vita, ut in aliis hominibus. Huc pertinent τιμωρίαι.

Quarta, Supplicia in confessione sunt testimonia, quod sancti vere sic sentiant sicut docent. Sunt item testimonia, quae ostendunt restare aliud iudicium: quia enim Deus antea ostendit se Paulo adesse resuscitanti mortuos, et deinde finit eum interfici a Nerone, significat postea discrimen fore inter Paulum et Neronem.

Quinta, Quia vult Deus excellentia membra in Ecclesia fieri conformia filio Dei.

Sexta, Vult Deus conspici suam praesentiam in genere humano, et praesertim in Ecclesia, ut refutentur Epicurei. Ideo non habet Ecclesia defensionem ut imperia mundi, et accidunt sanctis, multa inextricabilia humano consilio, sicut inquit Ieremias: Scio Domine, quod non sit hominis via eius. Item: Cum nescimus quid agendum sit, oculi nostri ad te Domine tolluntur: ut lapsus Adae, venditio Ioseph, Davidis exilium, morbus regis Nabuchodonosor etc.

Conspicitur igitur praesentia Dei, cum sic liberantur sancti, ut fateri ipsos et alios necesse sit, divinitus servatos esse. Sic orat Moises in numeris Cap. 14.: Ut audiant Aegyptii, quod tu Domine sis in hoc populo. Et 1. Reg. 17. inquit David: Ut sciat omnis terra, quod est Dominus Deus in Israël. Et Ieremiae 14.: Tu autem in nobis es Domine, et nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos.

Hae causae, quare Ecclesia cruci subiecta sit, semper sint in conspectu, et sciamus Deum postulare obedientiam in poenis, et in cruce, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei. Item:

Subditus esto Deo, et spera in eo. Deinde et consolationes adiungamus, quarum aliquae et ex his causis, quas recensui, oriuntur. Ut enim et velimus obedientiam, quod velle est virtus, quae nominatur Patientia, et laeti expectemus exitum, necesse est in adversis videre aliquas res bonas, scilicet voluntatem Dei bonam, praesentiam Dei, auxilium Dei, bonum finem.

Cum haec bona cernimus in adversis, incipimus aliquo modo velle hanc obedientiam propter Deum, et non tantum sumus in dolore, sed fide et spe vivificamur, et aliquo modo laeti expectamus exitum. Nam consolatio debet aliquam laetitiam, quantulacunque est, in corde efficere. Iam sit in conspectu discrimen consolationum philosophicarum et theologicarum.

Loci philosophici sunt:

1. Necessitas.
2. Dignitas virtutis.
3. Bona conscientia.
4. Exempla.
5. Utilitas aliorum, ut in militia.
6. Collatio eventuum.

Loci theologici sunt:

1. Necessitas, videlicet, lex et iusticia Dei.
2. Dignitas virtutis.
3. Bona conscientia.
4. Remissio peccatorum et reconciliatio.
5. Agnitio praesentiae Dei et auxilii divini.
6. Spes mitigationis et liberationis finalis, et invocatio.
7. Exempla.
8. Utilitas aliorum.
9. Collatio eventuum.

Considerata autem communi doctrina de Patientia et consolationibus, gradatio in textu melius intelligetur. Tribulatio videlicet, totum hoc onus miseriarum in Ecclesia patientiam efficit, videlicet in his, qui cernunt bonam voluntatem Dei, et praesentiam Dei in adversis, et fide et spe erecti sunt: ut in Davide exulante, non in Epicureis aut in Saule: hi cum tantum videant mala, non sunt patientes. Ut igitur sit patientia, necesse est, ut praeluceat doctrina de causis, quare Ecclesia subiecta sit aerumnis. Item fides, quae accipit reconciliationem et cernit praesentiam Dei, et spes quae expectat auxilium et liberationem.

Ac teneatur discrimen philosophicae et Christianae patientiae.

Philosophica patientia est non facere contra iusticiam aut alias virtutes fractos dolore, ut Cato facit contra iusticiam, quia propter dolorem sibi conscivit mortem. Aristidis tolerat iniurias patienter, et ut dolor aliquo modo leniatur, quaerit alias causas ex his, quas recensui: quarum praecipua est, Bona conscientia, et haec qualiscunque patientia potest esse sine spe auxilii et liberationis.

Sed patientia Christiana est, non solum nihil contra Deum facere fractos dolore, ut facit Saul, sed est aliquo modo velle obedientiam, agnitione bonae voluntatis Dei et praesentiae Dei, et hac fide et spe auxilii divini et liberationis habere cor vivificatum verbo Dei, ita, ut aliqua sit laetitia minuens dolorem: ut David in exilio vult aliquo modo obedientiam propter Deum, et quanquam ingentem dolorem circumfert, tamen sentit verbo vivificari cor, ut aliqua sit laetitia minuens dolorem.

Patientia probationem.

Id est, patientia efficit explorationem, quae ostendit fidem non esse simulatam, sed veram, vivam et ardentem. Ostendit autem afflictio et aliis et nobis ipsis, fidem non simulatam esse. Ac de aliorum testimonio non est opus declaratione. Cum alii vident, senes sapientes malle interfici, quam abiicere confessionem, ratiocinantur eos vere hoc sentire, quod profitentur, nam sani homines non vellent tam tristia pati propter inanes fabulas.

Plus autem est, quod cum non deficimus in afflictionibus, nos ipsi sentimus incrementa et consolationem, motus Spiritus sancti et praesentiam Dei, sicut Paulus inquit: Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Item: Accepistis spiritum adoptionis filiorum clamantem Abba Pater, qui dat testimonium spiritui nostro. Et Nahum primo: Bonus Dominus et confortans in die tribulationis, et curans sperantes in ipsum. Esaiae 28.: Quem docebit scientiam? Ablactatos a lacte. Item: Vexatio dat intellectum. Item: Erudiet eum in iudicio Deus et docebit eum. Ecclesiast. 30.: Qui non est tentatus, qualia scit?

Probatio spem.

Id est: In illo exercitio fides et spes confirmantur. Sunt autem vicini motus fides et spes, et semper coniuncti sunt, et tamen aliquod est discrimen obiectorum.

Fides est motus apprehendens verbum Dei, et Deum ipsum, et in praesentia accipiens reconciliationem. Ita fit consolatio et laetitia cum hoc praesens bonum apprehenditur.

Sed spes est certa expectatio vitae aeternae, propter mediatorem promissae, et expectatio futurae mitigationis in hac vita, iuxta consilium Dei. Sic inquit Esaias: In silentio et spe erit fortitudo vestra.

Primum praecipit silentium, id est, hanc obedientiam, quae est non irasci Deo in afflictionibus, et non quaerere inconcessa praesidia, sed praelucente fide et agnoscente voluntatem Dei et praesentiam Dei, flectere corda aliquo modo ad obedientiam, ut velint perferre afflictiones.

Deinde spem praecipit, quae intuetur venturam liberationem, seu mitigationem. Ita inquit: Silentes et sperantes servabimini, eritis fortes, consistetis, habebitis bonos eventus, iuxta illa dicta: Omnis qui credit in eum, non confundetur. Psal. 9.: Et sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quia non derelinquis quaerentes te Domine.

Spes non confundit.

Phrasis Hebraica est: Spes non confundit, id est, non frustratur sperantem, sic enim saepe verbum confundere seu pudefacere usurpatur pro frustrari. Est autem asseveratio et consolatio opponenda prophanis iudiciis, quae existimant dicta de venturo iudicio, et promissione salutis, et minas poenarum post hanc vitam esse inanes fabulas.

Contra haec humana iudicia edidit Deus suam vocem et testimonia illustria affirmat mortuos revicturos esse, et secuturum esse iudicium post hanc vitam, in quo credentibus in filium dabit vitam, sapientiam, iusticiam, laetitiam, et vitam aeternam. Impios vero abiiciet in aeternos cruciatus. Et Christus sua resurrectione et multorum resurrectione haec certo eventura esse ostendit.

Ad haec testimonia adiungatur hoc dictum, Spes non frustratur, scilicet credentes in filium. Sed hic in singulis conscientia disputat.

Promissio pertinet ad dignos:
Ego autem sum indignus etc.

Quare etiamsi promissio facta est, et mandatum est, ut speremus, tamen fortassis promissio nihil ad me attinet.

Adversus hanc obiectionem necesse est nosse discrimen legis et Evangelii, et scire doctrinam de particula exclusiva, Gratis. Haec est epitasis certaminis, An Deus velit nobis remittere peccata, et an velit nobis dare aeternam salutem cum simus indigni?

Hic necesse est nosse vocem Evangelii propriam. Propter filium Dei gratis tibi donantur remissio peccatorum, reconciliatio, seu iustificatio, donatio Spiritus sancti, et vitae aeternae, quanquam sumus indigni, mandatum Dei immutabile est, ut hoc credamus, iuxta dictum: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Quia dilectio Dei effusa est in corda nostra.

Videtur obscura esse ratio consequentiae, Spes non confundit, quia dilectio Dei effusa est in corda nostra. Minus videretur obscura consequentia, si sic diceret: Spes non confundit, quia promissio est certa et rata: nam haec ratio sumitur ex proximo obiecto spei, quod notum est ex promissione. Reipsa vero idem dicit Paulus, sed addit aliquid, Est enim sententia: Spes non confundit, quia Deus certo nos diligit, et hanc dilectionem apprehendimus ipso motu fidei, quo simul Spiritus sanctus est efficax, et erigit corda in veris doloribus, consolatione et laetitia, atque ita Spiritus sanctus est arrabo, et dat testimonium spiritui nostro.

Significat igitur dilectio Dei hoc loco dilectionem, qua nos diligit Deus, ut infra: Quis separabit nos a dilectione Dei? scilicet, qua nos diligit. Et simul verum est, tunc in corde vicissim accendi dilectionem nostram erga Deum.

Hic multae quaestiones moventur, An dilectio sit ipse Spiritus sanctus substantialiter, Et nulla sit ponenda dilectio Dei creata in homine? Item, An noticia, quae est fides, sit ipse filius Dei, Verbum, Et nulla sit ponenda noticia promissionis creata in homine?

Hae quaestiones et olim motae sunt, et nunc ab Osiandro renovantur: Ut si quis imaginetur,

hominem iustum nihil in seipso mutatum esse, sed tantum esse domicilium habitantis ibi Patris, Filii et Spiritus sancti, ut cum in dolium infunditur aqua, nulla fit dolii mutatio.

De his quaestionibus respondeo proposito exemplo primae conversionis. Cum Adam audiret Deum loquentem, simul foris audit promissionem vocalem, quam sonat filius, et ille idem filius Dei in corde hominis tunc adest, et facit, ut luceat illustris noticia et assensio in mente, in qua noticia intelligit Adam se a Deo recipi, et agnosci aeterni patris voluntatem, et simul effundit filius Spiritum sanctum in cor Adae, quo sentit Adam vitam et laetitiam.

Hic in mente non tantum est filius, sed etiam creata noticia et assensio, qua Adam intelligit verbum et credit, et in corde non tantum est increatus Spiritus sanctus, sed etiam laetitia accensa per Spiritum sanctum, quia Verbum et Spiritus sanctus non sunt ibi, ut in dolio aqua, sed homo renascitur, et habet accensam noticiam creatam, et motus seu affectus a Spiritu sancto creatos, sicut ad Galatas dicitur: Fructus spiritus est dilectio, gaudium, pax, fides etc. 2. Corinth. 3. dicitur: Nos retecta facie gloriam Domini intuentes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a spiritu Domini.

Ratio secura non cernit iram Dei adversus peccata, non cernit praesentiam Dei in consolatione, seu laetitiam in Deo. Sed in vera conversione sentit homo iram Dei et laetitiam in Deo. Ibi retecta facie cernit gloriam Dei, id est, cernit in verbo iudicium et misericordiam Dei, et verbo lucente in mente transformantur mens et cor in similem gloriam, id est, habent iam noticias et motus congruentes cum verbo, et haec fiunt, cum audito verbo spiritus Dei accendit novos motus in nobis. Non diceret Paulus, Nos in eandem imaginem transformari, si tantum ibi esset divinitas, et nulla creata noticia vel dilectio. Item, Rom. 8.: Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro. Ergo et nos habemus noticias et affectus congruentes cum Spiritu sancto in vera consolatione.

Quanquam igitur noticiae, pavores, laetitiae excitantur in nobis, tamen discrimen inter causam et effectus tenendum est, ut 1. Iohan. 3. dicitur: Erimus ei similes. Fit igitur et in nobis mutatio, et quomodo fiat, in vera conversione, in doloribus et consolatione discimus. Hanc simplicem et veram sententiam teneamus, et non turbemur praestigiis sophismatum, quae opponuntur.

Christus cum adhuc essemus infirmi etc.

Sequitur amplificatio, quae colligit signa et testimonia, quod Deus diligat nos, sed hoc summum et ineffabile beneficium, scilicet, quod dedit filium pro nobis, et quidem voluit hunc ipsum esse certum pignus verae et immutabilis dilectionis etc.

Vix pro iusto aliquis moritur.

Hunc amorem amplificat duplici collatione: Vix pro iusta re aliquis moritur, id est, etiam cum debemus mori, tamen inviti oppetimus mortem, ut latro invitus moritur, etiamsi debet mortem legibus. Intelligas igitur verba Pauli: Pro iusta, id est, pro re iusta, seu causa iusta, seu debito.

Pro bono ausit aliquis mori.

Altera collatio est: Pro bono ausit aliquis mori, id est, pro bona et suavi re, id est, incitati cupiditate aut opinione magnae utilitatis nostrorum facilius suscipimus pericula, ut vir fortis adit mortem pro defensione coniugis, liberorum aut dignitatis.

Ex his duabus propositionibus argumentatur, et amplificat amorem Dei et Christi erga nos, a collatione causarum.

Necesse est hunc magna vi amoris moveri, qui bene facit alteri cum suo dolore, cum nihil ei debeat, et nihil inde accipiat utilitatis, quia etiam qui debent poenam legibus, tamen inviti moriuntur. Alii fortassis, si qui mortem adeunt, moventur opinione aliqua magnae utilitatis suorum, aut sua gloria.

At Christus pro nobis mortuus est, cum nobis non deberet, nec aliqua sua utilitate moveretur.

Ergo necesse est ingentem et ineffabilem vim esse amoris in ipso erga nos.

Haec congruunt cum dicto: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret pro nobis. Et Dominus petit: Sic dilectio tua in eis, qua me diligis.

Commendat autem Deus nobis suum amorem.

Commemorata dilectione redit ad illam partem epilogi, quam instituerat de salvatione, seu de consummatione beneficii filii Dei. Cum Deus nos propter Christum immensa misericordia receperit, cum essemus iniusti, quanto magis aeternam salutem dabit, postquam nunc iustificati sumus iusti sanguine Christi. Hanc doctrinam de consummatione beneficii necesse est addi, quia quid prodesset receptos esse, si non sequeretur aeterna salus. Haec perspicua sunt.

Sciamus autem et dulcissimam consolationem tradi adversus ingentem imbecillitatem, quae reliqua est in his, qui iustificati sunt in hac vita.

Affirmat enim hos certo haeredes vitae aeternae: quanquam haerent in nobis reliquiae peccati, tamen iustificati sumus sanguine Christi, id est, teneamus hanc consolationem, nos esse reconciliatos, id est, placere Deo propter mediatorem, quanquam sumus indigni et infirmi, et expresse dicitur: Iustificati sanguine, id est, obedientia Christi, sicut infra dicitur: Per unius obedientiam iusti constituuntur multi. Et interpretatur ipse hic vocabulum iustificati, vocabulo reconciliati, ut sciamus in vocabulo, Iusti, oportere intelligi relationem, videlicet reconciliationem seu acceptationem, quae fit propter mediatorem Deum et hominem.

Et tamen verum est, sicut infra dicitur: Per Christum dari gratiam et donum: Cum fide reconciliationem apprehendimus, vivificari nos per filium, sicut ipse inquit: Ego vitam aeternam do eis. Item: Qui habet filium, habet vitam. Item: Dat nobis de Spiritu suo. Sed praelucere illam consolationem oportet, quae statuit nos propter mediatorem Deum et hominem, recipi et placere, sicut hic inquit: Iustificati sanguine.

Gloriantes in Deo.

Non gloriantes in nobis ipsis, hoc est, non tribuentes nobis, quod nostrae virtutes, nostra novitas, nostra merita sint causa huius tanti beneficii, sed Deus propter filium dat Gratis, et reconciliationem et vitam aeternam. Sicut alibi inquit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Item: Gaudens gaudebo in Domino, quod vestimentis iusticiae induit me, et vestimento salutis vestivit me.

Opponantur autem et haec dicta nostrae infirmitati, et statuamus certum esse beneficium, donationem vitae aeternae propter mediatorem, etiamsi adhuc haerent in nobis reliquiae peccati, iuxta dictum: Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit etc.

Superior pars Epistolae exposuit propositionem, iustificari homines fide propter filium Dei mediatorem, non propter legem, aut propter nostra opera, et propositioni addidit confirmationem.

Nunc velut novum librum incoans instituit ἀνάλυσιν, in qua exponit singula vocabula, videlicet peccati, Legis, Gratiae, et copiose docet Ecclesiam, unde sit peccatum, et qui sint eius effectus. Deinde quis sit effectus principalis legis. Postea unde sit gratia, quid sit, et quae beneficia complectatur.

Quid sit Lex.

Lex moralis est aeterna et immota sapientia et norma iusticiae in Deo, patefacta hominibus, transfusa in nos simili luce in creatione, et postea promulgata in Decalogo, ut sciamus quod sit Deus, et qualis sit, et discernamus eum a malis naturis, et intelligamus nos oportere ei conformes esse, omnes creaturas rationales obligans, ut sint tales, quales illa sapientia Dei esse praecipit, postulans integram obedientiam, et denuncians aeternam iram Dei omnibus, qui non sunt tales iuxta integram obedientiam, nisi fiat remissio propter filium.

Haec definitio sumitur ex verbis Decalogi Exod. 20. et ex Capite quarto Deut.: Haec est sapientia vestra et intellectus etc. Item: Deus ignis consumens est. Item: Maledictus omnis qui non manet in omnibus, quae in lege scripta sunt.

Prudenter autem discernantur a lege morali Ceremoniales et Forenses. Quia enim Deus constituit politiam Israël, ut certus locus esset, in quo ex certa stirpe nasceretur Christus, et ubi conspiceretur, doceret, ederet testimonia, pateretur, et refugeret, sunt additae leges ceremoniales et forenses ad certum tempus, quia societas humana in hac civili consuetudine non potest esse sine ordine et sine iudiciis. Voluit autem

Deus haec externa opera esse exercitia interioris iusticiae in cordibus.

Quid est peccatum?

Brevis et concinna definitio est peccati apud Iohannem. Peccatum est non congruere cum lege Dei. Ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Intelligatur autem in hac descriptione et hoc, quod propter hanc ἀνομίαν homo sit reus irae Dei.

Recte autem constituta est haec definitio, qui privationes ita intelliguntur, cum ad normam conferuntur. Iohannes igitur erudite describit peccatum collatione legis, et deducit nos ad normam.

Est autem communis haec definitio peccati originali et actuali: sed quia homines prophani contenderunt nihil esse peccatum originale, necesse fuit proprias appellationes et descriptiones constituere.

Peccatum originis est reatus propter lapsum primorum parentum et pravitatem secutam lapsum primorum parentum in omnibus propagatis secundum naturam, quae pravitas est multiplex caligo in mente de Deo, et concupiscentia repugnans legi Dei, et propterea non tantum poena est, sed vere peccatum, propter quod et rei sunt aeternae irae homines nascentes, nisi renascantur per filium Dei.

Vulgata Anselmi definitio prorsus idem dicit quod nostra, sicut et ipse eam copiose enarravit. Peccatum originis est carentia iusticiae originalis, quae debebat inesse. Nam iusticia originalis fuisset non tantum acceptatio, sed etiam integritas virium, seu rectitudo, in qua fuisset homo templum Dei, et fuisset congruentia in omnibus viribus cum lege Dei.

Causa peccati originalis est diabolus et voluntas primorum parentum, quae cum esset libera, per sese avertit se a verbo Dei, nec retinuit obedientiam erga Deum. Ideo, quia dona acceperant primi parentes pro toto genere humano, et personae eorum repraesentabant totam posteritatem, fit rea posteritas propter eorum lapsum, et quia ipsi amittunt prima dona, tales postea gignuntur, quales isti sunt amissis donis, id est, afferunt tenebras de Deo et aversionem a Deo, et non sunt templum Dei, quare nec lucem divinam, id est, firmam assensionem de Deo, nec motus divinos habent, nec vires possunt congruere cum lege Dei. Iam cogita et de lapsus magnitudine et de miseria nostrae naturae. In primo lapsu multa sunt delicta.

Primum, est dubitatio de verbo Dei.

Secundum, amissio fidei. Non enim credunt Deo minitanti poenam, sed fascinati speciosa promissione diaboli, desinunt metuere poenam, et ardent illa cupiditate maioris gloriae: Eritis sicut Dii.

Tertium igitur peccatum, est curiositas, discedere a verbo, et quaerere aliam sapientiam.

Quartum, superbia, qua volunt sese magnificare.

Quintum, contemtus Dei, cum violant mandatum contra conscientiam.

Sextum, quod anteferunt diabolum Deo.

Septimum, ingratitudo, quod expellunt spiritum Dei in ipsis habitantem.

Octavum, homicidium sui et totius posteritatis, et quod hic lapsus est prima ianua omnium scelerum et miseriarum posteritatis.

Tantus acervus ingentium delictorum fuit in hoc lapsu, de quo propter multas causas diligentissime cogitandum est. Magnitudo vero miseriae nostrae conspicitur in effectibus primi lapsus.

Effectus.

Monachi dixerunt hoc malum, quod usitate vitiosa concupiscentia nominatur, non esse peccatum, non esse peccatum, sed tantum poenam, et nominarunt fomitem. Nos dicimus, illam vitiosam concupiscentiam, et poenam in rea natura, et peccatum esse.

Secunda poena est mors et omnes calamitates generis humani.

Tertia poena est, quod haec infirma natura subiecta est tyrannidi diaboli, qui et corporalibus malis conatur perdere homines, et impellit eos ad peccata omnis generis, ad blasphemias, haereses, caedes, libidines et alia, sicut expresse dictum est: Intravit in eum Satanas.

Philosophi mirati sunt, unde in tam praestanti natura generis humani tantum sit, non modo calamitatum, sed etiam scelerum, cum quidem secundum naturam sit recte facere, ut Quintilian. ait: Magis mirum est plures homines esse malos, quam paucos bonos, cum recte facere sit secundum naturam. Sed sola doctrina Ecclesiae Dei monstrat causam, scilicet, peccatum originis.

Ac magnitudo mali originalis praecipue declaratur his verbis Pauli, quae sequentur in octavo Capite: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum, lege enim Dei non subiicitur, ac ne potest quidem subiici. Sensus carnis significat et opiniones de Deo et affectus, quales sunt in hac humana natura, non renata luce Evangelii et Spiritu sancto.

Magna et tristia mala sunt dubitationes de Deo, de providentia, de iudicio Dei, de minis et promissionibus divinis, de praesentia Dei in conservatione et sustentatione rerum, ignoratio filii Dei, sicut scriptum est: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.

Postea sunt in voluntate et corde aversio a Deo, non habere timorem Dei, non ardere fide et dilectione, et sunt errantes motus innumerabiles, sicut aestus in Syrtibus, amores iniusti, odia iniusta, ambitiones, cupiditas vindictae.

Hanc totam confusionem nominat Paulus Sensum carnis, et haec magna mala, ait, inimicitiam esse adversus Deum. Nihil potuit dici atrocius, et tamen propriissime dictum est, et addit explicationem, cum inquit, haec mala pugnare cum lege. Ita tota peccati definitio comprehenditur, Peccatum est quicquid pugnat cum lege Dei, propter quod et persona rea est, nisi fiat remissio propter filium. Hic reatus expresse significatur vocabulo Inimicitiae.

Similis descriptio est apud Ieremiam Cap. 17.: Perversum est cor super omnia, et aerumnosum, id est, plenum doloribus. Priore vocabulo significatur culpa, quia perversitas est aversio a Deo, seu non congruere cum Deo, seu non congruere cum Deo, et haec culpa causa est condemnationis et poenarum, in quibus augentur peccata, ut Saul, Iudas in poenis fiunt magis furiosi, et sentiunt horrendos dolores.

Talia dicta prophetica et apostolica brevia sunt, sed pia cogitatione evolvenda sunt, et magnitudo nostrae miseriae cogitanda est, ac iram suam Deus et in his dictis patefacit, et ostendit in mole calamitatum generis humani, in morte, morbis, fame, bellis, vastationibus et aliis aerumnis. Agnoscamus igitur iram Dei, et confugiamus ad mediatorem. Taxemus etiam coecitatem eorum, qui contendunt hos defectus in homine non esse proprie loquendo peccata, sicut Tridentina Synodus impie lusit ambiguitatibus.

Per unum hominem peccatum intravit in mundum.

Haec pars Epistolae, ut supra dixi, ἀνάλυσις est, in qua declarantur vocabula Peccati, Legis, et Gratiae. Et complectitur Paulus uno nomine peccati, malum originale et actualia delicta. Ecclesia autem postea nominatim distinxit has species, quia fuit opus nova adpellatione, cum Pelagius contenderet, loqui Paulum tantum de actualibus delictis et de exemplo Adae. At Paulus affirmat, intrasse peccatum propagatione. Expresse enim inquit: Propter inobedientiam unius peccatores sunt alii. Item: Propter unius delictum condemnatio pervasit in omnes. Est ergo aliquod propagatum peccatum, cuius poena est mors etiam in his, qui non habent actualia delicta, ut in infantibus. Nam si nulla esset propagatio peccati, non posset dicere Paulus, caeteros propter Adam habere peccatum.

Expresse igitur dicit: Mors pervasit in omnes, quia omnes peccaverunt, id est, omnes habent peccatum, scilicet pravitatem propagatam et reatum. Phrasis enim Ebraea consideranda est, in qua verba non tantum significant actiones, sed saepe aliquid habituale. Peccaverunt, id est, habent peccata, et in vocabulo Peccati intelligantur pravitas et reatus, quia hic Paulus utrunque complectitur.

Usque ad legem peccatum.

Non solum hoc vult, peccatum fuisse in mundo ante promulgatam legem, sed etiam illud hic attexit, Lege non esse abolitum peccatum. Ideo inclusive intelligatur hoc dictum: Usque ad legem peccatum erat in mundo, id est, etiam cum lex Moisi promulgata est, tamen mansit peccatum. Ita breviter admonet, Lege non tolli peccatum et mortem, quia externa iusticia, quam utcunque praestant homines legem imitantes, non liberat a peccato, nec est incoatio vitae aeternae, sed est qualecunque frenum externum. Interea manent in homine tristissimae dubitationes de Deo, aversio a Deo, et multiplex immunditics cordis: et cum arguitur conscientia, et quaerit iustificationem in lege, tunc lex habet praecipuum effectum, accusat et condemnat omnes, et obruit horrendis doloribus, sicut postea inquit Paulus: Lex occidit etc. et est ministerium mortis. Sequitur ergo de effectu legis: Sed peccatum non reputatur, ubi

non est lex, id est, Ubi non est lex, non agnoscitur, non accusatur peccatum in nobis ipsis. Loquitur enim Paulus de iudicio nostrae conscientiae. Semper autem fuit moralis lex accusans peccata.

Hic autem fit mentio promulgationis, quia tunc Deus manifestis testimoniis sanxit legem, et ostendit naturalem noticiam, vere radium esse suae sapientiae, et iudicium adversus peccatum. Manifestum est autem promulgata lege, et constituta politia Mosaica, tamen non cessasse peccatum et mortem.

Mors regnavit ab Adam usque ad Moisen.

Inclusive et hoc dictum intelligatur: etiam postquam Moises accepit legem, et haec politia constituta est, tamen mors non cessavit: et addit, mortem regnasse in eos, qui non peccaverunt secundum similitudinem transgressionis Adae, id est, etiam infantes morti subiecti sunt, quanquam non habent actualia delicta. Nam Paulus actuale delictum nominat transgressionem. Ideo autem hoc dicit, ut primam propositionem confirmet, quod sit peccatum propagatum ab Adam. Cum enim causa mortis hominum sola sit peccatum, et infantes subiecti sint morti, manifestum est et in infantibus peccatum esse, scilicet pravitatem propagatam et reatum.

Qui est forma futuri.

Hactenus de peccato originis concionatus est, et affirmavit esse quoddam peccatum in natura hominum propagatione, quod et radix est actualium delictorum, et non esse abolitum lege. Nunc antithesis additur de Messia, et de beneficiis quae ipse proprie affert generi humano, de quibus et Daniel inquit: Finietur praevaricatio, et obsignabitur peccatum et fiet propiciatio pro iniquitate, et adducetur iusticia sempiterna, et implebitur Visio et Prophetia, et ungetur Sanctus Sanctorum. Ita Prophetae expresse affirmant, Messiam afferre aeterna bona. Instituitur ergo hic antithesis.

Duae sunt summae personae in genere humano, Adam et Christus, Deus et homo, quarum utraque meruit aliis, sed res contrarias. Ut igitur antea de causa peccati, de effectu et propagatione dixit, ita nunc ostendet causam gratiae effectus et propagationem. Sunt autem et res dissimiles, et modus propagationis, ideo statim addit: Sed non ut delictum sic et donum, id est, res sunt dissimiles, et sunt aliae dissimilitudines. Hoc autem congruit, quod uterque aliis meruit.

De Gratia.

Diligentissime observandum est, Paulum coniungere Gratiam et Donum, sicut et in Iohanne dicitur: Per Christum Gratia et Veritas facta est. Vocabulum Gratiae significat gratuitam misericordiam, ideo hic significat verissime remissionem peccatorum, et gratuitam acceptationem propter filium Dei.

Donum per gratiam significat non tantum in hac vita donationem Spiritus sancti, sed integrum beneficium Christi, scilicet vivificationem et sanctificationem in hac vita, quae fit, cum in vera consolatione verbo et Spiritu sancto vivificamur, et deinde vitam aeternam, in qua Deus est omnia in omnibus, et natura nostra erit sine peccato.

Primum autem collatio fit de modo meriti. In hac ita congruunt Adam et Christus, quod uterque aliis meruit, Adam meruit aliis reatum, Christus meruit aliis reconciliationem, iusticiam et vitam aeternam. Haec collatio illustrat doctrinam de imputatione. Sicut propter Adam alii sunt rei, ita propter Christum credentes sunt reconciliati, seu accepti, non propter propriam dignitatem.

Postea addit Paulus correctionem de rerum diversitate, inquiens: Sed non sicut delictum sic et donum, id est, multa sunt dissimilia in hac collatione.

Primum, res sunt diversissimae, Peccatum et Gratia, mors aeterna et vita aeterna.

Secundo, differentia est in modo propagandi. Ab Adam propagatur natura rea, habens peccatum et morti obnoxia: et contra a Christo donatur reconciliatio, haec non propagatur generatione carnali, sed fide accipitur, Iohannes 1.: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in eum, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Iohan. 3.: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu etc.

Haec dissimilitudo propagationis diligenter observanda est, propter Anabaptistas, qui prodigiosa deliramenta comminiscuntur. Alii prorsus dicunt nullum fuisse unquam peccatum originis: alii fingunt post resurrectionem Christi

prorsus neminem nascentem habere peccatum originis.

Adversus illas fanaticas opiniones muniunt nos illae sententiae citatae ex Iohanne, et cogitandum est, quanta sit insania Anabaptistarum. Si nullum esset peccatum originis, omnes homines viverent sine peccato et sine morte. Quod cum sit manifeste falsum, necesse est manere causam, scilicet peccatum originis.

Tertia dissimilitudo magni momenti est. Si parem vim haberent Peccatum et Gratia, quomodo gratia salvaret, praesertim cum Peccatum et Mors sentiantur: necesse fuit igitur in hac antithesi ostendere gratiam longe potentiorem esse peccato, et victricem esse, sicut inquit vox filii Dei: O Mors, ero mors tua, et o Inferne, ero pestis tua. Illustrat igitur Paulus hanc dissimilitudinem, cum postea inquit: Gratia superat peccatum.

Superat autem dupliciter, et imputatione et effectu. Imputatione superat, quia Deus reputat eos iustos, qui apprehendunt fide gratiam, etiamsi reipsa adhuc habent reliquias peccati. Deinde etiam effectu superat, quia in illis ipsis quanquam infirmis, tamen habitat Deus et existunt in eis novi motus, qui resistunt peccato, et fide vincuntur dolores inferorum, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Item, illi ipsi, quanquam corpus destruitur propter reliquias peccati, tamen resuscitantur ad vitam aeternam. Haec sciri necesse est, ut beneficium Christi intelligatur, es sciamus gratiam victricem esse.

Lex subintravit ut abundaret delictum.

Affirmat lege neque deletum esse peccatum, neque abolitam mortem, imo peccatum auctum esse inquit, quod postea declarat, quia enim conscientia accusata lege fugit Deum, et in illis horrendis doloribus, magis irascitur Deo, peccatum fit multo atrocius, et fit multorum horribilium peccatorum confusio, qua ruit homo in aeternum exitium, ut in Saule et Iuda conspicitur.

Hanc doctrinam de legis effectu aliquoties in hac Epistola repetit. Sciendum est autem, loqui eum non de politico usu legis, sed de hoc principali usu, qui est iudicare et condemnare corda coram Deo, et esse ministerium, quo Deus iram suam effundit adversus homines, sicut supra dictum est: Lex iram efficit.

Ubi autem abundavit peccatum, ibi excellnit Gratia.

Hic proponitur doctrina necessaria in hac antithesi, et dulcissima consolatio, videlicet, Gratiam victricem esse et longe potentiorem peccato, ideo inquit: Superexcellnit Gratia. Dixi autem antea, valde necessariam esse considerationem huius dissimilitudinis in hac antithesi: quia si parem vim haberent peccatum et Gratia, nec vinceret gratia, quid afferret auxilii? Ideo autem donatus est nobis mediator, ut deleat peccatum et mortem, et restituat nobis iusticiam et vitam, et sit victor, sicut promissio inquit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis,

1. Iohan. 3.: Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Et constat hanc ipsam sententiam saepissime repetitam esse.

Teneamus ergo Pauli dictum, quod propter brevitatem et verborum pondera insigne est, et ad usum accomodemus, ubi in vera consolatione hac concio nobis fit illustior et dulcior.

David considerans magnitudinem suorum lapsuum, opponit hanc doctrinam: Beati omnes qui confident in eum, et filio Dei hanc gloriam tribuit, ut credat potentiorem esse peccato et regno diaboli. Ita eluctatus est ex morte et ex inferuis. Iterum autem admoneo, Gratiam potentiorem esse dupliciter: Imputatione et effectu.

Primum imputatione, quia Deus reputat iustos credentes in filium, etiam si adhuc haerent in eis reliquiae peccati, ut infra inquit: Iam non estis sub lege. Et Rom. 8.: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Et in Psalmo: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

Deinde superat Gratia effectu, quia ipse filius Dei vivificat corda, et liberat ea ex inferis, ac Spiritu sancto tollit dolores et reddit laetitiam et vitam cordi, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Item, quia excitat bonos motus et reprimit peccatum. Denique et resusciat mortuos ad vitam aeternam.

Observandum est et verbum Regnare. Ubi non est gratia et fides, peccatum regnat ad mortem, id est, non est tantum causa mortis corporalis, sed est causa eius mortis, quae est sensus aeternae irae Dei, et aeterna condemnatio, ut in Saul et Iuda. Sed ubi est Gratia et fides, quanquam sunt in homine reliquiae peccati et mors

corporalis, tamen non regnant, quia etiamsi corpus destruitur, tamen non sentiuntur dolores inferorum, sed spiritus vivit propter iusticiam, ut infra inquit capite 8.: Et postea resusciatur homo ad aeternam lucem, sapientiam, iusticiam et laetitiam. Ita hic inquit: Gratia regnat per iusticiam, id est, misericordia gratuita regnat et vincit, qua et iusti reputamur, et donamur nova luce, sapientia et iusticia per Iesum Christum. Utrunque enim hic complectitur Paulus et imputationem et vivificationem, qua ipse filius Dei in nobis est efficax.

Cap. VI.

Quid igitur dicemus?

Priusquam Paulus incoatam collationem peccati, legis et Gratiae pertexit, inserit occupationes, quia magnus tumultus quaestionum hic oritur: Si non sumus iusti lege et operibus nostris, sed per misericordiam propter mediatorem, quorsum opus est bene operari?

Haec obiectio fit magis perspicua, si nostri temporis controversiae considerentur. Nam prorsus eadem absurda nobis adversarii obiiciunt: Si propter opera non sumus iusti, quorsum attinet bene operari. Imo tanta est infirmitas naturae nostrae, ut singuli remittant intentionem et curam bene operandi, audita doctrina de imputatione. At cognitio misericordiae magis accendere nos ad bene operandum deberet: nam dubitatio est arcanus et profundus fremitus, qui horribiliter languefacit animos in invocatione et omnibus actionibus. Usitata autem responsio est ad quaestionem:

Si non sumus iusti propter opera, non igitur opus est bene operari?

Responsio:

Nego consequentiam, et ratio est, quia in hoc argumento fallacia est secundum non causam, ut causam.

Sunt enim aliae magnae et necessariae causae bene operandi, esiamsi opera non iustificant. Donatur iustificatio propter mediatorem per fidem, id est, propter filium Dei accipimus remissionem peccatorum, et reputamur iusti, id est, accepti Deo gratis. Oportet enim tribui filio debitum honorem, et oportet consolationem esse firmam et certam.

Fit autem huius beneficii applicatio per fidem, qua simul corda regenerantur, quia tunc filius Dei per Evangelium vivificat corda, et dat Spiritum sanctum. Ita in mente et corde incoatur Regeneratio accepto verbo, id est, Consolatione, quam dicit filius in corde et accepto Spiritu sancto, qui novos motus accendit in corde. Sic ait Petrus: Renati estis, non semine corruptibili, sed per sermonem viventem Dei, et manentem in secula. Et ad Titum 3.: Secundum misericordiam salvavit nos per lavacrum regenerationis, et renovationem Spiritus sancti, quem effudit super nos opulenter per *Iesum* Christum salvatorem nostrum. Et Zachariae 11.: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum.

Considerandae sunt igitur causae bene operandi necessariae: et agreste est intelligere necessitatem coactionem. Angelorum obedientia est necessaria, id est, sic ordinata a Deo, et tamen est spontanea, non extorta coactione vel teroribus.

Sunt igitur causae bene operandi, Impulsiva Efficiens, Finales. Impulsiva, quia manet ordo Dei immotus, ut creatura obediat Deo: de hac causa loquitur Paulus infra cum inquit: Debitores sumus.

Efficiens, de qua hic loquitur, est Spiritus sanctus, qui tales motus accendit, qualis ipse est.

Hinc duo argumenta extruit Paulus.

Natura mortua non sit efficax:

Vetus natura coepit mori, quia cum in conversione arguit peccatum, ibi in sensu irae Dei revera fit mortificatio veteris naturae, ut dicitur: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea.

Non igitur sit efficax.

Item, Viva et regnans natura sit efficax. Iam regnat in corde Spiritus: sit igitur efficax. Nam Spiritus sanctus accendit tales motus, qualis ipse est, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum. Haec argumenta recitat hic Paulus.

Causae finales sunt multae et magnae. Filius Dei nequaquam ideo passus est, nec ideo dat remissionem peccatorum, ut confirmet peccatum, et horribiles furores in genere humano, sed ut deleat peccatum et mortem, et restituat iusticiam et vitam aeternam: ideoque vult nos fieri conformes suae mortis et resurrectionis. Et ad hunc ipsum finem manet mors corporis etiam electorum et sanctificatorum, ut massa peccati prorsus destruatur, et tamen in ea vult incoari in hac vita lucem, iusticiam et vitam aeternam, et dat

remissionem peccatorum, ut simul hac fide, qua accipitur remissio, incoëtur vita, et sit victrix peccati et terrorum mortis.

Haec victoria est initium conformitatis cum resurrectione Christi. Est autem haec victoria hoc ipsum in nobis, quod vocatur novitas Spiritus, et non est tantum cogitatio humana, sicut diligentia regendi disciplinam in Pomponio Attico: sed ipse filius Dei est efficax per vocem Evangelii in cordibus credentium, et facit eos suae resurrectioni conformes, cum vivificat eos et retrahit ex doloribus inferorum, ac simul dat eis Spiritum sanctum, qui accendit novos motus in eis congruentes cum Deo, id est, laetitiam et amorem erga Deum. Ita vincitur peccatum in nobis per filium Dei, ut et ipse inquit: Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me et ego in eo, feret fructum multum, quia sine me nihil potestis facere etc. 2. Corinth. 15.: Gratia Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

Idem dicitur, cum ab aliis dicitur, nova obedientia est retinere antea donatam remissionem et reconciliationem, Spiritum sanctum et fidem. Ac tota res fit perspicua, si conferatur huc doctrina de poenitentia seu conversione, et est utile in doctrinis videre, ubi res eaedem diversis vocabulis nominentur, ne incauti res diversas cogitent: sicut Anabaptistae, cum audiunt haec vocabula, mortificationem et vivificationem, fingunt res diversas a poenitentia seu conversione: postea comminiscuntur mortificationem esse simulatos gestus humilitatis, contemtum ordinis politici, coniugii, rerum communicationem, ἀστοργίαν etc. Deinde vivificationem fingunt suas quasdam illuminationes et ἐκστάσεις.

De his fanaticis imaginationibus Paulus ipse praemonet homines, ut prudenter iudicent illa grandia verba et simulationem sanctitatis, ne decipiantur. Nos loquimur de rebus notis in Ecclesia et in exercitiis piorum. Hoc quod usitate nominatur contritio, id hic nominatur Mortificatio, et significat veros pavores et dolores in corde agnoscente iram Dei adversus peccata, de quibus doloribus dictum est: Sicut leo contrivit ossa mea. Et in tali mortificatione ruunt homines in aeternum exitium, sicut Saul et Iudas, quando non accedit fides.

Loquitur autem Paulus de mortificatione, qua morti Christi conformes sumus, videlicet, cum qua fides est, qua simul per Christum sustentamur et vivificamur. Est autem vivificatio altera pars conversionis, scilicet fides, de qua dicitur: Iustus fide sua vivet. Nam in hac consolatione filius Dei vivificat cor, et dat Spiritum sanctum, qui accendit novos motus in corde, iuxta dictum: Accepistis spiritum adoptionis filiorum clamantem Abba Pater. Item: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Hi motus dicuntur et sunt nova obedientia.

Haec collatio vocabulorum poenitentiae seu conversionis est utilis populo contra anabaptistica et similia deliramenta. Et semper sit in conspectu vera, simplex et perspicua doctrina de poenitentia, seu conversione, et exerceatur in quotidiana invocatione, sicut docent Psalmi: Domine ne in furore tuo arguas me. Miserere mei Deus. Et de profundis: qui et de mortificatione et de vivificatione loquuntur, de quibus et hic Paulus loquitur.

Recte intelligantur et phrases: Vetus homo et novus homo, Caro et Spiritus. Vetus homo significat non tantum partem hominis, sensus et appetitiones sensuum, sed etiam rationem et voluntatem: nec solum appetitiones sensuum pugnant cum lege Dei, sed etiam in ratione seu parte cogitante sunt ignoratio Dei, dubitationes de providentia, ignoratio Messiae, et multiplex caligo. Deinde in voluntate est aversio a Deo. Voluntas est sine timore Dei, sine amore, fiducia, spe, sine laetitia in Deo, amat, odit contra mandata Dei: haec vitia sunt in superiore parte. Ideo Paulus describens hominem sine Spiritu sancto 1. Corinth. 2. inquit: Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Ac totum hominem non renatum verbo et spiritu, nominat ψυχικὸν, sicut alibi totum hunc hominem nominat Carnem.

Novus homo dicitur, quatenus habet novam lucem, ac novos motus accensos per verbum et Spiritum sanctum, videlicet agnitionem Dei et Domini nostri Iesu Christi, veram fidem et fiduciam in Christum, timorem Dei, invocationem, dilectionem, laetitiam acquiescentem in Deo, spem et alios motus Spiritus sancti. De hac novitate loquitur Paulus 2. Corinth. 2.: Nunc retecta facie gloriam Domini intuentes, in eandem imaginem transformamur a fulgore in fulgorem, tanquam a Domini spiritu, id est, cum fide cernimus fulgorem Domini, videlicet, ipsum

Christum, ostendentem nobis misericordiam aeterni patris, qua agnita accedimus ad Deum, non fugimus ut Saul, sed vere agnoscimus Deum esse bonum et praesentem, nos recipi et servari ab eo propter filium, in hac filii luce nos quoque transformamur, id est, accipimus radios per filium in nos sparsos dato Spiritu sancto, videlicet noticiam Dei et novos motus, quos accendit et confirmat Spiritus sanctus audita voce Evangelii. Nec significat novitas, cogitationes et motus rationis sine Spiritu sancto, nec significat spiritus rationem, sed tertiam personam divinitatis, quam aeternus pater dat per filium in corda nostra. Erit autem novitas hominis integra in Ecclesia coelesti, in qua erit Deus omnia in omnibus, id est, sic fulgebit in nobis, ut palam conspiciatur, non per ministerium Evangelii, et ciebit omnes motus, ita, ut non sit simul in nobis peccatum.

At in hac vita idem homo renatus, est Vetus et Novus, id est, Paulus est novus, quia in eo habitat Deus, et illustrat eum verbo suo et sanctificat Spiritu sancto, et mens et cor accipiunt aliquos radios lucis divinae et motus Spiritus sancti. Sentit enim Paulus invocationem, fiduciam, laetitiam in Deo: eatenus est novus, et haec novitas regnare debet. Sed nondum in hac vita natura Pauli prorsus est sine peccato et sine morte, eatenus est vetus homo, sed haec vetustas mortificatur, non regnat.

Qui mortui sumus peccato, quomodo etc.

Primum argumentum sumtum a causis efficientibus.

Mortua natura non sit efficax.

In nobis vetus natura, quae est massa peccati est mortua, id est, coepit mortificari, nec regnat:

Ergo non sit efficax.

Minorem probat, quia per baptismum sumus in mortem Christi baptizati et consepulti cum eo: quia baptismus est testimonium quo mergimur tanquam in sanguinem Christi, ut abluamur et accipiamus remissionem peccatorum. Ita autem fit remissio, ut propter mortem et resurrectionem Christi etiam re ipsa in nobis aboleatur peccatum, quia filius per Evangelium dato Spiritu sancto arguit corda de peccato, et rursus vivificat, et accendit novam lucem et novos motus in nobis. Huius remissionis seu reconciliationis et efficaciae Christi in nobis testimonium et pignus est baptismus, et cum sic incoata est mortificatio et vivificatio, sepelimur una cum Christo.

Est autem massa peccati sepulta dupliciter: Primum imputatione, quia remittuntur nobis reliquiae peccati.

Secundo, quod ad effectum attinet, quia haec massa postquam mortificari coepit, desiit esse efficax, id est, non regnat.

Nec tantum de mortificatione loquitur Paulus, sed addit argumentum de vivificatione: nisi enim accederet vita et vinceret, nulla esset liberatio. Ideo et supra dictum est: Gratia exuberat supra delictum. Item: Regnat gratia per iusticiam ad vitam aeternam. Inde sic argumentatur:

Viva natura est efficax.

Nos vivificati sumus per Christum, qui ideo assumsit hanc massam, ut nobis quoque vitam redderet: et haec vivificatio incoatur in hac vita, cum filius Dei per Euangelium et Spiritum sanctum consolatur corda, et liberat nos ex morte aeterna, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Item: O mors ero mors tua, et o inferne ero infernus tuus etc. Quia vero haec vita, quae restituitur per filium dato Spiritu sancto, est talis, qualis est ipse Spiritus sanctus, sint actiones congruentes Spiritui sancto. Ut alibi dicitur: Nos retecta facie gloriam Domini speculantes transformamur in eandem imaginem etc.

Ita necessitas bene operandi ex causa efficiente, et finali ostenditur. In his comprehensa est et necessitas debiti, quia hic ordo immotus est, ut creatura rationalis Deo obediat: et restituitur natura, ut ad hanc obedientiam redeat. Hunc ordinem nominat Paulus debitum.

Qui mortuus est, iustificatus est a peccatis.

De hoc dicto multae cavillationes agitantur.

Mortuus iustificatus est a peccato,
Iudas est mortuus,
Igitur: Iustificatus est.

Respondeo simplicissime: Dictum hoc loquitur de actualibus peccatis huius vitae, ut dicitur νεκρὸς οὐ δάκνει, id est, qui mortuus est, iam nihil agit in hac vita: ut strangulatus desinit furari. Vel dicas: Mortuus iustificatus est a peccato, qui est crucifixus cum Christo.

Alii argutius respondent: Qui mortuus est, iustificatus est, id est, iusta poena adfectus est. Sed qui poenam non patitur volens, non est iustus. Ut enim obedientia tunc est iusticia, cum est voluntaria, ita sustinens poenam tunc est iustus, cum volens sustinet, sicut filius Dei pro nobis volens sustinuit poenam. Fuit igitur obedientia eius iusticia. Sed simus contenti priore simplici explicatione *νεκρὸς οὐ δάκνει.*

Caeterum hoc sciamus, diabolos et omnes damnatos in omni aeternitate horribilia peccata facere, quia sine fine irascuntur Deo etc. Christus ait, diabolum esse homicidam et mendacem. De his horribilibus furoribus cogitantes, magis expavescamus cogitatione aeternarum poenarum.

Non regnet peccatum in mortali corpore.

Conclusio est responsionis, quam opposuit obiectioni antea recitatae. Diserte autem dicit: Non regnet peccatum, ut significet in hac vita non prorsus extinctam esse vitiosam naturam, quasi dicat: Reliquum est peccatum in natura in hac vita, sed non regnet, id est, non obtemperet vitiosis affectibus, sicut et infra dicit: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis.

Hi loci et similes ostendunt discrimen peccati, quod in sanctis reliquum est, et illorum peccatorum, propter quae homo desinit esse in gratia, et quae excutiunt Spiritum sanctum. Hoc discrimen in Ecclesia cognosci et conspici necessarium est.

Regula autem infra tradita est, 1. Timoth. 1.: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Ex hac regula constituatur discrimen. Cum assentitur homo errori in uno vel pluribus articulis fidei, sive sciens sive deceptus, amittit Spiritum sanctum, iuxta dictum: Qui non credit, iam iudicatus est. Item: Spiritus de meo accipiet. Item: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

Etsi autem in omnibus sanctis in hac vita caligo est, nec satis intelliguntur articuli fidei, et assensio est languidior, aut etiam extruuntur stipulae supra veram doctrinam: tamen haec imbecillitas differt ab eversione articuli fidei, seu ab asseveratione contraria, ut Samosatenus, Arius, delebant articulum de divinitate filii, et multi eis assentiebantur, quorum error contristavit et excussit Spiritum sanctum. Quia non est spiritus in corde, nisi per veram vocem doctrinae, iuxta dictum: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

Praeterea homo violans mandata Dei contra conscientiam, amittit Spiritum sanctum, et rursus fit reus irae Dei, et ruit in aeternum exitium, si non fiat conversio. 1. Corint. 6.: Scortatores, adulteri, non possidebunt regnum Dei. Et excusso Spiritu sancto Peccatum dicitur regnans peccatum, quia efficit proprium effectum, scilicet, ut homo ruat in aeternas poenas: ideo recentior aetas nominat mortale.

Constituta hac regula, deinde sciamus in Renatis in hac vita tamen adhuc multa et magna peccata esse, etiamsi lucet in mente et vera fides, et conscientia bona est, id est, bonum propositum, ut Paulus Rom. 7. inquit: Invenio aliam legem in membris captivantem me in lege peccati, id est, aliqui sunt morbi, caligo et multae tristes dubitationes de Deo: item, in corde non est tantus timor, dilectio, fiducia Dei, ut esse debebat, et sunt multae errantes flammae cupiditatum, ignorantiae et omissiones multae.

Haec sunt vero suo genere peccata, sed Renati, qui dolent propter hanc immunditiem et resistunt ei, et fide propter mediatorem credunt ea remitti ac tegi, retinent Spiritum sanctum et fidem, ac manent in gratia: ideo hoc peccatum nominatur peccatum non regnans, videlicet in renatis, qui resistunt et retinent fidem, sicut infra dicitur octavo cap.: Nulla condemnatio est nunc his, qui in Christo Iesu ambulant. Et hic traditur dulcissima consolatio, Peccatum non dominatur vobis, Non enim estis sub lege, sed sub gratia, quasi dicat: Quia estis sub gratia, id est, sub gratuita reconciliatione propter filium, ideo lex iam non accusat vos, non damnat vos, et reliquiae peccati in vobis teguntur per umbraculum, videlicet per mediatorem Christum etc. Hanc doctrinam de discrimine peccatorum tenere necesse est, propter multas et gravissimas causas.

Quid igitur, num peccabimus, quia non sumus sub lege etc.?

Occurrit obiectioni de libertate: nam in politica consuetudine intelligitur abrogatio legum sic, ut postea concedatur facere contra legem. Sicut etiam contra leges de ceremoniis facimus, vescimur carne suilla etc.

Quaestio est igitur, an eodem modo intelligatur liberatio a lege de ceremonialibus, forensibus et moralibus legibus?

Respondeo: Quod ad iustificationem et condemnationem attinet, eodem modo de omnibus legibus intelligitur liberatio, id est, sicut non vesci suilla carne non meretur remissionem peccatorum, et non est iusticia, qua coram Deo simus accepti, sic nec opera decalogi merentur remissionem, nec sunt iusticia, qua coram Deo persona sit accepta: sed quod ad obedientiam attinet, discrimen est legum ceremonialium, forensium et moralium. Nequaquam manet debitum obedientiae in ceremonialibus, sicut in moralibus, quia politia Mosaica singulari consilio sic constituta est, ut duraret tantum, donec Messias ibi concionaretur, ederet testimonia, offerret sacrificium, resurgeret ex morte, et inde mitteret Apostolos. Simul igitur collapsae sunt leges ceremoniales et forenses, quae sunt ipsa Politia seu nervi politiae. Sed lex moralis est aeterna et immota sapientia in Deo et norma iusticiae, cuius radius creaturae rationali insitus fuit, ut essemus conformes Deo, et hic ordo aeternus est, ut creatura rationalis sit conformis Deo. Nunquam igitur vult Deus peccatum. Quanquam enim recipit hominem immensa misericordia propter filium, tamen non vult peccatum: sed remittit, quia poena per filium persoluta est, et ita nos recipit, ut simul conformitatem cum Deo restituat, et Deus nobis in tota aeternitate sese communicet. Ita et hoc loco Paulus argumentatur a causa finali seu formali, quanquam similitudinibus politicis usus est, quas ipse fatetur rudiores esse.

Iam estis servi iusticiae:
Ergo sint opera iusta.

Id est, causa finalis reconciliationis est, ut restituatur aeterna conformitas cum Deo, sint igitur actiones conformes.

Item, facto divortio mulier est posterioris viri, non prioris. Sic sumus iam Christi et conformes Christo, qui est imago aeterni patris, et venit ut restituat in nobis imaginem Dei.

Cum autem sic dicitur: Sumus liberi a lege morali, quod ad condemnationem attinet, id nequaquam intelligitur de his, qui non sunt conversi ad Deum, nec fide sunt vivificati per filium Dei, quia de his dictum est: Qui non credit, iam iudicatus est. Item: Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati lex est, Deo autem sit gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Tantum igitur illi ab hoc iudicio legis moralis, id est, a condemnatione liberati sunt, qui iustificati sunt fide, de quibus supra dictum est: Iustificati fide pacem habemus. Item infra: Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Item: Non estis sub lege, sed sub gratia. Item: Qui habet filium, habet vitam, Qui non habet filium Dei, non habet vitam, Item, si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

Obiicitur autem:

Lex est aeterna et immota,
Ergo necessario manet condemnatio, ubi manet peccatum. Respondeo:

Omnis lex obligat, vel ad obedientiam, vel ad poenam voluntariam. Cum autem derivata sit poena in filium, legi satisfactum est, sicut ipse inquit: Non veni solvere legem, sed implere. Et quia filius innocens et volens patitur, applicatur illa persolutio poenae, et donatur nobis. Ostendit autem haec ipsa poena, Deum non velle nec approbare peccatum, sed recipi homines propter λύτρα, quae filius dedit, et ita recipi, ut maneat ordo et lex in mente divina, quae non vult peccatum, et recipit nos ad restituendam obedientiam.

Haec pia meditatione saepe cogitanda sunt, et ut doctrina fiat illustrior, et verae consolationes recte intelligantur etc. Et conferantur dicta Prophetarum.

Esaiae Cap. 52.: Gratis venundati estis, non argento redimimini, id est, cum diabolus vos decepit in suis promissis, Gratis venundati estis, id est, non accepistis illa promissa, Eritis sicut Dii: sed potius omnibus malis onerati estis. Vendens autem debet aliquid boni recipere pro re vendita: Id non factum est, cum vos venditi estis diabolo. Rursus etiam fiet redemtio non vestro pretio, sed filius persolvet λύτρα.

Esaiae 43.: In peccatis tuis servire me fecisti, Laborare me fecisti in iniquitatibus tuis, Ego ipse deleo delicta tua propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.

Esaiae 53.: Ponet animam suam hostiam pro peccato.

Observentur in hoc capite et dulcissimae formulae loquendi: Praebete membra vestra arma

iusticiae. Membra nominat, ut alias diximus Potentias et organa in homine, videlicet mentem et voluntatem, cor, locomotivam et sensus. Haec sint arma incitata a Spiritu sancto. Sicut cor Ioseph ardebat Spiritu sancto, cum resisteret adulterae: et quia nominat arma, vult nos non esse segnes.

Stipendium peccati mors est.

Antithesis observetur. De peccato inquit: Stipendium peccati mors est, id est, peccatum meretur mortem. Sed vita aeterna est donum Dei per et propter Christum Iesum, quia simul accipiuntur Gratis, fide remissio peccatorum, reconciliatio et haereditas vitae aeternae, iuxta dicta: Sic Deus dilexit mundum, ut omnis qui credit in filium, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Rom. 5.: Iustificati sanguine ipsius salvabimur per eum ab ira. Item: Quanto magis reconciliati salvabimur in vita eius. Item: Qui habet filium, habet vitam. Item: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Ac utile est meminisse dictum Bernardi, qui inquit: Necesse est credere, quod tantum per gratiam, non propter merita tua habeas remissionem peccatorum, et credere te necesse est, *tibi* remitti. Sic etiam necesse est credere, quod gratis donetur vita aeterna propter Christum, non propter tua merita. Augustinus torquet se, quomodo vita aeterna et donum sit et merces, sed vera explicatio est. Proprie donum est, quia sola causa, propter quam datur vita aeterna, est Christus, et propter hunc gratis datur credenti in conversione, iuxta iusiurandum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris etc. Deinde cum propter aliud data sit, accidit ei, ut sit etiam compensatio seu merces laborum, sicut datur haereditas, quia filius est, et tamen postea accidit haereditati, ut sit compensatio officiorum, si qua praestiteris.

Haec est vera et simplex explicatio. Deinde et hoc sciamus, phrasin legis enarrandam esse iuxta Evangelium, ut supra Cap. 2. dictum est: Dabit unicuique iuxta opera sua.

Caput VII.

Sicut antea similitudine servitutis usus est, ita nunc similitudine secundi coniugii pingit obedientiam, quae Deo praestanda est, nec difficilis est accommodatio. Ut mulier mortuo priore marito propria est secundi, sic nos liberati a lege prioris Domini, videlicet a condemnatione perterrefaciente et impellente corda ad dubitationem, diffidentiam, et fremitum contra Deum: iam sumus alterius, scilicet Dei, in quo laetamur, ad quem accedimus fide per Christum, per hunc vivimus, et quia iam sumus eius proprii, praestetur ei obedientia.

Dictum est autem supra, haec argumenta a causis finalibus sumta esse. Venit filius Dei, ut destruat opera diaboli, non ut confirmet peccatum, sed ut prorsus deleto peccato et morte restituantur in nobis iusticia et vita aeterna etc.

Cum sitis mortui legi per corpus Christi.

Conclusio est superioris adhortationis, in qua Paulus accommodat similitudinem de novo coniugio ad nos, qui iam sumus alterius, scilicet Christi, postquam condemnatio sublata est: et ait sublatam esse per corpus Christi, videlicet per victimam Christum, qui pro nobis legi satisfecit.

Cum essemus in carne.

Attexit conclusioni antithesin, in qua narrat qualis fuerit prior servitus sub lege, et qualis sit nunc novitas postquam a lege liberati sumus. Talis erat servitus, ut lex non solum non deleverit peccatum, sed etiam auxerit et armaverit, ut nos occideret. Ac diligenter observanda est particula: Affectus peccatorum, qui per legem sunt, erant efficaces ad mortem.

De quibus affectibus et de quibus peccatis loquitur? Respondeo: Loquitur de dubitatione, diffidentia, indignatione, fuga et fremitu adversus Deum, quales sunt fluctus in Saule aut in Iuda. Ubi haec dubitatio vincit corda, non invocant Deum, non petunt nec expectant ab eo auxilium, quaerunt praesidia contra mandata Dei. Deniqua multa peccata interiora et exteriora concurrunt, et nisi homo retrahatur ex hac dubitatione et consternatione, ruit in mortem aeternam. Ideo dicit: Affectus peccatorum, qui sunt per legem, id est, dubitatio, diffidentia, fuga, fremitus adversus Deum erant efficaces, et impulissent nos in mortem aeternam, nisi liberati essemus agnitione et fiducia filii.

Hic severissime taxanda est impia doctrina monachorum, quae ait, dubitationem non esse peccatum, et non ostendit consolationem in Evangelio propositam, quae iubet vincere dubitationem fide, ut dicitur Rom. 4.: Ideo ex fide, ut sit firma promissio. Rom. 5. cap.: Iustificati fide pacem habemus. Iohannis 16.: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me. Haec et similia dicta opponenda sunt dubitationi, ut agnitione filii Dei accendatur fides et reviviscant corda et laetentur in Deo, sicut inquit Ezechias: Tu eruisti animam meam, ut non perirem, proiecisti post tergum peccata mea.

Post hanc consolationem homo servit in novitate spiritus, id est, in vitae aeternae initiis, et motibus quos accendit Spiritus sanctus, qui est amor et laetitia substantialis, et copulant nos sibi aeternus pater et filius hoc suo spiritu, qui talem amorem et laetitiam exuscitat in nobis, qualis est ipse. Praecedit autem hanc laetitiam dolor ille, in quo agnoscimus peccatum, et sentimus iram Dei adversus peccatum. De hoc dolore inquit: Mortui legi, qua captivi tenebamur.

Quid igitur dicemus, Num lex peccatum est?

Post digressionem redit ad collationem supra institutam, de peccato, lege et gratia: ac praecipue hic concionatur de usu legis, ut has duas opiniones non tantum in Iudaeis, sed universaliter in omnibus animis haerentes emendet.

Omnes enim imaginantur disciplinam, quam homo utcunque praestare potest, satisfacere legi Dei, et esse iusticiam coram Deo, nec videt ratio magnitudinem peccati in natura humana.

Contra vero Paulus hic affirmat, neminem in hac naturae depravatione legi Dei satisfacere posse, et homines nequaquam iustos esse lege, sed ab ea ostendi iram Dei adversus peccatum. Ac res ipsa ostendit Paulum hic non rixari de ceremoniis, sed concionari de decalogo, de interioribus malis, de tenebris in mente humana, de dubitatione, de neglectione Dei, et multiplici contumacia in corde humano adversus Deum, et de horribili iudicio et ira Dei adversus haec interiora mala. Ideo citat legem ex decalogo: Non concupisces, qua appellatione significat hanc totam ἀταξίαν, de qua infra dicit: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Et Ieremias inquit: Perversum est cor hominis erga omnia et aerumnosum.

Alia est sapientia politica de lege, de iusticia, et de delictis. In vita politica lex regit externa facta, seu, ut dicimus usitate Locomotivam, et disciplina externa nominatur iusticia politica, et tantum externa scelera puniuntur, sed Paulus inquit: Lex spiritualis, id est, non politica tantum, sed postulat motus spirituales, id est, congruentes cum Deo in mente et corde, veram lucem de Deo et ardentem dilectionem Dei. Et ministerium est lex, quo Deus horribiliter ostendit iram suam contra peccata in omnibus hominibus, qui non congruunt cum Deo, iuxta dictum de spirituali iudicio: Deus est ignis consumens.

Hanc doctrinam de lege et de peccato, quam hic Paulus recitat, vult Deus conspici et notam esse in Ecclesia, vult intelligi quid sit peccatum, vult sciri externam disciplinam non satisfacere legi Dei, et non esse iusticiam coram Deo, ut confugiamus ad filium Dei, et discamus hanc doctrinam, de qua dicitur in Esaia: Noticia servi mei iustificabit multos.

Summa autem huius narrationis apud Paulum est, quod non simus lege iusti, ut saepe iam dictum est, et Paulus exemplum de usu legis recitat, se ipsum proponens, rt loquitur de se converso iam ad Deum, et sua persona tanquam Apostoli, significat eadem fieri in aliis vivis membris Ecclesiae, sicut exempla universae Ecclesiae sunt, conversio Davidis, Ezechiae et aliorum.

Ut autem exemplum fiat illustre, ponamus tres hominum gradus.

Unus est carnalium, qui vivunt securi, seu ut Epicurei, seu ut Pharisaei, nec habent veros pavores conscientiae. Tale vitae genus nominat hic vivere sine lege, scilicet iudicante seu accusante, quia lex in illis nondum habet principalem effectum, ut ostendat et accuset peccatum. Lex enim tunc vere Lex dicitur, cum in mente vere intelligitur, et iudicat et accusat corda, non cum tabulae pendent in parietibus.

Secundus gradus est eorum, qui opprimuntur terroribus et cruciatibus conscientiae, sicut Iudas et Saul. Hi quia non audiunt vocem Evangelii, succumbunt in his terroribus et sentiunt se damnari, ideo hic inquit: Veniente lege peccatum revixit, id est, coepit esse efficax, et horribili terrore me oppressit, et ego mortuus sum. Nisi enim Paulus audivisset vocem Evangelii, ipse quoque periisset in his terroribus.

Tertius gradus est illorum, qui in terroribus eriguntur voce Evangelii, sicut supra dictum est: Iustificati fide pacem habemus. Item: Qui habet Christum, habet vitam.

His gradibus consideratis haec narratio Pauli recte et proprie intelligi poterit, quam peregrinis interpretationibus Origenes et alii valde corruperunt.

Est autem in textu declarandi causa instituta quaestio, Num lex sit res mala, cum augeat peccatum, quia in accusatione corda fugiunt Deum, et horribiliter fremunt adversus eum. Respondet Paulus per translationem: Quod lex est ministerium mortis, non fit legis vitio, sed propter nostrum peccatum. Cum enim haec depravata natura non sit conformis legi, sed plena tenebrarum et dubitationum, et sit sine timore, sine dilectione, sine fiducia Dei, et sit inenarrabilis contumacia, denique cum sit sine Deo, quando per legem ostenditur ira Dei, non potest eam sustinere, sed fugit, et vellet se aut Deum in nihilum redigi, sicut scriptum est Lucae 23.: Dicetis montibus, cadite super nos.

Ait ergo Paulus, Effectum legis esse ostendere et accusare peccatum: postea natura rea fremit adversus Deum. Paulus citat legem: Non concupisces, ut significet non tantum externa peccata damnari, sed etiam interiora. Et nomine concupiscentiae intelligantur omnes errantes inclinationes in hac misera natura, et tota aversio a Deo.

Addit igitur Paulus de per se causa: Peccatum occasione accepta per legem, id est, lege accusatum, irritavit omnem concupiscentiam, seu corrupit, id est, fecit eam atrocius frementem adversus Deum, ut in Iuda, Saul, et similibus: ut et postea dicitur: Peccatum per legem fit excellenter peccatum, id est, reatus sentitur in horribili dolore in fremitu.

Sine lege peccatum erat mortuum.

Scilicet, sine lege iudicante et accusante non sunt illi terrores, fremitus et indignatio adversus Deum. Deinde incipit sese exempli causa proponere: ubi tres gradus considerentur, quos recensui. Ego aliquando sine lege vixi, id est, fui securus, cum essem Pharisaeus, et somniarem me lege iustum esse, nondum sentiebam iudicium legis et iram Dei. Talis est maxima pars hominum, secura longo tempore, donec tandem iudicio Dei obruitur.

Haec securitas et comminatio iudicii describuntur statim in prima concione Genesis 4.: Peccatum tuum quiescet, donec revelabitur. Significat enim in toto genere humano futuram esse securitatem, sed tamen postea omnes homines et singulos alios alio tempore obrui iudicio Dei, quia Deus est ignis consumens adversus peccatum.

Sopho. 1.: Erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem lucernis, et visitabo mersos in feces suas, qui dicunt in cordibus, non faciet Deus bene nec male, et erit domus eorum deserta etc.

Ecclesiast. 8.: Non erit bene impio. Et cap. ultimo: Cunctos adducet Deus in iudicium. Psalm. 58.: Utique est Deus iudicans homines in terra. Et 62.: Tu reddis unicuique iuxta opera sua.

Veniente lege peccatum revixit.

Veniente lege, id est, iam accusante cor, ut sentirem iram Dei adversus immunditiem meam, hypocrisin et securitatem, ibi peccatum revixit, id est: Factum est inquietius, et fuit per se causa pavorum, fugae, et indignationis adversus Deum, et haec ipsa consternatio est mors: ideo additum est.

Ego autem mortuus sum, Sicut ad Corinth. inquit: Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati lex est. Et in hoc Capite: Peccatum fit excellenter peccatum, id est, valde reum, hoc est, in veris pavoribus et sensu irae Dei cernitur aliquo modo peccati magnitudo, quam securi et otiosi homines leviter curant, et praesertim hypocritae inflati et tumentes hac persuasione, quod antecellant aliis virtute, et utiliter servierint humano generi, tales ebrii admiratione sui, non cernunt immunditiem suam. Adversus hanc hypocrisin dicuntur et sequentia in textu.

Scimus quod lex spiritualis sit.

Hoc dictum insulsissime depravatum est ab Origene et caeteris, qui eum secuti sunt, qui somniarunt tantum hoc dici, Lex est spiritualis, id est, allegorica in ceremoniis. Longe aliud hic agit Paulus, et praecipue de lege morali loquitur, et prorsus hoc sentit, Lex divina est spiritualis, id est, non tantum est politica sapientia, vel disciplina frenans locomotivam, sicut leges in

imperiis. Nequaquam existiment homines se legi Dei satisfacere, etiamsi habent externam disciplinam inculpatam. Sed lex divina est sapientia in Deo, et norma iusticiae nobis patefacta, qua vult Deus ut corda nostra vivant spiritu, id est, habeant lucem et motus spirituales congruentes cum Deo, firmam assensionem et ardentem amorem erga Deum etc. Et rursus, Lex Dei est iudicium spirituale, id est, non externum tantum, sed tale, in quo Deus ipse, qui est spiritus et ignis consumens, facit voce legis, ut sentiant homines iram divinam adversus peccatum, de quo sensu irae inquit Iob.: Sagittae Domini in me, et terrores Dei militant contra me.

Psalm. 50.: Veniet Deus noster, et non silebit, in conspectu eius exardescet ignis. In talibus pavoribus discimus legem Dei esse spirituale iudicium, non tantum politicum frenum.

Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccatum.

Interpretatur ipse quid nominet carnalem naturam, scilicet, totum hominem venundatum sub peccatum, id est, servum peccati et mortis, sicut et infra haec antithesis illustratur: Sensus carnis mors est. Item: Inimicitia est adversus Deum etc. Ut autem appellatione spiritus intelligitur ipse Spiritus sanctus, et a Spiritu sancto accensi congruentes motus in sanctis, vita, lux, et laetitia acquiescens in Deo, flamma dilectionis erga Deum, sic e regione caro sensus carnis intelligantur, de toto homine non renato. Nec solum in appetitu sensuum et in corde est contumacia contra Deum, videlicet, iniusta incendia amorum, odiorum, vindictae, sed etiam in superiore parte, videlicet, in intellectu hominis non renati sunt tenebrae et magnum chaos dubitationum de Deo, et voluntas est sine timore, sine dilectione Dei, sine laetitia acquiescente in Deo aut contemnens Deum, aut horribili fremitu fugiens eum, et est sine Deo vivificante, laetificante et gubernante. Talis homo sine Deo dicitur Caro secundum omnes animae potentias: et in conspetu sit doctrina de distinctione potentiarum animae.

Primum autem narrat Paulus qualis sit natura carnalis secundum sese, quia inquit: Venundatus sum sub peccatum, id est, raptus in servitutem: Phrasis enim sumta est a captivis, qui vendebantur et erant servi. Ita inquit, naturam carnalem secundum sese servam peccati et mortis esse, nec posse deponere pravitatem et mortem, nec retrahere per sese iusticiam et vitam, sed filius Dei voce Evangelii et Spiritu sancto regenerat hominem. Quanquam autem initia novae lucis et motuum spiritualium in renatis accenduntur, tamen in hac mortali vita haerent adhuc in natura carnali reliquiae prioris morbi. Sequitur ergo lucta, in qua verbum et Spiritus sanctus mortificant reliquias illas: hanc luctam mox describet Paulus. Cum autem utitur vocabulo Venundatus, intuetur dictum Esaiae 52.: Gratis venundati estis, sine argento redimemini. Ubi Deus obiicit diabolo iniusticiam, quasi dicat: Agam iusto ordine.

Diabolus vos fraude mihi eripuit, et neque mihi solvit pretium, neque vobis dedit promissa.

Iustum est igitur vicissim, me rem meam recuperare, non dato pretio praedoni. Sicut enim a fure aut praedone res non rursus emenda est, sed sine pretio per iudicem iustum restituitur Domino: ita Deus recuperat genus humanum, nihil solvens iniusto et scelerato praedoni diabolo. Dixit igitur: Gratis venundati estis, id est, iniuste in servitutem pertracti estis fraude diaboli, nec Deo solutum est pretium, neque hominibus data promissa.

Rursus igitur gratis redimemini, non dabo pretium Diabolo, et vos recipiam mea misericordia, cum mihi pretium non possit dare.

Ostendit autem sequens narratio huius capitis, cum inquit Paulus, Venundati estis sub peccatum, intelligit peccatum originale, non tantum imputationem, sicut multi monachi intellexerunt, sed ipsam naturae humanae depravationem, id est, tenebras et dubitationes in intellectu, et aversionem voluntatis a Deo, contemtum et fremitum adversus Deum, et cordis contumaciam, Et quod vires omnes sunt sine Deo vivificante, laetificante et gubernante: sicut postea inquit: Video aliam legem in membris meis.

Condelector lege Dei secundum interiorem hominem etc.

In hac narratione describitur certamen, quod est in Renatis, in quibus filius Dei voce Evangelii accendit lucem et initia fidei, et Spiritus sanctus consolatur cor, ut incipiat laetari in Deo,

et habeat motus congruentes cum Deo, seu lege Dei.

Haec lux tamen et hi motus divini impediuntur a nostra carnali natura, in qua multum caliginis est, et contrariorum motuum, sicut minus conspici potest lumen in laterna obscuriore.

Has peccati reliquias vult agnosci et deplorari Deus, non vult extenuari, sicut monachi extenuaverunt, qui dixerunt, Renatos iustos esse hac sua nova obedientia, et dixerunt, esse legis impletionem, et haec ita exaggeraverunt, ut dixerint, illa opera esse merita vitae aeternae de condigno.

Adversus hos errores tenenda sunt haec testimonia passim tradita in scriptis propheticis et apostolicis, quae ostendunt in renatis in hac vita magnam caliginem et dubitationes reliquas esse, et corda non sic ardere dilectione et laetitia in Deo, gratitudine erga eum et patientia, sicut debebant, et haec mala esse peccata, id est, mala pugnantia cum lege, propter quae homo dignus esset poenis aeternis, si non remitterentur propter mediatorem credenti. Ideo et Moises inquit: Coram te innocens non est innocens. Et Iob cap. 9.: Vere scio quod non est homo iustus coram Deo, scilicet, propria legis impletione. Et rursus eodem cap.: Timeo omnes dolores meos, quia scio, quod non invenis innocentem. Et in Psalmo: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Beati quorum remissae sunt iniquitates etc. Item: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.

His confessionibus Prophetarum similis est et haec Pauli querela: et repraesentant Prophetae et Apostoli totam Ecclesiam in hac confessione. Intelligatur ergo haec narratio de Renatis, et sciamus monachorum interpretationem falsam et reiiciendam esse, qui dixerunt, hoc loco Paulum de homine nondum converso loqui, id falsum esse ostenditur ex ipso textu, qui dicit: Delector lege Dei secundum interiorem hominem. At homo nondum renatus non delectatur lege Dei. Etsi enim est in homine nondum renato noticia legis, tamen voluntas et cor non delectantur lege Dei, sed sunt aut prorsus sine timore Dei, aut fremunt adversus eum. Et nominat Paulus interiorem hominem, quatenus homo Renatus est, videlicet, quatenus luceat in mente, voluntate et corde initia fidei, et per Spiritum sanctum accensi sunt motus isti, timor Dei, dilectio, laetitia in Deo etc.

Addit autem Paulus splendidam antithesin illustratam figuris a militia sumtis: Invenio aliam legem in membris meis, militantem contra legem mentis meae, et rapientem me captivum legi peccati, quae est in membris meis. Vocabulo Legis generaliter hic intelligatur gubernatio, quasi dicat: Aliud est gubernans interiorem hominem, scilicet verbum et Spiritus sanctus: aliud est gubernans carnalem naturam, scilicet coecae dubitationes et impetus aversi a Deo, errantes flammae cupiditatum, impatientia in cruce etc. Haec mala, inquit, sunt in membris meis, et non sunt leves morbi, sed adsidua militia impediunt, languefaciunt et accusant me.

Caput VIII.

Nulla igitur nunc condemnatio est iis, qui in Christo Iesu ambulant etc.

Dictum est supra, institutam esse collationem Peccati, Legis et Gratiae. Nunc redit ad descriptionem gratiae, et est consolatio addita superiori querelae. Cum enim antea dixerit adhuc haerere peccatum in sanctis in hac vita. Quaestio est communis omnium sanctorum, quomodo sint iusti? Id est, Deo accepti et haeredes vitae externae, cum adhuc sentiant peccata, suas dubitationes, et fateri necesse sit omnes bonos motus valde languidos esse, timorem Dei, dilectionem, fidem, spem, et interea multas errantes flammas cupiditatum simul esse in cordibus.

Huic communi quaestioni omnium sanctorum respondet perspicua asseveratione: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant. Idem supra dixit: Iustificati fide pacem habemus etc. Item: Non estis sub lege, sed sub gratia. Interpretatur autem vocabulum Gratiae, remotione contrarii: Nulla nunc condemnatio est: quia vocabulum Gratiae est nomen relativum, id est, gratuita acceptatio, quod planius dicitur, Nulla condemnatio: nec dicit, Nullum nunc peccatum est. Et haec est sententia: Iustificati fide placent Deo propter filium mediatorem, et sunt haeredes vitae aeternae, etiamsi in eis haerent peccata, videlicet, vitiosa concupiscentia et pravi effectus, si tamen sint in Chri-

sto Iesu, et ambulent secundum spiritum, id est, si sint in eis conversio ad Deum, et fides consolans corda agnitione filii Dei, quae quidem fides est motus Spiritus sancti, qui postea gubernat et sanctificat renatos, ut repugnent pravis adfectibus.

Haec est propositio principalis in hoc capite, continens doctrinam et consolationem Ecclesiae necessariam omnibus temporibus. Semper haec fuit, est, et erit quaestio in omnium sanctorum animis, quomodo places Deo, cum sentias adhuc multum sordium. Pharisaei et monachi docuerunt homines placere propter propria merita, et propter sacrificia, propter Missas. Ita fiduciam propriae dignitatis in his, qui adhuc securi sunt, confirmaverunt, et deduxerunt homines ad sacrificia, ubi inanis fiducia ex sacrificiis fecit idola. Postea turbata securitate iusserunt homines manere in dubitatione.

Haec simpliciter sunt ethnica, et manens in dubitatione, tandem opprimitur desperatione, et horribili fremitu ruit in aeternum exitium. Sed vox Evangelii prohibet dubitationem et praecipit, ut credamus in filium Dei, et clamitat ac affirmat credentes in filium Deo placere, etiamsi haerent in conversis reliquiae peccati: haec necessaria doctrina et consolatio hic proponitur. Quare hoc testimonium Pauli semper sit in conspectu.

Observandum est autem, quod expresse inquit: Ambulantibus in Christo secundum spiritum, non secundum carnem. Non promittit consolationem his, qui sunt sine poenitentia, qui securi et furentes perseverant in sceleribus contra conscientiam, de quibus postea dicetur: Si secundum carnem vivetis, moriemini. Item: Qui facit peccatum, ex diabolo est. Item: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Sed de illis inquit: Nulla condemnatio est, qui sunt in Christo Iesu, et reguntur Spiritu sancto. Nominat duas personas: Christum mediatorem, quia primum oportet conversos agnoscere Christum fide, et propter hunc propiciatorem accipere remissionem et reconciliationem, et fieri eius membra.

Cum autem agnitione mediatoris et fide eriguntur corda, simul effunditur Spiritus sanctus in corda, ut tales motus accendat, qualis est ipse, iuxta dictum: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Item, 2. Corinth. 3.: Nos in eandem imaginem transformamur, tanquam a Domini spiritu.

Quia lex spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me etc.

Antea propositio tradita est: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant etc. Nunc sequitur declaratio huius propositionis: Per Christum liberati sumus, ubi simul fit mentio meriti Christi et efficaciae. Hic de merito Christi concionatur, cum nominat eum hostiam pro peccato, et ait, propter hanc hostiam damnatum esse peccatum. De efficacia Christi in credentibus dicitur: Lex spiritus vitae in Christo, id est, vivificatio, quae fit per Christum, dato Spiritu sancto liberavit me, ut Galat. secundo dicitur: Vivo autem non iam ego, vivit autem in me Christus. Huic declarationi immoratur posita antithesi, Lex non potuit nos liberare a peccato et a morte, sed filius Dei missus est, ut per ipsum liberemur.

Primum ergo attente consideranda est particula de lege. Et grammatica Syntaxis recte explicanda est. Huius haec est series: Cum esset impossibile legi, scilicet, tollere peccatum, eo quod per carnem lex non poterat fieri, Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati, et hostia pro peccato damnavit peccatum in carne, ut ius legis impleatur. Hic expressa asseveratio primum consideretur, Quod legi fuerit impossibile tollere peccatum seu iustificare homines, et addit, quia lex non poterat fieri per carnem.

Hanc sententiam in cap. septimo prolixius exposuit, nunc brevi asseveratione repetit, quae sit in conspectu ad refutandos Pelagianos et Monachos et similes, qui finxerunt legem Dei tantum de externa disciplina concionari: postea affirmant homines posse legi Dei satisfacere, et hac disciplina iustos esse coram Deo. Hanc coecitatem vox divina in Ecclesia damnat, ideo supra dictum est cap. 3.: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo.

Post hanc adseverationem sequitur dictum de merito Christi: Misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati, id est, misit filium, qui assumsit veram hominis naturam, et quidem passibilem, sed sine peccato: ideo usus est his verbis, Misit filium in similitudine carnes peccati, quia reipsa sine peccato fuit, et tamen doloribus

et morti subiectus est, similiter, ut nos miseri homines pleni peccato.

Hic communis doctrina teneatur de assumtione naturae humanae. Deinde phrasis observetur: Deus damnavit peccatum nostrum in carne pro peccato, id est, hostia Christo, oblata pro peccato: nam phrasis περὶ ἁμαρτίας significat hostiam pro peccato. Sic in Levitico Graeca lectio semper loquitur, et eodem modo in Graeca lectione Esaiae dicitur: ἐὰν δῶται περὶ ἁμαρτίας ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ὄψεται σπέρμα μακρόβιον.

In textu Hebraeo non additur praepositio, sed sic legitur: Quia ponet peccatum animam suam, videbit semen longaevum. Sed ex Levitici Graeca lectione phrasis περὶ ἁμαρτίας notissima est.

Alibi Paulus omisit praepositionem: Eum qui non norat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso. Sic Galat. 3.: Christus redemit nos a maledictione legis, factus pro nobis maledictum.

Hae formulae loquendi idem significant, videlicet, Hostia pro peccato, quae alibi nominatur peccatum, alibi maledictum, sicut Graeci dixerunt κάθαρμα, Latini piaculum, et his atrocibus verbis tristissima poena, et ut ita dicam, magnitudo reatus significatur. Est enim sententia, hac victimam pro nobis fuisse reum, et horrendam iram Dei sustinuisse, quasi ipse omnia nostra, mea et tua scelera fecisset, sicut ibi Esai. inquit: Posuit Dominus in eum iniquitates omnium nostrum.

Psalmo 39. In Graeca versione phrasis περὶ ἁμαρτίας sic absolute ponitur, ut in hoc loco Pauli: Holocausta et pro peccato non postulasti, quod sic intelligas, Non postulasti holocausta et victimas pro peccato. In textu Haebraeo Psalmi non est addita praepositio, quae tamen in Levitico saepe addita est.

Damnavit peccatum in carne.

Scilicet nostra: et emphasis observetur in verbo, damnavit. Ut enim iudex damnans homicidam, primum pronunciat eum reum esse, postea interficit eum, sic Deus damnans peccatum, cum filius innocens sit factus victima, primum eripuit peccato autoritatem nos accusandi, postea omnino delet, cum reddit nobis aeternam vitam et iusticiam integram. Ait autem ideo condemnari peccatum, ut deinde iusticia, de qua concionatur lex, in nobis impleatur, id est, ut deinde iusti simus. Non enim ideo patitur filius Dei, ut peccatum postea maneat, et ut horrendi furores hominum confirmentur, non ideo pendet in cruce filius Dei, ut David licentiam habeat rapiendi alterius coniugem, et interficiendi maritum, sed ut deleatur peccatum, et deinceps iusti simus. Quoties autem dicitur de impletione legis in hac vita, ut cum ait Paulus: Per fidem stabilitur lex. Item: Lex Dei fit per gratiam. Necesse est utrunque complecti, videlicet imputationem et incoationem novitatis, quae postea erit integra.

Lex impletur, primum imputatione, quia propter mediatorem reputamur iusti, et sumus accepti propter ipsum, etiamsi nondum sumus tales, quales lex esse praecipit: Habens autem Christum fide, habet finem legis. Deinde verum est, tunc et incoari novitatem congruentem cum lege, quia filius Dei vivificat corda in illa vera consolatione, et effundit in ea Spiritum sanctum, quo transformamur in ipsius imaginem, assimilamur ipsi nova luce, et habemus tales motus, qualis est Spiritus sanctus. Tales autem praecipit lex: sed haec novitas in hac vita tantum incoatur, postea erit integra, cum erit Deus omnia in omnibus.

Prorsus eodem modo loquitur Paulus ad Corinthios: Eum qui non norat peccatum, fecit peccatum pro nobis, ut nos fieremus iusticia Dei in ipso. Collatio est duarum maximarum rerum, extremae miseriae et summae gloriae, seu summi boni. Extrema miseria est reum esse irae Dei, et sensum irae Dei sustinere. Econtra summum bonum est iusticia Dei. Talis autem permutatio facta est, Filius sustinet id, quod est miserrimum, scilicet sensum irae Dei, et nobis donat id, quod optimum est, scilicet iusticiam Dei.

Ac diligenter observanda est particula, in ipso: quia et propter ipsum reputamur iusti, et ipse est persona immediate colligens Ecclesiam per Evangelium, vivificans credentes, et donans Spiritum sanctum. Etsi autem haec vivificatio et novitas verissime opus Dei est, tamen obedientia filii Dei in infinitum anteferenda est his ipsis actionibus, quae in te fiunt: ideo in hac vita necesse est credere nos iustos esse, id est, placere Deo propter mediatorem Deum et hominem, non propter novitatem nostram.

Sensus carnis inimicitia est adversus Deum.

Longa et illustris antithesis est naturae hominis non renatae, et regenerationis seu vivificationis, quae fit in conversione, cum ipse filius Dei voce Evangelii consolatur nos, et dato Spiritu sancto, accendit in vobis novam lucem et initia vitae aeternae. Haec splendida antithesis semper sit in conspectu, quia perspicue refutat Pharisaica et Pelagiana somnia, quae fingunt homines viribus naturalibus posse legi Dei satisfacere, et hanc qualemcunque disciplinam mereri remissionem peccatorum, et esse iusticiam coram Deo.

Contra hanc coecitatem tristissimae conciones hic ponuntur, de humanae naturae infirmitate, et expresse asseverant homines in hac vita non posse legi Dei satisfacere. Ait enim, Caro non potest esse subdita lege Dei. Item, Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Quid potuit dici tristius et atrocius, quam in hac misera natura hominum, non solum esse inobedientiam, sed etiam indignationem et fremitum adversus Deum. Cum autem monachi sequentes Pharisaicam et Pelagianam doctrinam affinxerint vocabulis falsas interpretationes, necesse est moneri iuniores de sermone.

Usitatum est Paulo nominare carnem totam naturam hominis non renati, videlicet, non solum appetitiones sensuum seu affectus, sed etiam partem superiorem, videlicet intellectum et voluntatem, ut in scholis nominamus. Et nota sit hic distributio potentiarum animae.

Sensum igitur carnis nominat Paulus, non tantum appetitiones seu affectus in corde, ut amores, odia, laetitiam, tristitiam, incendia libidinum, iram, sed etiam in superiore parte caliginem et dubitationes de Deo, de providentia et de verbo Dei. Item, in voluntate aversionem a Deo, diffidentiam, coecam securitatem, contemtum iudicii Dei, indignationem et fremitus adversus Deum. Haec omnia nominat φρόνημα σαρκὸς, ac nomen φρόνημα complectitur cogitationes et affectus.

Vocabulum vero Spiritus hic significat Spiritum sanctum Deum, et motus, qui accenduntur in corde renato a Spiritu sancto. Sic discerni carnem et spiritum, hoc loco manifestum est. Ait enim: Qui spiritum Christi non habet, hic non est ipsius.

Haec admonitio de vocabulis necessaria est ad vitandas multas corruptelas. Aliqui enim hallucinantes dixerunt, hic distingui Carnem et Spiritum, sicut in philosophia distinguuntur affectus et ratio. Hunc perniciosum errorem taxari necesse est: nam totum hoc, quod philosophia nominat affectus et rationem, id Paulus hic nominat Carnem et φρόνημα σαρκὸς.

Sed obiiciunt, Cur ait sensum carnis inimicitiam esse adversus Deum, cum tamen in homine sint multae bonae noticiae, ut numeri et leges naturae, item, boni affectus, ut στοργαὶ? Respondeo: Loquitur Paulus principaliter de cogitationibus de Deo, quales sunt in mente non renata, in qua simul magna confusio est dubitationum: deinde et de affectibus erga Deum, quales sunt in voluntate et corde de renato. In securis est contemtus iudicii Dei: in perterrefactis, ut in Saul, Iuda, est indignatio et fremitus adversus Deum, et est multiplex contumacia in corde contra legem Dei, nec στοργαὶ reguntur ordine. De his interioribus malis concionatur Paulus, cum ait, Carnem non posse subiici legi Dei.

Ac tenenda est hoc loco doctrina necessaria de distinctione externae disciplinae et interioris obedientiae: nam etiam post lapsum primorum parentum haec libertas voluntatis in homine reliqua est, posse regere locomotivam, id est, externos membrorum gestus. Adhuc talis est natura nervorum, mirabili arte a Deo condita, ut obedire cogitationi et voluntati possint, quia Deus vult externa membra frenari, et coërceri humana diligentia, et vult aliquo modo intelligi discrimen inter agens liberum et non liberum, ut sciamus Deum esse agens liberrimum.

Nec de his externis gestibus loquitur Paulus cum ait, Carnem non posse legi Dei subiici, sed loquitur de interiore obedientia, quia in homine debebat lucere fides, firma assensione credens comminationibus et promissionibus Dei, et recte agnoscens filium Dei, et in corde debebat esse conformitas cum Deo, ardens dilectio Dei, verus timor. Denique cor debebat esse templum Dei, sine ulla prava inclinatione, et sine pravis motibus, sed homo non renatus hanc interiorem obedientiam ne quidem incoare potest. De his interioribus tenebris et dubitationibus et malis inclinationibus dicitur: Caro non potest subiici legi Dei.

Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ipsius.

Haec verba perspicue refutant Pelagianos et Monachos, qui dixerunt, homines non renatos posse lege Dei satisfacere, et hac disciplina mereri remissionem peccatorum, et propter eam iustos esse et placere Deo. Haec impia somnia necesse est in Ecclesia damnari, iuxta dicta: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et hoc loco: qui non habet spiritum Christi, non est ipsius. Item: Sine me nihil potestis facere.

Observandum est diserte hoc loco nominari Spiritum Christi. Primum, ut intelligatur spiritus non ratio, sed Spiritus sanctus, qui est tertia persona divinitatis. Deinde, ut admoneamur, quomodo detur Spiritus sanctus, quia non datur sine agnitione filii Dei, et sine cogitatione Evangelii, sed tunc verissime effunditur in corda, quando in vera conversione mentes perterrefactae eriguntur voce Evangelii, et fide incipiunt agnoscere filium Dei, et acquiescere in consolatione per Evangelium proposita, et laetari in Deo propter mediatorem, ut ad Galatas dicitur: Ut accipiamus promissionem spiritus per fidem.

Quoties autem de iustificatione cogitamus, intueamur tres personas, agnoscamus filium mediatorem Deum et hominem constitutum propiciatorem, propter quem recipimur, et sciamus nos simul recipi ab aeterno Patre, Filio et Spiritu sancto, et vivificari nos per filium, cum data voce Evangelii filius consolationem in nobis dicit, et patrem ostendit, et effundit Spiritum sanctum laetificantem cor credens. Ideo dicitur Iohannis 14.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diligit eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Spirant enim pater et filius Spiritum sanctum in cor, Et hic Paulus alias inquit, Si Christus in vobis est: alias inquit, Si spiritus Christi habitat in vobis. Nam et filius, qui est λόγος, adest Ecclesiae, est Emanuel, et est in ea efficax, patefacit Evangelium, et voce Evangelii ostendit patrem, dicit consolationem, et dat Spiritum sanctum. Ideo inquit Athanasius: Quandocunque dicitur Spiritus sanctus in homine esse, est in eo per verbum. Et de filio loquitur.

Nota sit autem differentia, Aliud est Deum esse ubique: aliud habitare cum in Ecclesia. Esse ubique dicitur de universali praesentia, qua tota divinitas substantias creaturarum conservat, de qua Ieremiae 23. dicitur: Non ne coelum et terram ego impleo. Sed Deum habitare in Ecclesia, est per filium voce Evangelii veram Dei noticiam accendere et consolari cor, et per Spiritum sanctum regere cor, ut habeat motus ipsi placentes, et initia iusticiae et salutis aeternae.

Nota sint etiam verba Athanasii de natura divina in Christo, in libro de incarnatione verbi: Non ita est in corpore λόγος, ut alibi non sit, nec ita movet corpus, ut desit aliis creaturis, sed mirando modo, cum λόγος sit, a nullo comprehenditur, sed ipse comprehendit omnia, et cum in omni creatura sit, tamen alia substantia est a creaturis. Animae nostrae etsi cogitant res extra corpus, eas non movent: non enim agitant solem, quanquam moveri eum cernunt: non sic est λόγος, in assumta natura, non enim inclusus est, sed ipse continet corpus, et simul est in sinu aeterni patris, et adest creaturis.

Corpus mortuum est propter peccatum.

Occurrit obiectioni, Quare, cum credentes sint iusti et filii Dei, adhuc tamen subiecti sunt morti et aliis calamitatibus et quidem durius onerati sunt quam alii homines. Respondet breviter: Quanquam in anima incoata est lux et vita aeterna per verbum et Spiritum sanctum, tamen adhuc in massa carnali haeret peccatum, ideo destrui massam carnalem oportet, ut postea in resuscitatione induamur corpore prorsus purificato, sicut ad Corinth. scriptum est: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Ita respondet ad argumentum rationis:

Iustus debet bene esse:
Ecclesia est iusta,
Ergo Ecclesiae debet bene esse.

Respondeo primum ad minorem: Ecclesia est iusta, hoc verum est, imputatione, nondum consummatione. Cum igitur adhuc in renatis in hac vita haereat peccatum, sequitur destructio corporis, quia Deus vult peccatum prorsus destrui.

Deinde respondeatur et ad maiorem: Iustis debet bene esse: dictum est legale et verum, sed intelligendum est iuxta declarationem in Evangelio patefactam, quae docet velle Deum Ecclesiam in hac vita colligi, et velle subiectam esse cruci, quia quanquam credentes recipit, et sanctificare

incipit, tamen adhuc haeret peccatum in massa carnali. Postea Deus in resuscitatione vestiet illos qui crediderunt, corpore prorsus purificato, et erit omnia in omnibus, id est, implebit eos sua luce et iusticia, ut non sit in eis peccatum.

Fratres debitores sumus.

Hactenus tradidit doctrinam de iustificatione, et collationem legis, peccati et gratiae. Nunc addit doctrinam de nova obedientia: nam et hanc partem doctrina in Ecclesia extare necesse est, ut sciatur, qualis sit obedientia in renatis in hac vita, et quale sit peccatum, propter quod excidunt a gratia, et amittunt Spiritum sanctum et fidem, qua vivificantur corda, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Instituit igitur Paulus propositionem: Debitores sumus, ne obediamus carni. Ac primum observes appellationem, Debitores sumus. Hanc vocem opponit male intelligentibus libertatem evangelicam, quae liberat renatos, ne condemnentur a lege, non liberat ne obediant. Manet enim aeternus et immutabilis ordo, ut Deo obediamus.

Aliqui inepti reprehendunt has formas loquendi: Nova obedientia est debita. Item, nova obedientia est necessaria. Et dicunt intelligi coactionem seu obedientiam metu extortam. Haec interpretatio non est nativa in verbis debiti et necessitatis. Significant enim haec verba ordinem immutabilem, non significant proprie coactionem, quae fit metu poenarum. Nova obedientia eo ipso est necessaria, quia hic est ordo aeternus, ut creatura Deo volens obediat. Postea docet qualis sit obedientia: cum enim in renatis in hac vita maneant reliquiae peccati et magnae sordes, necesse est discerni gradus, qualia peccata sint in renatis, qualia non sint, sicut et supra distinxit peccatum regnans et non regnans. Nam renatos posse rursus amittere gratiam et Spiritum sanctum, manifestum est ex dictis Matth. 12.: Inveniens domum mundatam, nequam spiritus redit. Et 2. Petri 2.: Cum effugissent inquinamenta mundi, redeunt ad vomitum etc.

Adam et Eva erant electi, et tamen in lapsu fiunt rei aeternae irae. Et in Deuteronomio de Aharon dicitur: Adversus Aharon valde iratus est Deus, ut deleret eum. Necesse est igitur discerni, qualia peccata maneant in renatis, qualia contristent et expellant Spiritum sanctum, propter quae homo rursus fit reus aeternae irae, et ruit in aeternas poenas, nisi rursus convertatur ad Deum.

Sunt autem usitatae appellationes, peccatum mortale et veniale.

Mortale nominatur omne peccatum in non renato: item tale peccatum, propter quod renatus amittit gratiam et Spiritum sanctum, et iterum fit reus aeternae irae.

Definitio peccati simplex et brevis extat in Epistola Iohannis, cum inquit: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, id est, peccatum est quicquid contra legem est.

Haec descriptio dextre intelligenda est, et sciamus omne peccatum in non renatis mortale esse: id est, quod Paulus nominat peccatum regnans, id est, non renati sunt actu rei poenae aeternae propter omnia peccata, originalia et actualia, interiora et exteriora, et nisi convertantur ad Deum, ruunt in aeternum exitium.

Cum igitur dicitur, Peccatum est quicquid est contra legem Dei, simul comprehendatur reatus, quod videlicet non renati sint actu rei poenae aeternae. Hic reatus expressus est in his verbis: Maledictus qui non manet in omnibus, quae sunt scripta in lege Dei. Item: Qui non credit, manet ira Dei super eum.

Postea de renatis sciendum est, duos esse gradus peccatorum. Aliud est peccatum non regnans, quod nominatur veniale, quod est malum originale, multi defectus et pravae inclinationes et dubitationes, peccata ignorantiae et omissionis, pravi affectus, sed in his qui sunt renati, et retinent fidem et timorem Dei auxilio Spiritus sancti, et repugnant pravis affectibus, nec ruunt contra conscientiam. Talia peccata in renatis in hac vita haerent, et sunt reipsa peccata, id est, mala pugnantia cum lege, et propter ea homo esset reus aeternae poenae, nisi fide propter mediatorem donata esset reconciliatio. Ita non sunt actu rei, qui sunt renati. Ideo supra dictum est: Nulla nunc condemnatio est his, qui Christo Iesu ambulant. Item: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Talia peccata non excutiunt fidem et Spiritum sanctum in his, qui dolent propter has sordes, et credunt sibi eas remitti propter mediatorem, nec indulgent eis contra conscientiam.

Alius gradus est peccatorum error in fundamento, item lapsus contra conscientiam, ut cum

David sciens et volens rapit alterius coniugem. Propter talia peccata homo rursus amittit gratiam, Spiritum sanctum et fidem, et fit actu reus aeternae poenae, et nisi fiat conversio ruit in aeternum exitium, sicut Saul damnatur, qui quanquam placuerat antea Deo, ruit tamen contra conscientiam, nec rursus convertitur ad Deum. David rursus convertitur ad Deum, et fit haeres vitae aeternae.

Hi gradus perspicue discernantur in Ecclesia, et sit illustre discrimen peccati regnantis et non regnantis. Hanc doctrinam complectitur Paulus in dicto: Milita bonam militiam retinens fidem et bonam conscientiam. Item, 1 Corinth. 6: Ne erretis, scortatores, adulteri, idolatrae regnum Dei non possidebunt.

Ex his dictis sumatur declaratio in hoc loco. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, id est: Si admittetis falsas opiniones et indulgebitis pravis affectibus, rursus eritis rei aeternae poenae, amittetis gratiam et Spiritum sanctum. Haec peccata nomino lapsus contra conscientiam et errorem in fundamento, ut cum pii, qui recta senserant, amplectuntur impia dogmata, seu errore seu scientes: ut multi, qui antea recte senserant amplexi sunt Arianam impietatem. De his omnibus dicitur: Nolite errare, scortatores, adulteri, idolatrae, homicidae, non possidebunt regnum Dei.

De altero gradu autem dicitur: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis. Fatetur esse in renatis actiones carnis, id est, affectus carnales et opiniones non congruentes cum Spiritu sancto. Haec mala iubet mortificari spiritu, id est, iubet ut renati sint intenti et vigilantes, ne adprobent falsas opiniones. Item, iubet, ut repugnent pravis affectibus, nec ruant contra conscientiam.

Diligenter autem observes quod ait, Spiritu mortificandas esse actiones carnis: quia magnum discrimen est inter Ioseph et Scipionem, quanquam uterque frenat locomotivam, ne faciat adulterium. Etsi enim et Scipionis egregia virtus est, tamen est sine vera agnitione et sine invocatione Dei, et non refertur ad gloriam Dei, sed est tantum locomotivae repressio. In Ioseph autem lucet agnitio veri Dei, et fit invocatio. Agnoscit Ioseph se placere Deo propter promissum Dominum, et laetatur in eo, et petit ab eo gubernationem, praestat hanc obedientiam Deo, et refert eam ad gloriam Dei, non vult scandalo alienare voluntates hominum a doctrina. Non igitur tantum hic repressio fit locomotivae, sed in mente vera lux est, et Spiritus sanctus adsimilat cor verbo Dei lucenti in mente.

Ideo Paulus hic iubet spiritu mortificari actiones carnis, et facit mentionem mortificationis, quia in illa lucta vult nos agnoscere nostram infirmitatem, et dolere propter has sordes et fide petere remissionem etiam harum sordium.

De his inquit Paulus: Qui mortificant actiones carnis spiritu, retinere eos vitam, id est, retinere gratiam, Spiritum sanctum, fidem consolantem corda, et manere eos haeredes vitae aeternae, sicut supra dixit: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Utrunque agnoscendum est, et quod sint in renatis peccata, propter quae vere expavescere et dolere debent, et rursus agnoscenda est magnitudo misericordiae Dei, quod recipit credentes propter filium gratis, et affirmat se velle, ut in nobis obedientia incoëtur, et placere eam sibi quanquam valde mutilam et languidam, si tamen renati repugnent vitiosis affectibus, ac doleant se habere tales sordes, et fide petant remissionem. De hac obedientia dicitur Roma 14.: Qui in his servit Christo, bene placet Deo, et probatus est hominibus. Ita simul sunt et vera humilitas, agnoscens propriam infirmitatem, et vere dolens propter has reliquias peccati, et econtra consolatio ac laetitia in Deo, quae est fiducia acquiescens propter mediatorem: iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Semper autem sit in conspectu discrimen inter delicta contra conscientiam, et delicta non contra conscientiam.

Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei.

Antea posuit propositionem, Debitores sumus, et asseveravit novam obedientiam necessariam esse, et addidit argumenta a poenis et retentione gratiae et vitae aeternae. Nunc addit argumentum a causa efficiente et a possibili.

Qualis est efficiens, talis sit effectus:
In vera conversione Spiritu sancto eriguntur corda per fidem:
Sint igitur motus congruentes Spiritui sancto.

Haec doctrina de donatione Spiritus sancti saepe iam repetita est, et saepe cogitanda est consolationis causa, ut accendatur invocatio. Cum

enim ingens sit infirmitas hominum, et diabolus tanquam leo rugiens circumeat, ut quam plurimos devoret, confugiamus ad haec praesidia et ad has consolationes, quod filios Dei Emanuel est custos Ecclesiae, sicut inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis, et gubernat, confirmat, docet et consolatur nos Spiritu sancto, et vult haec beneficia peti, et promittit ea petentibus, sicut scriptum est: Sine me nihil potestis facere. Petite, et accipietis. Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Spiritus opitulatur infirmitati nostrae.

Tales sententiae sint in conspectu, ut exsuscitent nos ad invocationem, es discamus hanc doctrinam et exercitia fidei in quotidianis aerumnis, ubi in vera consolatione experiemur praesentiam Spiritus sancti.

Observetur autem hoc loco verbum Ducit. Non est otiosus Spiritus sanctus, movet mentes et ducit, videlicet, non repugnantes: non est enim coactio, ut voluntas non possit repugnare. Trahit Deus, sed volentem trahit, ideo inquit: Dabit Spiritum sanctum petentibus. Item: Praebete membra vestra arma iusticiae.

Non enim accepistis spiritum servitutis.

Postea describuntur motus, quos ciet Spiritus sanctus. Non accepistis spiritum servitutis, seu ut ad Timotheum inquit, Spiritum timiditatis, id est, homines non habentes consolationem per Evangelium et Spiritum sanctum, cum veniunt aerumnae quaecunque, succumbunt dolori, contabescunt et desperatione ruunt in aeternum exitium, ut Saul, Achitophel. Has consternationes nominat Spiritum servitutis, seu timiditatis. Ubi vero corda sustentantur voce Evangelii et Spiritu sancto, ibi sentitur in dolore mitigatio et robur, sicut dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Item: Omnis qui confidit in Domino, non confundetur. Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Item: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item: Qui habet filium, habet vitam. In hoc cognoscimus quod in eo manemus, et ipse in nobis, quia de spiritu suo dat nobis

Sunt autem effectus immediati Spiritus sancti, fiducia et laetitia in corde praelucente voce Evangelii, invocatio, qua iam accedimus ad Deum erecti fide, non fugimus, non fremimus adversus eum, dilectio Dei, spes, velle obedientiam etc. Hos motus omnes comprehendit, cum inquit, nos accepto Spiritu sancto clamare Abba Pater.

Cohaeredes Christi, siquidem una patimur.

Propria doctrina est Ecclesiae, asseveratio de venturo iudicio et de poenis aeternis impiorum, et de gloria aeterna verae Ecclesiae, quam et meruit nobis Christus sua obedientia, et donat nobis ipse: quia etsi resuscitatio fit a Patre, Filio et a Spiritu sancto simul, tamen fit immediate per filium, et per filium fit visibile iudicium. Impii enim non videbunt divinitatem, sed filium videbunt, ut Matth. 26. dicitur: Tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt filium hominis venientem in mundum. De hoc visibili iudicio dicitur: Dedit omne iudicium filio.

Hanc asseverationem de aeternis poenis, et de gloria aeterna, vult Deus Ecclesiae notam esse, ut sciamus nos vocari non tantum ad crucem et confusionem in hac vita, sed ad liberationem, qua in tota aeternitate vivet Ecclesia, et laeta fruetur conspectu Dei, et cernet iusticiam Dei in discrimine beatorum et damnatorum.

Hanc doctrinam et consolationem hic repetit Paulus, cum antea dixerit de remissione peccatorum, de fide, de renovatione seu nova obedientia. Necesse est enim hunc finem sciri, et simul sciri, neminem salvum fieri post hanc vitam, nisi in hac vita mortali remissio peccatorum fide accepta sit, et incoata sanctificatio 2. Corinth. 5.: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Iohan. 3.: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum coelorum. Item: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Iuramentum postulat conversionem. Item, Apocal. 2.: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. Item: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Matth. 22.: Amice quare intrasti, non habens vestem nuptialem. Psal. 23.: Mors impii mala. Ideo Paulus hoc loco inquit: Glorificabimur: et addit, Siquidem una patiemur.

Haec conditio intelligatur non de merito nostrorum operum, sed de necessitate conversionis in hac vita, et haec ipsa conversio est perpetuum certamen cum diabolis et cum carnes. Nec notra sequitur:

Necesse est ferre multas aerumnas,

Ergo patientia nostra est meritum vitae aeternae. Debetur enim obedientia propter ordinem a Deo sancitum, non quia sit pretium: Ac donantur credenti remissio peccatorum, Spiritus sanctus, et haereditas vitae aeternae, Gratis, propter filium.

Hic rursus considerentur causae, propter quas Deus vult Ecclesiam in hac mortali vita subiectam esse cruci, has saepe recitamus: ideo hic breviter eas annotabo.

Prima est, quia manet peccatum in hac misera natura etiam post conversionem, manent igitur mors et aliae calamitates.

Secunda causa est, Diaboli rabiosius saeviunt in Ecclesiam, quam in alios homines, Gene. 3.: Ponam inimicitias etc.

Tertia, Habet Ecclesia multa actualia peccata, ut Aaron, David, Manasse, et alii plurimi. Sequuntur ergo poenae, quia Deus etiam in hac vita vult conspici exempla iudicii sui, iuxta dictum: Propter iniquitates corripis filios hominum. Vult item nos propter has poenas revocare ad conversionem, 1. Corinthiorum 11.: Cum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Psalm. 118.: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.

Esaiae 28.: Vexatio dat intellectum.

Quarta, Etiam sancti fierent negligentiores et superbi, si non exercerentur cruce: ideo Paulus inquit, 2. Corinth. 1.: Responsum mortis in nobis habuimus, ut non simus confidentes in nobis ipsis.

Quinta, Sinit Deus accidere inextricabilia humano consilio, ut conspiciatur praesentia eius in Ecclesia, cum mirandis modis liberat, et exerceantur fides, invocatio et aliae virtutes, ut Numeri 14.: Ut audiant Aegypti, quod tu Domine sis in hoc populo.

Et 1. Reg. 17. Ut sciat omnis terra, quod sit Dominus Deus in Israël.

Sexta, Vult Deus mortem Baptistae, Pauli, et similium testimonia esse, quod restet aliud iudicium. Item, quod ipsi serio sentiant, doctrinam veram esse et non commentitiam. Item, quod eam profiteantur propter gloriam Dei, non propter suas voluptates aut utilitates. Quia enim Deus antea dedit testimonium Paulo, quo ostendit sibi eum curae esse, cum eum non defendat in morte contra Neronem, necesse est postea restare iudicium, in quo ostendet se adprobare Paulum, non Neronem.

Septima, Oportet nos similes fieri imaginis filii Dei. Erat ordinatum quiddam et sapientia, si homines non essent lapsi, vivere eos sine morte et sine miseriis. Nunc alia sapientia est, vult Deus nos agnoscere ipsum esse iustum, et nos mersos in peccatum, humiliter fateri nos esse reos, et iuste sustinere destructionem huius depravatae naturae, sicut inquit Daniel: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei.

Mittitur autem filius, qui cum innocens poenam sustinet, fit eius passio λύτρον pro aliis, et ipse fit victor et eluctatur ex morte: idem filius Dei est efficax in nobis, qui iuste poenam sustinemus. Nequaquam tamen nostra mors est λύτρον, sed est iusta poena et commonefactio de iudicio Dei. Erimus autem similes filio Dei, cum vitam nobis reddet: interea vult nos Deus aliquo modo et in morte et in miseriis ei similes esse, ut commonefaciat nos de iudicio suo adversus peccatum.

Denique multiplex et inexhausta crucis sapientia est, de qua consilium Dei in tota vita cogitandum est, et semper sit in conspectu hoc dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei, potenti videlicet, ad premendum et ad liberandum.

Philosophia nec causas principales calamitatum humanarum ostendit, nec sufficienter consolationes tradit, sed in sola Ecclesia patefecit Deus voluntatem suam, et de poenis et de liberationibus.

De consolationibus.

Consideratis autem causis, propter quas Ecclesia cruci subiecta est, postea consolationes intueamur, sicut cognitis morbis deinde remedia traduntur. Nihil autem lenit dolorem, nisi aliqua boni ratio in eo conspiciatur.

Etsi autem alii aliter distribuere locos philosophicarum consolationum possint, tamen utcunque docendi causa sex numero, qui sunt:

1. Necessitas,
2. Dignitas virtutis anteferenda dolori,
3. Bona conscientia,
4. Exempla,
5. Causae finales, ut pugnare pro patria,
6. Collatio eventuum, ut melius est morbo impediri, quam venire ad malum sodalitium.

Omitto autem longiorem declarationem, quia mediocriter institutis non est difficilis consideratio. In Ecclesia eosdem locos consolationum recito, sed addo alios proprie evangelicos. Nam philosophici ex legis doctrina oriuntur. Non sunt igitur negligendi, sed tamen addi evangelicos oportet. Et Paulus in hac consolatione ex lege etiam sumit argumenta, ut cum de Necessitate et exemplis dicit.

Sunt igitur hi loci:

1. Necessitas, quia Deo necesse est obedire, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei, et haec obedientia fit sacrificium.
2. Dignitatis virtutis anteferenda dolori, nam hoc quoque lex praecipit, ne fracti dolore iniusta faciamus.
3. Bona conscientia.
4. Promissio remissionis peccatorum et reconciliationis.
5. Promissio auxilii divini, mitigationis ac praesentiae Dei in ipsis aerumnis.
6. Promissio liberationis finalis et aeternae salutis, sicut Iob inquit: Etiamsi occidet me, sperabo in eo.
7. Exempla filii Dei et universae Ecclesiae.
8. Causae finales, quia affligimur non ut pereamus, sed ut revocemur ad poenitentiam. Item, ut crescant in nobis timor Dei, fides, invocatio. Item, ut in confessione celebretur Deus.
9. Collatio eventuum, ut melius fuit Ionathae mori, quam fieri aliquando hostem Davidis.

Hanc brevem summam doctrinae de cruce et de consolationibus intueamur etiam in hac splendidissima Pauli concione, in qua primum argumentum sumtum est ab exitu afflictionum, et finali liberatione et aeterna salute. Nam hoc argumentum praecipuum est: Mens videns bonum, scilicet aeternam salutem laetatur, et minus movetur praesenti dolore, quem scit breve iter esse. Ac saepe repetitur hoc praecipuum argumentum in hac ipsa Pauli concione, quod initio recitat his verbis: Decerno afflictiones huius temporis, non esse pares venturae gloriae.

Nam expectatio creaturae etc.

Secundum argumentum ab exemplo mundi sumtum est.

Usitatus locus est consolationum proponere exempla similiter afflictorum, quia aequalitas videtur esse quaedam iusticia, videlicet, ne quis appetat extraordinaria, et velit frui maioribus commodis, quam alii fortassis digniores, ideo inquit Elias: Non sum melior patribus meis. Ita hic argumentatur Paulus:

Ferendae sunt communes miseriae:

Tota rerum natura nunc subiecta est cortioni et abusui impiorum, et gemit nobiscum, sed expectat liberationem.

Ergo et nos feramus partem communium miseriarum, et expectemus liberationem.

In hac prosopopoeia consideremus, quale sit hoc πάθος, et quam dulce argumentum continuat: ait gemere naturam rerum. Etsi autem coelum et terra sunt sine sensu; tamen corruptio et horrendi abusus rerum in mundo sunt tristissima spectacula, et dolor est in sanctis aspicientibus hanc deformitatem, et cogitantibus causas: hunc dolorem transfert ad ipsam rerum naturam in hac prosopopoeia. Non dolebant muri prophanato templo Ierosolymae, sed dolebant Maccabaei et alii sancti, videntes hanc terram deformitatem, contumelias Dei, neces civium, matronarum, puerorum et puellarum exilia et alias calamitates. In talibus exemplis consideretur, qualis sit haec prosopopoeia.

Deinde perspicua refutatio est Epicureorum in hoc argumento. Sic argumentatur Epicurus:

Ubi non est ordo, ibi non est providentia Dei.

In mundo non est ordo, quia saepe malis melius est quam bonis.

Ergo non regitur mundus providentia.

Paulus contra argumentatur:

Cum natura sit pulcerrime ordinata, et tamen iam sit multiplex abusus, necesse est utriusque rei causas esse.

Ordinis causa Deus est, sed abusuum causa peccatum est, nec tamen Deus frustra condidit hoc pulcerrimum opus.

Non igitur perpetuus erit hic abusus. Ita calamitas praesens testimonium est futurae liberationis. Quia nequaquam existimandum est, hoc pulcerrimum mundi opificium tantum ad illas confusiones in omnem aeternitatem conditum esse.

Quanquam autem sapientiam et dolores Pauli in hoc ipso argumento non prorsus exhaurire possumus, tamen cogitemus aliquid de his rebus: intueamur abusum non ut Epicurei, sed deploremus causas, scilicet peccata, et aspiciamus utrunque, videlicet pulcerrimum ordinem multarum rerum in natura conditum a Deo, et deinde confusionem ordinis, quae accessit propter peccatum, et cogitemus, cum non conditus sit mundus ad aeternum abusum, secturam esse aliquando liberationem, et Deum patefacturum esse iudicium suum.

Sed et nos ipsi, qui initia spiritus habemus etc.

Tertium argumentum sumtum est ab exemplo Apostolorum.

Nos qui excellentiora dona habemus affligimur, luctamur cum conscientia lapsuum praeteritorum et reliqua immunditie, cum terroribus diaboli, cum nostra infirmitate, cum periculis et persecutionibus, et expectamus liberationem.

Spe enim salvati sumus.

Quartum argumentum ab ordine et tempore liberationis.

Sic liberati sumus, ut adhuc speranda sit haereditas, postea possidenda, et ut ita dicam: Nunc habemus ius ad rem, nondum in re.

Sic enim Deus colligit Ecclesiam aeternam, et non aliter. Vult nos in hac vita per Evangelium renasci, et vult Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci: postea in vita aeterna erit integra novitas et laetitia.

Intelligit ergo Paulus hoc loco salvationem, illam ultimam et integram liberationem: quod ideo dicendum est, ut sophisticae captioni respondeatur.

Spe salvati sumus:
Ergo non sola fide salvamur.

Respondeo: Nego consequentiam, quia ambiguitas est in vocabulo Salvati. Cum dicit: Spe salvati sumus, non intelligit vocabulum Salvati pro reconciliatis, sed intelligit de liberatis ab omnibus miseriis. Et aliud est loqui de tempore integrae liberationis, aliud de causa iustificationis.

Cum dico: Spe liberati sumus, tempus intelligitur, et grammatice hoc significatur, Integra liberatio adhuc expectatur. Cum dicitur: Fide iustificamur, monstratur causa scilicet misericordia promissa propter filium Dei, quam fide oportet accipi.

Quanquam autem fides et spes sunt cognatae virtutes, et nequaquam divelli possunt, tamen quia Paulus aliquod discrimen facit, cum inquit: Tria haec, Fides, Spes, Dilectio, teneantur utcunque distinctae descriptiones.

Fides est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiae, et est fiducia acquiescens in Deo propter mediatorem, non propter nostras virtutes aut opera, et movens corda, ut accedant ad Deum, et eum invocent et clament Abba Pater.

Spes est certa expectatio salutis aeternae propter mediatorem gratis donandae, et est expectatio mitigationis poenarum in hac vita, iuxta consilium Dei.

Differunt autem fides et spes, quia fides in praesentia accipit remissionem peccatorum, et reconciliationem, seu imputationem iusticiae propter mediatorem, et adfert pacem, id est, laetitiam cordi, quod sensit veros pavores, ut dicitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Et hac fide ex doloribus inferorum eluctantes accedimus ad Deum, recte eum agnoscimus et invocamus, ut ad Ephes. dicitur: Per hunc audemus accedere in fiducia per fidem eius. Ita fides accipit in praesentia reconciliationem, arrabonem futurorum bonorum, videlicet Spiritum sanctum, et est virtus apprehensiva et quietativa.

Sed spes est expectatio futurae liberationis, quam expectationem antecedunt noticia promissionis et assensus, et fiducia accipiens reconciliationem, ut David audita promissione erectus, postea incipit sperare liberationem.

Dilectio est obedientia secundum mandata Dei, praelucente fide cum vera laetitia in Deo, quia 1 Iohan. 5. dicitur: Haec est dilectio Dei, mandata eius servare.

Per patientiam expectamus etc.

Dixi quartum argumentum sumtum esse ab ordine et tempore liberationis. Primum spe expectanda est haereditas, postea vero possidenda. Nunc in descriptione spei commoratur, dicit, spem esse futuri boni, nondum praesentis, ideo inquit: Spes quae videtur non est spes: ubi phrasis recte intelligatur. Adiungit autem spei patientiam, quia interea in hac vita magni agones perferendi sunt sicut et praedicit: Deus et prae-

cipit patientiam, et affirmat se nobis opitulaturum esse.

Praedictiones hae sunt:

2. Tim. 3.: Omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patientur.

Et Psalm. 33.: Multae tribulationes iustorum.

Et Ieremiae 12.: Dedi animam meam dilectam in manus inimicorum eius.

Praecepta vero de patientio haec sunt:

Matth. 16.: Si quis vult me sequi, abneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

1. Petri ultimo: Humiliamini sub potenti manu Dei.

1. Corinth. 10.: Ne murmuretis.

1. Timoth. 6.: Sectare iusticiam patientiam etc.

Psalm. 37.: Subditus esto Deo, et ora eum.

Apud Esaiam: In silentio et spe erit fortitudo vestra.

Promissiones sunt hae:

Psalm. 90.: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.

Psalm. 49.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Talia dicta, praedictiones, praecepta et promissiones sint in conspectu, ut inde doctrina et consolatio in aerumnis petantur, ut supra de locis consolationum dictum est.

Sed obiiciet aliquis: Cum talis sit natura, ut omnes, qui sentiunt cruciatus, non possint non dolere, et irascantur causis, et quaerant liberationes, alii aliter, quid igitur nominas Patientiam? estne inane nomen? Respondeo:

Philosophica patientia est in adversis perferendis, quae iubet ratio ferre, utcunque velle obedire rationi sic, ut externos gestus modereris, ne fractus dolore facias contra aliquam virtutem, ut Cato facit contra iusticiam sibi consciscens mortem. Medea irata Iasoni interficit natos, et multi quaerunt liberationes illicitis modis, ut qui Magos consulunt, aut qui iniusta foedera faciunt: et quia philosophica patientia saepe non ostendit liberationem, ideo in iniustis manet interior dolor, et ita crescit, ut extinguat hominem: ibi fit patientia inane nomen.

At patientia Christiana est velle obedire Deo in his, quae iubet ferre, et nihil facere contra mandata Dei, et simul cernere praesentiam Dei in cruciatu, et sperare auxilium et liberationem, ac laetari in Deo, quia cernimus res bonas, scilicet Deum ipsum praesentem afflictis, auxilium ac liberationem.

Talis patientia non est inane nomen, quia sentitur vera laetitia, quae vincit dolores. Sicut igitur David in suis aerumnis sentit veram laetitiam in Deo, ut cum inquit Psalm. 114.: Circumdederunt me dolores mortis, et angustiae inferni invenerunt me, Et nomen Domini invocabo, O Domine libera animam meam. Postea sequitur vox laetitiae: Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus eripuit animam meam a morte. Item Psalm. 93.: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes laetificaverunt animam meam. Cumque haec laetitia reipsa sentiatur, intelligi potest hanc patientiam non esse inane nomen, imo reipsa patientiam esse hanc laetitiam, et tamen lucta est dolorum et consolationum, et alias magis, alias minus sentitur laetitia: sicut lucta describitur in hoc ipso Capite 8. ad Rom.: Spiritus opem fert infirmitati nostrae. Et saepissime in Palmis, ut Psalm. 41.: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad te Deus, Quare tristis es anima mea, spera in Deo, etc.

Et hoc illustre discrimen est patientiae philosophicae et Christianae, quod Christiana patientia aliquo modo vult obedientiam propter Deum, et semper est coniuncta cum fide et spe auxilii divini, quae sunt causa laetitiae.

Sed in Palamedis, Socratis, Dionis, Phocionis patentia non est spes auxilii divini, sed est qualiscunque externa gestuum moderatio, quia interior dolor minor est, cum conscientia non est saucia, iuxta dictum:

Est aliquid magnis crimen abesse malis.

Spiritus adiuvat infirmitatem nostram.

Quintum argumentum sumtum'est ab auxilio divino. Cum enim de patientia et spe dixerit, et constet magnas Ecclesiae aerumnas esse, et difficilimos agones, addit argumentum de auxilio, quod ad confirmandos pios efficacissimum est: ostenditur enim res bona et dolores mitigans.

Hic sciendum est, ideo exerceri Ecclesiam, ut in doloribus cogitemus de causis afflictionum, et de promissione auxilii et liberationis, ut Esaiae 28. dicitur: Vexatio dat intellectum.

Item: Alienum opus facit Deus, ut faciat proprium opus, id est, sinit affligi Ecclesiam, ut ostendat se esse liberatorem etc. In ea cogitatione promissionum et in precatione datur Spiritus sanctus, et sentitur eius efficacia, ut de promissionibus dicitur in Psalmo 5.: Sustinuit anima mea in verbo eius. Ac sciendum est, sic dari Spiritum sanctum, videlicet, in cogitatione promissionis et in precatione. Sicut et Dominus inquit: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Caetera in textu Pauli describunt magnitudinem dolorum et luctae: Nescimus quid petamus etc., sed Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, infirma natura mallet non pati, sed Spiritus sanctus flectit voluntatem et corda, ut aliquo modo velimus obedientiam, et incitat ad invocationem, quae Deo placet, sicut David malebat non perire in exilio, et tamen dicit: Faciat quod bonum est coram ipso. Et Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eo.

Hic quaeritur: Quo discrimine alibi Christus dicatur interpellator pro nobis, hic vero Spiritus sanctus dicatur interpellator.

Respondeo: Christus est interpellator, quia est redemtor, et suo merito placans iram aeterni patris.

Sed Spiritus sanctus est interpellator in quantum nos movet ad invocationem, iuxta dictum: Accepistis spiritum, quo clamamus Abba Pater. Item, Zach. 11.: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum.

Filius est interpellator, quia est redemtor, qui persolvit pretium, ut satisfieret iusticiae Dei, et placaretur ira Dei.

Sed Spiritus sanctus interpellat post placatam iram per filium, sic, ut accendat in nobis invocationem, iuxta dictum: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum, id est, Spiritum testificantem in consolatione per Evangelium, quod Deus nos recipiat, et sit nobis propicius, et accendentem nos ad invocationem et laetificantem corda acquiescentia in Deo etc.

Scimus autem, quod diligentibus Deum, omnia cooperantur ad bonum.

Sextum argumentum repetitio est primi et praecipui argumenti, quod ab exitu afflictionum sumitur, quasi dicat: Cum certa sit liberatio et exitus futuri sint laetissimi, Tolerate exigui temporis aerumnas: et intexuntur causae et exemplum Christi.

Expetimus societatem aeternae Ecclesiae.
Sic autem Deus Ecclesiam colligit, et deinde glorificat, ac non aliter.

Ut igitur ad metam veniamus, etiam huius necessarii itineris labores feramus, iuxta dictum: Qui finem expetit, non fugiat media ad finem.

Proponitur autem exemplum filii Dei, quod in utramque partem est maxime illustre testimonium, videlicet ingentis irae Dei adversus nostra peccata, et amoris Dei erga nos, et liberationis Ecclesiae.

Necesse est ingentem iram esse, cum nemo sit redemtor nisi filius. Et necesse est magnum amorem erga nos esse, cum filius pro nobis datus sit. Et certa est liberatio, cum filius promittat se Ecclesiam sic liberaturum esse, ut ipsi in tota aeternitate similes simus. Sicut ait: Ego vitam aeternam do eis etc. Et in Psalm.: Unxit te Deus propter consortes tuos. De his maximis rebus commonefacit nos proposito exemplo filii. Hic rursus cogitandae sunt causae, quare Ecclesia subiecta sit cruci, quas supra aliquoties recitavimus.

Quos elegit, hos et vocavit.

Attexit splendidissimam amplificationem de conservatione Ecclesiae in hac tanta deformitate, et in his confusionibus et ruinis regnorum, quasi dicat: Quanquam omnia minantur interitum, tamen scitote Ecclesiam curae esse Deo, et non interituram esse.

Orditur igitur ab electione, ut nos commonefaciat de perpetuo consilio Dei, et de conservatione Ecclesiae, quasi dicat: Scitote esse Ecclesiam electam propter filium, sicut in Psalmo dicitur: Funes ceciderunt mihi in praeclaris. Semper aliqua haereditas erit filii Dei in genere humano. Et haec electa Ecclesia praêdicatione colligitur, et fit iusta, et ornabitur aeterna gloria. Mox igitur monet, ubi electi quaerendi sint, scilicet in coetu vocatorum. Ideo inquit: Quos elegit, hos et vocavit.

Hanc consolationem teneamus, nec fingamus electos quaerendos esse extra coetum vocatorum, sit sciamus eos esse in coetu vocatorum, qui est visibilis Ecclesia, in qua sonat vox Evangelii incorrupta, ibi filius Dei est efficax per Evangelium. Sicut scriptum est:

Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Et mandatum Dei est, ut singuli se ad hunc coetum vocatorum adiungant, iuxta dicta:

Qui vos audit, me audit, Qui non colligit mecum, dissipat.

Item, Psalm. 83.: Beati qui habitant in domo tua Domine.

Haec tota doctrina hic breviter comprehensa est, quae cogitanda est, quoties recitamus articulum: Credo esse Ecclesiam catholicam, id est, Credo Deum semper conservaturum esse Ecclesiam, et me quoque ad eam adiungo, in hac sunt electi omnes qui retinent fidem et bonam conscientiam.

Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Amplificat in fine certitudinem gratiae et liberationis, mentione dati pignoris, scilicet redemtoris et intercessoris, et simul refutat obiectiones. Duo enim terribilia argumenta incurrunt in oculos, quae impellunt homines ad dubitandum.

Conspectus nostrae immunditiae, quae haeret in omnibus, etiam non habentibus delicta contra conscientiam: semper enim disputat conscientia.

Deus peccatores non exaudit,
Ego sum peccator:
Non igitur sum in gratia.

Deinde conspectus externarum aerumnarum, de quibus sit ratiocinamur.

Iustis debebat bene esse.

Ecclesia est afflictissima et non solum exigua, sed etiam deformis domesticis vulneribus. Quis existimaret tempore Herodis in sola Iudaea, quae erat plena calamitatum et civilium bellorum fuisse Ecclesiam, et non magis Deo curae esse Augustum et senatores Romanos antecellentes sapientia, virtute, imperio, et aliis ornamentis.

Haec duo argumenta non leviter concutiunt omnium hominum animos. Ac priori argumento sic moti sunt monachi, ut docuerint in hac vita semper dubitandum esse, an simus in gratia, et hanc dubitationem approbent, et dicant esse humilitatem. Adversus hunc tetrum errorem constantissime docet vox Evangelii, vincendam esse fide dubitationem, sic, ut conversi ad Deum statuant, vere sibi remitti peccata propter filium, et propter eum se placere Deo, quanquam adhuc haereant in nobis non peccata contra conscientiam, sed defectus et pravae inclinationes et flammae pravorum affectuum, quibus tamen repugnamus.

Haec doctrina de vincenda dubitatione, et haec necessaria consolatio saepe repetita est supra, ubi consideres haec testimonia.

Rom. 4.: Ideo ex fide, ut sit firma promissio, quasi dicat: Non credenti promissio est inanis sonitus, et mandatum aeternum, et immotum Dei est, ut audiamus filium, ut inquit coelestis pater: Hunc audite.

Item in Psalmo: Osculamini filium. Hunc contumelia afficiunt, qui non tribuunt ei hunc honorem, ut credant sibi propter ipsum remitti peccata.

Huc adde alia illustria testimonia:

Acto. 10.: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

Rom. 5.: Iustificati fide pacem habemus. Opposita est autem haec pax dubitationi.

Et Ephe. 3.: Per quem audemus accedere in fiducia per fidem eius.

Item, Ebrae. 4.: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae.

Sciamus igitur mandatum Dei et propriam Evangelii vocem esse, ut credamus nobis remitti peccata in conversione, et conversos esse in gratia propter filium, et vincendam esse dubitationem hac fide. Et quanquam haec victoria languida est, tamen adsidue crescere et poenitentiam et hanc victoriam oportet, sicut inquit ille: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae.

Saepe autem alibi explicata sunt argumenta, quae opponuntur contra hanc certitudinem.

Peccatores Deus non exaudit, scilicet, qui non convertuntur ad Deum, sed perseverant in sceleribus contra conscientiam, aut defendunt errores contra fundamentum, id est, contra articulos fidei.

Citatur et hoc dictum Salomonis:

Nemo scit an odio, aut amore dignus sit:

Est autem brevis responsio, et firmissima. Loquitur Salomon de iudicio hominum, quod ex eventibus sumitur in hac vita, videlicet ex rebus secundis aut adversis. Ut Achab non existimet se placere Deo propter victorias, David

non existimet se reiectum esse propter exilium. Sed de valuntate Dei ex verbo eius iudicetur. Ita dictum Salomonis congruit ad nostram sententiam, non ad falsam imaginationem monachorum.

Quis accusabit electos, Deus est qui iustificat.

Responsio est ad argumentum antea recitatum. Cum enim obiicit conscientia in conversis, cum adhuc haereant in nobis multae sordes, et multa peccata ignorantiae et omissionis, quomodo possum non dubitare.

Hic respondet Paulus fidem niti merito et intercessione filii Dei, non nostra dignitate, et fit utriusque rei mentio, meriti et intercessionis.

Meritum ostendit cum ait: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non omnia cum eo nobis donet. Item: Quis accusabit electos, Deus est qui iustificat, id est, qui recipit credentes, et pronunciat eos esse iustos, id est, ipsi placentes propter filium tectos iusticia filii.

Postea de intercessione loquitur: Qui et interpellat pro nobis.

Hic tenenda est doctrina de sacerdotio Christi, de quo dictum est: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchizedec. Continet autem haec consideratio de sacerdotio Christi amplissimam doctrinam et dulcissimam consolationem. Primum vero nota sit definitio.

Summus sacerdos est persona immediate missa a Deo ad annunciandum Evangelium, et immediate proferens id ex sinu aeterni patris, ac missa ad offerendum sacrificium, ut persoluta poena pro nobis placaretur ira Dei, et assidue orans pro nobis, ac habens testimonium quod exaudiatur, et conservans ministerium Evangelii in Ecclesia, et perpetuo colligens Ecclesiam voce Evangelii et benedicens, dans remissionem peccatorum, Spiritum sanctum et vitam aeternam.

Haec membra omnia contineri in definitione summi sacerdotis, ostendit Epistola ad Ebraeos. Et hic summus sacerdos non est typicus, sed est Christus Deus et homo: nam officii nomen ad personam pertinet, quae est Deus et homo.

Ad consolationem vero consideratio utriusque rei necessaria est, scilicet sacrificii seu meriti, et intercessionis. Haec persona offert sacrificium, id est, universam obedientiam suam et humiliationem usque ad resurrectionem, ut poenam pro nobis persolvat, hanc oblationem ipse suis verbis pro Ecclesia applicat inquiens: Ego pro eis sanctifico me. Et ad Ebraeos dicitur Cap. 1.: Qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel. Item: Una oblatione consummavit nos.

Primum igitur fit in conspectu haec consolatio quae proponitur in merito Christi, seu sacrificio, videlicet, quod in conversione vere recipiantur et placeant Deo credentes propter hanc victimam, etiamsi adhuc haerent in conversis reliquiae peccati. Vincenda est igitur dubitatio, quia dubitans disputat, an meritum Christi sufficiat, aut antefert sua peccata merito Christi contra dictum: Gratia exuberat supra delictum. Ideo hic inquit: Quis accusabit electos, cum Deus sit, qui iustificat, quasi dicat: Etiamsi haerent in conversis reliquiae peccati, tamen eos iustificat Deus propter filium.

De intercessione vero sciamus applicationem meriti Christi ad nos fieri omni tempore, coram aeterno patre per ipsum mediatorem deprecantem pro nobis. Sic coniuncta sunt meritum et intercessio.

Meritum est obedientia Christi satisfaciens insticiae Dei ad placandam iram.

Intercessio est assidua applicatio pro nobis, sicut Ebrae. 7. dicitur: Semper vivens, ut intercedat pro eis. Et hoc loco ad Rom. 8.: Qui est ad dextram Dei, qui et interpellat pro nobis, id est, qui regnat cum patre, et videt pectus patris, et in illo arcano consilio pro nobis intercedit, et nostros gemitus ad patrem perfert, qui propter filium nos recipit, iuxta dictum: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Haec consolatio semper in conspectu sit. Etiamsi valde infirmi et indigni sumus, tamen placemus, quia hic filius merito suo placat patrem, et semper pro nobis intercedit, et tegit nos applicatione meriti sui, ne in nos effundatur ingens ira divina.

Huc accommodetur et dictum: Tu es sacerdos in aeternum. Item, tota precatio ante agonem dicta, quae est perpetua vox mediatoris omni tempore. Verba applicationis sunt: Ego me pro eis sanctifico, id est, offero. Item: Oro non pro ipsis tantum, sed pro crediturís per verbum eorum, ut unum sint in nobis. Item: Ut dilectio

tua in eis sit, qua me diligis. Hunc deprecatorem autem certo exaudit aeternus pater, iuxta dictum: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem.

Quis separabit nos a dilectione Dei?

Conclusio est totius consolationis. Cum Deus diligat nos propter meritum et intercessionem filii, certissimum est servaturum esse Ecclesiam, etiamsi est infirma, et horribilibus furoribus diabolorum et impiorum oppugnatur.

Disputant autem hic aliqui, an possit electus amittere dilectionem qua Deum diligit? Haec quaestio aliena est ab hoc loco. Dictum est autem alibi, electos posse labi, sicut lapsi sunt Adam, Eva, Aaron, David.

Paulus autem hic loquitur de dilectione, qua Deus universam Ecclesiam diligit, et loquitur de conservatione universae Ecclesiae. Deinde etiam de singulis membris, quae revera per fidem sunt Ecclesiae membra.

Haec dilectio in promissione revelata est, quae affirmat Deum semper collecturum esse Ecclesiam, quae in tota aeternitate fruetur eius vita, luce, iusticia et laetitia, iuxta dictum: Portae inferorum non praevalebunt adversus eam.

Adfirmat item promissio, conversos qui vera fide inseruntur Christo, diligi a Deo, ut Ioh. 14. dicitur: Si quis diligit me, sermonem meum servabit etc. De hac certitudine fidei hic loquitur, qua conservationem universae Ecclesiae scimus certam esse: certo etiam scimus singulos perseverantes in fide salvos fore. Addit igitur, Servabitur Ecclesia, etiamsi erunt magna certamina et oppugnabitur variis modis, dulcedine vitae, metu mortis, insidiis diabolorum, terroribus tyrannorum, et exercituum: nam tyrannos nominat ἀρχὰς, exercitus autem δυνάμεις, videlicet tota agmina persequentium.

Oppugnatur et praesentibus illecebris, et terroribus, et spe futurae tranquillitatis et metu periculorum. Altitudinem intelligo in genere sapientiam haereticorum et aliorum impiorum. Profunditatem, communes vulgi furores. Adversus haec omnia confirmatur Ecclesia per filium Dei et Spiritum sanctum, ut gloriose vincat, sicut in Psalmo dicitur: Ex ore infantium et lactentium perfecisti tibi laudem. Item: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Caput IX.

Prorsus nova disputatio instituitur de Ecclesia, seu populo Dei, et de vocatione gentium. Etsi enim necesse est, intexi alicubi discrimen legis et iusticiae fidei, tamen hic principalis quaestio est, quae sit Ecclesia Dei, seu quis sit populus Dei. Nam et Iudaei opponebant Apostolis autoritatem Ecclesiae, et argumentabantur hoc modo.

Cum Ecclesia non erret, Et nos, qui sumus praecipua pars populi, ordinarii sacerdotes, doctores, gubernatores, et maior multitudo antecellens virtute et autoritate, simus Ecclesia, et dissentiamus a vobis. Non est credibile vos recte sentire, qui novum doctrinae genus invehitis in Ecclesiam, ignotum patribus nostris: imo contrarium legi, quia legem a Deo illustribus testimoniis latam aboletis, Idque facitis pauci et seditiosi homines, ut res ipsa ostendit, quia hanc pulcerrimam politiam, quae sola in genere humano voce Dei constituta est, et ingentibus miraculis conservata et saepe restituta est, vos evertitis.

Haec speciosa argumenta opponebant Iudaei, quae nulla humana sapientia refutari possunt, sed refutantur testimoniis divinis, videlicet dictis propheticis et miraculis.

Nunc similia opponunt Papistae, sed quia constat eos dimicare de legibus et ritibus humana autoritate traditis, argumenta eorum languidiora sunt. Iudaei dimicabant de lege divina. Semper tamen Ecclesiae nomine et specie moventur omnes homines moderati, nec temere discedendum est a vetustissimo consensu eorum, quorum probatur autoritas.

Paulus inquit, Ecclesiam esse domum Dei, columnam et sedem veritatis. Dominus inquit: Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus. Samson ait: Si non arassetis mea vitula, non invenissetis.

Cum autem Ecclesiae nomine moveantur homines, necesse est quaerere quae sit vera Dei Ecclesia, quia semper etiam diversi et dissentientes populi hunc gloriosum titulum usurpant, ut nunc de hoc titulo pugnant inter se Christiani, Iudaei et Mahometistae. Imo in hac ipsa multitudine, quae nominatur Christiana, sunt dissensiones. Respondet igitur Paulus et docet, quae sit Ecclesia et ubi sit, et quomodo sit agnoscenda.

Esse autem aliquam visibilem Ecclesiam Dei manifestum est ex multis testimoniis. Cum enim inquit Christus: Dic Ecclesiae, deducit nos ad visibilem coetum. Et Psalmus ait: In omnem terram exibit sonus eorum. Vult Deus audiri vocem Evangelii, vult agnosci filium, ideo semper aliquem coetum alias magis alias minus frequentem colligit, qui conspici et exaudiri possit in genere humano, et in hoc coetu retinetur fundamentum, alias magis alias minus purum, sed tamen non defenduntur idola. Ac semper in hoc coetu sunt electi aliqui, id est, haeredes aeternae vitae, etiamsi simul his admixti sunt multi non sancti et non electi, qui tamen de doctrina in externa professione a sanctis non dissentiunt, ut docet similitudo de sagena, in qua sunt boni et mali pisces. Nec quaerendi sunt electi extra coetum vocatorum, iuxta dictum: Quos elegit, hos et vocavit. Item: Oves meae vocem meam audiunt. Ubicunque autem sunt sive inter hos, sive alibi, qui oppugnanat fundamentum, id est, articulos fidei, hos esse extra Ecclesiam, et reiectos et damnatos certum est, iuxta dicta Iohannis 3.: Qui con credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum. Et 1. Corinth. 3.: Fundamentum aliud ponere nemo potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Cum igitur sit aliqua vera Ecclesia visibilis, teneamus hanc definitionem.

Ecclesia visibilis est coetus visibilis amplectentium Evangelium sine corruptelis, et recte utentium Sacramentis, in quo coetu filius Dei est efficax per ministerium Evangelii, et multos regenerat dato Spiritu sancto. Suntque in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes. Ac mandatum est immutabile, pertinens ad omnes homines, ut singuli fiant membra et cives huius verae Ecclesiae, ubicunque sunt in mundo apud suos aut alienos, ita adiuncti, videlicet ut agnoscant et fateantur eum coetum esse veram Dei Ecclesiam, et similis sit confessio doctrinae, et similis invocatio Dei, et similis usus Sacramentorum, et voluntas iuvandi et non perdendi eum coetum. Nec necesse est similitudinem esse humanarum traditionum, nec necesse est omnes uni politico imperio inclusos esse.

Quod autem oporteat singulos fieri membra verae Ecclesiae, testantur haec dicta: Quos elegit, hos et vocavit.

Psalm. 26.: Unum petii a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluntatem Domini, et visitem templum eius.

Psalm. 83.: Beati qui habitant in domo tua Domine.

Psalm. 91.: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

Psalm. 35.: Lavabo inter innocentes manus meas, et circundabo altare tuum Domine. Dilexi decorum domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.

Psalm. 121.: Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem. Et felicitas diligentibus te, propter domum Domini Dei nostri, quaesivi bona tua.

Ebraeos 10.: Non relinquentes congregationem nostram.

1 Corinth. 1.: Non sint inter vos schismata, sed sitis coagmentati eadem doctrina et eadem voluntate.

Matth. 12.: Qui non congregat mecum, dispergit.

Haec et similia dicta praecipiunt de consociatione, et iubent singulos fieri membra verae Ecclesiae, et vetant esse socios hostium Evangelii, seu errones, qui ideo fugiunt Ecclesiae societatem, ut magis vagari opinionibus possint.

Ut autem agnosci vera Ecclesia possit, haec tria praecipua signa externa in sensus incurrentia proposita sint.

Pura vox doctrinae Evangelii.

Legitimus usus Sacramentorum.

Et coniunctio Ecclesiae cum pastoribus, videlicet obedientia in his, quae ad ministerium iuxta Evangelium pertinent, hoc est, ne aliqui seiungant se a communi congregatione, et aut vagentur sine ministerio, aut fastidientes Ecclesiam recte constitutam, instituant privata conventicula etc.

Haec primum de Ecclesia visibili sciri necesse est, quia in hac tantum sunt electi, propter quos et hic visibilis coetus a Deo colligitur et conservatur.

Hic autem quaeritur de causa electionis, ubi primum perspicua responsio est de reiectione.

Causa reiectionis est perseverantia in peccatis, iuxta haec dicta: Qui non credit in filium, iam iudicatus est. Item: Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super

eum. Psalm. 2.: Osculamini filium, ne exardescat ira eius, et pereatis in via.

Sed de causa electionis sciendum est, misericordiam Dei, qui propter filium colligit haereditatem in genere humano, causam esse electionis, non nostra merita. Ideo dictum est in Osea: Perditio tua ex te est, sed auxilium tuum per me est. Et Rom. 11.: Si ex operibus, iam non esset gratia, ut manifestum est gratuita misericordia Dei propter filium initio editam esse promissionem, et colligi et restitui Ecclesiam, sicut Psalm. 2. dicitur: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem. Psalm. 15.: Tu sustentas haereditatem meam, Funes ceciderunt mihi in praeclaris, et haereditas mea praeclara est mihi. Et Ephes. 1.: Dilexit nos in dilecto.

Duae sunt autem quaestiones, quae horribiliter excruciant animos cogitantes de electione. Prior est quaestio de dignitate seu merito. Cum sic cogitamus, si essem dignus, satis purus, aut bene meritus, statuerem me quoque haeredem esse beneficiorum aeternorum, quae Deus promisit. Haec imaginatio a lege oritur, quae postulat dignitatem et merita.

Hic igitur necesse est tenere vocem Evangelii de gratuita misericordia. Hanc ipsam ob causam vox Evangelii de gratuita reconciliatione propter filium revelata est, ut occurrat illi quaestioni de merito, et sanet nos in hoc difficili agone, asseverans certo recipi nos propter mediatorem gratis, non propter nostram dignitatem. Et sint in conspectu aliqua perspicua testimonia, ut Rom. 4.: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Et ad Titum 3.: Non ex operibus iusticiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvavit nos.

Altera quaestio est de particularitate. Quia enim audimus misericordiam esse causam electionis, et tamen paucos electos esse, magis etiam angimur: disputamus an sit Deus aequalis, an sit apud eum *προσωποληψία*, cur non omnium misereatur.

Huic saevae tentationi opponenda est firmissima doctrina, quae affirmat promissionem gratiae universalem esse, et asseverat Deum propter mediatorem, et gratis, omnibus perterrefactis promittere remissionem peccatorum et salutem.

Hic nota sint dicta universalia, et sciamus de voluntate Dei ex verbo revelato statuendum esse, nec fingendas esse contradictorias voluntates in Deo. Hanc ipsam ob causam vox Evangelii tradita est, ut ostendat voluntatem Dei veram et non simulatam, et verax nuncius est filius Dei, qui Evangelium profert ex sinu patris, sicut nominatur apud Esaiam, Consiliarius, quia hoc decretum salutis profert. Hic filius inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Iohan. 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui crdit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Rom. 3.: Iusticia Dei per fidem Iesu Christi in omnes et super omnes credentes.

Rom. 10.: Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant eum.

Rom. 11.: Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur.

1. Timoth. 2.: Deus vult omnes homines salvos fieri.

Rom. 2.: Non est acceptio personarum apud Deum.

Esaiae 53.: Omnes nos quasi oves erravimus, et posuit Dominus in eum iniquitates omnium nostrum.

Et manifestissimum est, mandatum Dei universale et immutabile esse, ut omnes credant filio, iuxta dictum: Hunc audite. Et Psalm.: Beati omnes qui confidunt in eo.

Ex his manifestissimis testimoniis et similibus firmissime statuamus utramque concionem universalem esse, concionem poenitentiae, quae arguit peccatum in omnibus, et praecipit ut omnes convertantur: et promissionem gratiae omnibus perterrefactis offerre gratiam, et praecipere ut credant in filium Dei.

Cum igitur de electione dicitur, semper hae tres admonitiones sint in conspectu. Prima iudicandum est de voluntate Dei ex ipsius verbo, et accedimus ad Deum praelucente verbo, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Magna autem consolatio primum haec est, quod certo scimus ex verbo Dei. Deum immensa misericordia propter filium semper colligere Ecclesiam in genere humano, et quidem voce Evangelii, et in eo coetu, qui docet, discit et amplectitur Evangelium, et non defendit idola aut alias corruptelas contra fundamentum, certum est esse aliquos electos, iuxta haec dicta:

Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

Item: Oves meae vocem meam audiunt. Ac semper esse aliquos electos testantur haec dicta, Matth. 14.: In adventu filii hominis duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur. Item: Propter electos abbreviabuntur hi dies. Nec sunt electi extra coetum vocatorum quaerendi, sed retinendum est dictum Pauli: Quos elegit, hos et vocavit. Item, Iohan. 8.: Qui est ex Deo, verbum Dei audit. Et propter talem Ecclesiam servantur aliquae politiae, quanquam passim fiunt magnae gentium dissipationes et vastationes.

Secunda admonitio. Sed dices, haec consolatio eo prodest, quod scio aliis servari Ecclesiam, fortassis autem mihi id nihil prodest, et quomodo sciam qui sint electi? Respondeo: Tibi quoque haec generalis consolatio prodest, quia credere debes tibi quoque servari Ecclesiam, et mandatum Dei aeternum et immotum est, ut tu quoque audias filium, agas poenitentiam et credas te recipi a Deo propter mediatorem, talis cum es discedens ex hac vita, certum est te in numero electorum esse, sicut scriptum est: Quos iustificat, eosdem et glorificat.

Item: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Item, Apocal. 2.: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam.

Item, 2. Corinth. 5.: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Sic quoties cogitamus de electione, intueamur verbum Dei revelatum, vocationem, mandatum de audiendo Evangelio, de poenitentia et de fide. Quia omnes salvandi propter filium Dei electi sunt, et ita sunt electi, ut agnoscant filium, ad eum confugiant, et de his confugientibus ad ipsum loquitur, cum ait: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Sic sumus oves, cum vocem eius audimus, iuxta praecedens dictum: Oves meae vocem meam audiunt.

Tertia admonitio. Cum dictum sit, necessario iudicandum esse de voluntate Dei ex verbo ab ipso tradito, non ex imaginationibus humanis, tenenda est etiam haec regula: Non esse ponendas contradictorias voluntates in Deo, quia Deus verax est. Cum igitur promissio sit universalis et gratuita, et manifestum sit, mandatum divinum aeternum et immotum esse, ut filio credamus, obtemperemus huic mandato, et includamus nos quoque in promissionem universalem: (Venite ad me omnes) et eam ad nos pertinere statuamus. Hac fide qui se sustentant discedentes ex hac vita, sentiunt consolationem, quae est initium vitae aeternae, iuxta dictum: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum etc. Tales sunt in numero electorum.

Sed obiicit trepida mens: Non possum credere, nisi Deo fidem accendente. Respondeo: Verum est homines a Deo trahi, sed trahuntur per vocem Evangelii, cui vult te Deus assentiri, et simul petere auxilium, sicut scriptum est: Quanto magis dabit Spiritum sanctum petentibus. Non igitur repugnes Evangelio, non indulgeas diffidentiae, non cogites, ut somniant enthusiastae, expectandum esse violentum motum, quo te rapiat Deus etiam repugnantem, et iterum ruentem in scelera, sed assentiaris voci divinae, et simul petito auxilium, sicut ille apud Marcum: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae. Hoc cum fit, certum est te a Deo trahi et adiuvari, sicut iurat: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. In hanc sententiam et haec dicta sunt: Deus trahit, sed volentem trahit. Item: Tantum velis, et Deus praeoccurrit, ut Basilius dicit in concione de filio prodigo, cui redeunti pater obviam procedit et involat in complexum. Haec dicimus ad consolandos eos, qui sunt in Ecclesia, et se intelligunt vocari voce Evangelii, et volunt converti. Si qui autem sine poenitentia movent curiosas quaestiones, cum talibus frustra disputatur.

Quod autem longo tempore gentes in ignorantia vixerunt, aut nunc quoque multae gentes prorsus ignorant Evangelium, culpa est non Dei, sed ipsorum hominum. Quia Deus semper in genere humano habuit, et habet Ecclesiam, et velut arcem in excelso loco collocat, quam audire homines debebant, sed omnibus temporibus multi sunt impii, qui audire vocem filii Dei non volunt, de quibus dictum est: Osculamini filium. Item: Hunc audite. Accusanda est igitur hominum impietas: nos vero sciamus audiendam esse vocem filii Dei.

Nunc ad textum venio. Supra autem dixi, quare hic quaestionem de Ecclesia moveat, quia Iudaei disputabant, se cum sint Ecclesia, non errare. Respondet Paulus, discernendam esse

Ecclesiam electam ab alia multitudine, quae titulum habet et iactitat propagationem carnalem, seu ordinariam successionem in externa gubernatione. Scias igitur hanc esse huius disputationis summam. Vult Paulus discerni veram Ecclesiam a falsa, atque ita de effectu electionis loquitur. Ideo inquit: Non omnes qui sunt ex Israël, id est, non omnes propagati ab Israël propagatione carnali, aut regnantes in successione ordinaria sunt vera Ecclesia: quia Ecclesia non colligitur propagatione carnali aut successione Episcoporum, sed vocatione per Evangelium, et regeneratione, in qua filius Dei vivificat corda Spiritu sancto, ut Iohan. 1. dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Opponit autem Paulus commune argumentum rationis.

Si pares sunt Iacob et Esau: cur non uterque eligitur, quia iusticia dat aequalia aequalibus?

Respondet Paulus: Cum solvitur debitum, iusticia dat aequalia aequalibus, sed in donatione et gratuita misericordia non est iniustus, qui dat alicui non debitum beneficium, alteri non dat, sicut docet et parabola de conductis in vineam. Non est iniustus Deus eligens Nabuchodonosor, et non eligens Sennacherib, cum uterque sit indignus. Hanc responsionem confirmat dicto de misericordia: Misereor cuius misereor.

Postea ait, quem vult indurat: ubi nota sit Ebraea phrasis, in qua verba activa saepe permissionem significant: indurat, id est, sinit esse durum, nec convertit eum. Ac nequaquam inde ratiocinandum est, Deum velle et efficere peccata, aut cogere voluntates ad peccandum, quia dictum est: Non Deus volens impietatem tu es. Removendi sunt et Stoici furores de necessitate. Pharao volens ardet ira et cupiditate, et obtemperat diabolis eum incitantibus: estque in ipso Pharaone causa reiectionis. Sinit autem Deus talia fieri, quia vult conspici discrimen in omni aeternitate inter iusticiam et iniusticiam, et vult cerni horribilem iram suam adversus impios, ideo sinit labi et furere aliquos angelos et homines, ut in poena conspiciatur in hac vita, et in tota aeternitate, discrimen inter iusticiam et iniusticiam.

Phrasis in verbo, Tulit vasa irae, etiam Graeca consuetudine significat idem quod toleravit.

Hac enarratione simus contenti, et remotis stoicis furoribus, sciamus causam reiectionis peccatum esse in impiis. Deinde sciamus misericordiam Dei propter filium causam esse electionis, sicut hic dicitur: Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis. Item, Ephes. 1.: Sumus dilecti in filio, et gratia ideo nobis certa est, quia gratis propter filium recipimur, sed tamen audire nos Evangelium oportet et non repugnare, ac assentiens trahitur volens, sicut et hic quoque requiritur voluntas (sed meritum tollitur) cum ait: Non est volentis. Et supra dictum est: Trahit Deus, sed volentem trahit. Et semper in conspectu sit hoc immotum et immutabile mandatum Dei, quod praecipit, ut audiamus filium: huic mandato obtemperemus, et sciamus gratiam exuberare supra delictum.

Tu qui es, qui litigas cum Deo?

Abrumpit quaestionem, et quanquam fatetur multos reiectos esse, tamen non hoc dicit, non esse causam reiectiones in ipsis. Simul autem iubet nos audire Evangelium, et obtemperare Deo vocanti, et non frangi, aut deficere a Deo propter exemplum multitudinis, sed agere gratias, quod omnes vocat. Trahit autem audientes Evangelium, et non repugnantes, sicut postea de omnium vocatione et multorum contumacia expresse loquitur: Tota die expandi manus meas ad populum contumacem, et contradicentem. Hic nominat causam reprobationis. Nequaquam igitur sic intelligenda est similitudo de luto et figulo, quasi hoc dicat, nihil agere impios: firmissime enim tenenda est sententia, quod Deus non sit causa peccati, sed similitudo illa eatenus congruit, quod ex una massa generis humani Deus et convertit multos, et contumaces reiicit.

Verbum consummans et abbrevians.

Postquam hanc dulcissimam consolationem tradidit, quod semper aliqua sit Ecclesia electa propter filium, sicut Psalm. 16. dicitur: Tu es, qui sustentas haereditatem meam mihi. Addit nunc testimonia de destructione politiae Iudaicae et de collectione Ecclesiae ex Iudaeis et Gentibus.

In Osea dicitur: Vocabo eos qui non sunt populus, ut sint meus populus.

Et apud Esaiam dicitur Cap. 10.: Etiamsi erit numerus filiorum Israël ut arena maris, reliquiae salvae erunt, id est, etsi magna multitudo erit populi Israël, tamen maior pars horribiliter peritura est deleta politia, et tantum reliquiae, id est, exigua pars convertetur ad Deum. Sic enim declarat se Propheta: Consummationem et praefinitionem faciet Dominus in medio terrae, id est, faciet finem constituto tempore politiae Israël, et tunc consummatio praefinita exundabit iusticiam, id est, in illo interitu politiae largissime donabitur iusticia Iudaeis et Gentibus, videlicet: Ipse filius Dei et eius beneficia, remissio peccatorum, reconciliatio, nova et aeterna iusticia et vita donanda per filium, sanctificatis voce Evangelii et Spiritu sancto, prorsus ut Daniel inquit, Cap. 9.: Fiet propiciatio pro peccato, delebitur iniquitas et adducetur iusticia sempiterna, et ungetur Sanctus sanctorum, et populus desinet esse, et civitatem et templum delebit populus Ducis venturi, scilicet Titus. Haec Danielis verba congruunt cum Esai. dicto. Hanc igitur interpretationem veram, nativam, simplicem et perspicuam retineamus.

Et quanquam lectio in Paulo sumta et translatione Graeca Prophetarum obscurior est, tamen sententia re vera cum Ebraea lectione congruit. Verbum abbreviatum faciet Dominus, id est, rem seu negotium abbreviatum, seu abbreviationem, id est, finem politiae Israël, et tunc faciens Deus hanc abbreviationem, seu finem politiae, exundabit iusticiam, id est, tunc exhibebit Messiam et eius beneficia.

Observanda est autem dulcis metaphora in verbo Exundat, quod significat largam et gratuitam iusticiam donatam immensa bonitate Dei propter mediatorem gratis. Commonefacti igitur hac dulci metaphora, cogitemus amplitudinem gratiae, ut fides et invocatio accendantur, et sumenda est declaratio ex superioribus de gratuita reconciliatione, et universali promissione.

Israël sectando legem iusticiae, ad iusticiam non pervenit.

Hic expresse ponit causam reprobationis, quia impii non volunt credere Evangelio, ideo supra dixi similitudinem de Luto non sic accipiendam esse, quasi non sit in ipsa hominum voluntate causa reprobationis: ait enim, ideo multos in Israël perire, quia sectando legem iusticiae pertinaciter retineant hanc opinionem, quod suis operibus et cultibus mereantur remissionem peccatorum, et sint iusti, id est, accepti Deo, et haeredes vitae aeternae propter has umbras, id est, propter opera moralia, non propter Messiam. Sic intelligatur phrasis: Sectari legem ex operibus.

In fine additum est dulcissimum testimonium: Omnis qui credit in eum, non confundetur, id est, non frustrabitur. Est enim usitata phrasis, confundi, pro frustrari, Quanquam apud Esaiam cap. 28. Verbum est in Ebraeo, quod significat festinationem, trepidationem, consternationem, seu fugam. Sed Paulus sententiam reddidit, iuxta dictum in 2. Psalm.: Beati omnes qui confidunt in eo. Et sunt similia dicta multa.

Discamus autem huius dicti sententiam in quotidianis consolationibus, et sciamus hic comprehendi, et Messiam, et particulam Gratis. Fides intueatur Messiam, et firmissime statuat Gratis propter ipsum, non propter dignitatem nostram nos recipi, et esse haeredes vitae aeternae.

Caput X.

Nihil novi instituit, sed repetit priorem sententiam de causa defectionis Iudaeorum, et de causa, propter quam Evangelio adversantur. Ideo belligerantur (inquit) cum Evangelio, quia nolunt extenuari iusticiam legis, nec intelligunt aliud esse iusticiam Evangelii: dimicant etiam de sua politia, quam praedicatione Evangelii vident dissolvi. Sicut nunc Episcopi et Monachi dimicant de suis ceremoniis, ut status et splendor suae politiae conserventur.

Addit autem querelam de gentis interitu, ut supra, et tribuit eis zelum, id est, studium seu ardentem voluntatem, seu fervorem, qui ipsis bonus videtur, sed non est bonus, quia cum erroribus coniunctus est: et sunt errores in articulis fidei praecipuis, de Christi meritis, regno et officiis, unde sit remissio peccatorum, quid sit peccatum, quae sit vera iusticia. Est autem gravis comminatio addita adversus defensores impiarum opinionum de iusticia legis, cum inquit:

Non subiici eos iusticiae Dei. Perspicue igitur damnat omnes adversantes verae doctrinae de iusticia fidei.

Rursus autem monendi sunt iuniores de phrasi. Iusticia Dei non significat hoc loco iusticiam essentialem in Deo, sed significat iusticiam, qua nos Deus propter filium reputat iustos, id est, ipsi acceptos fide. Et hoc cum fit, simul verum est, vivificari credentes per filium Dei, et sanctificari eos Spiritu sancto, sicut inquit: Ego vitam aeternam do eis. Et in Iohanne dicitur: Qui habet filium, habet vitam. Item: De spiritu suo dat nobis.

Finis legis est Christus ad iusticiam omni credenti etc.

Hic instituit collationem iusticiae legis et iusticiae Evangelii, et utramque definit, ac proponit sententiam oppositam Iudaicis imaginationibus de lege, quasi dicat: Iudaei cogitant legi satisfieri externa obedientia, et hac externa disciplina somniant se iustos esse coram Deo, ut Pharisaeus Lucae 18. Nec intelligunt Messiam esse finem legis, hoc est, promissum esse, ut tollat peccatum, quod lex tantum ostendit et arguit, non tollit.

Consideranda est igitur dulcissima sententia: Christus est finis legis, id est, impletio seu consummatio legis, donans id, quod lex praecipit, tollens peccatum et mortem, et restituens aeternam iusticiam et vitam, sicut Daniel inquit: Finietur peccatum, et delebitur pravitas, fiet propiciatio et adducetur iusticia sempiterna. Haec bona erunt consummata post resurrectionem, nunc in hac vita liberatio a peccato fit imputatione et incoatione, id est, qui credit in Christum, est iustus, primum imputatione, id est, habens remissionem peccatorum et reconciliationem, et acceptus, seu placens Deo per fidem propter Christi obedientiam et intercessionem. Simul autem incoatur nova iusticia et vita, quia filius in hac consolatione vivificat corda et sanctificat ea, dato Spiritu sancto, ut supra dictum est: Qui habet filium, habet vitam, et: De spiritu suo dat vobis. Sed haec novitas erit integra in vita aeterna.

Moises enim scribit: Qui fecerit ea, vivet in eis.

In hac antithesi quidam imaginati sunt, Statum collationis huius esse in his verbis: Vivet in eis, hoc est, penes praemia conferri duplicia opera. Opera rationis habere praemia corporalia, sed bona opera orta a Spiritu sancto habere praemia aeterna. Haec interpretatio aliena est a sententia Pauli. Non enim fit collatio praemiorum, sed de formali dicitur, quid re ipsa sit iusticia legis, et contra, quid sit iusticia Evangelii.

Est igitur status collationis in his duobus verbis, Facere et Credere. Iusticia legis est facere legem, hoc est, praestare perfectam obedientiam iuxta legem. Sic ait describi a Moisi iusticiam legis, cum inquit: Faciens ea vivet in eis, quasi dicat: Iusticia legis est haec ipsa obedientia, qua vere et integre omnia quae lex praecipit, fierent in natura integra, seu est integra in nobis conformitas cum lege, videlicet ardens et perfecta dilectio Dei et proximi, sine ulla vitiosa concupiscentia. Haec definitio iusticiae legis etiam ad hoc dictum congruit: Maledictus qui non manet in omnibus, quae sunt scripta in lege. Facere omnia, seu manere in omnibus, id est, esse conformem legi integra obedientia sine ullo peccato. Haec nominatur iusticia legis descripta in dicto Moisi: Qui fecerit ea, vivet in eis.

Supra autem saepe dictum est, hanc integram obedientiam non posse in hac depravata natura esse. Expresse enim dicitur Rom. 8.: Sensus carnis non potest legi Dei subiici, et Rom. 3.: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Cum igitur lege nemo sit iustus coram Deo in hac mortali natura, Evangelium concionatur de alia iusticia, quae est credere in filium Dei, sicut Iohannes inquit: Qui credit in filium, habet vitam.

Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in coelum.

Paulus mutuatur descriptionem fidei ex dicto Moisi, nec detorquet illud ad diversam, aut peregrinam sententiam. Nam et Moises ibidem vere describit et postulat fidem, sed in Moisi generale dictum est de verbo et de fide, quod Paulus accommodat ad hoc verbum de Christo, qui est finis legis, et de quo promissiones loquuntur ante legem traditae.

Primum igitur dictum Moisi inspiciamus, qui illustribus figuris impietatem humani cordis depingit, quod etiamsi cogitat esse Deum, tamen disputat, an Deus curet nos: et quanquam exem-

plis poenarum movetur, ut cogitet puniri scelera ordine aliquo naturae, tamen de salvatione prorsus nihil adfirmare potest sine verbo revelato, sed vagatur in tenebris, et negat exaudiri homines, praesertim in praesenti calamitate, negat reconciliari Deum, et mitigare calamitates, et dare vitam aeternam et laetitiam aeternam.

Has dubitationes in hominum animis iuxta rationis iudicium haerere manifestum est: ideo lex eas taxat et postulat fidem. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in coelum etc. Id est, ne sis Epicureus, ne cogites nihil esse Deum, aut nesciri an sit Deus et qualis sit, an curet humana, ne cogites Deum sic latere, ut non velit agnosci, sed cogites eum vere ex arcana sede immensa bonitate prodiisse, et se verbo suo patefecisse, et talem esse, qualia se velle affirmat in lege et in promissione, videlicet sapientem, veracem, beneficum, iustum, castum, punientem contraria, misericordem propter mediatorem. Ideo inquit Moises, Verbum intuere, quod prope est in ore tuo. Ita abducit nos Moises a Chao cogitationum humanae rationis ad patefactum verbum, et iuxta hoc verbum vult nos agnoscere Deum, non vagari cogitationibus, sicut vagantur Ethnici et omnes impii, ut sonant Poëmata: O Iupiter quicquid es, sive hoc coelum, sive mens, quae vehitur in coelo, quanquam diu iam invoco adiutores ignavos: ut Hecuba dicit apud Euripidem.

Talia leguntur multa apud poëtas, qui pingunt omnium impiorum corda. Et in Creta scribunt fuisse Iovis statum sine auribus, quam statuarius sic fabricans, ostendit sese hoc sentire, homines non exaudiri a Deo etc. His impiis cogitationibus opponit Moises hanc necessariam commonefactionem, ut sic de essentia et voluntate Dei sentiamus, sicut se in verbo suo patefacit, et affirmat sic recte agnosci et apprehendi Deum.

Hanc ipsam doctrinam constat saepissime repetitam esse in multis concionibus Christi, Prophetarum et Apostolorum, ut in Nume. cap. 15.: Recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, et oculos scortantes etc.

Psalm. 1. et Ps. 118.: Lucerna pedibus meis verbum tuum etc.

Item in Psalm. 130.: Sustinuit anima mea in verbo eius.

Et Esaiae 8.: Ad legem et ad testimonium si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux etc.

1 Cor. 1.: Cum Deum sapientem non nosset mundus per sapientiam, placuit Deo salvos facere credentes per stultam concionem.

Et Coloss. 3.: Sermo Dei habitet in vobis abunde in omni sapientia.

Item Iohannis 14.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit.

Talibus testimoniis multis confirmemus et muniamus nos, ne labantur infirmae mentes ad speculationes de Deo extra patefactum verbum, sicut labitur Eva, et alii innumerabiles.

Postquam autem perspicue est Moisi sententia, nunc consideremus Paulinam accommodationem. Moises generaliter inquit: Ne dixeris in corde, quis ascendit in coelum, sed prope est verbum, id est, ne sis Epicureus, ne iudica ex speculationibus rationis de Deo, sed amplectere verbum Dei patefactum.

Hanc generalem admonitionem accommodat Paulus ad hoc verbum etiam de mediatore, quod quidem et Moises complectebatur, etsi ibi non expresse nominat mediatorem, sed de omni verbo Dei loquitur. Igitur Apostolus illustrans dictum Moisi expresse nominat mediatorem.

Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in coelum.

Id est, primum ne sis Epicureus. Deinde ne dubites, quin haec sit voluntas Dei, quam revelavit tot illustribus testimoniis, quae addidit promissioni et praedicationi Evangelii, videlicet, filium constitutum esse mediatorem et resuscitatum regnare, ut colligat Ecclesiam, det ei remissionem peccatorum, adsit voci Evangelii in Ecclesia, dicat consolationem in corde per Evangelium, vivificet, et det Spiritum sanctum. Haec si non credis, negas eum regnare, hoc est, eum velut de coelo detrahere, ita addit: Quis descendet in abyssum, id est, quis scit quid post mortem restet, aut quomodo existimari potest revicturos esse homines ex morte, nec cogites Christum iacere extinctum, nec victorem esse mortis, imo scias veram esse vocem: O mors ero mors tua. Ostendit Christus resurrectione sua et re-

suscitatis aliis, se redditurum esse vitam hominibus, et iudicaturum esse omnes homines.

Haec simplex enarratio ostendit Paulum concinne accommodasse generale dictum de verbo et fide ad hoc verbum, et ad fidem de mediatore. Ac illi quidem, qui recte intelligebant legem, sciebant in lege significari mediatorem, et statim initio editam esse promissionem gratiae de mediatore, nec posse incoari obedientiam, nisi in corde praeluceat fide accipiens reconciliationem, et accedens ad Deum fiducia mediatoris.

Prope est verbum in ore tuo.

Antea prohibuit dubitationes: Ne dixeris, Quis ascendet in coelum etc. Nunc addit adseverationem, et expresse deducit nos ad verbum a Deo traditum, et loqui eum de verbo patefacto, quod auribus et cogitationibus accipimus, manifestum est, quia inquit: Verbum quod est in ore tuo. Postea inquit: Quomodo praedicabunt, nisi missi fuerint. Ac verum est huic verbo vocali adesse ipsum filium Dei λόγον, et per vocem in cordibus efficacem esse, et regnare in Ecclesia, sicut alibi dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem etc. Item: Ego vitam aeternam do eis etc. Item: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

Corde creditur ad iusticiam.

Nunc absolvit antithesin iusticia legis et iusticiae fidei, ubi definitiones utrinque prudenter considerandae sunt.

Iusticia legis est facere legem, ut supra dixit. Hic sermo est νομικὸς, et imitantur hunc sermonem politica consuetudo et philosophia de iusticia universali, ut Theognis quoque dicit:

Iusticia in sese virtutes continet omnes.

Intelligendum est autem discrimen inter iusticiam legis et iusticiam fidei.

Sed iusticia fidei est credere in hunc Christum filium Dei crucifixum et resuscitatum, non otiosum, sed regnantem, propter quem et per quem vere accipimus credentes remissionem peccatorum, reconciliationem, seu imputationem iusticiae, vivificationem, et donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. Haec enim comprehendit Paulus cum ait: Si confessus fueris hunc Iesum esse Dominum, id est regnantem, colligentem Ecclesiam, ee efficacem per vocem filii aeterni, si corde credes, quod Deus eum resuscitaverit, videlicet ideo, ut sit victor mortis, et nobis restituat insticiam et vitam aeternam. Et hac fide inquit hominem esse iustum, cum ait: Corde creditur ad iusticiam, id est, corde credens est iustus, habens remissionem peccatorum, et placens Deo propter mediatorem gratis. Latro in cruce accipiens remissionem et reconciliationem est iustus, placet Deo et vivificatur, etiamsi nec antea fecit legem, neque postea, donec in corpore vixit, habet integram legis impletionem: etiamsi fuit incoatio obedientiae. Ita posita antithesi definitionum Iusticiae legis et Iusticiae fidei, Paulus discrimen ostendit.

Omnis qui credit in eum, non confundetur.

Addit Paulus testimonium sumtum ex Esaiae Capite 28., ubi dulcissima promissio de Messia expresse repetita est: Ecce, ego ponam in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento, qui credit in eo, non trepidabit.

Utitur metaphora simili in Psalmo: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Hanc metaphoram enarrat Paulus ad Ephes. Item, cum inquit: Aliud fundamentum poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hic gestat Ecclesiam merito et efficacia, hic redemit eam sua morte, et est mediator et intercessor pro nobis, offerens sua merita, et est efficax in Ecclesia, ipse adest ei, et vivificat eam voce Evangelii et Spiritu sancto.

Quomodo autem beneficia Messiae nobis applicentur, docet cum inquit: Qui credit in eum, non trepidabit. Haec congruunt cum aliis multis similibus dictis, Psalmo 2.: Beati omnes qui confidunt in eo. Et Paulus hic universalem particulam addit, sicut et in Psalmo posita est. Saepe autem dixi, necessariam esse considerationem particulae Universalis, ut unusquisque se in promissionem universalem includat, nec fingat in Deo προσωποληψίαν, aut contradictorias voluntates, ac mox repetita est aliquoties Universalis, Dives in omnes quo invocant eum. Et Dominus inquit: Venite ad me omnes etc. Est autem mandatum aeternum, ut omnes credant in eum.

Quomodo invocabunt si non credent?

In hac gradatione copiosissima doctrina continetur. Primum membrum docet in invocatione necessariam esse fidem, et cogitationem promissionis divinae. Hic tota doctrina cogitanda est de invocatione, et de discrimine invocationis Christianae et ethnicae.

Errat enim ethnica praecipue dupliciter, de Essentia et de voluntate Dei. Alloquitur enim aliquid, quod non est Deus, et fingit varia idola, sicut ait Hecuba apud Euripidem: O Iupiter, quicquid es, sive hoc coelum, sive mens in coelo, quanquam diu iam ignavos opitulatores invoco.

Postea de voluntate nesciunt, An et cur exaudiantur, quia Ethnici ignorant mediatorem et promissionem: sed vera Ecclesia Dei recte cogitat de Essentia, quia alloquitur verum Deum, qui se patefecit misso filio, data voce Evangelii, et editis illustribus testimoniis. Deinde scit promissiones, et accedit ad Deum fiducia mediatoris. Ideo dicit: Quomodo invocabunt si non credent?

Quomodo audient sine praedicante?

Hoc dictum manifeste ostendit, Paulum hoc affirmare, Deum per vocem Evangelii sonantem in ministerio cogitatam ab audiente, seu legente, efficacem esse, si accendi fidem, Deo per hanc ipsam vocem movente cor. Ideo damnandus est error Stenckfeldii et similium Enthusiastarum, qui abducunt homines a voce doctrinae ad speculationes, quas nominant illuminationes extra scriptum verbum, et delent exercitia fidei, quia vult Deus cogitare hoc ipsum verbum editum voce Christi, Prophetarum et Aposolorum, et huic scripto verbo sic nos vult assentiri, ac si audiremus novam vocem Dei de coelo sonantem. Ideo et alibi Paulus inquit: Ut per consolationem scripturarum spem habeamus. Haec exercitia fidei in quotidiana invocatione discenda sunt, in qua sentimus acquiescere corda in Deo, erecta cogitatione promissionum divinarum.

Cum autem sciamus ministerium Evangelii necessarium esse, magis veneremur et tueamur Evangelii ministros. Hic et hoc cogitandum est, Cum necessaria sit scriptae doctrinae cognitio, certum est labores discentium et docentium Deo placere, Quare magis amemus doctrinae studia. Adiungamus autem et invocationem, commonefacti a doctrina, ut filius Dei, qui est λόγος aeterni patris, regat iudicia, et non sinat nos aberrare a suo verbo, et accendat veram lucem in cordibus nostris.

Citat autem Paulus dulcissimum dictum Esaiae ex cap. 52.: Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem. Loquitur et dictum de voce sonante in ministerio, et docet sic colligi Ecclesiam, scilicet voce Evangelii. Metaphora pedum significat cursorem seu nuncium, et hos ait formosos et amabiles esse, quia adferunt laetissimam promissionem gratiae et vitae aeternae.

Opponantur autem hae dulcissimae laudationes iudiciis inimicorum Evangelii, hi non aiunt pedes Apostolorum formosos esse, sed vociferantur Apostolas esse faces dissidiorum et pestes generis humani.

Cum autem Esaias inquit, afferre eos Evangelium, item pacem et bona, significat regnum Christi verbo administrari non armis corporalibus, et discernit hoc verbum a lege: Lex iram denunciat, sed in Evangelio offeruntur pax et alia bona, id est, liberatio a peccatis, a morte, ab ira Dei, et restitutio iusticiae, vitae aeternae et laetitiae aeternae in Deo.

Caput XI.

Initio mitigat querelam supra positam de defectione Iudaeorum. Quanquam enim politia destruitur, sicut praedixit Daniel, desinet esse populus: tamen promissio Evangelii adhuc ad Israëlitas pertinet, quae omnibus gentibus offertur, iuxta dictum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Multi igitur Israëlitae adhuc agnoscent verum Messiam, et beneficia eius accipient. Ac primum a suo exemplo argumentatur: Ego sum Israëlita, et agnosco hunc verum Messiam, et donatus sum eius beneficiis remissione peccatorum, et vivificatione, cum sensi me liberari ab ira Dei, et factus sum haeres vitae aeternae, et habeo arrabonem Spiritum sanctum.

Ergo adhuc ad Israëlitas promissio pertinet, sed hoc multos impedit, quod non intelligunt promisionem Messiae de bonis aeternis, et aegre ferunt politiam destrui, et extenuari iusticiam legis. Sicut nunc fremunt pontificii suam autoritatem, potentiam et statum labefactari. Hanc acerbitatem odiorum, et hunc fremitum describit, cum inquit: Dedit eis spiritum compunctionis, id est, dolorem mixtum acerbissimo odio, sicut dolet Saul et ardet odio Davidis.

Primum autem hic necesse est diligenter considerare discrimen inter politiam Mosaicam et promissiones de Messia, quibus aeterna Ecclesia colligitur.

Causae etiam considerentur, cur deleta sit politia Iudaica.

Prima, ut Deus ostenderet iram adversus hostes Christi.

Secunda, ut ostenderet promissiones Messiae intelligendas esse de bonis aeternis.

Tertia, ut ostenderet opera legis non esse iusticiam.

Quarta, ut praerogativa gentis Israëliticae tolleretur.

Quinta, ut deletio eius politiae testetur apparuisse Messiam, quia expressa praedictum fuit Messiam in secundo templo concionaturum esse, et venturum stante illa politia.

Discernit igitur Paulus hoc loco politiam a collectione Ecclesiae, et adfirmat promissionem de Messia adhuc pertinere ad Israëlitas, etiamsi regnum deletum est. Hic igitur inter ruinas regnorum necesse est scire, tamen Ecclesiam Dei mansuram esse, sicut Dominus ipse inquit, venturas esse regnorum destructiones, sed interea se Ecclesiam servaturum esse, sicut inquit:

Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

Item: Isti dies abbreviabuntur propter electos.

Item: Erit sicut in diebus Noae, unus assumetur, et alter relinquetur etc.

Et Esaiae 59. affirmat semper mansuram esse Ecclesiam: Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, et de ore seminis tui deinceps et usque in sempiternum.

Item: Hoc facite donec veniam.

Secundo, necesse est etiam cogitare quae sit et ubi sit Ecclesia, videlicet, haec multitudo est Ecclesia, etiamsi est in dissimilibus imperiis, quae amplectitur incorruptam doctrinam Evangelii, iuxta dictum: Oves meae vocem meam audiunt. Item: Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

Tertio, tenenda est etiam consolatio. Cum enim aspicimus regna impia potentiam ac magnas victorias eorum, et multitudinem impiorum, turbantur animi, ut disputent, an casu omnia fiant, aut an illi potius Deo placeant, qui maxime florent potentia et antecellunt caeteris.

Contra haec spectacula praemonet nos Deus, et affirmat Ecclesiam exiguam esse, et eam tantum esse, quae incorruptam doctrinam Evangelii amplectitur, etiamsi alia pars generis humani antecellit potentia et multitudine etc. Vult nos non discedere a verbo Dei motos seu multitudine seu potentia aliorum: ideo Esaia 1. dicitur: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus.

Esaiae 34.: Ut cum paucae uvae reliquae sunt in racematione, sic erunt in terra levantes vocem et laudantes Dominum.

Esaiae 65.: Ut in sterili vindemia, ubi inventa fuerit uva, dicetur, Benedictio Domini.

Et Christus inquit: Multi vocati, pauci electi. Et tamen hi pauci multi sunt, sicut hoc loco significatur ex dicto ad Eliam: Reliqui mihi septem millia, quae non adoraverunt Baal. Haec necessaria doctrina in principio huius capitis continentur, scilicet de discrimine politiae, et promissionis de bonis aeternis, et de Ecclesia, quae et qualis sit.

Num ita impegerunt, ut caderent?

Propositio supra instituta repetitur: Non sic impegerunt Iudaei, ut in tota gente nemo sit salvandus. Ratio argute cogitata est, nec est obscura sententia, sumtum est enim argumentum ex causa finali, hoc modo: Gentes receptae sunt, ut Iudaei provocentur ad credendum, cum videbunt Evangelium in Gentibus efficax esse, sicut in Mose scriptum est: Provocabo vos non in gente. Igitur necesse est aliquos esse reliquos inter Iudaeos, qui credituri sunt: quorsum enim opus esse provocari Iudaeos, si nulli credituri essent? Consequens sic attexit: Ruina vestra profuit gentibus, sed non simpliciter ruina, Verum multo magis plenitudo vestra, id est, pars incolumis creditura, quae provocanda fuit gentium exemplo: sunt ergo reliqui inter Iudaeos convertendi. Hanc reliquam partem nominat Plenitudinem, id est, complementum integrae Ecclesiae convertendae ex semine Abrahae.

Hac simplicissima explicatione contenti simus, et longas aliorum disputationes hoc loco relinquo considerationi et iudicio seniorum.

Sic et postea amplificatio additur: Si abiectio Iudaeorum profuit, quam gloriosa erit resti-

tutio, quae est futura quasi resurrectio ex mortuis. Significat autem ideo reliquam maiorem partem reiectam esse, quia fuit fascinata persuasione, se esse populum Dei et Ecclesiam, propter genus, legem, ceremonias, et meritum. nec aliud intellexerunt esse Ecclesiam, nisi hanc politiam Iudaicam. Nunc vero hi, qui recipiuntur, discent, aliud esse politiam, aliud Ecclesiam, aliud promissionem bonorum corporalium, aliud promissionem gratiae et vitae aeternae. Discent toti Ecclesiae, Gentibus et Iudaeis, velut mortuis, reddi iusticiam et vitam aeternam propter Messiam, et per eum non propter legem aut merita hominum.

De his tantis rebus hic concionatur Paulus, semper in conspectu esse oportet hanc doctrinam, aliud esse Ecclesiam Dei, aliud politias, seu regna mundi, sive Iudaicum, sive pontificium: quia filius Dei, qui est caput Ecclesiae, colligit eam voce Evangelii passim ex diversis imperiis, et sanctificat eam Spiritu suo sancto, incoat in eis aeternam iusticiam et vitam in corde. Interea in hac vita in civili consuetudine sinit sua membra uti legibus imperiorum, in quibus vivunt, congruentibus cum ratione, sicut sinit eos uti dissimilibus spatiis dierum et noctium etc. Et quidem vera collectio Ecclesiae sic fit, ut restitutio vitae ex morte, id est, Omnes sunt sub peccato et rei irae Dei, nec propter legem aut merita propria fiunt haeredes vitae aeternae, sed gratis propter filium fide.

Haec doctrina et consolatio in his verbis repetita est, in qua postea commoratur, et in fine addit epiphonema: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur, quasi dicat: Arguit peccatum, non ut perdat, sed ut agnito peccato credamus promissioni, et agnoscamus filium, sicut in iuramento dicitur: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Nolo vos ignorare etc.

Vaticinatur Paulus de ruina Ecclesiae gentium. Id eventus ostendit. Statim post discipulos Apostolorum exortae sunt horribiles sectae, et cum paulatim dilacerationes maiores fierent, invenit Mahometus praeparatos multorum animos ad genus doctrinae plausibile et politicum, quo prorsus deletur Evangelium. Ita in tota Aphrica et in magna parte Asiae prorsus Ecclesiae deletae sunt. Et in Europa Papatus constituit multiplicem idolatriam, invocationes hominum mortuorum, profanationem coenae Domini in Missa, et in circumgestatione. Item, satisfactiones et Monachatus. Item, extinxit doctrinam de officiis personarum Divinitatis, et de iustificatione. Et nunc palam exercent Pontifices saevitiam in eos, qui puritatem Evangelii amplectuntur. Hanc desertionem in maxima parte generis humani praedicit hic Paulus, et tamen inter has ruinas servat Deus reliquias aliquas, ne totum genus humanum frustra et tantum ad exitium nascatur. Haec consideremus, et maiore cura circumspiciamus, quae et ubi sit Ecclesia, et nos ad eam adiungamus.

Addit etiam Paulus vaticinium de conversione Iudaeorum, quod sic intelligo, futurum esse, ut subinde usque ad finem mundi aliqui ex Iudaeis convertantur. Essaiae dictum concionatur de adventu Messiae. Cum ex virgine natus est, tunc palam docuit, edidit testimonia, factus est victima, resurrexit, misit Spiritum sanctum, et incoavit Evangelii praedicationem.

Nota sit autem tota concio Esaiae in capite 59., quia continet dulcissimam doctrinam de beneficiis Christi et de Ecclesia, ostendit quid sit vera Ecclesia, et affirmat semper aliquam futuram esse: Veniet ex Sion redemtor, ubi vocabuli emphasis nota sit, Redemtor est, qui dato pretio alium liberat. Et avertet iniquitates a Iacob: ideo mittitur Christus, ut revera deleat peccata omnium, qui credunt in eum. Et cogitetur integrum beneficium, restituit vitam et iusticiam aeternam, sicut et Daniel loquitur. Deinde ibi Esaias addit concionem de Ecclesiae: Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, et ab ore seminis tui, nunc et usque in sempiternum, id est, haec est vera Ecclesia, in qua sonat verbum datum Esaiae de redemtore tollente peccatum, et in ea certo sanctificantur credentes Spiritu sancto. Talem Ecclesiam semper mansuram esse affirmat, quanquam alias magis, alias minus frequens est: et quia saepe lux doctrinae fit obscurior, filius Dei subinde eam restituit, sicut Luna alias aliter lumen a Sole accipit. Haec descriptio Ecclesiae apud Esaiam omnibus notissima sit.

Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.

Epiphonema est, in quo ponitur exaequatio Gentium et Iudaeorum, et detrahitur fiducia meritorum Christi. Hortatur omnes ad poenitentiam, deinde aequaliter proponit omnibus agentibus poenitentiam consolationem. Estque gratissima doctrina in utroque membro. Nam concludi sub peccatum non est otiose intelligendum, sed complectitur reatum, pavorem, iudicium et poenas peccati, quasi dicat: Omnes rei sunt, omnes erunt subiiciendi iudicio Dei, morti et afflictionibus, ut David erat conclusus sub peccatum, cum pelleretur in exilium, cum horribilibus doloribus excruciaretur, iuxta dictum: Deus ignis consumens est. Arguit autem peccatum, non ut relinquantur homines in peccato et exitio, sed ut per filium liberentur. Hic igitur mox consolatio addita est: Ut omnium misereatur. Promittitur gratuita reconciliatio, quae opponenda est tentationi de merito, seu de dignitate: et promissio universalis est, hanc particulam universalem opponamus tentationi de particularitate, nec turbemur Stoicis et Manichaeis disputationibus, sciamus ipsum filium Dei hanc promissionem universalem (Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos) proferre ex sinu aeterni patris, non fingamus in Deo contradictorias voluntates, sed credamus filio Dei misso ad hoc ipsum, ut sis nuncius, testis, pignus, et obsignator divinae promissionis, sicut inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut omnis qui credit in eum non pereat.

O altitudo divitiarum.

Exclamatio addita est, qua abrumpit disputationem, quia quanquam Deus est aequalis, et statim initio edidit promissionem de mediatore, et voluit omnibus posteris notam esse, et omnes posteros manere in vera agnitione et invocatione Dei, et saepissime repetivit vocem promissionis, et rursus collegit Ecclesiam: tamen postquam ingens multitudo subinde oblita est promissionis, et secuti sunt horrendi furores. Multa quaerit humana ratio, quare tanta multitudo omnibus seculis pereat, cur tam pauci fiant salvi: Cur Ecclesia sit dissipatus et oppressus coetus, sine certo imperio et sine pulcro ordine: Cur impia multitudo antecellat imperiis, gloria, opibus, multis excellentibus virtutibus, sapientia et fortitudine: quare in hanc imbecillem naturam humanam tanta rabie grassari diabolis permittatur.

Haec et alia multa exercent humanas cogitationes, sed Paulus in hac exclamatione significat, non omnia consilia Dei humanis ratiocinationibus comprehendi posse, sed amplectendum esse verbum Dei revelatum, nec ab eo deficiendum esse, et gratis mentibus haec beneficia ingentia, quae offert, accipienda et retinenda esse, et ipsius bonitatem et iusticiam Dei celebrandam esse. Postea in illa aeterna schola causas consiliorum divinorum discemus, sicut saepissime praeceptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item: Ad legem et ad testimonium, si non dixerint iuxta verbum hoc: Non erit eis matutina lux. Item: Hic est filius meus dilectus, hunc audite.

His praeceptis obtemperemus, nec sinamus vagari mentes curiositate, quae implicatae labyrinthis disputationum opprimuntur dubitatione, quae mergit innumerabiles in aeternum exitium, sicut Iulianus et alii multi perierunt. Insidias etiam diabolorum intelligamus, qui curiosas mentes impellunt ad inanes disputationes movendas. Adversus has et doctrina et invocatione Dei nos muniamus, sicut clamat Propheta: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me. Item: Orate, ne intretis in tentationem. Et certe modum esse disputationum oportet, sicut praecipit Paulus: Ne sapiamus praeter quam oportet sapere, sed sapiamus ita, ut modeste intra regulam, quam Deus tradidit, maneamus.

Caput XII.

Usitatum est Paulo primum tradere vocem Evangelii de promissione gratiae de reconciliatione, de iustificatione propter filium et per eum. Postea addit doctrinam de bonis operibus, seu nova obedientia, seu praecepta, quae sunt explicatio Decalogi. Hic autem nota sit summa doctrinae, de bonis operibus, quam docendi causa utcunque distribuimus in has quinque quaestiones.

Prima est: Quae opera facienda sunt? Responsio: Praecepta a Deo interiora et exteriora, iuxta dictum in Ezechiele: In praeceptis meis ambulate, ac summa in Decalogo comprehensa

est, quem recte intelligi oportet, iuxta enarrationes traditas in propheticis et apostolicis scriptis. Nam opera non mandata a Deo non sunt cultus Dei, iuxta dictum: Frustra colunt me mandatis hominum.

Est igitur cultus Dei opus a Deo mandatum, factum in agnitione mediatoris et vera fide, relatum ad hunc finem, ut Deo praestetur honos, videlicet, debita obedientia, et ut hac ipsa obedientia testemur nos sentire hunc vere esse Deum, quem invocamus, et qui hac obedientia coli se praecepit.

Secunda quaestio: Quomodo fieri possunt? Responsio: Praelucente agnitione et fiducia mediatoris, et vivificante nos mediatore per Evangelium, et effundente in nos Spiritum sanctum, quia dilectio Dei et laetitia in Deo nulla esse potest, nisi prius fide apprehensa sit misericordia et reconciliatio propter mediatorem. In hac consolatione divinitas habitat in corde, quia aeternus pater per filium consolantem voce Evangelii, vere est ibi efficax: et datur a patre et filio Spiritus sanctus, accendens laetitiam et invocationem, iuxta dicta: Effundam spiritum gratiae et precum. Item: Veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus. Item, 2. Corinth. 3.: Intuentes gloriam Domini, transformamur ad eandem imaginem, id est, intuentes λόγον, qui est imago aeterni patris, et in consolatione ostendit praesentiam et bonitatem Dei, efficimur similes eius imaginis, Spiritu sancto accendente corda. Ita tunc filius est Emanuel, per eum adest nobis divinitas, vivificat, protegit, gubernat, gestat nos, regit consilia et eventus, sicut dicit: Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere.

Tertia quaestio: Quomodo placet nova obedientia? Responsio: Placet fide propter filium Dei. Haec verba declaramus hoc modo.

Primum credendum est, Personam reconciliatam et iustam esse, id est, acceptam Deo gratis propter Christum sola fide, qua apprehenditur imputatio iusticiae, de qua dicitur: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam.

Secundo: Agnoscamus et vere doleamus nos adhuc multum sordium habere, et procul abesse a perfectione legis, iuxta dicta: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Non in iusticia nostra, sed per misericordiam tuam exaudi nos propter Dominum.

Tertio: Et tamen simul sciamus Deum postulare incoatam obedientiam, et in renatis eam placere Deo fide propter Christum, qui et propiciator est, offerens suam obedientiam pro nobis: et nunc semper interpellat pro nobis, et nostros gemitus ad aeternum patrem perfert. Ideo Petrus inquit: Offerte hostias spirituales acceptas Deo propter Christum, scilicet, et propiciatorem, et nunc pro nobis interpellantem, sicut dixit: Oro, ut dilectio tua, qua me diligis, sit in eis.

Quarta quaestio: Propter quas causas facienda sunt bona opera? Responsio:

Prima et perspicua causa est debitum, id est, Ordo aeternus et immotus in mente divina, ut creatura rationalis Deo obediat, hic ordo dicitur Debitum, Rom. 8.: Debitores sumus, et necessitas debiti. Etsi autem furenter Antinomi et multi fanatici homines vociferantur contra hanc necessitatem et communem appellationem debiti, tamen manifeste refutantur dictis Christi et Pauli: Quod debuimus fecimus. Item: Nisi iusticia vestra antecellit iusticiae Pharisaeorum et Scribarum, non intrabitis in regnum coelorum.

Secunda Necessitas, quae est formale conversionis et regenerationis. Nam in iuramento copulativa oratio est: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Conversio necessaria est, quae cum non fit, non vivificatur homo fide per Spiritum sanctum. Quia manifestum est Spiritum sanctum non esse in his, qui perseverant in sceleribus contra conscientiam, iuxta dictum: Qui faciunt talia, regnum Dei non possidebunt. Et formale regenerationis est incoatio novae et aeternae vitae, quae est nova et aeterna lux, sapientia et iusticia et renovatio imaginis Dei in nobis, quae fit Deo se nobis communicante, cum filius voce Evangelii consolatur corda, et effundit in ea Spiritum sanctum.

Tertio, Necessitas retinendae fidei, quia Spiritus sanctus contristatur et excutitur, cum fiunt delicta contra conscientiam. Quanquam autem verissimum est, novam obedientiam necessariam esse propter has veras causas, quae dictae sunt, tamen semper retinenda est haec vox Pauli: Donum Dei est vita aeterna per Iesum Christum, quia bona opera neque remissionem peccatorum, neque iustificationem, neque vitam aeternam merentur.

Deinde et aliae causae considerentur, propter quas bona opera facienda sunt, scilicet dignitas. Item, praemia et necessitas vitandi poenas. Dignitas est quod Deus novam obedientiam, etsi est infirma, recipit propter mediatorem, ut antea dixi, et nominat sacrificia, et est fructus Spiritus sancti, quia semper vult Deus aliquos esse in genere humano, quibus sese communicet, et a quibus vicissim recte agnoscatur et invocetur.

Postremo etiam praemia et necessitas vitandi poenas considerentur, quia certissimum est scelera contra conscientiam attrahere poenas in hac vita, etsi non fiat conversio post hanc vitam, iuxta dictum Psalmi 38.: Propter iniquitates corripis filios hominum. Et quanquam bona opera non merentur vitam aeternam, tamen habent sua quaedam praemia in hac vita et post hanc vitam, iuxta consilium Dei, nec sunt irritae legales promissiones in reconciliatis, ut: Date, et dabitur vobis. Item, Matth. 10.: Qui dederit potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, non perdet mercedem suam.

Ac valde necessarium est scire discrimen inter promissionem gratiae et promissiones bonorum temporalium. Promissio gratiae propter mediatorem gratis sola fide accipitur, et semper rata est omnibus, qui in conversione sustentant se fide, etiam amissis omnibus bonis corporalibus, iuxta dictum Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Sed promissiones bonorum temporalium, quanquam etiam ratae sunt propter filium Dei, et non prosunt nisi praelucente fide, quae accipit gratiam, tamen additae sunt bonis operibus, et praecipue propter has quinque causas.

Prima est: Ut sint testimonia providentiae. Vult enim sciri Deus et bona corporalia res esse ab ipso creatas, et non casu spargi, sed ab ipso etiam Ecclesiae dari et conservari, iuxta dictum: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Item, Psalm. 36.: In diebus famis saturabuntur etc. Divites esurierunt, timenti autem Dominum non deerit ullum bonum.

Secunda: Ut sint testimonia, quod velit Deus in hac vita servare Ecclesiam, quare Paulus inquit, 1. Timoth. 4.: Pietas habet promissiones praesentis vitae et futurae. Quia enim vult Deus immensa bonitate colligere Ecclesiam propter filium, tantisper servat hunc ordinem naturae, foecundat terram, ut alat Ecclesiam in hac vita, et cum propter Ecclesiam caeteros pascat, nos praecipue gratos esse oportebat.

Tertia causa est: Quia vult Deus et necessitatem corporalem esse commonefactionem de fide, invocatione, spe et gratiarum actione, ideo promissiones edidit, ut sciamus hanc petitionem non esse irritam, et quidem vult haec ipsa bona etiam fide peti et expectari, et in hac petitione et expectatione fidem, spem, patientiam crescere.

Quarta causa est: Ut sint commonefactiones de promissione gratiae, quia fidem, quae agnoscit filium, et accipit reconciliationem oportet semper praelucere in petitione corporalium rerum. Et quidem propter filium caeterae promissiones editae et ratae sunt. Haec omnia comprehenduntur in dicto: Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Quinta causa est: Quia vult utrumque sciri Deus, et subiectam esse Ecclesiam cruci, et inter ipsa pericula tamen mirabiliter servari in hac vita, ut universa admiranda conservatio Ecclesiae, et omnes mirandae liberationes sint testimonia praesentiae Dei in Ecclesia, ut dicitur in Numeris cap. 14.: Ut sciant Aegyptii, quod tu Domine sis in hoc populo. Iosua 3.: Scietis, quod Dominus Deus in medio vestri sit. 1. Regum 17.: Ut sciat omnis terra, quod sit Deus in Israël. Esaiae 37.: Et nunc Domine Deus noster salva nos de manu Sennacherib, ut cognoscant omnia regna terrae, quod tu solus sis Dominus.

Hae causae de promissionibus corporalibus saepe cogitentur, ut fides multipliciter confirmetur, et accendantur invocatio et gratiarum actio, et sciamus vere in hac vita ideo leniri communes calamitates, ut servetur Ecclesia, et pro bonis operibus sanctorum dari multa praemia publica et privata, etiam in huius vitae periculis, sicut Esaiae 33. dicitur: Panis ei datus est, aquae eius fideles sunt, et rigabunt terram, Regem in decore suo videbunt.

Et agnoscunt sancti etiam in corporalibus beneficiis longe superari liberalitate Dei ipsorum benefacta, etiamsi quid merentur. Ideo dicit Iacobus: Minor sum cunctis miserationibus tuis.

Quinta quaestio de discrimine peccatorum.

Necesse est moneri homines de discrimine peccatorum, ne cum audiunt reliqua esse peccata in sanctis in hac vita, horribili furore somnient perseverantes in sceleribus contra conscientiam placere Deo. Cum igitur quaeritur, quae peccata

sint in sanctis in hac vita? Primum respondeo: Nequaquam sunt in sanctis peccata, seu lapsus contra conscientiam, id est, Cum illi, qui fuerunt sancti scientes et volentes violant legem Dei, ut David rapiens alterius coniugem, hi contristant et excutiunt Spiritum sanctum, et desinunt esse sancti, ac rursus fiunt rei irae Dei et mortis aeternae, donec rursus convertuntur, iuxta haec dicta, 1. Corinth 6. Ne erretis, scortatores, idolatrae, adulteri etc. regnum Dei non possidebunt.

Et Galat. 5.: Manifesta sunt opera carnis, adulterium, caedes etc. talia facientes regnum Dei non possidebunt. Item: Deficientes a fundamento, id est, aliquem articulum fidei abiicientes, sive eum intelligant, sive non intelligant, sed decipiantur praestigiis, hi quoque desinunt esse sancti, et excutiunt Spiritum sanctum, et fiunt rei aeternae irae, ut multi deficiebant ad Arianos, multi nunc quoque qui aliquandiu recte senserunt, abiiciunt veritatem. Hi gradus peccatorum diligentissime considerandi sunt, qui nominantur usitate peccata mortalia seu regnantia.

Firmissime igitur tenenda est regula contra Antinomos: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Quae igitur peccata reliqua sunt in sanctis in hac vita? Respondeo: Multum caliginis et dubitationum, multae omissiones et vitiosi affectus, quibus malis tamen sancti repugnant, ne ruant contra conscientiam, et credunt ea tegi propter filium Dei. Haec caligo et immundities in homine non existimetur leve malum esse, propter quam dictum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et tamen filius Dei umbraculum est credentibus. Ideo quanquam haec immundities est in sanctis, tamen placent personae propter filium Dei, fide accipientes imputationem iusticiae, iuxta dicta: Beati quorum tecta sunt peccata. Item: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus. Item: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis. Et usitatum est, haec peccata nominare venialia, seu non regnantia.

Hae quinque quaestiones semper repetendae sunt in doctrina de bonis operibus, nunc aspiciamus eruditissimam Pauli concionem. Initio generale praeceptum tradit de coërcendo corpore iuxta omnia praecepta moralia: Offerte corpora hostiam vivam, et praestate cultum rationalem, ut novitas et imago Dei in mente crescat, sicut alibi inquit Ephe. 4.: Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus erat in iusticia et sanctitate vera.

Opponit autem obedientiam iuxta praecepta moralia cultibus Leviticis, ideo inquit: Offerte hostiam vivam et cultum rationalem.

Nominat vivam hostiam, quia Deus ideo restituit vitam aeternam, ut in tota aeternitate simus vivi cum ipso, et ipse sese communicet nobis. Deus condidit rationales creaturas, angelos et homines, ut essent creaturae, quibus sese et sua summa bona, vitam, lucem, sapientiam et iusticiam communicet, et ab his vicissim requirit conformitatem, et huius bonitatis agnitionem et celebrationem. Haec conformitas cum Deo, et agnitio ac celebratio bonitatis Dei, sunt veri et aeterni cultus Dei, qui in hac vita incoantur, postea erunt integri: et iidem cultus nominantur *λογικὴ λατρεία*, id est, cultus mentis, in quo mens fide, aut coram intuetur Deum, et vere sentit timorem et laetitiam in Deo, iuxta dictum: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate, id est, Spiritu sancto accendente veros et ardentes motus, timorem, fiduciam, dilectionem et laetitiam. Veritate, id est, vera agnitione Dei, quae fit verbo lucente in corde, per quod filius ostendit voluntatem patris.

Opponenda est igitur *λογικὴ λατρεία*, non tantum mactationibus pecorum, sed universaliter vanissimae imaginationi eorum, qui dicunt, aliqua opera externa aut rationalia, etiam in non renatis, placere Deo ex opere operato, sine bono motu utentis, sicut Papistae scripserunt, Missam mereri aliis ex opere operato, etiamsi Sacrificulus sit adulter, aut sicut dixerunt, opera moralia honesta etiam in non renatis mereri gratiam. Has falsas imaginationes saepe taxant Prophetae, ut Psalm 49.: Nunquid manducabo carnes taurorum. Psalm 50.: Holocaustis non delectaberis. Oseae. 6.: Misericordiam volo, non sacrificium, et scientiam magis quam holocausta. Denique saepissime repetita est haec concio, et summa comprehensa est in his dictis: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Item: Nemo venit ad patrem nisi per filium.

Ex hac tota doctrina sumatur enarratio, quid sit *λογικὴ λατρεία*, inde et definitio sumatur.

Cultus Dei est opus a Deo mandatum, factum in vera agnitione et timore Dei, et vera fiducia filii, hoc fine, ut Deo praestetur obedientia, et honos, id est, ut hoc opere testemur, hunc verum Deum esse, quem sic colimus, ut castitas Ioseph est cultus Dei, quia in mente Ioseph sunt vera agnitio Dei, timor et fiducia mediatoris, et opus refertur ad hunc finem, ut ostendat hunc vere Deum esse quem sic colimus, et quomodo velit coli. Castitas in Scipione est sine luce Dei et agnitione mediatoris, ideo non est cultus Dei.

Quaerat autem aliquis: Cum Deus postulet vivas hostias, et perpetuum cultum mentis, ad quem usum instituit mactationes pecudum, et alias ceremonias? Respondeo: Ut conservetur ministerium docendi verbum Dei, ad quod opus est duabus rebus: docentibus et congregatione. Sunt ergo instituta signa, quae et commonefactiones essent additae doctrinae, et nervi congregationis, et multae ceremoniae institutae sunt, ut inde doctores alerentur, ut oblatio primitiarum, decimarum et pecudum. Hos fines intelligi oportet in cultibus seu sacrificiis ceremonialibus. Ut autem cultum definivimus, ita eodem modo sacrificium in genere definiri potest.

Sacrificium est opus, mandatum a Deo, factum in vera agnitione, timore Dei et fide, hoc fine, ut Deo praestetur obedientia, et hoc opere ostendatur testimonium, quod hic sit verus Deus, cui praestetur haec obedientia. Adde, cum de sacrificiis hominum loquimur, factum fiducia mediatoris.

Sunt autem sacrificii species iuxta generalem definitionem duae: Propiciatorium et εὐχαριστικόν.

Propiciatorium est unum, videlicet solius Christi obedientia, quae meretur aliis remissionem peccatorum et reconciliationem. Nam Levitica, quae nominabantur propiciationes, et pro peccato, erant tantum typi, nequaquam merebantur remissionem peccatorum. Ideo scriptum est: Impossibile fuit sanguine taurorum tolli peccata.

Caetera omnia, cum recte fiunt, sunt εὐχαριστικὰ, sive sint ceremoriae, sive alia bona opera, sicut dicitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Non est condita haec natura, ut sit otiosa, sed ut Deus communicet nobis suam lucem, sapientiam, iusticiam et laetitiam in tota aeternitate, et vicissim vult Deus celebrari in hac vita, et post hanc vitam: ideo necesse est actiones aliquas esse, quarum omnium finis sit celebratio Dei. Hae omnes in hac vita et post hanc vitam sunt reipsa sacrificia laudis, seu εὐχαριστικὰ, καὶ λογικὴ λατρεία.

Osiandri partitio tria membra facit: Typicum, propiciatorium et θρεπτήριον, quo alebantur sacerdotes. Haec distributio mihi non displicet, sed commodius est nominare εὐχαριστικὸν, ut comprehendantur omnia sacrificia spiritus, et ceremoniae.

Has distinctiones necesse est extare, ut discernantur sacrificium filii Dei ab omnium aliorum hominum sacrificiis. Nam caetera nequaquam sunt ἱλαστικὰ, seu propiciatoria, id est, non merentur remissionem peccatorum et reconciliationem: ac multi errores irrepserunt in Ecclesiam, non recte intellecto vocabulo Sacrificii. Quare necesse est iuniores de hac distinctione admoneri.

Cognitis his fundamentis intelligi potest, quid Paulus nominet λογικὴν λατρείαν, et haec est sancta, id est, vere didicata Deo, non prophana, ut virtutes in Ethnicis, in quibus non lucet vera agnitio Dei et mediatoris: est et Deo placens, ut supra dictum est, quomodo bona opera placeant Deo, scilicet mandata a Deo et facta in agnitione mediatoris et fiducia filii.

Ne imitemini gestus huius mundi.

Ut antea instituit generalem propositionem de obedientia secundum omnia praecepta: Offerte λογικὴν λατρείαν, ita nunc eam repetit iuxta omnia praecepta: Ne habemus affectus similes mundanorum, sed novos affectus Deo conformes. Nam cum vetat imitari gestus mundi, non vituperat res, quarum usum Deus ordinavit, non vetat usum ciborum, coniugii, imperiorum, iudiciorum, contractuum, et aliarum ordinationum Dei, sed prohibet vitiosos affectus, ideo inquit: Gestus, id est, motus animorum non sint similes mundanis, ut contra ordinationem Dei adpetunt impii voluptates, quaerunt opes et potentiam iniustis modis, certant ambitione, ardent iniustis odiis, turbant Ecclesiam et politias privatis cupiditatibus. Haec vitia regnant in maxima parte generis humani, de qua parte generis humani contraria conversis ad Deum, saepe usurpatur adpellatio mundi, ut 1. Iohannis 2.: Omne quod est

in mundo, est concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum.

Iubet autem renovari mente, id est, iubet nos habere alias noticias de Deo recte agnoscere Deum, et firma assensione universam doctrinam amplecti, et in corde habere affectus conformes Deo, verum timorem, fiduciam, laetitiam in Deo, spem, dilectionem, patientiam, castitatem, et alias virtutes. Ideo addit: Ut agnoscatis, quae sit voluntas Dei bona. Simplicissime interpretatur, quod antea dixit, Renovamini mente: loquitur enim de voluntate Dei revelata in praeceptis, comminationibus et promissionibus, quasi dicat: Recte agnoscite Deum, et recte agnoscite voluntatem eius immensa bonitate patefactam in lege et Evangelio, et congruat obedientia interior et exterior cum verbo Dei. Ut quia sciunt tres viri in Babylone bonam voluntatem Dei, id est, mandatum Dei esse, non invocare idola, obediunt Deo, nec franguntur metu poenae, sed anteferunt mandatum Dei suae vitae. Haec est simplex enarratio huius dicti.

Dico vobis per gratiam, quae data est mihi.

Antea posuit generalem propositionem de omnibus virtutibus, seu de universali obedientia. Nunc accedit ad speciales virtutes, et quia inter eas, quae ad ministerium, seu ad gubernationem pertinent, Duae sunt praecipue: Obedientia in vocatione, et insticia servans metas in iudicando. De his duabus virtutibus initio concionatur. Ut enim in politica gubernatione valde perniciosa est πολυπραγμοσύνη, cum privati homines ingerunt se negotiis, et impediunt ordinarios gubernatores: aut cum ardeliones, qui praesunt, agunt aliena: sic Ecclesiae nocent inquieti homines, qui vel stulto zelo, vel odiis incitati, aut extra vocationem erumpunt, et multa reformare in doctrina aut ritibus conantur, quae melius erat non mutari: aut e regione doctores Ecclesiae leges ferunt magistratibus de civilibus negotiis, et habent alterum pedem in Curia, alterum in Ecclesia, ut de Cleone Aristophanes dicebat, Habere eum alterum pedem in castris, alterum in concione.

Est autem virtus tertii praecepti obedientia in vocatione. Polypragmon seu ardelio pugnat cum tertio praecepto et cum dicto Pauli: Propria faciatis. Alterum malum est Arrogantia in iudicando de ignotis, id quoque prohibet hoc loco Paulus, cum vetat sapere praeter quam oportet: et iubet modeste sapere, et tradit normam, ut prophetiae sint analogae fidei, id est, ut enarrationes et iudicia congruant cum fide. Notum est autem, neminem sibi debere iudicium sumere de eo, quod nesciat, ideo scriptum Deuteron. 17.: Cum fuerit nunciatum, audias et bene inquirito, et cum fuerit verum et certum, poena sequatur.

Et eadem sententia saepe repetita est in mandatis divinis. Et Matth. 5. dicitur: Caeco si caecus dux fuerit, ambo in foveam cadunt. Syracides cap. 11.: Prius quam audieris, ne respondeas. Et tamen usitatissimum est, fascinatos persuasione iudicare non cognitis fontibus, contra quos et in Exodo dicitur: Non sequaris turbam in iudicando. Idem et ratio docet: Quodque parum novit nemo docere potest. Et Plato inquit: οὐ πλήθει δικάζειν ἀλλ' ἐπιστήμῃ. Huc et illa pertinent: Quam quisque artem didicit, hanc exerceat. τέκτων γὰρ ὤν, ἔπραττες οὐ ξυλουργικά.

Talibus sententiis commonefacti, simus in iudicando circumspectiores, et fontes quaeramus, et non simus ἰδιοβουλεύοντες, sed libenter conferamus nostras cogitationes cum aliorum peritorum iudiciis, ut 1 Corinth. 15. praecipitur. Et in primis teneamus regulam, Ut prophetia sit analoga fidei, id est, ut enarrationes et iudicia congruant cum fundamento, id est, cum lege et Evangelio et symbolis. Hanc normam sciri et sciri et sequi necesse est, iuxta dictum: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Necesse est igitur, prius nosse incorruptum Evangelium, iuxta dictum: Erudimini qui iudicatis terram.

Iam considera quam horrendi furores omnibus temporibus orti sint ab interpretationibus pugnantibus cum fide, ut corruptelae Ebionis, Cerinthi, Samosateni, qui negaverunt in Christo esse naturam divinam. Et Samosatenus et Servetus astuta interpretatione depraverunt textum in Iohanne: In principio erat verbum. Item: Manichaei et similes tetra portenta contra legem et Evangelium finxerunt, ut nostro tempore Anabaptistae.

Omnibus temporibus fuerunt similes aliqui Pharisaeis, qui sustulerunt discrimen legis et Evangelii, et finxerunt homines mereri remissionem peccatorum et iustos esse externa disciplina, sicut somniat Pharisaeus Lucae 18.

Talis fuit imaginatio Pelagii, Papistarum et Monachorum, in qua magnum chaos est errorum. Delent totam doctrinam de iusticia fidei, fingunt homines mereri remissionem peccatorum, et iustos esse propriis operibus. Postea addunt: Quia nemo scit, quando satis operum habeat, dubitandum esse, an sis in gratia. Haec nequaquam sunt *ἀνάλογα* fidei.

Sunt et manifeste idolatrica, Invocatio mortuorum, quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis. Item, Adoratio panis in circumgestatione. Item, Ficticia oblatio in Missa pro mortuis.

Nec fuit credendum fallacibus spiritibus, qui petiverunt celebrari Missas pro mortuis. Quia scriptum est Esaiae 8.: Non a mortuis require veritatem, sed ad legem et ad testimonium.

Nec sunt *ἀνάλογα* fidei ea, quae de votis, de satisfactionibus et aliis ritibus humanis fingunt, quos dicunt esse cultus Dei necessarios, et mereri remissionem peccatorum.

Nec sunt *ἀνάλογα* fidei anabaptistica deliramenta, quae sint partim pharisaica, partim furores Manichaei, delentes politicum ordinem.

Hunc brevem catalogum addidi, ut iuniores diligentius cogitent de hac regula. Prophetia sit analoga fidei, et sint circumspecti in iudicanda doctrina et iudicandis interpretationibus, et muniant se inquisitione verae doctrinae et precatione.

Deinde sequitur in textu longa coacervatio multorum praeceptorum de dilectione mutua, de beneficentia, de diligentia in invocatione, de patientia, de precatione, de humilitate, de reprimenda cupiditate privatae vindictae etc. Haec mandata distribuantur in decalogum, nec difficile est videre, ad quod caput decalogi singula pertineant, sicut alias saepe monemus doctrinam de virtutibus in decalogum distribuendam esse.

Caput XIII.

In priori capite recitavit praecepta de privatis moribus. Nunc addit doctrinam de vita politica. Quanquam enim Evangelium concionatur de reconciliatione cum Deo et de aeterna iusticia, nec fert leges in specie de successionibus, de contractibus, de forma iudiciorum, de distinctione actionum, commendavit enim haec Deus consilio politici magistratus, sicut non docet Evangelium in specie artem medicam, aut architectonicam: tamen in genere necesse est de usu harum externarum et corporalium rerum extare verbum Dei, seu testimonium divinum, propter duas causas. Primum ut sciamus hunc ipsum ordinem esse opus Dei, et testimonium sapientiae Dei inter nos: deinde ut sciamus usum concessum esse piis. Quia oportet opera nostra testimonium habere ex verbo Dei, ut 1 Timoth. 4. dicitur: Sanctificatur creatura per verbum et orationem.

Utile est et nosse certamina Ecclesiae omnium temporum. Semper autem fuerunt fanatici homines, qui damnaverunt ordinem politicum, et magnas confusiones alii alias excitarunt. Voluerunt efficere Platonicam communicationem facultatum, ut olim Marcion, Carpocrates, et alii, quos refutat Irenaeus.

In oppido Phrygiae Pepusa fanatici quidam tale regnum incoarunt, quale nostro tempore Anabaptistae in urbe Monasteriensi conati sunt constituere, et oppidum nominarunt novam Ierosolymam, quod rectius nominassent *ἐμποῦσαν*. Sed deletum est, et Montanus et Maximilla duces factionis sese strangularunt.

Nostro tempore adhuc vagantur Anabaptistae, qui damnant magistratus, distinctionem dominiorum, contractus, iudicia, et multi alii fuerunt et sunt, qui negant utendum esse Romanis legibus. Contra hos furores sciamus Ecclesiam praemunitam esse hoc tertiodecimo capite Pauli ad Romanos, quod ideo notissimum omnibus esse debet, ne qui hypocrisi fanaticorum hominum decepti implicentur falsis et seditiosis opinionibus.

Primum igitur perspicue et constanter teneatur haec regula: Evangelium est vox de remissione peccatorum et de reconciliatione cum Deo propter mediatorem, et de luce, iusticia et vita aeterna in cordibus. Interea sicut corpora sinit uti diversis dierum spatiis in diversis locis, ita sinit uti diversis formis politiarum, modo cum ratione congruant.

Haec regula saepe expresse tradita est, ut Coloss. 3.: Induite novum hominem, qui renovatur agnitione ad imaginem eius, qui condidit eum, ubi non est Graecus, nec Iudaeus, nec circumcisio, nec praeputium, nec barbarus, nec Scytha, nec servus, nec liber, sed omnia in omnibus est Christus. Hoc illustre discrimen Evangelii et

vitae politicae semper in conspectu sit. Postea etiam vitae politicae dignitas consideretur descripta et in hoc capite, et in multis testimoniis propheticis.

Omnis anima potestatibus, quae praesunt, subdita sit.

Initio simpliciter et perspicue tradit praeceptum, ut suo quisque magistratui obediat. Nam particula (Quae praesunt) non est otiose addita, sed excludit alienos magistratus. Non enim necesse est civem Lubecensem obedire magistratui Parisiensi. Tollit item Paulus dubitationem conscientiarum, si sit obscura contentio de titulo, ut quanquam rex Anglicus scribit se regem Franciae: tamen non necesse est cives regni Gallici obedire regi Anglico. Deinde addit rationem praecepti: Cum imperia sint ordo divinitus institutus, qui vere est opus Dei, irascitur Deus turbantibus hunc ordinem. Necesse est igitur obedire propter conscientiam.

Hic diligenter consideretur vocabulum Ordinatio. Nam humana iudicia cum intuentur confusionem et vitia in imperiis, non statuunt gubernationem opus Dei esse, sed partim calliditate humana, partim robore constituta esse, et retineri imperia. Et multa de causis apud Philosophos disputantur. Sed nos discernamus ordinem politicum a personis et a vitiis, quae miscent personae. Est enim ordo ipse legis divinae noticia, et gradus eorum, qui regunt, et reguntur, et leges latae vera autoritate magistratuum, coniugia, contractus, iudicia, poenae, defensio, legitima militia, legitima tributa, disciplina in pace, studia doctrinarum et aliarum honestarum artium. Hic totus ordo in genere humano est opus Dei, sicut ordo motuum coelestium, et terrae foecunditas. Nec tantum permissive a Deo, sed Deus sua sapientia et voce instituit hunc ordinem, et quantum superest ordinis, conservat ipse efficaciter. Interea verum est, quod diaboli, et multa organa diabolorum tyranni, seditiosi, et alii scelerati homines multipliciter turbant hunc ordinem, et multas confusiones et multa vitia miscent, sicut lupi aliquam gregis partem lacerant, et tamen pastor fidelis defendit reliquum agmen: ita quantum ordinis reliquum est in societate humana, conservatur immensa bonitate ab ipso Deo.

Tenendus est igitur hic articulus fidei: Ordo politicus est revera opus Dei, et res bona, et est testimonium sapientiae, iusticiae Dei et bonitatis erga homines, et praesentiae eius inter homines. Lex enim et iudicia ostendunt sapientiam, aequalitas in contractibus, et executio poenarum ostendunt iusticiam: Bonitatem et praesentiam ostendit miranda conservatio totius societatis humanae inter tanta pericula. Item, poenarum executio manifeste superans vires humanas, de qua dicit Dominus: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Addantur ergo testimonia, quae adfirmant ordinem politicum esse opus Dei.

Danielis 2.: Deus transfert regna et constituit, id est, efficit ut floreant et durent.

Proverb. 16.: Libra et pondus iudicia Domini sunt, et omnes lapides lancis.

Psalm. 126.: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Custos et conservator est Deus ordinis politici, ergo eum adprobat.

Psalm. 143.: Qui das salutem regibus. Haec verba adiuvari gubernatores a Deo testantur.

Proverb. 8.: Per me reges regnant, et iudices iusta decernunt.

2. Paralip. 20.: Non hominis exercetis iudicium, sed Domini.

Psalm. 81.: Ego dixi, Dii estis, id est, habentes officia mandata a Deo, ut sint vox legis Dei, et executores legis Dei.

Esaiae 1.: Quaerite iudicium, subvenite oppresso, defendite viduam. Praecipit Deus politica officia cuique pro sua vocatione. Non dubium est igitur adprobari ab eo politicum ordinem. Et in hanc sententiam multa dicta apud Prophetas extant, quae nominatim politica officia praecipiunt.

Lucae 3.: Baptista publicanis et militibus concionatur, ac tradit expresse praecepta politica. Ergo ipsam functionem adprobat, cum doceat quomodo sit administranda, ne plus quam constitutum est postulent: Neminem concutiatis, neque calumniemini. Haec tota concio politicum statum, iudicia, militiam adprobat, et discernit ab ordine vitia seu confusiones, quas humana malitia admiscet. Et futilis, ieiuna et insulsa cavillatio Anabaptistarum explodenda est, qui dicunt, Baptistam haec imperfectis permisisse, Christum postea aliter docuisse. Nequaquam enim pugnant Christi et Baptistae conciones.

Recitavi testimonia congruentia cum textu Pauli, quae valde prodest saepe cogitari, et simul causas expendere, propter quas Deus hanc doctrinam patefecit. Vult enim sciri, quae sint Dei opera, et vult ea discerni a furoribus diabolicis. Vult in nobis obedientiam et reverentiam erga ordinem, qui est opus divinum et ingens beneficium, confirmare. Vult etiam nos accendere ad precationem et gratiarum actionem. Memineris autem diserte in textu Pauli discerni ordinem a confusionibus. Ideo usus est Paulus vocabulo Ordinis.

Magistratus est minister Dei, vindex ad iram etc.

Postquam in genere dixit Paulus, ordinem politicum esse opus Dei, addit definitionem magistratus integram, ut discernat ordinem et magistratum a latrociniis.

Magistratus est minister Dei, nobis ad bonum, vindex ad defendendos recte facientes, et puniendos delinquentes gladio, id est, poenis corporalibus.

Haec definitio est integra, et melior etiam quam Aristotelica: Magistratus est custos legis, Paulus enim addit efficientem causam, scilicet, quod sit institutus a Deo. Et in causa finali addit illustrem particulam, Tibi in bonum, ubi discernit magistratum a latrocinio. Nam latro non fovet honestam societatem, et tyranni sunt latronum similes. Sed magistratus defendit iustos, et punit contumaciter ruentes in scelera, et fovet communem societatem, sicut paterfamilias. Ideo dictum est a duce Persico in Xenophonte: Nihil differt bonus princeps a patre bono.

Sed in hac definitione quaeritur: Unde scimus, quae sint recte facta? Respondeo: Paulus hic omittit longiorem declarationem, et ideo generaliter loquitur, ut leges omnium gentium adprobet de civilibus negotiis, si tamen consentiant cum lege naturae.

Hic igitur nota sit regula: Christianos non esse alligatos ad politiam Mosaicam, sed licere eis uti legibus suarum gentium, quae consentiunt cum ratione, id est, cum lege naturae, seu decalogo recte intellecto, imo sicut debet Christianus obedientiam praesentibus legibus cum decalogo congruentibus. Licet igitur fures suspendere, licet haereditates dividere nostris legibus: quia Evangelium non constituit novam politiam mundanam, sed concionatur de iusticia et vita aeterna, quae in cordibus incoatur per filium Dei voce Evangelii in vera conversione. Interea sinit corpora uti diversis politiis, sicut diversis dierum spatiis.

Ideo necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Definitionem sequitur conclusio, in qua repetit praeceptum de obedientia, et addit necessariam declarationem, ut sciat Ecclesia, qualis obligatio sit, et quale peccatum sit nolle obedire legitimis imperiis.

Ac multi scriptores hoc argumentum agitant.
Magistratus neminem potest poena aeterna adficere.
Ergo violans legem magistratuum, non est obligatus ad poenas aeternas.

Neganda est consequentia, Quia violans leges magistratuum obligatur ad poenam aeternam propter mandatum Dei, sicut violans mandata parentum, obligatur ad poenam aeternam, etiamsi parentes neminem possunt adficere poena aeterna. Sed Deus ipse irascitur violantibus ordinem ab ipso sancitum, et est custos sui ordinis: ideo poenam ipse exequitur.

Ac verba Pauli diligentissime consideranda sunt. Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, propter supplicia, quibus magistratus potest sontes adficere, sed etiam propter conscientiam, scilicet, ne fiat rea aeternae poenae in his, qui nolunt obedire legitimis imperiis. Sciamus igitur vere peccatum mortale esse, id est, Deum offendens et faciens hominem reum aeternae poenae, nolle obedire legitimis imperiis. Sic declarat necessitatem, ut intelligatur de obligatione conscientiae et de aeternis poenis, videlicet, nisi fiat conversio.

Iam considerent omnes homines, quanta severitate Deus ipse muniverit magistratus et totum politicum ordinem, cum expresse Paulus adfirmet, conscientiam ream fieri coram Deo, hoc est, inobedientes deseri a Deo, fieri captivos diaboli, et abiici in aeternas poenas, nisi fiat conversio. Et atrox contumacia etiam divinitus in hac vita punitur, sicut Salomon inquit: Cum seditiosis ne commiscearis, quia cito veniet eorum interitus. Et in Ecclesiaste inquit: Non effugient in die belli: sicut universa mundi historia ostendit, seditiosos oppressos esse horribilibus

poenis. Nulla potentia humana, nulli exercitus magis muniunt imperia, quam haec severissima lex Dei: Necesse est obedire propter conscientiam, cuius legis ipse Deus executor est.

Haec diligenter cogitanda sunt, et a populo et a dominis. Nam et domini, cum fiunt tyranni, id est, cum violant iusticiam, lacerant et ipsi ordinationem divinam, et divinitus haerent in poenis. Fit igitur in ipsis quoque rea conscientia, ut totus Psalmus: Deus stetit in synagoga Deorum Deos iudicans, accusat tyrannos, minatur eis poenas. Et saepe repetita est haec concio.

Esaiae 3.: Dominus ad iudicium veniet adversus Principes et Seniores populi.

Micheae 3.: Audite Principes etc. propter vos Sion quasi ager arabitur et Ierosolyma erit acervus lapidum.

Zachariae 11.: Super pastores iratus est furor meus.

Hic autem breviter de duabus quaestionibus respondendum est. Prior haec est:

Sumus liberati a lege,
Ergo non laeditur conscientia violatione legum politicarum.

Respondeo breviter ad antecedens: Credentes in mediatorem sunt liberati a lege, quod ad iustificationem attinet, id est, proposita est alia res, qua sunt iusti coram Deo, scilicet mediator qui liberat animas ex morte aeterna erectas fide. Interea manent tamen in hac vita corporali propria officia corporis, quae sunt alia res quam reconciliatio aeterna, iusticia, et vita spiritus. Quia autem sic colligit Deus Ecclesiam, et non aliter, videlicet praedicatione Evangelii in hac vita, vult nos tantisper, quod ad corpora attinet, subiectos esse legibus corporum, cibi, potus, politici ordinis. Similiter enim res necessariae sunt corpori cibus, potus, coniugium, educatio sobolis, politica societas, defensio corporum, et scriptum est: Habendum esse honorem corpori. Et tamen hae res non sunt illa aeterna iusticia, de qua dicit Daniel: Iusticia aeterna adducetur etc. quae reipsa est libertas spiritus et liberatio a lege.

Haec simplex responsio facile intelligi potest de discrimine aeternae lucis et iusticiae in corde et vitae corporalis, et donec in hoc mortali corpore vivimus. Alibi autem copiosius dictum est de liberatione a lege, et recte accommodari huc potest communis responsio: Sumus liberi a lege morali, quod ad iustificationem attinet, sed non quod ad obedientiiam attinet. Nam ipsa liberatio a lege regeneratio est ad novam obedientiam.

Aliud argumentum.

Et iisdem fontibus sumantur responsiones ad hoc dictum: Iusto non est lex posita, scilicet, ut lege iustus sit coram Deo, seu quod ad aeternam iusticiam attinet. Sed iusto est lex posita, quod ad vitam corporalem attinet, videlicet leges cibi, potus, politicae societatis.

Adde et alteram responsionem: Iusto in quantum tali non est lex posita, id est, lex non damnat iustum retinentem iusticiam. Sed cum desinit esse iustus, contra conscientiam violans mandata Dei, lex rursus eum damnat.

Alia obiectio.

Cur fit rea conscientia faciens contra leges magistratuum civilium, et non fit rea faciens contra traditiones Episcoporum?

Respondeo: Ratio diversitatis est. Deus expresse voce Evangelii sanxit hanc libertatem in Ecclesia, ut nec Episcopi condant traditiones cum opinione necessitatis, nec Ecclesia eas sic accipiat. Ideo Colos. 3. expresse dictum est: Nemo vos arguat in cibo, potu etc. Et ad Galatas: State in libertate, ad quam vocati estis. Sed de politica potestate expresse dictum est: Necesse est obedire propter conscientiam. Vult Deus conspici discrimen inter regnum Christi et imperia mundi, vult sciri tantum voce Evangelii colligi regnum Christi. Non vult adfingi traditiones humanas, quae obscurant vel opprimunt lucem Evangelii. Interea simul vult sciri, corpora subiecta esse politico ordini, et reges armatos esse potestate condendi leges, ad honestam defensionem corporum, ad quam opus est interdum novis legibus.

Caeterum pariter peccant magistratus civilis et Episcopi, quando condunt leges pugnantes cum mandatis divinis, aut praecipiunt novos cultus. Talibus legibus non est obediendum, sicut nec Israëlitae obediebant legi Nabuchodonosor, praecipienti adorare statuam.

Interrogant autem aliqui: Maiorne reverentia debetur potestati civili, quam pastoribus Ecclesiae, cum dictum sit: Qui vos spernit, me

spernit. Item: Obedite praepositis vestris. Item: Qui bene praesunt, duplici honore digni sunt.

De hac interrogatione et his dictis plane respondeo. Certissimum est haec non constituere Episcopis aut Pastoribus regnum extra Evangelium, nec tribuere eis potestatem proprias leges condendi, sicut reges Deus armavit autoritate condendi leges de politicis negotiis. Sed simul hoc sciendum est, pastoribus recte docentibus deberi obedientiam in his, quae sunt propria ministerii evangelici, quia certissimum est peccare mortaliter omnes nolentes obedire mandatis divinis, quae sonat vox pastoris. Item: Nolentes obedire in iurisdictione, quae est propria Evangelii. Ut cum Ambrosius Theodosium imperatorem, et Basilius Valentem imperatorem arcent a communione.

Cui honorem debitis, tribuite honorem etc.

Antea in genere dixit de obedientia, nunc gradus recitat interna et externa officia, Honorem, Timorem, Tributa, Vectigalia. Hic pondera vocabulorum considerentur.

Honos est in anima noticia adprobans aliquid propter mandatum Dei, et quia Deus ei communicat sapientiam suam et iusticiam: aut quia est organum sapientiae et iusticiae Dei, et est diligere illud iuxta ordinem a Deo sancitum.

Est igitur honos erga magistratus noticia, quae agnoscit et fatetur, ordinem politicum esse opus Dei, et conservari a Deo, et magistratum esse custodem legis Dei, et in ea custodia conspici praesentiam Dei in genere humano, et lucere sapientiam et iusticiam Dei. Et est diligere ordinem et personas, habentes *προαίρεσιν* recte faciendi, quae sunt organa divini ordinis, et sic diligere, ut nos illi fastigio subiiciamus iuxta praecepta Dei. Item, petere a Deo, ut ipse sit custos huius sui ordinis, et regat eos, quibus tradidit imperium. Haec noticia et approbatio in mente, et in voluntate dilectio, subiectio et precatio pro imperiis sunt proprie honos. Deinde signa aeterna honoris quae sint notum est, ut flectere genua significat subiectionem sui in voluntate.

De officiis magistratus complexus est Paulus summam, cum ait, esse ministrum Dei, ut puniat male facientes. Et summa comprehendi potest in hac definitione: Magistratus est custos legis, videlicet utriusque tabulae in externa disciplina. Hanc definitionem intueantur omnes magistratus, et cogitent esse normam totius gubernationis.

Φόρος significat ordinaria tributa ex fundis.

Τέλος significat ea, quae penduntur et rebus aliunde advectis. Quia praesidiis opus est ad prohibenda latrocinia in viis.

Iam qui debebat esse modus tributorum, ostendunt verba Iohannis: Estote contenti stipendiis vestris. Et sciant principes se quoque subiectos esse legi divinae: Non furtum facies. Et servent distinctionem dominiorum, sciant alia esse civium propria, alia ipsorum, ut ostendit historia de vinea Nabot. Sed *βουλιμίαι* regum et principum saepe non sunt contentae legitimis pensionibus. Hinc sunt querelae veteres: *ταμίαι λαμίαι*. Et Nazianzenus inquit: Briarei manibus rapere gubernatores ex populi facultatibus.

Reddite omnibus debitum.

In fine redit ad generalia praecepta, quae ad omnes pertinent, ac repetit summam doctrinae de bonis operibus, de qua proponit decalogum: quia necesse est fidem et opera regi expresso verbo Dei, iuxta haec dicta: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item in Ezechiele 20.: In praeceptis meis ambulate. Item in Numeris: Non fornicentur oculi vestri, ut ambuletis secundum cogitationes vestras etc.

Item, Frustra me colunt mandatis hominum. Et Matth. 5.: Non veni solvere legem, sed implere. Necesse est igitur in Ecclesia proponi decalogum, et eum enarrari sicut enarrant Christus, Prophetae et Apostoli, et semper in Ecclesia inde usque a principio mundi fuit eadem decalogi doctrina.

Caeterum quomodo intelligenda sit doctrina de liberatione a lege, supra dictum est, et sequenti capite eadem explicatio repetetur. Nunc considerentur dicta legalia hoc loco: Persolvite omnibus debitum. Hac voce complectitur omnia officia in societate necessaria. Iubet praestari non solum debitam obedientiam superioribus, sed etiam caeteris debita officia, parentibus, coniugi, liberis, familiae. Iubet item in contractibus cuicunque res debitas et pecuniam debitam exhiberi, iuxta praeceptum decalogi: Non furtum facies. Psalmus 27. inquit: Impius mutuo sumit, et non reddit, iustus autem miseretur et largitur. Ac repetitur ideo hic decalogus, ut sciamus totam

doctrinam de bonis operibus recitatam his duobus capitibus et alibi, comprehensam esse in decalogo.

Rursus etiam consideretur repetitio de debito: Nemini quidquam debeatis nisi mutuam dilectionem.

Nota sit omnibus distinctio plena eruditionis de obligationibus.

Alia debentur obligatione naturali, non civili, id est, ad quae praestanda magistratus suis poenis non cogit hominem, ut is qui accipit beneficium, vicissim debet animi gratitudinem obligatione naturali. Sed magistratus non nisi in paucis gradibus punit ingratos. Periclitanti in aquis debent opitulari alii praesentes, si possunt, Dives praesenti Lazaro debebat opitulari, sed magistratus tales omissiones non punit, tantum atrocia externa scelera iudicat. Ac naturalis obligatio est divina, iuxta praeceptum: Diligas proximum tuum sicut teipsum. Item, Proverb. 21.: Obstruens aurem ad clamorem pauperis, vicissim clamabit, et non exaudietur. Item: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.

Alia est obligatio divina, seu Naturalis et Civilis, id est, propter quam et magistratus cogit homines facere externas operas, aut dare res externas, pretium aut merces, quia hac compensatione sublata, prorsus dissiparetur societas generis humani.

Paulus autem de utraque obligatione hic loquitur. Debita obligatione civili vult dari, iuxta praeceptum: Non furtum facies. Et notum est, manifestam turpitudinem esse non praestare debita obligatione divina et civili.

Persae, ut scribit Herodotus, inhonestum esse indicabant ipsum etiam debere: quod tamen intelligo de non solventibus convenienti tempore. Sic enim ait Herodotus: Turpissimum ducunt mentiri, deinde vero debere, quia existimant debitorem saepe mentire.

Cum igitur inquit Paulus, Nemini quidquam debeatis, vult ea praestari, quae civili obligatione debentur, ut ita liberemur a civili obligatione, posteaquam debita dedimus aut fecimus. Interea tamen perpetua est obligatio divina et naturalis, quae est perpetua dilectio proximi.

Etsi autem quid sit ardens et ordinata dilectio in vita aeterna melius intelligemus, tamen nunc incoari eam oportet, sicut Iohannes inquit: Qui non diligit, manet in morte. Et descriptio qualiscunque tenenda est.

Osiander dilectionem nominat ipsum Deum, de hac forma loquendi alibi dicitur.

Paulus dilectionem deberi proximo intelligit, quae est affectus, qui in conversis accenditur a Spiritu sancto. Hunc affectum debemus proximo, de quo affectu Paulus hic et 1. Corinth. 13. loquitur. Et ad Galat.: Fructus spiritus dilectio etc.

Est igitur haec dilectio, in vera fide laetari in Deo, et obedire omnibus mandatis Dei, et propter eum diligere proximum, ac velle ei benefacere iuxta praecepta Dei, ubicunque est possibile.

Ad hanc dilectionem homo semper obligatus est a Deo, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, et proximum tuum sicut teipsum. Eruditissime igitur distinxit hic Paulus obligationem. Praecipit, ut debita civili obligatione praestemus, his datis, cessat obligatio civilis, ideo dicit: Nemini quicquam debeatis, id est, praestate debita obligatione civili, ita cessat haec obligatio. Sed dilectionem debebitis, id est, manet semper obligatio naturalis et divina, ad dilectionem in corde et ad multa externa officia, non debita civili obligatione. Ut Lazaro non debebat dives civili obligatione: sed tamen debebat naturali et divina obligatione dilectionem in corde, et externa beneficia, quae tunc praestare poterat.

Dilectio est impletio legis.

Proprie loquitur Paulus, et ut artifex, quia verum est, in lege praecipi ordinatam dilectionem erga Deum et homines, et haec complectitur universalem obedientiam, sicut scriptum est: Diliges Deum ex toto corde, et proximum sicut teipsum.

Hic autem discant iuniores hoc argumentum iudicare:

Impletio legis est iusticia,
Dilectio est impletio legis:
Ergo, dilectio est iusticia.

Respondeo: Concedo totum de iusticia legali, si vocabula recte intelligantur. Quia verissimum est, integram seu perfectam impletionem legis esse iusticiam, verum est etiam, perfectam dilectionem esse impletionem legis: sed

neque perfectam dilectionem, neque perfectam legis impletionem ullus homo habet, excepto mediadore, Domino nostro Iesu Christo. Ideo caeteri homines nec lege, nec dilectione sunt iusti coram Deo, sed propter mediatorem fide, gratis, persona recipitur et placet. Postea placet et nova obedientia, quamvis procul abest a perfectione, et est languida, mutila, mendica et sordida, ut supra saepe dictum est.

Sit igitur brevis responsio: Dilectio est impletio legis. Item, Est iusticia, si id intelligatur de idea, non de tali dilectione, qualis est in hominibus in hac vita. Haec satis sit monuisse.

Addit autem Paulus hoc loco repetitionem decalogi, et doctrinam de dilectione, quia necesse est in hac vita incoari obedientiam, iuxta omnia praecepta moralia, sicut scriptum est: Si vis ingredi in vitam, serva mandata, scilicet, sicut Evangelium docet propter filium nos recipi, et fide incoari obedientiam, sicut Paulus inquit: Per fidem lex stabilitur.

Iam hora est, nos ex sommo expergisci.

Adhortatio est a tempore sumta propter occasiones, quasi dicat: Iam immensa bonitate Deus nobis patefecit Evangelium Gentibus et Iudaeis, cum antea in tenebris essetis, et vos vocat. Id summum beneficium agnoscamus, nec tantum munus adspernemur, sed avide amplectamur, et Deo obediamus. Eandem adhortationem proponit Dominus, quia non omnibus temporibus similiter conspicitur lux Evangelii: Ambulate, inquit Dominus, dum lucem habetis, ne tenebrae vos obruant. Ut in Iudaea, spreta vocatione, secutae sunt maiores tenebrae, et magni furores, confusiones opinionum, et Principum discordiae, quibus attraxerunt ultimum exitium: ita fit et aliis temporibus. Et nunc multi abutuntur praetextu libertatis, et vertunt gratiam Dei in petulantiam, ut Petrus loquitur. Ideo sequuntur dissidia opinionum, et aliae calamitates, bella et confusiones imperiorum. Et 2. Corinth. 6. Paulus inquit: Ecce nunc tempus acceptum. Monet enim, ne oblata beneficia negligamus, nec eis impie abutamur.

Somnum nominat ignorantiam Evangelii, Vigilias agnitionem. Et quia vigilantium sunt labores et certamina, iubet sumere arma lucis, scilicet verae doctrinae cognitionem, invocationem, tolerantiam, novam obedientiam, ut extat descriptio armorum, ad Ephesios ultimo, sumta ex 59. cap. Esaiae.

Propior est salus quam tum cum credebamus.

Salus, id est, ipse Christus exhibitus, et Evangelii praedicatio inter Gentes dicuntur propius adesse, quia antea non fuit communis praedicatio inter Gentes sparsa. Pauciores etiam Iudaei intelligebant, quale futurum esset regnum Christi. Iam inquit: Omnia sunt magis illustria, quam tunc cum credebamus, scilicet de venturis his beneficiis, quae tunc multo paucioribus nota erant. Significat igitur, obiecta nunc propiora esse, id est, notiora: non hoc dicit, aliter nunc salvari homines, aliter patres salvatos esse. Nam utrique patres et deinceps alii homines fide salvantur. Tantum hoc discrimen est, quod patres de venturo Domino credebant, nos de exhibito.

Non in luxu conviviorum et ebrietatis.

Κῶμος significat convivium sodalium ad voluptates et ludos institutum, unde Comoedia dicta est. Luxus enim et ebrietas taxantur, non usus cibi et potus necessarius, ideo infra addit: Curate carnem, non ad cupiditates. Vult curari corpus, sed sine luxu, ne impediantur piae cogitationes, invocatio, et aliarum virtutum exercitia etc. Sicut et Petrus inquit: Sitis modesti et sobrii ad precationem.

Iuniores considerent phrasin: Providentiam carnis ne facite. Hic enim peregrinam interpretationem quaerit Augustinus, Ne sequantur carnalia consilia, ut dici posset avaro, ne carnali consilio quaerat opes per usuras: et cupido dominationis dici posset, Ne invadas regnum illicitis modis. Sed phrasis aliud significat. Iubet Paulus curare corpus, sed habere rationem carnis seu corporis, id est, considerare quid corporis incolumitas postulet, sed iusto modo et ordine. Sic Demosthenes inquit: *ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἑορτῆς*, id est, habere rationem festi.

Induite Christum.

Haec figura sermonis non tantum significat imitationem, ut si dicas Principi irato, Induas animum Augusti in reprimenda ira, id est, imiteris eius clementiam. Sed aliae multo potiores significationes sunt hoc loco, quarum fit mentio in capite 61. Esaiae: Gaudens gaudebo in Do-

mino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et vestimento insticiae circumdedit me, et est velut Sponsus in sacerdotali ornatu, et sicut Sponsa decorata suis ornamentis.

Vestimur a filio Dei dupliciter. Primum ipsius merito seu obedientia, quae meretur nobis remissionem peccatorum, ut tegantur nostra peccata tanquam munda veste, ac simus reconciliati et iusti, id est, accepti Deo imputata filii iusticia, sicut et in Psalmo dicitur: Beati quorum tecta sunt peccata etc. Et Esaiae 4.: Erit umbraculum contra aestum. Deinde vestimur et efficaci praesentia filii Dei in credentibus. Cum enim fide accipimus consolationem, vivificamur a Deo hoc ordine: λόγος est praesens et efficax voce Evangelii, et monstrat patris misericordiam, et vivificat corda, et effunditur Spiritus sanctus in corda, ut laetentur in Deo, qui est agnitus per verbum, et flectantur ad invocationem, et fides sit firma, et adsimilentur corda λόγῳ, qui est imago Dei, sicut 2. Corinth. 3. dicitur: Transformamur ad similitudinem eius etc. De hoc vestitu dicitur Iohannis 14.: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Sic igitur inquit Esaias: Gaudebo in Deo meo etc., id est, fateor liberationem non esse opus nostrarum virium, sed Dei, Et hic Deus Messias vestit me suis meritis, et suo efficaci praesentia, qua fio templum et domicilium Dei, et hic vestitus incoatur in hac vita, sed perficietur in vita aeterna. Addit autem amplius, qualis sit hic vestitus. Est Sponsi, scilicet Messiae sacerdotalis ornatus, id est, passio, vel obedientia in passione, et fortitudo superata morte et restituta vita, et ministerium Evangelii, quo est efficax, et suam sponsam simili ornatu vestit. Est autem sponsa Ecclesia simili ornatu vestita, passione in hac vita, et vivificatione quae fit per Messiam, et nunc incoatur, et in vita aeterna consummata erit, cum sponsa erit similis Christo, id est, erit prorsus sine peccato et sine morte, et fulgebit in ea Deus vivificans et perfundens eam sua luce, sapientia, iusticia et laetitia, ut sit conformis Deo. Phrasis igitur dulcissima observetur, quod ait, Christi sponsi ornatum esse sacerdotalem. Significat enim vocem Evangelii, passionem Christi, deprecationem pro nobis, victorias et efficaciam in nobis, sicut in Psalmo dicitur: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Sic ad Galatas dictum est: Quicunque baptizati estis, Christum induistis. Ubi manifestum est, non loqui Paulum proprie de imitatione, sed de filio Dei ipso nos vestiente suis beneficiis. Sic ergo intelligatur, Christum induistis, scilicet, imputata nobis ipsius iusticia: deinde et accepta praesentia divinitatis, quae in nobis est efficax. Sic autem induitur Christus, quandocunque fide fit consolatio in conversione et invocatione, cum mens sustentatur vera cogitatione promissionis, in qua propter filium Dei dantur remissio peccatorum, et reconciliatio.

Sic et hoc dictum ad Romanos intelligatur: Induamini Christum, quasi dicat: Verbo et fide accipite beneficia Christi, imputatam iusticiam et efficaciam filii Dei, petite ut vos gubernet, nec repugnate ei. Cum hac interpretatione primum confirmati sumus, quae discernit filium Dei ab aliis doctoribus et exemplis, deinde potest addi interpretatio de exemplo. Imitemini Christum, ut exemplum in virtutibus, quae debent esse communes omnibus, videlicet in cura docendi Evangelii, constantia confessionis, humilitate, patientia in tolerandis iniuriis, ut si dicam Principi: Induito animum Augusti in moderatione iracundiae.

Caput XIV.

Supra diximus incoatam esse doctrinam operum in capite duodecimo. Ordo igitur consideretur harum legalium concionum.

Caput duodecimum est velut ethicum de communibus omnium virtutibus.

Tertiumdecimum est politicum.

Decimumquartum est ἱερατικὸν de ceremoniis. Sunt enim haec tria genera praecipua operum in conversatione hominum, quia enim haec vita mortalis non potest carere ceremoniis, id est, ordine distinguente gradus personarum, tempora publicorum congressuum et lectionum, aut exercitiorum puerilium, necesse fuit Ecclesiam de usu earum fidmoneri. Nam error de ceremoniis parit multa ingentia incommoda.

Primum, obscuratur doctrina Evangelii de fide et beneficiis Christi, cum obrepit opinio, quod ritus illi mereantur remissionem peccatorum, aut quod propter eos homo sit iustus, sicut

Pharisaei de suis sacrificiis et ritibus imaginabantur.

Secundo, extinguitur lux de discrimine umbrarum externarum et novitatis spiritus, qua conversi ad Deum efficiuntur templa Dei. Cum autem obrepit opinio, ritus monasticos, coelibatum, fugam laborum communium in vita politica, dicrimina ciborum, esse cultus Dei et perfectionem, obscurantur veri cultus, qui debent esse in corde, timor, fides, patientia, spes, castitas coniugalis, et alii fructus spiritus.

Tertio, deletur doctrina de distinctione operum, cum Ceremoniae anteferuntur operibus a Deo mandatis, ut monachi praetulerunt suos ritus coniugio et officiis politicis.

Quarto, obrepit opinio Necessitatis, quae est periculosa carnificina conscientiarum, cum enim observatio humanorum rituum necessaria esse putatur, mentes occupatae hac tanta cura, impediuntur in aliis necessariis rebus, nec tamen omnes ritus semper observant. Et cum fingunt esse peccata, impeditur invocatio, deinde hoc ipsum est peccatum, existimare quod talia opera sint cultus Dei, et quod omissio sit peccatum.

Quinto, opinio necessitatis gignit discordias insanabiles, sicut olim de Paschate fuerunt dissensiones.

Sexto, falso tribuitur Episcopis potestas condendi traditiones, cum opinione cultus aut necessitatis, quoties ignoratur verus usus traditionum.

Cum igitur error de Traditionibus multa incommoda pariat, necesse est in Ecclesia extare doctrinam de usu earum recte explicatam et perspicuam.

Primum autem nota sit doctrina de libertate Christiana, de qua usitate, docendi causa, quatuor gradus in hac vita facimus.

Primus est liberatio a peccato et ira Dei, et damnatione aeterna propter mediatorem, videlicet Remissio peccatorum et reconciliatio, ac iustificatio seu imputatio iusticiae gratuita propter mediatorem.

Secundus coniunctus est cum primo de effectione, videlicet Vivificatio in nobis, quae fit per filium Dei vivificantem corda, et liberantem ex doloribus inferorum, donato Spiritu sancto: et deinde adsidua praesentia divinitatis in invocantibus, regens, protegens, adiuvans, multis mirandis liberationibus servans eos, ut cum servatur Daniel inter leones. Hi sunt praecipui gradus, et gloriosa libertas, de qua in invocatione quotidie cogitandum est, et de his gradibus praecipue dicitur: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

Tertius gradus est liberatio a politia Moisi, videlicet a ceremoniis Mosaicis et legibus forensibus Moisi: quia Christi regnum est restitutio vitae aeternae et iusticiae aeternae, abolito peccato et morte. Incoatur autem hoc regnum, quando primum filius mittitur, patefaciens promissionem: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Hic filius deinde semper est efficax per ministerium Evangelii, et Spiritu sancto movet et confirmat credentes: et haec persona, Deus et homo, est caput Ecclesiae, et per hanc personam immediate fit resuscitatio mortuorum, sicut Paulus inquit 1. Corinth. 15.: Postquam per hominem mors, etiam per hominem fit resuscitatio mortuorum. Item, Dominus inquit: Omne iudicium dedit filio.

Est igitur Messiae regnum longe aliud, quam politica regna, et colligitur in hac vita ex diversis gentibus, ubi sunt diversae politiae, sicut inquit Paulus Colos. 2.: Induite novum hominem, qui renovatur ad agnitionem secundum imaginem eius, qui condidit eum, ubi non est Graecus, nec Iudaeus, nec servus, nec liber, sed omnia et in omnibus Christus, id est, dans omnia bona suo merito, scilicet remissionem peccatorum et reconciliationem, et simul efficiens in credentibus novam lucem, iusticiam et vitam.

Haec distinctio regni Christi et politiarum mundi primum cogitanda est, postea cogitandum, quare ad tempus fuerit instituta politia Moisi, quae duravit annos 1582. Tot enim sunt anni ab exitu ex Aegypto ad ultimam destructionem Ierosolymae sub Tito. Voluit enim Deus certam esse sedem illius populi, in quo voluit nasci Messiam, palam concionari, pati, reviviscere ex morte, testimonia ostendere. Haec ut certa essent, voluit Deus distinctam esse gentem et politiam a caeteris gentibus. Postea postquam exhibitus est Messias, deleta est haec politia, ut sciretur, aliud esse regnum Christi, aliud politiam Mosaicam.

Ex his fontibus intelligi potest, nos non alligatos esse ad ceremonias et ius positivum Moisi, sed singulos in suis politiis uti posse legibus cum ratione congruentibus, quas sanxit eius politiae

ordinaria autoritas de negotiis politicis, sicut dissimilibus dierum spatiis utimur.

Quartus gradus est liberatio a traditionibus humanis in Ecclesia, ut Paulus inquit, Colos. 2.: Nemo vos iudicet in cibo, potu, vicibus festorum. Item: Quae sunt secundum mandata et traditiones hominum. Et ex eodem fonte haec libertas oritur, ex quo oritur liberatio a ceremoniis Mosaicis. Cum Christi obedientia sit meritum remissionis peccatorum, nulla humana opera, ac multo minus mactationes pecudum, aut ritus satisfactionum, aut ieiunia in Ecclesia merentur remissionem peccatum. Item: Cum regnum Christi sit vita, lux, sapientia et iusticia aeterna in cordibus, quae incoatur in hac vita per ipsum ministerio Evangelii, et donato Spiritu sancto, non est observatio externorum rituum mactationis pecudum, aut ieiuniorum, aut vestitus. Ideo Paulus inquit: πολίτευμα nostrum in coelis est, id est, regnum Christi non est externa et interitura politia, sed nova lux in anima duratura in tota aeternitate.

Hoc fonte considerato, rectius intelligi possunt hi gradus libertatis. Postea necesse est scire discrimina traditionum, quae in Ecclesia factae sunt humana autoritate, (non enim iam loquimur de legibus politicis, quae ad defensionem societatis corporalis et honestam pacem in imperiis factae sunt, sed de ritibus ecclesiasticis) horum tres sunt gradus.

Primus. Aliquae traditiones per sese pugnant cum praeceptis Dei, ut edictum Nabuchodonosor, quod iubebat adorari statuam. Tales traditiones sunt invocatio mortuorum, adoratio statuarum, Missae papisticae, satisfactiones papisticae. Item, lex de coelibatu, quia sine peccatis non potest observari. De his traditionibus omnibus necesse est tenere regulam: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Necesse est igitur tales leges et ritus simpliciter abolere.

Secundus gradus est rituum, qui etsi sunt rerum, quarum usus per sese non pugnant cum praeceptis Dei, tamen observatio fit impia, cum additur opinio cultus aut necessitatis, ut discrimen ciborum, vestitus, temporum. In his necesse est taxare falsas opiniones, et ostendere qui sint veri et necessarii cultus. Ac prorsus aboleri possunt ipsi ritus, qui non prosunt ad bonum ordinem, ut stulti ritus discriminis ciborum, cum quidem et doctrinam obscuret observatio.

Tertius gradus est rituum, qui non pugnant cum praeceptis Dei, et sunt utiles ad bonum ordinem, et fiunt sine opinione cultus et necessitatis. Quia enim natura rationalis intelligit ordinem, et scit causas, propter quas ordo amandus est, praecipitur ut et in Ecclesia omnia ordine et decenter fiant, sicut inquit Paulus. Semper igitur Ecclesia etiam primorum Patrum temporibus distinxit festos dies accommodatos historiis, sic et lectiones et cantilenas distinguimus. Deus mandavit agnum paschalem eo ipso tempore edi, quo in cruce filius victima futurus erat. Sic ad historiam futuram futuram accommodata est temporis distinctio.

Fuit Athenis quidam petulans homo Cynesias, qui solitus est contraria festa publicis celebrare, si quis talem petulantiam in Ecclesia exerceret, nequaquam sequeretur dictum Pauli: Omnia fiant ordine et decenter in Ecclesia. Possunt igitur aliqui tales ritus ordini utiles retineri: et temporum distinctio commonefactio est de historia. Sed semper in conspectu sit regula, Illi observationi nequaquam addendam esse opinionem cultus et necessitatis, nec cogitandum esse, peccare eos, qui sine scandalo tales ritus omittunt. Haec doctrina traditur a Paulo in capite sequenti.

De scandalo.

Vocabulum Scandali dicunt esse a σκάζω, quod significat claudico, vel a σκάμβον, quod est curvo, ut in proverbio dicitur: σκάμβον ξύλον οὐδέποτε ὀρθὸν γίνεσθαι. Significat enim scandalum proprie tigillum in instrumentis, quibus capiuntur lupi, aut vulpes, aut mures. Et Hesychius expresse inquit: σκάνδαλον τὸ ἐν μυάγραις. Et commentarius Aristophanis inquit: σκανδάληθρα sunt curva ligna in decipulis. Recte igitur redditur nomen σκάνδαλον vocabulo tendiculae: inde Ecclesia nomen transtulit ad insidias, seu tendiculas, videlicet prava dogmata et prava exempla, quae capiunt homines, sicut tendiculae bestias.

Usitate autem et docendi causa offensiones discernuntur. Offensio pharisaica dicitur indignatio in impiis, qui offenduntur vera doctrina, et exemplis a Deo adprobatis, quia aegre ferunt labefactari suam potentiam, aut impediri quaestum. Ut cum Pharisaei offenduntur, taxante Christo quaestum in templo, et falsas opiniones de sacrificiis. De hac offensione dicitur Matth. 15

Pharisaei audientes sermonem hunc, scandalizabantur. Inde nomen usurpatur pharisaicum scandalum pro pharisaica offensione.

Tenenda est autem regula: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Item: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo coelesti. Quare necesse est vera docere, et facere mandata a Deo, etiamsi fremant et tumultuentur, et turbent imperia tyranni.

Nec languefiant animi recte docentes, et recta facientes offensione pharisaica, sicut Christus inquit: Omitte eos, coeci sunt, et duces coecorum. Hinc consolationem adversus pharisaicas offensiones primum tenere necesse est. Nec fieri quidem potest, quin moderti homines doleant, cum vident, taxatis erroribus, oriri dissidia, et turbari imperia. Sed tamen primum praeceptum: Non habebis deos alienos, maxime necessarium est, anteferendum vitae nostrae, tranquillitati patriae et omnibus bonis corporalibus. Hanc consolationem saepe repetit Dominus: Si quis diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et Deutero. 33 in benedictione tribus Leviticae: Qui dixerit patri suo et matri suae, nescio vos, hi custodiunt legem tuam, benedic Domine eis, percute dorsa inimicorum eius, et qui oderunt eos, non consurgant. Ibi addita est consolatio, ne languefiant pii propter pharisaica iudicia, odia et saevitiam.

Ac nobis omnibus hoc tempore etiam necessaria est haec admonitio de pharisaicis scandalis. Quia impii vociferantur turbari publicam tranquillitatem propagatione nostrae doctrinae, coniugio sacerdotum et reprehensione cultuum, quos impie defendunt. Itaque adversus iniusta iudicia mundi confirmemus nos mandatis divinis: Fugite idola. Ac praecipue hoc fulmine moveamur: Si quis dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. Nequaquam igitur adiuvandi sunt hostes Evangelii.

Aliud scandalum proprie sic dictum, quod nominatur Datum, de quo inquit Dominus: Vae mundo a scandalis, est impia doctrina, seu impium exemplum, quod alii imitantes fiunt deteriores.

Plenae sunt exemplorum omnes aetates: quia semper multi impii sunt, qui prava dogmata vel gignunt vel confirmant. Item: Qui dant mala consilia. Item: Qui exemplis trahunt alios ad societatem scelerum, ut Catilina movens iniustum bellum: vel ad imitationem, ut multi libidinum, helluationum, rapinarum, usurarum exempla imitantur.

Talia facta cum per sese sint horrenda peccata, fiunt eo atrociora, qui plures secum trahunt et a Deo avellunt, et sunt semina aliorum sequentium scelerum. Sicut lapsus Davidis primum polluit sanctam matronam, deinde impulit illum ad prava consilia de viro interficiendo, postea secutae sunt poenae, in quibus Absolon et magna pars populi multipliciter offenderunt Deum. Quia in seditione sunt innumerabilia scelera, ut notum est dictum Thucydidis: ἐν στάσει πᾶσα ἰδέα κακοῦ ἐστὶ.

Saepe igitur de hoc genere scandalorum cogitemus tristissimam concionem: Vae mundo a scandalis, et sciamus eam complecti ingentes confusiones in toto genere humano, falsa dogmata, exempla publica et privata nocentia moribus, initia iniusta dissidiorum et bellorum, prava sodalitia: simus circumspectiores in docendo, in consiliis dandis et in omnibus actionibus, iuxta dictum: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Item: Omnia quae facitis, ad gloriam Dei facite, et ne offendatis Ecclesiam.

Alius gradus est scandali vitandi in usu rerum indifferentium, vel apud infirmos dociles, vel apud pertinaces adversarios hypocritas. Est autem apud infirmos dociles sic uti libertate, ut subita novitas deterreat eos a doctrina: Aut si invitentur nondum confirmati, postea incidant in periculosas dubitationes: ut pastor cuiusdam Ecclesiae, qui cum magna contentione docuerat, carnium usum concessum esse, postea aegrotans iussit peti ab Ecclesia, ut saltem tunc in ieiunio abstinerent, ne ipse esset autor mutatae vetustae consuetudinis.

De hoc tertio genere Paulus hic monet prudenter iudicandum esse, quomodo moderandus sit usus libertatis, de qua supra dictum est, et regulae sunt duae: Infirmi dociles non turbentur subita novitate, sicut hic dicitur: Infirmum in fide assumite etc. Sed contra adversarios pertinaces exemplis doctrinae de libertate utendum est, ut Apostoli violabant traditiones pharisaicas etc.

Unusquisque in sua mente certus sit.

Id est, nihil fiat dubitante conscientia: sit autem conscientia confirmata verbo Dei. Haec doctrina valde necessaria est, Nihil faciendum esse contra conscientiam, Nihil item faciendum esse dubitante conscientia. Et infra repetita est haec doctrina: Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Id dictum Papistae tantum enarrant legaliter, videlicet, Quicquid pugnat cum lege, peccatum est: quod recte dicitur, sed nondum reddit integram Pauli sententiam. Non enim satis est, facta cum lege congruere, sed oportet praelucere agnitionem Christi, et totam obedientiam regi fiducia filii Dei, ita, ut et sciamus, quae facta placeant, et quomodo placeant. Placent autem facta congruentia cum lege, cum persona placet iusta fide, gratis propter mediatorem, et deinde scit obedientiam incoatam requiri, et placere eam propter mediatorem quanquam legi non fatisfacit.

Hic necesse est taxari tetrum errorem Papistarum, qui docent, semper dubitandum esse, an sis reconciliatus, et hanc dubitationem non esse peccatum. Huic errori opponendum est hoc dictum Pauli: Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Verbum πληροφορεῖσθαι significat certum esse, ut apud Isocratem πληροφορηθεὶς ἐμ' ἔξαρνον εἶναι, id est, cum certus esset me negare. Sic prorsus usus est eo verbo Paulus, Rom. 4. de Abraham: Cum certus esset, Deum posse sterilem matrem foecundam facere. Et Lucae capite 1. et Colos. 2. πληροφορία significat certitudinem, quasi dicas: Plenam assensionem.

Sed dicat aliquis: Gloriose iactatis, vos Deo placere, cum tamen haec naturalis caligo semper sentiat dubitationes et diffidentiam? Respondeo: Verum est, dubitationes et diffidentiam haerere in animis hominum in hac depravatione naturae: sed hanc ipsam ob causam Deus edidit vocem legis et Evangelii. Vult nos de utraque re, de ira et de gratia certos esse. Vult certo sciri, Deum vere et horribiliter condemnare non conversos ad filium, sicut scriptum est Ioh. 3.: Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Vult rursus etiam immensa bonitate nobis certo notam esse reconciliationem donatam propter filium credentibus.

Hanc ipsam ob causam edita est promissio de filio, et de gratia statim ab initio, cum ignota esset omnibus creaturis, ideo inquit Dominus: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et hanc promissionem vult notam esse, et recte intelligi, et fide accipi. Quorsum enim attineret revelatam esse, si non esset fide accipienda. Sic igitur inquit Paulus: Ideo ex fide, gratis, ut sit firma promissio. Quare additum est iuramentum, nisi ideo, ut nobis consolatio certa sit. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Sit igitur in nobis conversio, et fide apprehendatur gratuita promissio, ut consolationem teneamus contra desperationem et dolores inferorum. Ideo de utraque re dicitur Marci 1.: Agite poenitentiam, et credite Evangelio.

Quanquam autem haeret dubitatio in omnibus hominibus in hac depravatione naturae: tamen huic dubitationi mentes conversae repugnent et opponant vocem promissionis, et accendatur talis fides, quae credat, non tantum aliis dari remissionem peccatorum, sed tibi ipsi quoque, et hac fide accedas ad Deum, et eluctaris ex dubitatione, ut possis invocare Deum. De hac fide erigente et consolante corde in veris doloribus loquitur Paulus, cum ait: Iustificati fide pacem habemus. Item, Ephes. 3.: Per quem audemus accedere in fiducia per fidem eius.

Alibi saepe enarratum est dictum Salomonis, quod impie citant monachi ad confirmandam dubitationem: Nemo scit, an amore vel odio dignus sit, quia iustis et iniustis similia accidunt, videlicet in hac vita. Id dictum simpliciter hoc vult, de voluntate Dei iudicandum esse ex verbo ipsius, non ex rebus secundis aut adversis in hac vita. Achab non existimet se Deo placere, quia habet florens regnum, et est victor: nec David existimet se abiectum esse a Deo, quia est pulsus regno, sed uterque ex verbo Dei iudicet: prorsus igitur congruit Salomonis sententia nobiscum, quia deducit nos ad verbum Dei.

Regnum Dei non est esca et potus, sed iusticia, gaudium et pax in Spiritu sancto. In his serviens Christo, placet Deo, et probatus est hominibus.

Usitatissima hypocrisis est, de qua concionatur Dominus, Matth. 23. inquiens: Vae vo-

his scribae et hypocritae, qui colatis culicem, et devoratis camelum. Cum videlicet neglectis praeceptis divinis, et quidem praecipuis, aliqui retinent ceremonias aliquas, et ritus ab hominibus traditos, et eas externas observationes sentiunt esse iusticiam coram Deo, et necessarios cultus Dei, et neglectionem cogitant esse impietatem, et hac opinione acerrime defendunt suos ritus, et crudelitatem exercent adversus alios recte sentientes.

Ut autem in omnibus rebus necesse est discernere necessaria a non necessariis, ita in Ecclesia maxime necessarium est discernere fundamentum a stipulis, sicut inquit Paulus: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Item Psal. 50.: Si esuriero, non dicam tibi, Invoca me in die tribulationis etc. Et Ieremiae 7.: Non praecepi eis de holocaustis, sed hoc praecepi, audite me. Et Ecclesiastae 4.: Melior est obedientia quam victimae stultorum, quia nesciunt, quantum faciant mali. Haec querela de quantis peccatis loquatur ostendunt exempla.

Magna pars hominum cogitat oblationem in Missa praecipuum cultum esse, et eo cultu maxime confidit, cum ibi horrenda idolomania sit. Hi non intelligunt, quantum faciant mali. Opponit igitur Paulus regulam ex definitione regni Dei: Regnum Dei non est esca et potus, id est, non externa observatio in cibis et vestibus, sed est iusticia, pax et gaudium in Spiritu sancto. His appellationibus comprehendit omnes necessarios cultus Dei, ut alibi: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Tradit et Oseas similem sententiam: Misericordiam volo, non sacrificium, agnitionem Dei magis quam holocausta. Zacharias inquit: Diligite veritatem et pacem. Ita passim vox divina monet Ecclesiam de discrimine verorum cultuum et falsorum cultuum.

Ut autem alibi Daniel inquit: Messiam allaturum esse iusticiam sempiternam, ita hic intelligatur iusticia de toto beneficio filii Dei, quod in hac vita incoatur fide, id est fiducia mediatoris, quia sumus iusti, id est, accepti Deo, qua et filius Dei vivificat credentes, et ostendit patrem, dat Spiritum sanctum, ut incoëtur nova obedientia, quae postea erit integra in vita aeterna, cum erit Deus omnia in omnibus. Est igitur reipsa regnum Dei iusticia aeterna, ut Daniel nominat, id est, talis vita reddita per filium, fide, quae deinde fit integra obedientia post resurrectionem.

Pax significat reconciliationem cum Deo, sicut alibi inquit Paulus: Iustificati pacem habemus apud Deum, id est, habentes fidem iam sumus reconciliati, liberati ab ira et a damnatione, et placemus Deo. Hanc pacem comitatur laetitia in corde acquiescens in Deo, et hanc nominat laetitiam in Spiritu sancto, id est, quae accenditur a Spiritu sancto, qui est amor et laetitia substantialis. Ideo tales motus accendit, qualis est ipse. Cum autem accendat motus congruentes omnibus praeceptis Dei, complectitur hic Paulus incoatam obedientiam, iuxta omnia praecepta Dei, laetitiam in invocatione, in dilectione Dei, gratiarum actionem et confessionem, obedientiam in dilectione proximi, castitate et aliis virtutibus, sicut enumerat fructus spiritus, Galat. 5. et alibi.

De his veris cultibus postea dicit: Qui in his servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Hic meminerimus tradi testimonium, quod expresse adfirmat bona opera renatorum placere Deo, sicut suo loco copiosius dicetur. Petrus inquit: Offerte hostias spirituales placentes Deo per Iesum Christum.

Secundo, nominatim inquit: Qui servit Christo, ut significet, se de his operibus loqui, quae fiunt in agnitione et fiducia mediatoris.

Tertio, vult et ad hunc finem referri obedientiam, ut praestetur non propter nostram gloriam, aut propter ventrem, sed propter ipsum filium Dei, scilicet, quia sentimus ei hunc honorem deberi, et hoc honore ostendimus, nos fateri, quod hic sit Deus et salvator, et eum celebramus. Denique hic complectamur universam doctrinam, in qua exponit quomodo bona opera Deo placent.

Sed quare addit: Est probatus hominibus, cum tamen in plurimis hominibus horribilis acerbitas sit odii adversus sanctos, ut multi crudelissime interficiuntur, qui tamen sunt ornati testimoniis divinis, ut ipse filius Dei, qui resuscitaverat mortuos, Abel, Esaias, Ieremias et alii?

Respondeo: Paulus loquitur de iudiciis Ecclesiae, Semper habent sancti testimonia vera in Ecclesia. Sicut Syracides cap. 44. inquit: Laudem ipsorum nunciabit Ecclesia. Et Deus ipse inquit: Benedicam benedicentibus tibi. Texat autem Paulus quorundam arrogantium tyranni-

dem, qui cogitant se facturos esse, quod imaginantur ipsis concessum esse, et nolle impediri suam libertatem, etiamsi sciant intempestivis exemplis bonorum hominum animos et oculos offendi, et sequi scandala, vel propter imitationem vel propter alienationem voluntatum ab Evangelio. Ideo 1. Corinth. 10. eadem regula traditur: Quicquid facitis, facite ad gloriam Dei, et non sitis scandalo Ecclesiae. Vult igitur respici iudicia Ecclesiae, ideo et de tuenda fama saepe praecipitur, ut Syracides 41.: Cura de bono nomine, antecellit enim multis thesauris: et sit notus versiculus:

Levis est, nec illum stimulat gloriae decus.

Caput XV.

Cum Christi exemplo ostendit infirmos tolerandos esse, et dictum Psalmi recitavit, mox addit generalem admonitionem de usu scripturarum. Iubet, ut per patientiam et scripturarum consolationem spem teneamus. Repetit hoc loco Paulus usitatum praeceptum, videlicet, alligandas esse mentes ad verbum Dei revelatum et comprehensum in scriptis propheticis et apostolicis: et non iudicandum esse de essentia et voluntate Dei, iuxta imaginationes humanas, sine verbo Dei. Item, in nostris doloribus intuendas esse promissines et statuendum, eas ad nos quoque pertinere, etiamsi in genere omnes alloquuntur.

Multi serunt stoicas et enthusiasticas opiniones, et deducunt mentes ad hanc dubitationem: Cum scripserit Deus catalogum electorum, ad hos pertinet promissio gratiae, fortassis ad te non pertinet, cum nescias an sis in eo catalogo.

Adversus hanc dubitationem haec manifesta regula opponenda est: Utraque concio est universalis, praedicatio poenitentiae, et promissio gratiae. Accusat Deus omnes propter peccata, et offert omnibus credituris remissionem Gratis, propter filium, ac misit filium, ut hoc arcanum decretum proferat.

Nec sunt in Deo fingendae contradictoriae voluntates. Nec cogitandum est. Fortassis aliud vult de te, quam sonat promissio. Ab hac imaginatione revocandae sunt mentes ad ipsam promissionem, et constantissime statuendum est, Filium ideo missum esse, ut hunc voluntatem aeterni patris ostendat, et veracem nuncium esse. Sic cum promissione nos sustentamus, simul filius Dei est efficax, et in orde dicit consolationem ipsa Evangelii voce, et patris voluntatem ostendit, quia dicit: Nemo novit patrem, nisi filius, et cui filius volet revelare.

Haec tota doctrina, quae iubet a verbo revelato ordiri, nec extra verbum vagari, et quaerere illuminationes, seu raptus, tenenda est contra multos fanaticos, Stoicos, Manichaeos, Enthusiastas et Anabaptistas, qui se et alios implicant dubitationibus, relicto verbo et excussa fide.

Nec tribuimus vim magicam verbo, sed dicimus Deum velle hoc ordine cognosci, et non aliter, et velle nos adhibere considerationem, et simul in ipsa consideratione filium efficacem esse, iuxta dictum: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Diserte igitur inquit Paulus: Per consolationem scripturarum, ut intelligamus eum loqui de verbo externo, seu audito, seu lecto.

Hic ridet Stenkefeldius, et dicit cogitationem verbi scripti seu auditi tantum esse externi hominis occupationem, ut fuit abstinere a suilla carne: non vult esse instrumentum, quo filius Dei ipse est efficax. Sed nos haec perspicua dicta Pauli opponamus: Evangelium est potentia Dei salutem omni credenti. Item: Evangelium est ministerium spiritus, id est, quo, cum homines se sustentant, filius Dei ipse est efficax, et effundit Spiritum sanctum in corda.

Quia vero mentio fit consolationis, nominatur etiam patientia, ut significetur, Ecclesiam in hac vita semper cruci subiectam esse, et monet, causas cogitandas esse, quare sit subiecta ingentibus aerumnis. Monet item, Qualis obedientia in cruce necessaria sit, et quomodo differat Ecclesia ab imperiis mundi. Ecclesia autem non tantum de aerumnis loquitur, ut Philosophi, sed etiam de liberatione. Ideo Paulus coniungit patientiam, consolationem et spem: differunt igitur patientia philosophica et Christiana obiectis et fine.

Patientia philosophica, est obedire rationi in perferendis adversis, quae ratio iubet ferre, et saepe est sine ulla spe liberationis aut auxilii, sicut in Socrate nec spes auxilii in praesentia est, nec spes liberationis certa post mortem. Fert autem supplicium sic, ne impellatur dolore, ut opus externum contra iusticiam aut modestiam faciat. Cato contra iusticiam sibi mortem consciscit. Ci-

cero oppressus dolore facit contra modestiam etc. Socrates etsi foris est placidus, tamen in corde habet tristes fremitus, et fluctus dubitationum de providentia.

Sed patientia Christiana est obedire Deo in adversis, quae Deus iubet ferre, et semper huic obedientiae mixta est spes auxilii divini seu fiducia praesentiae divinae, et spes liberationis, qua spe erectum cor laetatur aliquo modo in Deo. Haec laetitia non est in philosophica patientia, quae est plena fremitus in corde, etiamsi foris non addit tragicos gestus.

Iam cogita, quantis calamitatibus, morti, morbis, inopiae, odiis tyrannorum et hypocritarum, factionibus venenatissimorum Sophistarum, exiliis calumniis, suppliciis, quid opponat Paulus, videlicet scripturas.

Hic rident non solum tyranni, sed etiam Stenkefeldius, et similes enthusiastae. Num literis et syllabis mortem, morbos, tyrannos, aut supplicia tolles aut lenies? Respondeo: Non haec intelligas magice de figuris, sed de cogitatione huius ipsius verbi, in quo se Deus patefecit, quod voluit literis mandari, in cuius cogitatione filius Dei simul adest, et dicit consolationem in corde credentis, et accendit fidem, spem, laetitiam et invocationem. Vincimus igitur vincente filio Dei agnito per verbum, ideo in Psalm. dicitur: Sustinuit anima mea in verbo eius, Speravit anima mea in Domino. Item, Psalm. 118.: Liquefacta est anima mea in angustia, confirma me verbo tuo. Sic coniungit Paulus scripturas et spem, ut sciamus, nos a scripturis cogitatione verbi, in quo se Deus patefecit, deduci ad ipsum Deum, quem spes intuetur agnitum verbo. Haec tota doctrina fit illustrior in veris doloribus et vera invocatione.

Ideo assumite vos, sicut et Christus assumsit nos.

Conclusio est admonitionis de usu ceremoniarum, et de concordia. Rursus autem adduntur testimonia de vocatione Gentium, ut et conversi ex Gentibus confirmentur, et Iudaei studiosius cogitent de regno Christi, Sciant non esse politiam Mosaisam, sed alium regnum, in quo bona aeterna credentibus restituuntur, sive sint in politiis ethnicis, sive in Mosaica politia, sicut ad Philippenses dicitur: πολίτευμα nostrum in coelis est, id est, vera lux, qua Deum recte agnoscimus et recte invocamus, incoatio iusticiae et vitae aeternae sunt res coelestes, nec impediunt, quo minus corpora in hac vita sint in diversis politiis.

Citatur autem dictum Esaiae maxime insigne, quod et summam doctrinae Evangelii continet, et testimonium est de passione et resurrectione Christi.

Et erit illo die radix Iessae, quae stabit, ut sit signum populis, ad eam Gentes confugient, et erit requies eius gloria.

Paulus sumit verba, ut leguntur in Graeca interpretatione, quae illo tempore usitata fuit. Nihil autem discrepat sententia: Erigetur, ut imperet Gentibus, in eo Gentes sperabunt. Eadem enim sunt, esse vexillum populi, et esse ducem. Hic primum teneatur definitio.

Regnum Christi, est filium Dei missum esse ad Ecclesiam initio, prolata promissione, et colligere ac servare Ecclesiam, et deinde adsumta humana natura post resurrectionem exaltatum esse, et iam hanc personam, quae est Deus et Homo, servare et restituere ministerium Evangelii, et colligere ac vivificare Ecclesiam verbo et dato Spiritu sancto, et protegere eam mirabiliter contra diabolos et tyrannos, et post hanc vitam resuscitare eam, et dare aeternam salutem. Quae beneficia, quanquam sunt actiones divinae naturae, tamen fiunt a filio in natura adsumta, et sunt iam actiones communes huius personae, quae est Iesus Christus, sicut et prima promissio inquit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et ad Corinthios inquit Paulus: Mors delebitur per hominem Christum.

Sic etiam nominatur caput Ecclesiae, omnia in omnibus perficiens Etsi enim vivificatio est propria divinae naturae, tamen fit a filio in natura adsumta. Ita haec persona est caput Ecclesiae.

Idem autem regnum, quod nominatur Regnum Dei, item Regnum aeternum Christi, Paulus ita discernit ad Corinthios, cum ait: Tradet regnum Deo et patri. Ut intelligamus regnum idem esse, sed modum differre.

In hac vita dicitur proprie regnum Christi: quia per ministerium Evangelii Deus efficax est immediate per hanc secundam personam, quae est λόγος, quae immediate protulit Evangelium

ex sinu aeterni patris, et immediate in ministerio est efficax, sicut inquit: Nemo novit patrem nisi filius, et cui filius volet revelare. Apprehenditur ergo Deus verbo, et nondum conspicitur palam essentia divinitatis.

Sed post hanc vitam conspicietur essentia divinitatis immediate, non per ministerium Evangelii. Id nominat Paulus regnum Dei et patris. Quia tunc essentia divinitatis conspicietur, et aget immediate, non per ministerium Evangelii, et erit Deus omnia in omnibus.

Diligenter autem singulae particulae in dicto Esaiae considerentur: In ipso Gentes sperabunt. Paulus urget adpellationem Gentium, ac citat inter testimonia, quae adfirmant Evangelium non tantum ad eos pertinere, qui nati sunt ex semine Iacob. Deinde verbum sperandi opponatur damnationi, et comprehendatur summa promissionum, videlicet, mitti filium Dei, ut caput serpentis conterat. Item, ut destruat regnum diaboli, deleat peccatum et mortem, et restituat iusticiam et vitam aeternam. Haec dona dantur propter filium Dei, et per eum credentibus in ipsum. Ideo inquit: Sperabunt in eum, videlicet, ut haec bona accipiant, sicut et in Psalmo dicitur: Beati omnes qui confidunt in eo. Est ergo regnum consolationis, non damnationis. Et cultus proprii huius regni sunt, fides, spes, confessio, gratiarum actio, invocatio, propagatio Evangelii. Nam vocabulo sperandi omnia haec comprehenduntur, fides, spes, invocatio et vicini motus. Et in invocatione accendantur et confirmentur de hoc regno, fides, spes, invocatio et gratiarum actio.

Additur autem: Mors eius erit gloria. Ubi significat, Messiam revicturum esse ex morte, atque ita aboliturum esse mortem, non tantum in proprio corpore, sed in omnibus credentibus in eum, ac redditurum eis iusticiam et vitam aeternam. Alexandri mors non est gloria, sed finis est iam omnium actionum Alexandri. Nominat enim vox divina gloriam non spectacula aut famam, quam non sentit is qui celebratur, ut Alexandri cadaver magna pompa ducitur ex Babylone in Aegyptum collocatum in auream sellam: sed nominat gloriam viventis personae actiones. Ut Christus post mortem reviviscit, et vivens colligit aeternam Ecclesiam, vere deprecatur pro ea assidue apud patrem in arcano consilio divinitatis, adest, servat ministerium Evangelii prolati ex sinu aeterni patris, est efficax voce Evangelii, dans dona hominibus, id est, vivificans credentes, dans Spiritum sanctum, et resuscitans homines ex morte, et restituens nobis iusticiam et vitam aeternam, defendens etiam Ecclesiam mirabiliter in hac vita, cum sit Emmanuel et caput Ecclesiae, omnia perficiens in sanctis. Hae actiones sunt vera gloria, non umbrae spectaculorum, aut inanis fama.

Certus sum etc.

Finita tota admonitione de ceremoniis, addit oratorio more mitigationem, si qui praeferoces aut morosi se durius obiurgatos esse existimarent. Nam aliqui ferociores aegre ferunt libertatem restringi, alii morosi aegre ferunt usitatas ceremonias negligi, placat igitur utrosque, tribuens eis laudem bonitatis et eruditionis, ac petens, ut et hanc admonitionem boni consulant, cum sint placidi, candidi, non facile irritabiles, et sint intelligentes. Nam apud candidos et intelligentes est cognoscendi et ignoscendi locus, sicut vere dicitur, *ὡς ἡδὺ συνέσει χρηστότης κεκραμένη.* Alii indocti et iracundi facile irritantur, et semel irritati sunt implacabiles, ut dicitur: Imperito homine nunquam quidquam iniustius. Et Salomon inquit: Iram stulti magnum onus esse. Ita lenit utrosque, cum ait, placidos, non iracundos, non morosos esse, et praeterea recte doctos esse: tales enim liberam admonitionem boni consulunt.

Propter gratiam quae data est mihi.

Et ad placandos lectores, et ad augendam autoritatem admonitionis conducit mentio officii et miraculorum quam addit, quasi dicat: Moveor Apostoli officio, ut vos doceam et commonefaciam, et Deus tribuit testimonia meae doctrinae. Quare me placide audiatis, et mihi assentiamini sine dubitatione.

Hic considerandum est rursus, qualis sit autoritas apostolica: quod videlicet certum sit, Apostoli doctrinam esse divinam, et ei credendum esse, sicut voci Dei de coelo sonanti immediate inter manifesta miracula, sicut decalogus promulgatus est, et saepe alibi de apostolica autoritate copiosius dictum est.

Ornat autem ministerium vocabulo sacrificii, ait se ministrum esse sacrificantem Evangelium. Nova haec forma sermonis est, sed erudita, sumta

ex collatione et interpretatione sacrificiorum Leviticorum.

Dictum est autem alibi, quod sit discrimen politiae Moisi et aeternae Ecclesiae, quae voce promissionis de filio Dei colligitur, et quare politia Moisi constituta sit, et quid sint sacrificia, quod sit discrimen inter signa et vera sacrificia, quia lex in hac vita ordinat utraque.

Ordinat signa, quibus homines testantur hunc esse verum Deum quem invocant, et his ritibus discernunt eum a commentitiis numinibus.

Ordinat autem et alia interiora et externa sacrificia, in quibus sese Deus ipse nobis communicat et est efficax, quia oportet aliquas res esse copulantes nos cum Deo. Talia sunt sacrificia, vera agnitio Dei lucens in mente, et tota novitas, qua homo fit templum Dei, et qua sese Deus nobis communicat, et vicissim homo celebrat Deum. Sic enim Deus se communicat rationali creaturae, cum recte agnoscitur, quia est lux lucens in sanctis. Fit autem celebratio in hac vita docendo, confitendo, invocatione, gratiarum actione, conformitate cordis et laetitia in Deo. Haec incoantur in hac vita, et praeterquam quod modus docendi in ministerio non est talis in vita aeterna, caetera omnia manent eadem, scilicet confessio, gratiarum actio, conformitas cordis et laetitia in Deo. In his ipsis actionibus sese communicat Deus in tota aeternitate, cum erit omnia in omnibus.

Scriptum est igitur Oseae 4.: Omnem auffer iniquitatem, et benefac nobis, et reddemus vitulos labiorum nostrorum, id est, tu Messia, da beneficia iuxta promissionem tuam, gratiam et vitam aeternam, et reddemus sacrificia, non signa, sed vera sacrificia, ministerium docendi, invocationem, confessionem, gratiarum actionem, laetam obedientiam in corde. Ita hic Paulus inquit: Se sacrificare Evangelium Christi, id est, docendo praestare Deo verum cultum. Et facit Paulus utrumque, ipse offert Deo cum docet, id est, celebrat Deum et tribuit ei honorem. Simul autem praeparat alias hostias, id est, auditores, ut hi quoque offerant Deo veros cultus. Sicut duo erant officia distincta Levitarum et Sacerdotum. Levitae ceu lanii mactabant pecudes, praeparabant hostias, Sacerdotes autem offerebant. Nunc idem Paulus et offert ipse, et praeparat alios, quia voce eius alii ad Deum convertuntur. Ideo hic additur de sacrificio auditorum. Ut oblatio gentium fiat accepta Deo, id est, ut et Gentes ipsae fiant hostiae, et aeterna sacrificia Deo offerant, veram fidem, veram invocationem, confessionem, gratiarum actionem, conformitatem cum Deo et laetitiam cum eo in tota aeternitate, non offerant commentitiis numinibus, Baccho, Veneri etc.

Sit autem hic totus locus Pauli notior et gratior, quia testimonium est de ministerio Evangelii. Primum consolatur docentes et discentes, affirmans placere Deo hunc laborem, cum nominetur sacrificium, qua appellatione significatur excellentia operum, quod videlicet opus sit bonum Deo placens, et tale, quo iudicat Deus sibi honorem tribui.

Huc accommodentur dicta: Offeremus vitulos labiorum. Item, Esaiae 61.: Vos Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri. Et Psalm. 118.: Voluntaria oris meis beneplaceant tibi, id est, sacrificia docendi et invocandi, item discendi, placent tibi.

Discant et auditores reverenter sentire de ministerio Evangelii, cum has laudes audiunt, sicut saepe praeceptum est. Et 1. Thessal. 5. dicitur: Oro vos fratres, ut excellenter diligatis eos, qui praesunt vobis in Domino, propter ministerium ipsorum. 1. Timoth. 5.: Presbyteri, qui bene praesunt, duplici honore digni sunt, praecipue qui laborant in sermone et doctrina. Duplici, inquit, id est, reverentia et victu. Complectitur autem victus defensionem, reverentia vero obedientiam in his, quae sunt propria ministerii propter Deum, cui honos primum debetur: et cum obedientia sit coniuncta honorifica opinio, quae intelligat nos ministerio propter Deum subiectos esse, et dilectio et voluntas anteferens ministerium aliis negotiis vitae.

Sciamus autem praecipuam causam esse, propter quam doctrinam et ministerium oportet audiri et conservari, quia sic Deus colligit Ecclesiam, et non aliter, scilicet voce et cogitatione scripti Evangelii, cum auditur aut legitur, ut Rom. 10. dicitur: Quomodo credent sine praedicante. Item: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. 2. Corinth. 3.: Evangelium est ministerium spiritus, id est, Deus est efficax cogitatione Evangelii auditi aut lecti, et convertit corda in cogitatione Evangelii.

Ac prorsus execrandus est error Stenkefeldii, qui expresse scribit, Deum non esse efficacem per cognitionem Evangelii auditi aut lecti, ac fingit alias illuminationes extra Evangelium, et sine Evangelio. Tales furores olim Marcionis, Manichaeorum et Enthusiastarum fuerunt, et erronės Anabaptistae similia portenta circumferunt. Sciant autem bonae mentes praecipi, ut discamus et cogitemus verbum Dei, iuxta dictum: Hunc audite. Item: Osculamini filium. Et certo sciamus Deum per huius scripti Evangelii cogitationem efficacem esse, ut dicitur Roman. 10.: Fides ex auditu est. Item: Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

Nunc autem proficiscor Ierosolymam, ut serviamus sanctis.

Cum antea de suo officio dixerit, obiter narrat et peregrinationes suas, et benevolentiam suam erga Ecclesiam, quae Romae fuit, significat, et spem eis adventus sui facit. Nunc vero ait, in Iudaeam se proficisci, ut sanctis egentibus adferat pecuniam, quam in Macedonia et Achaia contulerant Ecclesiae, ut egentibus in fame opem ferrent. Notissimum est enim in historia Claudii imperatoris in Asia, Graecia et Italia eo tempore magnam sterilitatem aliquot annorum fuisse, et multos homines passim fame extinctos esse.

De ea fame in Actis dicitur cap. undecimo: et Eusebius scribit modium tritici sex drachmis venditum esse. Et in sexto capite Apocalypsis inter poenas numeratur fames, in qua futurum dicit, ut choenix denario sit emendus. Fuit autem commune pretium modii mediocribus annis, tres aut quatuor sestertii, ut Cicero scribit, modii pretium lege fuisse tres sestertios, id est, nostrates numos Misnicos quatuor et viginti. Iam si modius in fame emtus est sex drachmis crevit pretium quintuplo, cum mediocribus annis usitatum pretium esset drachma, aut circiter. Erant autem in modio octo choenices: et choenix erat unius diei farina. Fuit igitur mediocribus annis farina unius diei pro quatuor Misnicis numis: tantum farinae in fame emebatur denario, hoc est, numis Misnicis triginta duobus. Creverat igitur pretium septuplo.

Harum computationum consideratio utilis est, et ad intelligendam historiam, et ad hanc animadversionem, qui ordo fuerit in victu congruens homini. Et adparet inde, frugalitatem et temperantiam tantam fuisse, quae tamen naturae congrueret, et victum non sordide datum esse servis.

Erant autem praecipue in Iudaea magnae calamitates eorum, qui Evangelium amplectebantur. Multi enim interficiebantur, plurimi ex possessionibus propriis excutiebantur, cogebantur exulare. Ad has miserias tunc accessit communis fames in tota Asia et Europa. Ut igitur alicubi pauperes familiae iuvarentur, Paulus in Graecia et alibi pecuniam collegit, quam in Iudaeam attulit. Has temporum circumstantias et Ecclesiae aerumnas, et Apostolorum curas in iuvandis pauperibus, et alenda benevolentia Ecclesiarum considerare utile est.

Simul autem intexit hic admonitionem de mercede debita ministris Evangelii, de qua tamen concionatur copiosius primae ad Corinth. 9., ubi expresse inquit: Sic Dominus ordinavit, ut hi qui Evangelium docent, ex Evangelio victum habeant. Et adduntur multa argumenta. Quis militat suis stipendiis? ubi usus est nomine ὀψώνιον. Sic enim usitate stipendia nominabantur, quia militibus in provinciis stipendii loco, frumentum, carnes, vinum, oleum, poma, fici dabantur. Quia Romani occupati provinciis initio tantum hoc onus indicebant, ut decimas imperio penderent, ut scribit Appianus. Inde praesidiis dabantur res terra natae, quarum nomen ὀψώνιον pro stipendio usurpatum est.

Est autem ὄψον ab ἕψω, quod est elixo, et a verbo ὠνοῦμαι, quod est emo: significat enim escas, quae praeter panem adduntur, quarum pleraque elixatione coquuntur.

Cum autem Deus immensa bonitate colligat aeternam Ecclesiam voce doctrinae, et non aliter, et severissime praecipit conservari doctrinam, quod ut fiat, necesse est esse docentium et discentium coetus. Et quidem ipse filius Dei missus ab aeterno patre, ut per eum Ecclesia colligatur, sua potentia et doctrinam servat, et instituit ministerium docendi, et omnibus temporibus exuscitavit doctores, et exuscitat, quos vult esse organa sonantia vocem Evangelii, qua flectit corda non repugnantium Evangelio ad veram Dei invocationem et ad aeternam salutem, et in hac tanta militia fideliter servientibus, id est, Pastoribus et Doctoribus vult dari victum. Hoc praeceptum saepe repetitum est, et additae sunt promissiones amplissimae praemiorum, quae certissimum

est tribui et in hac vita et post hanc vitam piis, qui benefici sunt erga fideles doctores. Et exempla illustria recitantur in historiis propheticis, nec desunt exempla nostrae aetati.

Matth. 10.: Qui dederit potum aquae uni ex minimis istorum, propter doctrinam, Amen dico vobis, habebit mercedem.

1. Corinth. 9.: Sic ordinavit Dominus, ut hi, qui docent Evangelium, ex Evangelio vivant.

Proverb. 3.: Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum, et implebuntur horrea tua saturitate, et musto exundabunt torcularia tua.

Syracidae 7.: Tota anima tua reverere Deum, et honore adficito sacerdotes eius, et des eis partes, quas lex dari praecipit, primitias et hostias, ut tibi vicissim Deus benedicat.

Esaiae 49.: Reges erunt nutritores tui et reginae nutrices, id est, Principes et Respublicae curent, ut ministri Evangelii habeant victum et defensionem.

Ad haec praecepta et ad has promissiones exempla addantur.

Deus benefecit hospitibus Abrahae.

In Aegypto Deus benefecit obstetricibus, quae non interfecerunt infantes Israëlitarum.

Sareptanam hospitam Eliae mirando modo aluit, et ornavit restituto filio ex morte.

Abdias abdidit Prophetas in specum, et eis cibum praebuit.

Ieremiae captivo opitulatus est regius Eunuchus, cui promittitur incolumitas in excidio Ierosolymae, Et rex Aegyptius Apryes interfector Ieremiae strangulatus est ab Amasi praefecto.

Moveamur ergo et praeceptis Dei, et promissionibus praemiorum et promissionum exemplis, ut in hoc genere beneficentiam pie exerceamus.

Etsi autem tyranni et alii prophani homines vociferantur, has adhortationes de beneficentia erga ministros Evangelii esse aucupia avariciae, et similes esse has conciones luporum concionibus, quas habere finguntur ad anseres: tamen nos voluntatem Dei intueamur, et sciamus eum severissime praecipere conservationem ministerii evangelici. Semper etiam Deus aliquorum hominum pectora ad hanc beneficentiam flectit. Sicut Paulo praebent hospitium Sergius Proconsul, Onesiphorus, et passim alii. In navi etiam Paulus velut navarchus et praecipuus gubernator auditur a centurione, militibus et nautis, et hi singulari eum benevolentia complectuntur.

Consideremus autem et huius temporis mores. Sunt aliqui Principes et privati homines benefici in hoc genere, qui docentibus et discentibus opem ferunt. Sed plurimi Reges, Principes, Episcopi defensores idolorum, horribilem saevitiam in ministros Evangelii exercent. Memini virum excellentem ingenio, eruditione et pietate, Henricum Sutphaniensem, qui in Ditmarsia, quia recte docebat, crudeliter interfectus est: nec alia fuit ulla causa necis eius. Fuit Tubingae Iohannes Croesus Theologiae Doctor, vir modestissimus et studiosus verae doctrinae, qui postea in Tillingen adfectus est ultimo supplicio. Nec ullum crimen ei obiici potuit, quam quod sacerdos in coniugio caste vivere maluerat, quam in coelibatu se varie polluere. Et possem longum catalogum recensere talium praestantium virorum, qui innocentes tantum propter veritatis confessionem interfecti sunt. Nec saevitiae finis est in Italia, Gallia, Britannia, Belgico et alibi. Hanc crudelitatem haud dubie sequentur novae poenae et magnae mutationes imperiorum.

Paulatim vero et Principes et privati homines locupletes, qui voluerant doctrinam Evangelii conservari et propagari, attribuerunt olim Ecclesiis reditus, qui initio in quatuor partes distributi fuerunt. Ex prima parte dabantur mercedes et alimenta ministris Evangelii, Pastoribus, eorum collegis, qui publice in templis docebant. Secunda pars erat docentium in Scholis et pauperum scholasticorum. Ex tertia parte consulebatur inopiae egentium, qui propter morbos non poterant laboribus suis victum quaerere. Quarta pars conferebatur in aedificationes et mercedes nunciorum. Nunc Episcopi et Abbates fruuntur illis opibus, et negligunt ministerium Evangelii et studia doctrinae, sicut praedictum est in Epistola Iudae: Helluabuntur de eleemosynis vestris.

Haec mala deploremus, et interea in nostris Ecclesiis hortemur pios gubernatores, ut reditus Ecclesiarum pie collocari curent, ac praesertim ut victum praebeant familiis pastorum recte docentium, et opem ferant pauperibus scholasticis. Haec officia gubernatores debent Ecclesiis, iuxta dictum Esaiae: Reges erunt nutritores tui, et reginae nutrices. Id dictum cum in inspectione

Ecclesiarum Fridericus Myconius, et Iustus Menius et ego recitassemus in literis scriptis ad optimum Principem Ducem Saxoniae Electorem Iohannem, in quibus petebamus annuas pensiones mediocres ex certis fundis, quos nominaveramus, attribui Ecclesiis, ita delectatus est optimus Princeps hac sententia, ut statim Esaiam ipse inspexerit, et lecto toto capite laetus responderit, se semper huius sententiae memorem fore, et reditus illos Ecclesiis, de quibus scripseramus, liberaliter donaverit, et iusserit donationem publicis literis mox confirmari.

Caput XVI.

In postremo capite adscriptae sunt salutationes, et deinde admonitio, ne recipiantur opiniones pugnantes cum hac norma quam tradidit, sicut alibi inquit: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

De salutationibus, etsi non multa dicam, tamen hoc monere visum est. Haec longa nomenclatura ostendit, qualis fuerit Ecclesia. Etsi enim hic non legimus multorum Regum et Principum nomina, tamen adparet fuisse coetum honestorum hominum, et multas honestas familias. Talis est Ecclesia sparsa in diversas regiones, consentiens de Evangelio, recte agnoscens et invocans Deum et Dominum nostrum Iesum Christum, etiamsi nec habet imperia mundi, nec continetur unius regni militibus, ut tunc colligebatur Ecclesia, non tantum in Romano imperio, sed etiam in regno Parthorum et alibi. Est omnino moesta species Ecclesiae in hac vita, quod non continetur unico et eodem imperio, nec habet certa praesidia politica, sed est velut agmen scholasticum sparsum in diversas regiones sine potentia, sine opibus, sine armis, sine rege, denique ut videtur, sine ordine. Haec deformitas alienat animos regum et potentum, sed sciamus in hac vita talem coetum esse Ecclesiam. Et tamen interea circumspiciamus, quales sint homines, quales familiae, quae testimonium dicunt de doctrina. Non est enim Cyclopum aut Centaurorum exercitus, sed aliquis ordo est, et sunt studia doctrinae et exempla virtutum. Et sunt aliquae honestae familiae, et recte sententium aliqua coniunctio est, ut quamvis in Iudaea diversae sectae erant, quae inter se dimicabant, Pharisaei et Zadducaei. Et rex Herodes et aulica turba erant Athei, tamen erant Ecclesiae hae familiae, Zachariae Simeonis, Ioseph, Zebedaei, et multae aliae. Et hae de doctrina consentiebant, et eadem voce Deum invocabant et celebrabant, et coniunctionem suam tuebantur, non dimicabant inter sese ut Cadmaei fratres, aut Centauri et Lapithae.

Cum igitur Pauli salutationes legimus, Ecclesiam pingi nobis existimemus, sciamus aliquem honestum coetum visibilem, et honestas familias multas fuisse, et in eis doctrinae lucem fuisse, et veram Dei invocationem, et mutuam benevolentiam et studium tuendae coniunctionis. Vult enim Deus per fidem et caeteras virtutes Ecclesiam fulgere, non vult doctores ambitione cavillationes non necessarias, aut sophismata serere ad turbandum pium consensum, sed vult candorem in iudicando adhiberi. Non vult propter privata odia distrahi populum in diversas factiones, sed vult nos dicti huius memores esse: Deus dilectio est, Qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo. Ad hoc studium tuendae coniunctionis pertinent haec exempla salutationum, de quo multa cogitare bonas mentes et propter gloriam Dei, et propter Ecclesiae utilitatem necesse est.

Per blanditias et benedictiones etc.

Iubet cavere, ne decepti recipiant corruptelas verae doctrinae. Duo autem artificia nominat, quibus hypocritae capiunt hominum animos, χρηστολογίας et εὐλογίας. Significant autem χρηστολογίαι blandos sermones in genere, et blanditiae aliae sunt in moribus, aliae in ipsis dogmatibus, quae alludunt ad iudicia et adfectus eorum, quorum societas quaeritur. In moribus simulatio humilitatis et patientiae grata est hominibus, quia cum simus natura superbi, magis amamus eos, qui videntur sese infra nos abiicere. Usitatum est etiam augere admirationem iactandis colloquiis cum Deo, seu enthusiasmis, seu simulanda ecstasi, seu videndis spectris. Haec artificia et olim norant monachi, et nunc multi impostores circumferunt. In urbe Monasteriensi fuit quidam Nebulo, qui saepe in publicis viis et hominum frequentia subito lapsus est, et aliquandiu iacens oculos in coelum sustulit, et miros gestus edidit: postea protulit certa mandata ad populum, quasi oracula tradita in colloquio Dei. Tales imposturae multae leguntur in Mahometicis

et Manichaeis historiis. Cum autem tales gestus de industria simulati sunt, ut facile deprehenditur simulatio, digni sunt odio, quia sunt manifesta mendacia. Cum vero diaboli sic cient membra ignorantium, quid agant, praestigiae et insidiae diabolicae intelligendae et detestandae sunt.

Sed in ipsis dogmatibus multo plures sunt *κολακεῖαι*. Has existimo hic proprie nominari *χρηστολογίας*. Sunt autem ubique obvia exempla. Grata erat oratio Rusticis tempore seditionis, cum turbulenti doctores vociferentur Christianam libertatem esse, non pendere legitima tributa dominis et magistratibus. Ad Anabaptistas multos ignavos attrahit blandum dogma, cum audiunt se ibi alienis facultatibus frui posse. Ita multos culinae attraxerunt ad monasteria. Nunc quoque blandum dogma est Antinomorum, qui dicunt perseverantes in delictis contra conscientiam, tamen Deo placere, si interea fingant se credere Evangelio.

Denique late patet res, Placent assentationes, quia amamus nos ipsos et vitiis nostris favemus, delectamur ergo iis, qui adfectus nostros adsumunt, et nos laudant. Nec difficile est considerare, quas opiniones, quos homines illi probent, quibus quisque servit, et easdem opiniones et eosdem homines ornare, contraria vero vituperare. Et notus est versus: Nempe cocus domini debet habere gulam. Cumque opes et potentiam haec simulatio adferat, usitata est in aulis et in Ecclesiis. Quam multi contra conscientiam tetra idola adorant et defendunt, et iniustam saevitiam, quae exercetur contra innocentes, laudant et adiuvant, ut Principum aut populi favore crescant.

Apud Esaiam cap. 30. gravissime accusantur utrique, et populus, qui non vult audire nisi adsentatores, et ipsi doctores qui cupiditatibus dominorum serviunt, Loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Haec mala semper in mundo usitata fuisse et esse res ipsa ostendit. Monet igitur Paulus, ut caveamus, ne decipiamur *χρηστολογίαις*, et sic nominat artificiosas adsentationes, quae pertinent ad vitium pugnans cum veritate, videlicet ad blanditias omnes decipiendi causa simulatas.

Sed *εὐλογίαι* Ebraea phrasi significant benedictiones, id est, bonas imprecationes et dulces promissiones, ut monachi promittunt salutem animarum pro sacrifisiis Missae, ut nominant. Hoc artificio confirmata est invocatio mortuorum hominum, ut invocantibus Annam promissae sunt divitiae, Georgium victoriae, et aliis attribuitur aliorum morborum sanatio. Papa damnat omnes, qui adversantur idolis et erroribus pontificiis: et nunc monachi incendunt reges et principes contra veritatem his promissionibus, si opprimant hanc doctrinam, quae sonat in Ecclesiis nostris, Deum daturum esse ipsis ingentia praemia, victorias et nova regna et mundos alios.

Tales promissiones hic nominari proprie *εὐλογίας* iudico. Hae plus valent quam simplices blandtiae, quia additur adseveratio de praesentia Dei, de praemiis et de poenis. Hac adseveratione etiam absurda dogmata saepe confirmantur, quae non blandiuntur rationi, quia sunt quaedam monstrosa ingenia, quae gignunt et defendunt, seu ambitione, seu tantum naturae perversitate opiniones pugnantes cum omnium sanorum iudiciis. Talem novi esse Thammerum, qui adhuc passim vagatur, qui contendebat eum, qui iurasset se facturum esse iniustam caedem, oportere eam caedem facere. Postea defendebat stoicam necessitatem, adfirmabat omnia necessario fieri, bona et mala. Et cum obiiceretur, Deum non esse causam peccati, ille respondit, Deum non teneri sua lege, sed velut tyrannum facere quicquid vellet. Cohorresco hos furores recitans, non igitur addam plura exempla, sed qui talia absurda defendunt, cum desunt eis argumenta, decurrunt ad fulmina execrationum, maledicunt discentibus. Sed de talibus execrationibus seu maledictionibus iniustis tenendum est dictum Psalmi 108.: Maledicent illi, et tu benedices.

Praemuniamus autem nos adversus omnes corruptelas doctrinae his duabus rebus. Diligentia recte discendi, et ardenti precatione. De priore modo inquit Paulus: Attende lectioni, doctrinae et consolationi. Et ad Colossenses: Sermo Christi habitet in vobis opulenter in omni sapientia, et docete et emendate vos mutuo. Hae duae gravissimae admonitiones semper in conspectu sint, et diligenter considerentur. Primum nominat Paulus lectionem, quia doctrina Ecclesiae dissimilis est philosophicis doctrinis. Initium Arithmeticae non est a lectione, sed a noticia naturali numerorum, sed decretum de filio Dei: et de reconciliatione et restitutione vitae aeternae, omnibus creaturis ignotum fuit ante patefactionem, in qua ipse filius Dei promissionem gratiae ex sinu aeterni patris protulit. Hanc autem

postea per Prophetas scribi voluit. Orditur ergo Paulus Ecclesiae doctrinam a lectione, deinde lectio illustranda est doctrina, id est, vocabula enarranda sunt, quid Deus, quid filius Dei, quid lex, quid peccatum, quid remissio peccati, gratia, iusticia, Evangelium, Ecclesia, politiae, vita aeterna, significent. Haec ordine ad docendum accommodato exponi necesse est.

Nominat et consolationem, quia finis doctrinae in Ecclesia est consolatio, videlicet, qua reconciliati Deo fiducia mediatoris, efficimur templa Dei et accipimus initia vitae aeternae, ad quam resuscitabimur ex morte, et erit tunc Deus omnia in omnibus beatis, communicans nobis sese, suam lucem, sapientiam, insticiam et laetitiam in aeternitate. Talem vitae exitum non ostendit philosophia, quae est particula legis divinae, et videt ac deplorat ingentes calamitates generis humani, et hortatur homines ad modestiam, sicut Plato inquit: Philosophiam esse *μελέτησιν θανάτου*. Sed vox Evangelii est: Omnis qui credit in filium, habet vitam aeternam. Vult sciri Deus filium missum esse, ut colligat aeternam Ecclesiam, et semper eum adesse Ecclesiae, vult peti et expectari a filio auxilium, defensionem, et deinde restitutionem ex morte. Vult fidem et invocationem exerceri et propagari vocem Evangelii, ne totum genus humanum frustra conditum sit, sed pars magna sit aeterna Ecclesia, quae ipsum in hac vita agnoscat, et cui in tota aeternitate bonitatem suam communicet. Res igitur maximas Paulus in illo brevi dicto complexus est, distinctionem doctrinae, quae est Ecclesiae propria, et sapientiae rationalis seu philosophiae. Item doctrinae initium et finem. Et simul hortatur nos ad discendum, et alligat nos ad haec certa scripta per Prophetas et Apostolos tradita. Refutat etiam Stenkefeldium et alios enthusiastas, qui abducunt homines a lectione, et iubent volitare in coelum humanis cogitationibus, et vera exercitia fidei intuentis vocem divinam, obruunt. Moveamur igitur Pauli dicto, nos ad lectionem exuscitemus. Altera sententia etiam legendi et discendi curam nobis commendat his exaggerationibus: Sermo Christi habitet in vobis opulenter in omni sapientia. Necesse est fontes doctrinae recte disci, quia haeretici non tractant sermonem Christi sapienter, ut Anabaptistae damnantes ordinem politicum, distinctionem dominorum, magistratus et iudicia, insipienter et furenter corrumpunt dicta Evangelii. Necessaria sunt igitur doctrinae studia. Sed hoc loco non addo longiorem explicationem, tantum obtestor omnes timentes Deum, ut ament lectionem divinorum librorum, et propter gloriam Dei, et propter propriam salutem. Accedat autem invocatio Dei, ac lectioni et cogitationi misceantur gemitus et vota, et petamus nos a filio Dei, qui est *λόγος* aeterni patris, erudiri, sicut hoc petere iussit: Orate, ne intretis in tentationem. Et quidem ipse pro Ecclesia assidue precatur, sicut inquit: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Ad huius summi Sacerdotis nostri precationem adiungamus et nostra vota. Te igitur fili Dei Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, *λόγε καὶ εἰκὼν ἀΐδιε ἀϊδίου πατρὸς*, sedens ad dextram aeterni patris, ut des dona hominibus, supplex oro, ut nos doceas et gubernes, et harum regionum Ecclesias protegas, Amen. *Θεῷ δόξα.*

PHIL. MEL.
COMMENTARIUS IN EPIST. PAULI AD CORINTHIOS.

Hunc commentarium Melanthon anno 1551. scripsit et dedit Paulo Ebero, discipulo suo ac collegae, ut eum privatim auditoribus suis dictaret, quibus succisivis horis dierum festorum explicationem grammaticam epistolarum Pauli dare solebat. — Post obitum Melanthonis *Eberus* hunc commentarium edidit, eumque Wolfgango Comiti Palatino dicavit. Prodiit igitur:

„Brevis et utilis Commentarius in priorem epistolam Pauli ad Corinthios, et in aliquot capita secundae, scriptus a Philippo Melanthone. Witeb. 1561. 1 Alph. 8." — Legitur in opp. Melanth. Witeberg. T. IV. p. 210.

Clarissimo Principi ac Domino, D. *Wolfgango* Comiti Palatino ad Rhenum, Duci Bavariae, Comiti Valentiae et Bipontii. Domino suo clementissimo: Paulus Eberus Kitthingensis, Pastor Ecclesiae Vitebergensis, S. D.

Diu dubitavi, utrum hunc commentariolum Epistolae ad Corinthios, quem Reverendus et incomparabilis virtutis et eruditionis vir Dominus *Philippus Melanthon*, Praeceptor noster et Pater piae memoriae, mihi ante annos decem post susceptam domi meae explicationem Grammaticam Epistolarum Pauli, succisivis horis dierum Festorum in hunc usum scripsit, ut eum privatim auditoribus meis dictarem, quod feci, in publicum emitterem: an vero prorsus supprimerem et occultarem, cum et exilior sit, quam qui requirentibus prolixas et declamatorias singulorum dictorum enarrationes, satisfacere queat, et praeterea etiam mutilus sit, vix tria secundae Epistolae capita explicans.

Praecipuam vero dubitandi causam mihi praebuit huius seculi perversitas, quae eo morositatis et iniquitatis processit tandem, ut nihil tam sincere scribi aut dici fere iam possit, quod non in aliquorum sciolorum reprehensionem, saepe etiam condemnationem incurrat, quae sane licentia, ipsa impunitate indies vires acquirens, imo ab aliquibus non modo cum applausu excepta, verum etiam mercede et praemiis alicubi confirmata, magnum adhuc malum dabit Ecclesiae, si non iam ante tristissimum, et prope modum insanabile vulnus eidem inflixit. Bonos certe, et a rixandi studio alienos merito absterret, ne quid suarum lucubrationum cum tanto periculo publice communicent, quae tamen plus fortassis et doctrinae et consolationis continerent, quam ista pugnacia et mordacia quorundam scripta, quae in alios tantum impetum vehementem faciunt, et alienas sententias omni conatu evertere nituntur: de veris autem Fundamentis, et quid de re integra firmiter sentiendum sit, aut nihil aut parum docent, ex quibus si convicia et alia ex acerbissimis invectivis, vel scurrarum potius circulis accersita pigmenta sustuleris, nuda ea et inania prorsus deprehendes.

Haec me solicitudo, et metus talium reprehensionum hactenus cunctantiorem fecit ad editionem huius utilis scripti, quem tamen tandem vicit et excussit mihi assidua flagitatio multorum piorum et eruditorum hominum, qui hunc commentarium perlegerant, obiurgantium me, quod studio vitandi iniquorum iniustas et malitiosas cavillationes, quas neque effugere quisquam quantumvis cautus unquam potuisset, neque sibi conscius recti curare deberet, pergerem pietatis et veritatis amantes viros fraudare lectione huius diu expetiti et expectati Commentarii, qui etsi brevis esset, tamen res praecipuas ita perspicue explicaret, ut inter aliorum eruditorum hominum

prolixiores et accuratiores commentarios etiam suum locum et suam laudem haud dubie apud intelligentes et recte iudicantes sit habiturus.

Talibus et pluribus aliis argumentis impulsus sum, ut neglectis eorum incursationibus, qui alienis scriptis hoc infelici seculo quasi ἐφεδρεύοντες, obtrectatione praestantiorum qualicunque, nomen sibi et applausum quaerunt, hoc tempore hunc quamvis imperfectum commentariolum publicarem, quod sane factum fuisset et tempestivius et tutius, et utilius adhuc ipso *Philippo* vivente, cuius praesentis autoritas efficacius commendare hoc scriptum Lectori potuisset. Neque ego quidem animadverti unquam, ipsum abhorrere ab editione huius sui operis. Sed quia mihi semper spes erat, fore, ut id, quod explicationi secundae Epistolae adhuc deest, aliquando ab autore adiiceretur, distuli consulto editionem: Verum cum, ut supra dictum est, Philippus mihi privatim explicanti aliquibus Epistolas Paulinas, hanc scriptionem instituisset, et haec privata exercitia nostra, sicut et publicas operas, interturbasset lues pestilis 1552. cogens nos Torgam secedere, talia postea tempora et tam inquieta consecuta sunt, tot profectionibus partim ipse, partim ambo impediti fuimus, ut commentarius ab autore, dum vixit, compleri nequiverit. Visum tamen est plurimis consultum, ut potius mutilus edatur, quam prorsus supprimatur. Fore enim aiebant haec ipsa fragmenta grata multis, quae priorem Epistolam totam, et secundae tria capita in hac ipsa brevitate egregie illustrent.

Sciunt autem intelligentes, inter omnes Pauli Epistolas, has quae ad Corinthios scriptae sunt, ac praesertim priorem, propter causarum quas tractat, et quaestionum de quibus pronunciat Paulus, varietatem, obscuriores esse, et requirere eruditam enarrationem, quam etsi fateor ex aliorum doctissimis lucubrationibus sumi posse, tamen affirmare ausim, pium lectorem etiam huius scripti lectione ad rectius intelligendas Pauli disputationes et responsiones nonnihil adiutum iri, et si nihil aliud, certe vel brevitatem huius commentarii, omnes otiosas, ac intempestivas declamationes praecidentem, probaturum esse.

Quam autem sic hoc tempore piis necessaria et utilis lectio Epistolae praesertim prioris ad Corinthios, experiuntur illi, qui intuentes hanc tristissimam faciem Ecclesiae, serio dolore commoventur, et suae moestitiae ex verbo Dei mitigationem quaerunt. Quis vero est sana mente praeditus, cui et religio et aeterna salus curae est, qui non cohorrescat, aspiciens haec praesentia vulnera et pericula Ecclesiae? Ut enim nihil iam dicamus de hostibus Filii Dei, Turcis et aliis, qui ex professo Ecclesiae bellum inferunt, et excidium minantur: in eo coetu, qui Christi nomen profitetur, et titulum Ecclesiae gerit, maxima et potentissima pars, florens sapientia, dignitate, opibus, et gloria ordinariae successionis, purae doctrinae Evangelii acerrime adversatur, et cum sit polluta multiplici idolatria, adeo ferre non potest taxari suam impietatem, ut exquisita suppliciorum immanitate eam stabilire, et delere funditus verum intellectum doctrinae coelestis, imo omnem usum propheticorum et apostolicorum scriptorum piis ex manibus extorquere conetur.

Ab his persecutoribus veritatis, falso sibi titulum Ecclesiae arrogantibus, premitur reliqua exigua multitudo, quae vocem Dei incorruptam amplectitur, et legitimum Sacramentorum usum retinet, ipsa inermis, imbecilla, dispersa, alicubi tamen nidulos suos et defensores habens, Ubi et sub quibus tutos congressus in publico celebret, quae cum vere sit Ecclesia et populus Dei, in quo haud dubie multi sunt renati, et domicilia Dei, cum ipso victuri in aeterna consuetudine, tamen tot et tantis confusionibus et scandalis deformatur totus coetus, ut nihil videatur minus esse, quam quod profitetur.

Nam si ad docentes respicias, videas quosdam vel ambitione, vel aemulatione, vel curiositate doctrinam corrumpere, et falsa dogmata audacter spargere, aut pertinaciter tueri, aliquos non necessaria certamina serere et fovere implacabilibus odiis, Aliquos religionem inflectere, fingere ac refingere ad nutum et cupiditates vel Dominorum, vel coetuum, quorum gratiam pluris faciunt, quam gloriam Dei et veritatis propagationem, Aliquos vero universum id, quod vera docendo extruxerunt, morum licentia, et turpitudine vitae rursus destruere. Hi naevi conspecti in ordine profitentium doctrinam coelestem, non possunt non contristare pios, et multos ab Evangelii studio reddere alieniores.

Rursus si ad auditores oculos convertas, videbis religionis et libertatis Christianae foedissimum abusum, contemtum et neglectionem sancti ministerii, disputationum profanitatem, direptionem bonorum Ecclesiae, ingratitudinem erga

fideles ministros Verbi, disciplinae laxationem, effrenem contumaciam iuventutis, et aliorum vitiorum segetem indies uberrimam succrescentem, quae mala intuens, non potest non vehementer animo percelli, et interdum quassari fluctibus dubitationum, ambigens, an hic coetus possit esse Ecclesia, in quo tantum sic distractionum, confusionum, et enormium vitiorum.

Augetur hic dolor piis, cum vident his scandalis et distractionibus verae Ecclesiae confirmari et roborari in una parte Pontificios, ut inde praetextus arripiant, quibus et parricidia sua excusent, et Idolomaniam suam speciosius tegant, et aliquos imbecilles ab agnita veritate ad suam impietatem retrahant. In altera parte fanaticos spiritus, et sectarios, ut suos errores pestiferos spargere efficacius et venditare vulgo plausibilius possint, monstratis vitiis, dissidiis, et profanitate huius partis, quae de possessione incorruptae doctrinae sola gloriatur.

Hac miserabili specie, et summa deformitate Ecclesiae in hac postrema senecta mundi, cum piorum animi haud dubie horribiliter excrucientur, muniendi sunt veris consolationibus, ut et causas considerent, unde haec mala existant, ne ea verbo Dei et sanctissimo ministerio illius imputent, sed credant aspergi Ecclesiae a diabolo per homines leves, superbos, curiosos, profanos et securos.

Deinde sciant filium Dei, et ipsius Apostolos, haec ipsa mala praedixisse, et quidem ventura cumulatius praemonuisse circa postrema tempora mundi, et tamen simul promisisse perpetuitatem Ecclesiae, adversus quam nullae portae inferorum sint praevaliturae.

Omnium autem efficacissimum, meo quidem indicio, remedium adversus has dubitationes de Ecclesia, ortas ex conspectu praesentium confusionum et malorum, sumitur ex Apostolorum ac praecipue Pauli scriptis, ita pingentis sui temporis Ecclesias, ut constet eas non modo sine infirmitate et naevis non fuisse, sed etiam deformatas fuisse tetris scandalis et confusionibus.

Ut enim nunc nihil dicam de Ecclesiis Galatarum, quae post discessum divi Pauli, a quo sinceram Evangelii doctrinam acceperant, a Pseudoapostolis ita turbatae fuerant, ut totae ad Iudaicam superstitionem reciderent, et persuasae essent, legis ac ceremoniarum observationem ita necessariam esse, ut sine illa, quantumvis credens in filium Dei, salutem consequi non posset: In Ecclesia Corinthiaca, in qua tamdiu et Paulus et Apollos, et alii praestantes spiritu et pietate viri, Evangelium sincere docuerant, quantae enormitates, quam foeda scandala extiterint, ambae Epistolae ad Corinthios scriptae perspicue ostendunt.

Nam ex responsis Pauli apparet, et inter doctores fuisse aemulationes et certamina de eminentia, quam alii aestimari volebant a Praeceptorum, hoc est, Apostolorum dignitate, a quibus singuli instituti, et quibus familiares fuerant: alii propter donorum excellentiam, quibus ornati fuerant, caeteris vel praeferebantur ab auditoribus, vel ipsi sese anteferri volebant, quas aemulationes inter doctores, ut fit, sequebantur factiones, schismata, rixae, mutuae condemnationes, et hostilia odia in auditoribus. Cumque inciperent magis acute disputare de doctrina, quam eam vera fide serio amplecti, et morum pia gubernatione et virtutum studio efficacem ostendere, laxabant frenos cupiditatibus, aliqui more et affectibus et artificiis Ethnicorum litigabant coram iudicibus ethnicis, relabebantur aliqui ad consuetas prius corporis voluptates obscoenas: aderant aliqui sacrificiis et epulis ethnicis, cum gravi offensione imbecillium Christianorum, et confirmatione idolatriae ethnicae, aliquis abutens libertate Christiana, ita se omnibus legis vinculis solutum credebat, ut putaret sibi licere novercam suam uxorem habere: aliqui superstitione coniugium prorsus fugiebant, tanquam vitae genus prohibitum, aliqui in matrimonio abstinendum sibi prorsus a coniugibus esse censebant, aliqui coniuges de religione non consentientes deserere, et alias ducere ex numero credentium suadebant. Erat curiositas in aliis immodica, iam hunc, iam alium ritum, quem natura tamen sanxerat, abolens, et novi aliquid instituens, invaserat in Ecclesiam Coenae sacratissimae Domini profanatio, et abusus tantus, ut poenas publicas accerseret: aliqui donorum spiritualium varietate ad ostentationem, et aliorum mediocrium contemtum et oppressionem uti malebant, quam ad aedificationem et utilitatem auditorum: aliqua levia et profana ingenia eo audaciae processerant, ut fundamentum quodammodo fidei nostrae subruere conarentur, et disputarent resurrectionem mortuorum promissam, allegorice intelligendam

esse de emendatione morum, et conversione in hac vita, non esse expectandam veram resuscitationem horum corporum, in cineres redactorum, ad aeternam vitam et consuetudinem cum Deo.

Haec profecto et errata et vitia illius Ecclesiae nec parva, nec frivola, sed tanta fuisse, ut et Paulum multosque alios piós vehementer conturbarint, et Ecclesiam foedissime deformarint, et Evangelii cursum non parum impedierint, apparet ex responsionibus Pauli, tanto spiritu, commotione, vehementia etiam taxantis et damnantis, et corrigere studentis illa scandala.

Si igitur illa prima Ecclesia, quae Doctores habuit ipsos Apostolos, immediate a Christo vocatos, et miraculorum inimitabilium testimoniis certitudinem et doctrina suae et vocationis confirmantes, non potuit esse immunis et libera ab enormibus et foedis his erroribus et scandalis, turbantibus haud dubie, et misere excruciantibus piorum animos: qua fronte, vel Pontificum assentatores, vel fanatici errones, apud nos, qui vere Dei beneficio gloriari possumus, incorruptam Evangelii doctrinam in nostris templis et scholis sonare, quaerere et postulare audent talem Ecclesiam, quae meris constet angelis, nihil habeat labis, nihil infirmitatis, nihil dissensionum, nihil disputationum, nihil etiam lapsuum et scandalorum aliorum, cum sciant autorem horum malorum diabolum patrem mendaciorum, dissidiorum, caedium, et horribilium lapsuum, nec dum funditus deletum esse, nec dormire aut interquiescere, sed circumire more rugientis et famelici leonis, et quidem circa postremam aetatem mundi grassari furentius, sentientem accedere tempus iudicii, et aeternae damnationis, et supplicii inaestimabilium et in infinitum augendorum tormentorum pleni. Sciant etiam hominum naturam post lapsum misere corruptam, et cum aetate mundi etiam ipsam languidiorem factam ad extremum, facilius nunc a diabolis impelli ad curiositatem, ambitionem, invidiam, superbiam, cupiditatem vindictae, odia, et profanitatem, ex quibus adfectibus oriuntur deinde omnes illae pestes, quibus Ecclesiam turbari, et Evangelii cursum et efficaciam impediri, et imbecilles alienari, pios etiam et fortes consternari et excruciari experimur.

Non patrocinamur erroribus, vitiis et scandalis, quorum autoribus scimus grave iudicium subeundum, et horribiles poenas solvendas esse, iuxta gravissimam Christi comminationem, Matth. 18.: Vae homini illi, per quem venit scandalum. Et Pauli Galat. 5.: Qui conturbat vos, portabit iudicium, quicunque est. Sed dicimus cum Christo tamen: Necesse esse, ut veniant scandala, quod in Lucae 17. cap. maiore cum vehementia dicitur: Impossibile esse, ut non veniant scandala. Et Paulus illustribus quidem et veris, ut experientia testatur, sed admodum tristibus coloribus praesentis seculi homines depingit, 2. Timoth 3. cum Timotheum suum praemonet: *τοῦτο γίνωσκε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται καιροὶ χαλεποί. ἔσονται γὰρ οἱ ἄνθρωποι φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, βλάσφημοι, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχάριστοι, ἀνόσιοι, ἄστοργοι, ἄσπονδοι, διάβολοι, ἀκρατεῖς, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι, προδόται, προπετεῖς, τετυφωμένοι, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι.* Loqui autem Paulum de iis, qui in Ecclesia sunt, et expresse complecti simul Doctores, ex eo manifestum est, quod dicit de iis aliquos esse, qui irrepant praetextu communicandae doctrinae in domos, et maxime se insinuent mulieribus in gynaeceis, et aliorum potentum domibus, quarum animos cum occuparunt semel doctrina falsa, intelligunt postea se etiam facile studia et defensionem maritorum habituros esse.

Tales cum sint homines huius postremae aetatis mundi, et cum furor diaboli ad extremam acerbitatem eruperit, mirum videri nemini debet, ibi existere scandala, dissensiones, et alia tetra facinora, ubi purior Evangelii doctrina traditur, quam odit et extinctam cupit diabolus, cum similia his, aut certe non multo leviora extiterint Apostolorum temporibus in prima Ecclesia, illa sedatiore, et firmiore et vegetiore aetate mundi, quae opponamus et fanaticis spiritibus Anabaptistis et Stenckfeldianis, et perfidis apostatis, qui nunc Pontificis pedes (indignatio pene aliud mihi verbum expresserat) osculantur, cuius prius universam potentiam et dignitatem de suggesto in his ipsis Ecclesiis publice damnarunt, et diris devoverunt.

Propter hanc necessariam consolationem commendatissima et gratissima hoc tempore piis esse debet lectio cum Epistololarum Pauli ad Corinthios scriptarum, tum etiam huius commentarioli, qui de multis partibus doctrinae coelestis gravissimas commonefactiones continet, id quod non

dubito testaturos esse pios et eruditos viros, et ex hoc ipso quoque quantumvis brevi scripto, et cogniluros et admiraturos esse autoris pietatem, ingenii felicitatem, iudicii rectitudinem, confessionis constantiam, in communicanda sana doctrina benignitatem et facilitatem, et alia ipsius ingentia dona, quibus claruit vivus, et Ecclesiae Dei utiliter servivit, nihil sibi quaerens, nullos captans vel Regum ac potentum favores, vel vulgi applausus, vel dignitatum accessiones, vel opum cumulos, quarum virtutum testes reliquit plurimos omnium ordinum viros fide dignissimos, inter quos praecipue appellare visum est Celsitudinem tuam, Illustrissime Princeps, quae Dominum *Philippum*, de quo nunc ago, fortassis (ut existimo) de facie ignotum, sincero ac constanti amore semper dilexit, propter admirationem donorum et praestantiam virtutum ipsius, quarum *αὐτόπτης*, et fide dignissimus index praeter innumeros alios tuae Celsitudini esse potuit, et fuit haud dubie, vir eruditione, virtute, prudentia ac fide praestantissimus, Doctor *Huldericus Sizingerus*, Celsitudinis tuae Cancellarius.

Ea de causa hunc Domini *Philippi* libellum tuae Celsitudini offerre potissimum volui, ut perlecto eo, et cognita sinceritate in doctrina, et in communicatione fida, patrocinium suscipiat huius tanti viri, qui quasi parum a suis alumnis et discipulis esset flagellatus dum viveret, etiam mortuus conquiescere non potest, quin ex iis, quos in sua mensa diu aluit, quibus cum non modo publice doctrinam, sed privatim etiam quae habuit et potuit, consilia, et secreta sua communicavit, quibus etiam cor suum, si licuisset, ex pectore exemtum impertivisset, aliqui in exangue corpus sepulti saeviant, vindictae studio tanto, et acerbitate tanta, ut credam, si coram ipsis miserum et iam putrescens cadaver *Philippi* expositum sit, eos dentibus more canum irruituros, et frustulatim carnem eius laceraturos esse.

Quid enim aliud censeas, si legas scriptum, quod recens quidam suae doctrinae et famae tuendae causa, ut videri vult, in vulgus sparsit? Adversus quam iniuriam vero sese is defendit? Aut quae potest esse Praeceptoris fidissimi, imo Patris *εὐστοργοτάτου* et benignissimi, iniuria tam atrox, quae tantam mereatur acerbitatem, ut eius mortui cadaver propemodum et tumulo refossum ita crudeliter laceretur?

Scripsit *Philippus* secreto rogatus consilium Principe Electore, sub cuius ditione natus est, paucula de Coena Domini, magis ut rixas de illa Edelbergae ortas, et publice de suggesto mutuis concionatorum conviciis cumulatas, suaderet quoquo modo sopiri et dirimi, quam ut de ipsa controversia pronunciaret, indicans formam loquendi ex Paulo, qua tutissimum esset uti interea, donec de tota controversia in Synodo statueretur. In illa pagella ad unum scripta, secreto scripta, non in hoc scripta, ut vulgaretur, et tamen contra voluntatem autoris, et quidem post mortem demum publicata, fit mentio D. *Heshusii* paulo inclementior talis, ut eius autoritas summis in Ecclesia et antiquissimis scriptoribus postponatur. Haec est iniuria illa, hoc facinus Patris tam atrox, ut omnium acceptorum beneficiorum privatim et publice praestitorum, omnium virtutum memoriam penitus aboleat et extinguat, et animum cupiditate vindictae tanta accendat, ut ea, nisi hoc modo defensionis atrocissimae et contumeliosissimae satiari non possit.

Sed si non voluit habere rationem sua existimationis, quam certum est apud intelligentes nonnihil minui hac tanta asperitate, qua usus est in mortuum, in optime meritum, in Praeceptorem, imo in parentem: aequissimum erat parcere ipsius honestissimae et nunc adflectissimae familiae, a qua multis est affectus beneficiis parcere huic Scholae, versanti in acerbissimo luctu propter orbitatem, parcere miserae inventuti, desiderio amissi rectoris studiorum languenti, parcere Ecclesiae et posteritati, parcere denique Deo, cui cum bona conscientia serviit *Philippus*, ne ita deformaret et doctrinam, et mores et actiones huius viri, quasi veteratorie luserit in doctrina coelesti, et blasphemias scripserit, aut dixerit in filium Dei, neve aliis conviciis eum proscinderet, in sepulcro quiescentem, imo in sinu et complexu filii Dei iudicis et vindicis omnium scelerum, et inprimis ingratitudinis, perfruentem laeto conspectu et colloquio Dei.

An hic sit Spiritus Dei, debacchari in talem tanta acerbitate, iudicent alii. Paulus 2. Timoth. 2. certe suos ministros aliter instruit, cum inquit: *δοῦλον δὲ κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ᾽ ἤπιον εἶναι πρὸς ΠΑΝΤΑΣ, διδακτικὸν, ἀνεξίκακον ἐν πρᾳότητι, παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους*, etc.

Sed spero tuam Celsitudinem et omnes alios pietate, modestia, prudentia et virtute praestantes, literarum amantes, veritatis studiosos, posteritatis curam agentes, de conservatione et propagatione doctrinae incorruptae solicitos, non moveri eiusmodi paucorum invectivis, ut desinant amare, magnifacere, et grata memoria prosequi hunc virum, quem tot utilia monumenta, tanti labores exhausti publicae utilitatis causa, tantus summarum virtutum concentus et constantia, tot in multos privatim, et omnes publice merita nobis commendarunt.

Imo spero hanc istorum acerbitatem multis causam praebituram, ut pluris eum faciat, eiusque spripta studiosius cognoscant, et ab hac ingrata cohorte se quam longissime seiungant.

Spero Deum quoque ipsum veritati aliquando testimonium praebiturum, quando igne examinabit, quid aedificantium quisque extruxerit super fundamentum solidum, quod est unicus Dominus noster *Iesus Christus*, et hic crucifixus, et resuscitatus, et regnans ad dexteram patris, qui solus dat idoneos et salutares ministros, et ipsorum labores non sinit esse irritos, nec dissolvi unquam, quod ex ipso est.

Super hoc fundamento scimus extruxisse Philippum, una cum Luthero et post Lutherum optima fide, integrum Corpus doctrinae, bona et perspicua methodo, studio vitasse omnes inutiles et periculosas disputationes, et abstinuisse etiam suo consilio a non necessariis flagellationibus et damnationibus aliorum, et simul illustrasse scriptis et voce omnes reliquas artes, quae ad explicationem doctrinae coelestis necessariae sunt.

Hae lucubrationes conferantur cum aliorum chartis, qui sibi videntur prae caeteris sapere, et plurimum laborasse, et effecisse in Ecclesia, nunc vero occupati sunt in eo, quomodo huius viri scripta carpant, ac suspecta et invisa aliis reddant, et vere conspicietur discrimen longe evidentius, quam inter aurum et stipulas est, quas tamen isti super eodem fundamento, ut iactitant, extructas, aequari auro Lutheri, et longe praeferri argento Philippi volunt. Sed ut dictum est, ignis arguet uniuscuiusque opus, eo die, quo Dominus iudicabit Fabrorum suorum structuram, quod tempus patienter expectent homines modesti, nec temere ac praecipitanter applaudant istorum pomposis et artificiose pictis et miro zelo veritatis tuendae fucatis clamoribus.

Hunc igitur libellum caeteris utilibus monumentis Philippi adiungendum, ad te mitto, Illustrissime Princeps Palatine, eo consilio, ut sicut Philippum semel tuo iudicio, ut Dei ministrum et utile organum, amore non aulico complexus, ad extremum usque dilexisti, ita eius mortui etiam famam et autoritatem contra talium hominum indignos morsus tuearis et protegas.

Deinde etiam commendo tuae Celsitudini huius viri honestissimam familiam, quae hoc anno dupliciter orbata, gemini luctus gravissimas causas brevi, hoc est, novem mensium intervallo accepit, mortuo viro sapientia, eruditione et virtute praestantissimo, Domino D. *Georgio Sabino*, genero Domini *Philippi* et multorum liberorum patre, quibus, sicut et socer, suis, praeter famam eruditionis et virtutis, et excellentia ingenii monumenta, et bonorum virorum studia, parum admodum reliquit, quorum amborum orphanis principum munificentia subveniri aequissimum est, quam Deus largissimis praemiis compensabit, sicut testatur Syracides: Esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum, et eris tu velut filius altissimi obediens, et diliget te magis, quam mater tua. Ei verissimo et certissimis testimoniis patefacto Deo, aeterno Patri Domini nostri *Iesu Christi*, conditori generis humani et conservatori, Celsitudinem tuam cum omnibus suis supplex commendo, et hunc ineuntem annum felicem et tranquillum ex animo opto. Data Vitebergae. Calendis Ianuarii Anno M.D.LXI.

ARGUMENTUM ET BREVIS EXPLICATIO PRIORIS EPISTOLAE AD CORINTHIOS, SCRIPTA A PHILIPPO MELANTHONE.

Prima Epistola ad Corinthios non est una perpetua disputatio, ut Epistola ad Romanos, sed multas dissimiles materias coacervat: totum tamen corpus ad genus Suasorium pertinet, quia sunt obiurgationes, commonefactiones, praecepta de diversis negotiis, et intertextae sunt alicubi conciones, quae sunt doctrinae pertinentes ad genus Didascalicon.

Ut autem consilium Pauli intelligatur, occasio scribendi primum consideretur. Cum Ecclesiam in Corintho collectam reliquisset recte eruditam de universa doctrina Evangelii, de beneficiis filii Dei, de fide, de usu libertatis, de coniugio, de Sacramentis, de resurrectione mortuorum, et de aliis articulis, et multi ibi antecellerent donis: statim ibi, ut in Graeca civitate, Superbia et Curiositas pepererunt dissidia. Alii ab aliis baptisati retinebant aliquos ritus eorum, a quibus baptisati erant. Alii verecundiores, nolebant accedere ad cognatos Ethnicos invitati, cum familiarum usitati conventus essent, in quibus prius sacrificabant, et postea ex victima comedebant. Alii liberiores, accedebant: aliquis tantum libertatis sibi sumsit, ut duceret novercam. Aliqui instituebant Coenam Domini peculiarem, neglecta communi. Aliqui elati dono linguarum, contemnebant alios, et inter hos ipsos, qui ornati erant hoc dono, erant φιλαυτίαι et aemulationes. Aliqui audaces et curiosi disputabant contra resurrectionem mortuorum.

Talis erat eius temporis confusio profecto non levis, nec minor, quam fuerunt multae nostro tempore. Et tamen omnes hi Corinthii valde tumebant persuasione sanctitatis, et sibi placebant, sese mirabantur, et se afflatos esse Spiritu sancto iudicabant, cum tamen multum in eis esset vanitatis, superbiae, Graecae levitatis et curiositatis. Ad haec vitia redierant, etiamsi habuerant Spiritum sanctum, et aliqui adhuc habebant initia, quae tamen paulatim extinguebant, cum suis affectibus et ineptiis indulgerent.

Multa vidit haec aetas exempla similia, ideo haec haec facilia sunt intellectu.

Paulus igitur in primo capite initio obiurgat auditores, quod excitent dissidia. Deinde ut radicem dissidiorum evellat, reprehendit admirationem propriae sapientiae, et curiositatem, propriam levibus ingeniis, ut si nunc concionaretur Serveto, Campano et similibus.

Intexit igitur hunc locum communem: Non est iudicandum de Deo ex humana sapientia, sed revocandae sunt mentes intra hanc metam, videlicet, ad Verbum, in quo se patefecit Deus, nec extra hanc metam nostris speculationibus evagentur ingenia, et ludant suo arbitrio. Deus immensa misericordia se patefecit, dedit Evangelium, instituit ministerium Evangelii, illud audiri, et intra illud nos concludi *Deus* voluit. Ita ingressus in hunc locum concionatur, quae sit principalis et necessaria doctrina, et addit doctrinam de ministerii dignitate.

Est igitur gravissima concio contra humanam sapientiam in primo et secundo capite, revocans nos ad Verbum Dei et patefactiones divinas. Huius praecepti necessitas quanta sit, rudes et imperiti non considerant. Sed petulantia humanae mentis horrenda est, quae quam audacter fingat opiniones de Deo, et cultus, tota mundi historia inde usque a primis idolorum initiis ostendit. Quaerunt humanae mentes concinnas opiniones, et cum ratione congruentes, et fugiunt absurda, ut Samosatenus, Mahomet, Pelagius fecerunt. Alii alio modo furentes fingunt portentosa, ut qui humanas hostias mactarunt, Aegyptii, qui serpentes et feles coluerunt, Manichaei, qui duo aeterna pugnantia numina finxerunt.

Vetat igitur Paulus gignere doctrinam de Deo propriis imaginationibus, et deducit nos ad Evangelium, ac docet, agnoscendum esse Deum sicut se patefecit, et in omni cogitatione et invocatione hunc Deum intuendum esse, qui se patefecit dato hoc Evangelio, et misso filio, sicut filius ipse dicit: Qui videt me, videt et patrem.

Caput III.

In tertio capite primum ait, ministros idem Evangelium docere, et D um pariter efficacem esse per vocem Evangelii, cuiuscunque lingua sonet. Damnat igitur arrogantiam eorum, qui se aliis anteferunt, quasi suum ministerium sit efficacius, quam aliorum, ut finxerunt Pontifices de indulgentiis, se plura peccata remittere, quam alios, imo se educere animas ex purgatorio. Simul autem testatur hic locus, *Deum* esse efficacem per ministerium evangelicum, ut Rom. 1. dicitur: Evangelium potentia Dei est ad salutem omni credenti.

Postea addit praeceptum de doctrina principali Evangelii retinenda, et regulam valde utilem tradit: Retinendum esse fundamentum, id est, articulos fidei, et ibi Ecclesiam Dei esse, ubi fundamentum retinetur. Interea tamen in hac infirmitate hominum alios magis alios minus pure docere. Quam ob causam omnes aetates in hac vita aliquos naevos, hoc est, aliquas incommodas opiniones retinent. Haec est sententia horum verborum: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Sed alius supra fundamentum extruit aurum, argentum, gemmas, alius ligna, stipulas etc., id est, alius illustrat articulos fidei vera et perspicua doctrina, dicit, cur filius Dei vocetur λόγος, quid sit peccatum Originis, quid intersit inter Legem et Promissiones, quomodo detur homini remissio peccatorum, quid sit Gratia, quid Fides, quae opera placeant Deo, quae sint discrimina peccati regnantis et non regnantis.

Alii vero stipulas supra fundamentum extruunt, ut statim initio scriptores obscuraverunt doctrinam de Iusticia fidei, et auxerunt ceremonias, et vinxerunt esse peculiares cultus, fuerunt duriores quam oportuit in praecipiendo coelibatu, miscuerunt aliquam adhuc verecundam invocationem mortuorum: Ora pro me sancte Petre. Tales stipulae multae omnibus aetatibus condonantur retinentibus fundamentum.

Utilis igitur admonitio in hoc capite proponitur, videlicet, ut sciamus ubi sit Ecclesia, videlicet, ubi fundamentum retinetur. Nec sunt Ecclesiae membra, qui idola pertinaciter defendunt, et aliquem articulum fidei pertinaciter damnant.

Deinde ut sciamus in vera Ecclesia manere aliquas incommodas opiniones, quae ab eruditioribus emendandae sunt, nec propter eas imbecillia membra damnanda sunt, si tamen doceri se sinant, et absit pervicacia.

Ideo inquit: Dies declarabit, videlicet, non tantum extremi iudicii, sed quocunque tempore, cum doctrina illustratur, ut nunc dies declarat invocationem mortuorum falsam et commentitiam esse.

Et quod addit: In igne revelari, significat tentationes, ut Bernardus, Bonaventura in vera tentatione discunt acquiescere fiducia filii Dei, non suorum operum. Ita ignis, id est, tentationes et multa certamina purgant et instaurant doctrinam.

In eodem tertio capite post medium, cum ait: Non scitis vos templum Dei esse? redit ad extenuationem humanae sapientiae in iudicanda voluntate *Dei*, et acriter obiurgat tumentes persuasione sapientiae, qui videlicet humano iudicio volunt amplecti concinna, et fugere absurda. Quid autem absurdius est humano iudicio, quam filium Dei crucifigi? Quare et innumerabiles homines abhorruerunt ab Evangelio, moti hac absurditate, quam et exagitaverunt multi scriptis, ut Lucianus, Iulianus, et alii.

Ideo Paulus hic ait: Cum sitis templum Dei, in quo scilicet vera luce Spiritus sanctus iam habitat, videte ne hanc lucem extinguatis accersitis humanis opinionibus, et ita corrumpatis templum Dei, sicut Iulianus abiiciens veram doctrinam, ex Dei templo factus est organum diaboli. Quam multi deficiunt hodi hodie ab Evangelio moti humana sapientia vel in iudicio dogmatum, vel propter scandala.

Humana sapientia est, cum disputant, nihil mutandum esse in ritu Missae, quia populus hoc cultu teneatur, quo amisso, populus omnio fiet prophanus.

Humana sapientia est, quod iubent aliqui pacem anteferre verae doctrinae, et praetexunt hanc causam: Quia si erunt bella, sequentur vastationes, in quibus delebitur doctrina. Et melius esset, aliquam fucosam religionem retineri, quam nullam. Haec humana consilia omnia pugnant cum mandato Dei: Non habebis deos alienos.

Quanti furores sunt hodie multorum, qui dogmatum conciliationes aut ἐπιεικείας fingunt, et veritatem corrumpunt?

Denique quotitiana exempla sunt in conspectu omnibus aetatibus. Multa enim et horrenda peccata sunt humanae sapientiae, non recte iudicantis de Deo. Ideo tam aspere adversus eam hic concionatur Paulus, et iubet eos, qui videntur sibi sapientes in hoc mundo, id est, sequentes humanae rationis iudicia, ut fiant stulti, id est, agnoscant hanc sapientiam non esse sapientiam Evangelii: sed de Dei essentia et voluntate ex ipsius patefactione iudicandum esse, et sicut iisdem Corinthiis in secunda Epistola scribit, oportere captivam duci rationem ad obediendum Christo.

Caput IV.

In capite quarto, postquam antea in genere omnes obiurgavit, humanam sapientiam sequentes ac discedentes a meta Evangelii, nunc nominatim ministris concionatur, et eos, quo ad ministerium attinet, facit aequales potestate et efficacia, et simul docet, quales esse oporteat, scicet fideles. Ac breviter hic significat ministerium esse efficax per Christum, non humanis viribus. Sed minister sit fidelis, id est, recte intelligat et recte doceat doctrinam, non habeat affectatam ignorantiam, nec sit negligens, ut multis seculis Episcopi fere in toto orbe terrarum, intellexerunt doctrinam, nec recte doceri curaverunt. Ex qua negligentia praecipue nunc existit haec horrenda perturbatio orbis terrarum.

Proponitur autem hic regula necessaria ad gubernandas omnium conscientias in vita privata, et quacunque administratione. Quaerit enim conscientia: Quomodo satisfaciam officio meo, cum difficultas sit maxima? et multa, quae erant facienda, prospici non possint? Et saepe bonis consiliis non respondeant eventus? Sicut errat Iosias, movens bellum infelix.

Consolatio hic dulcissima proponitur: Satis est esse fidelem, id est, bona conscientia recte docere et facere, quae recta esse iudicas, re mediocri diligentia, bona conscientia deliberata. Accedat autem fides, qua sumus iusti, id est, qua persona placet et petimus, ut Deus nos gubernet. Haec regula praeluceat omnibus vitae actionibus.

Simul autem hic inseritur doctrina de iustificatione, quod simus iusti fide, propter Christum, non propter iusticiam nostrae conscientiae, quanquam adesse et hanc oportet, sed multa reliqua sunt peccata ignorantiae et omissionis, et multi vitiosi affectus, quae mala condonantur credenti propter mediatorem.

Deinde obiurgat sese aliis praeferentes vel potestate, vel efficacia ministerii, vel propter alias causas: etsi sunt ministri recte facientes officium, postea Deo iudicium relinqui iubet, qui privatim antecellant: id non est nostri iudicii. Sed nos de doctrina singulorum iudicemus.

Et sequitur rursus asperrima obiurgatio eorum, qui se praeferunt aliis, ubi proponit exemplum Apostolorum, quod ipsum continet consolationem insignem. Ait Apostolos voluntate Dei ita regi, ut prae reliqua Ecclesia subiecti sint cruci, sint spectacula Angelis et Hominibus, imo ducantur esse *καθάρματα* et *περιψήματα*.

Hae sunt appellationes omnium tristissimae, significantes acerbissima odia hominum. Nam *κάθαρμα* et *περίψημα* significat idem quod piaculum Latinis, id est, rem talem, quae nisi tollatur, totas gentes polluat, et iram *Dei* adversus totas gentes irritet. Ut Oedipus est piaculum seu *κάθαρμα*, quia matrem duxit uxorem. Sic Hebraei maledictum dicebant. Et multa sunt similia vocabula apud Graecos, ut:

Synonyma, quae pariter significant rem tollendam ex rerum natura vel piaculum.

ἀποτρόπαιος.
προστρόπαιος.
μιαρὸς, μίασμα.
κατάρατος. ἐπάρατος.
ἀραῖος.
τῇ ἀρᾷ ἔνοχος.
τῇ ἀρᾷ ἐνεχόμενος.
ἐξώλης, προώλης.
πανώλης.
βδέλυγμα.
ἀλιτήριος.
ἐναγὴς. ἄγος.
ἀλάστωρ.
παλαμναῖος.
ἐξάγιστος.
ἀνάθεμα.
καθάρσιον.
κηλὶς.
κάθαρμα.
περίψημα.
ἀνόσιος.
ἐπικατάρατος.
ἀποφρὰς ἄνθρωπος.
τοῖς μιάσμασιν ἐνεχόμενος.
καθαρμὸς ἄνθρωπος.
φαρμακὸς.
ἀπεῤῥιμένος.
ὁ ἐπὶ καθάρσει τῆς πόλεως.

His contraria sunt.

καθαρὸς.
ἐναγὴς.
ὅσιος.

Ex hoc exemplo Apostolorum discant nunc quoque praecipui Doctores, ne cupiditate gloriae aut potentiae accendantur, sed antecellant aliis tolerantia, et studio humilitatis.

In eodem capite, cum iam relinquit generalem admonitionem de sapientia humana, et in specie delicta quaedam Corinthiorum taxare instituit, praefatur se rediturum esse, si possit, et superbiam quorundam sese admirantium, qui aut libertate abutuntur, aut spargunt corruptelas dogmatum, coram castigaturum esse. Et attexit utilem sententiam: Regnum Dei non esse garrulitatem disputationum, et ludos ingenii, ut tunc Stoici, Epicurei, Academici, certabant argutiis, et in Ecclesia multum fuit et erit disputationum inutilium: sed esse potentiam, id est, efficaciam Dei, incoantis in corde verum timorem et veram fiduciam.

Haec ubi sunt, rectum iudicium est mentis, in discernenda necessaria doctrina a non necessariis disputationibus, ut pius Doctor dicit de vera agnitione Dei, de vera invocatione, de poenitentia, de fide, de bonis operibus, de aeterna gloria et aeternis poenis. Alius rixator quaerit ex veteribus Stoicis aliquod deliramentum, quod miscet Evangelio, contendit omnia necessario fieri, aut nullos debere in homine affectus esse: aut fingit ex Platone animarum purgationes post mortem, quae liberandae sint sacrificiis: aut fingit Accidentia sine subiecto in mutatione panis in Coena Domini: aut fingit in Ecclesia oportere recipi politiam Mosaicam. Denique infiniti furores sunt disputationum, qui tantum quaerunt materias, de quibus rixentur, non habent vera exercitia Poenitentiae, Fidei, Invocationis, Crucis, in quibus vera lux accenditur. Haec est summa quarti capitis.

Caput V.

In quinto capite iam in specie accusat abusum libertatis, scilicet de eo, qui novercam duxerat. Est omnino tetrum exemplum. Nam et Ethnici improbarunt tales commixtiones, ut cum pater *Seleucus* filio *Antiocho* cessit novercam *Stratonicen* Demetrii filiam. Et Theseus diris devovet filium Hippolytum, accusatum, quod solicitasset novercam Phaedram ad stuprum.

Cumque Apostolorum tempore Ecclesia deformata sit talibus naevis, cogitemus etiam aliis temporibus posse multa tetra exempla accidere, nec propterea deficiamus a Deo, sed deploremus infirmitatem nostram, et diaboli insidias, et gubernatores corrigere ea studeant.

Cum autem Corinthii putarent audita doctrina libertatis Christianae, etiam leges coniugii laxantas esse, Paulus revocat eos ab hoc errore, et docet, praecepta moralia et naturalia aeterna et immota esse. Leges divinae, quae prohibent commixtionem certarum personarum seu graduum, sunt leges sancitae in natura, quas Deus vult ratas et perpetuas esse. Quare Deus inquit: Cananaeos propter incestas libidines puniri et deleri, etiamsi tunc, cum illi corpora sua talibus sceleribus contaminarent, lex nondum per Moysen promulgata esset: quia Deus naturae lucem hanc esse voluit, et statim initio parentibus prohibuit commixtionem cum natis, cum ait: Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.

Caeterum doctrina de libertate alias integre traditur, et postea rursus de ea dicendum erit. Nunc addatur doctrina de Excommunicatione.

De Excommunicatione.

Incestum, cuius delictum fuit manifestum, Paulus eiicit ex Ecclesia. Hoc exemplo ostendit, quomodo puniendi sint in Ecclesia rei manifestorum scelerum: et cum postea in secunda Epistola narrat hunc incestum, post conversionem, in Ecclesiam recte receptum esse, illustre testimonium proponit contra Novatianos, quod ostendit, lapsis agentibus poenitentiam vere remitti peccata, eosque in Ecclesiam recipiendos esse, de quo articulo dicendum erit suo loco. Nunc doctrina de Excommunicatione consideretur, in qua primum sciendum est discrimen ministerii evangelici, et potestatis politicae. Cumque eius discriminis multae partes sint, nunc tantum de poenarum doctrina dicam.

Potestas politica coërcet et punit vi corporali, et contumaces capitali supplicio afficit.

Sed ministerium Evangelii coërcet et punit tantum verbo, sed eo ordine, quem Christus Matth. capite 18. recitat. Primum moneatur is, qui deliquit, si non obtemperat. Postea eiiciatur ex Ecclesia publica sententia, ut ibi dicitur: Dic

Ecclesiae, id est, praecipuis ministris et iis, qui in cognitionibus adiunguntur.

Haec consuetudo non primum instituta est a Messia, sed est vetus mos sacerdotum Leviticorum, qui suo loco disciplinam talibus iudiciis tutati sunt, etiamsi potestas politica alia iudicia et alias poenas habebat, quae ut solet, in disciplina tuenda negligentior erat. Nec dicam prolixius de hoc loco. Tantum illud addo, hunc nervum disciplinae non negligendum esse.

Quod vero ait: Trado eum Satanae ad vexationem carnis, ut spiritus salvus fiat, vere ita sentiendum est, Excommunicationem in Ecclesia non esse inane terriculamentum, sed efficax et divinum fulmen, et sequi poenas in corpore et rebus, quibus castigati ad poenitentiam revocantur, sicut de vetustissima excommunicatione dicitur ad Abraham: Maledicam maledicentibus tibi. Et cum Ambrosius scribam Stillicouis tali sententia puniisset, Scribae mota est mens per aliquod tempus, quo morbo admonitus, postea se emendavit, et ab Ambrosio rursus in Ecclesiam receptus est.

De Paschate.

Ut ostendat Paulus hoc iudicium necessario in Ecclesia retinendum esse, addit similitudinem: Ut in Paschate Iudaico fermentum tollendum fuit, sic nos ex Ecclesia fermentum tollamus. Deinde in enarratione typi Paschatis aliquantisper commoratur, monet institutum esse esum agni, ut mors Messiae significaretur. Ac tota Paschatis allegoria alias copiosius enarranda est. Hic vocabula in textu observentur.

Celebremus festum in azymis sinceritatis et veritatis: veritatem opponit mendaciis et falsis opinionibus, et vocat veritatem verae doctrinae de *Deo* agnitionem et confessionem. Sinceritatem opponit hypocrisi, falsae invocatione sine Timore, Fide, Constantia. Et vocat sinceritatem, non fucatas virtutes, Timorem, Fidem, Invocationem, Constantiam fidei.

Caput VI.

De litibus.

Supra abusum libertatis et libidines taxavit, nunc obiurgat litigantes, qui cum certent odiis aut avaricia, violant praecepta decalogi: Non occides, aut: Non furaberis. Non enim damnat iudicia, aut ullam iudiciorum partem, aut disputationem forensem. Nam hae ordinationes politicae sunt res bonae, ordinatae et approbatae divinitus, sicut Roman. 13. clarissime traditum est. Et Iosaphat inquit: Iudicium Domini exercetis. Aliud est autem disputatio forensis, aliud odium aut avaricia in litigatore. Ac ut sancti recte uti possunt coniugio, sic recte uti possunt iudiciis, sicut clare dicitur Roma. 13.: Magistratus est honori bonis. Potest igitur sanctus deferre causam in iudicium sine pravo affectu. Et in ea re multae insunt virtutes.

1. Reverentia erga leges et magistratus, quia iudicium illis permittit, cedens de sua sententia.

2. Amor iusticiae, quod non appetit alienum, sed quasi exuens rem suam, potestati iudicis et legum relinquit, ut attribuant sua sententia, cui videbitur: Hoc non facit animus pleonecticus.

3. Amor veritatis, quod patitur conferri rationes et iudicari.

4. Amor pacis publicae, quod mavult a iudice suum alteri attribui, quam turbari pacem publicam.

Hae vertutes sunt in litigatore sancto.

Certum est igitur a Paulo obiurgari litigantes propter odia et avariciam, item, propter scandalum, quod non modo litigabant coram Ethnicis, sed etiam Ethnicorum affectus et praestigias et calumnias miscebant. Hoc manifestum est ex textu, quia dicit: Vos iniuriam facitis aliis, vos defraudatis. Sic intelligatur quod dicit: *ἥττημα* est in vobis. Non vult ipsam dubitationem fori, esse *ἥττημα,* sed iniusticiam, cuius signum est forensis contentio. *κρίματα ἔχετε,* ergo est *ἥττημα* non ipsum *κρίματα ἔχειν,* sed *ἀδικεῖν* est *ἥττημα.* Quare *κρίματα ἔχειν* non intelligatur ut subiectum ad *ἥττημα,* sed ut pars enthymematis, quia ab eo signo ratiocinatur in eis esse pravas cupiditates.

Est et vocabulum *ἥττημα* mollius, quam *ἁμαρτία,* id est, quiddam damnatum, et significat succumbere affectui alicui, ut dicimus: *ἥττων ὀργῆς, ἥττων ἔρωτος.*

Μὴ πλανᾶσθε. Ne erretis.

De abusu libertatis, et de scortatione.

Saepe cogitandum est, qualem invenerint mundum Apostoli, non solum quia prodest ea

consideratio ad intelligendas conciones Apostolorum, sed etiam quia eius temporis manifestae turpitudines magis ostendunt, quanta sit miseria generis humani, quam praesentis aetatis vitia, quae etiamsi sunt multa et magna, tamen magis teguntur. Collatio tamen et nos de nostris vitiis commonefacit.

Semper magna pars hominum prorsus est athea. Sed tunc multi palam docebant nullam esse providentiam. Reliqua multitudo horribiliter colebat idola, et alii alia quotidie excogitabant.

Deinde contra secundam Tabulam non solum usitatae, sed etiam concessae erant vagae libidines multiplices. Concubitus seu mariti seu coelibis cum ea, quae corpus prostituerat, prorsus non reprehendebatur. Imo in Plaudi Comoediis patres et filii easdem amant. Plurimi palam impune etiam sexu abutebantur, de qua turpitudine etiamsi vetustas habuerat severas leges, tamen illae iam in Graecia, Asia et Italia, multis seculis conticuerant.

Contra quintum praeceptum recepta erat et gladiatorum consuetudo.

Contra septimum concessae palam erant usurae.

Sed illi furores contra primum praeceptum, et contra sextum, multo latius grassabantur, et magis tetri sunt.

Talis cum esset mundus, tamen Deus ex illa turpissima colluvie, immensa misericordia Ecclesiam sibi collegit, quod exemplum continet amplissimam consolationem, quam et hic Paulus proponit, admonens nos de remissione peccatorum, cum ait: Et haec quidem aliqui fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Christi et Spiritu sancto. Quae verba meminisse valde prodest, et propter consolationem et propter doctrinam, qua de iustificatione erudite loquuntur, affirmant nos receptos esse propter Christum, et donatos Spiritu sancto.

Deinde cum talis fuerit morum corruptio, facile iudicari potest, quam difficile fuerit, tot falsas opiniones confirmatas in Ethnicis, ex eorum animis evellere. Ac praecipue consuetudo cum mulieribus prostitutis receptissima erat, confirmata non solum temporibus, et communibus omnium exemplis, sed etiam sodalitiorum et conviviorum suavitate et ludorum et comoediarum venustate. Ideo tam prolixa concio hic contra scortationem instituitur. Et ne sit ambiguitas in vocabulo, diserte dicit se improbare consuetudinem cum muliere prostituta, non tantum alias libidines turpiores.

Primum autem regulam tradit contra abusum libertatis. Quia enim doctrinam de libertate nimium laxabant, et transferebant ad licentiam non concessam a Deo, ideo haec regula traditur: Libertas evangelica non concedit violari praecepta moralia. Hanc regulam capite septimo expresse tradit: Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Quia novum Testamentum exhibet insticiam et vitam aeternam, quae est ipsa interior et exterior impletio moralium praeceptorum, conveniens cum aeterna et immota voluntate Dei expressa in praeceptis moralibus. Ideo hic errores de libertate reprehendit, et nominatim prohibet delicta pugnantia cum primo praecepto, sexto, septimo et octavo. Nam praeceptum quintum de homicidio alioqui notum erat, et alibi additur.

Et manifeste affirmat, non esse haeredes vitae aeternae, qui perseverant in tali violatione moralium praeceptorum contra conscientiam: Nolite errare, inquit, scortatores enim non erunt haeredes regni Dei. Ac ut intelligatur concio non de praeteritis delictis, sed de perseverantia, explicationem addit: Haec fuistis, sed abluti estis. Haec verba infigamus animis, quia, ut dixi, doctrinam et consolationem dulcissimam continent.

Discrimen inter Necessaria et ἀδιάφορα.

Omnia mihi licent, scilicet *ἀδιάφορα*. Et sunt *ἀδιάφορα*, quae non sunt praecepta lege morali. Quia lex moralis est ipsa aeterna lex in mente divina et voluntas Spiritus sancti in renatis, qui aeternam obedientiam incoat, convenientem voluntati divinae, iuxta illud: Dabo legem meam in corda eorum. Ceremoniae vero sunt observationes externae, quae sunt exercitia istius vitae mortalis, non sunt iustitia interior et perpetua cordis.

Deinde sequitur correctio: Sed nulla res me redigat in servitutem, id est, illa sunt concessa, quae non retrahunt in servitutem conscientiam avulsam a Deo, ut adulterium Davidis in servitutem retrahit eius conscientiam avulsam a Deo. Est enim haec servitus, fieri reum coram Deo, excusso Spiritu santo, et damnante nos conscien-

tia, non posse invocare Deum, quia contra eius voluntatem scientes et volentes lapsi sumus. Hanc conscientiae servitutem et hunc reatum, hic vocat redigi in servitutem. Negat ergo concessa esse talia, quae ream faciunt conscientiam, id est, quae excutiunt Spiritum sanctum. Talia autem sunt, quae pugnant cum lege morali, quia eadem est voluntas Spiritus sancti, et legis moralis, quae est aeterna et immota sapientia Dei.

Nunc caetera, quae sequuntur, planiora sunt: Esca ventri, et venter escis, Deus hunc et hanc destruet, id est, cibi et venter serviens vitae mortali sunt res periturae, nec pertinent ad iusticiam spiritus aut conscientiam, nec sunt lucis aut insticiae aeternae initia in mente, nec impediunt Spiritum sanctum: ideo sunt adiaphora. Haec concessa sunt.

Sed scortatio dissimilis est, quae est personarum contaminatio contra voluntatem Dei, ac propterea duorum conscientias a *Deo* avellit, et reos facit. Ideo Paulus dicit: Corpus autem non scortationi, sed Domino serviat, id est, venter creatus est ad cibos naturae convenientes sine discrimine. Sed corpus seu persona ordinata est, ut Deo serviat, qui vagas libidines prohibuit, et horribiliter eis irascitur. Ideo cum persona iam propria Dei esse debeat, non faciat libidinum confusiones, spreto ordine Dei, sicut fecerunt Nero, Ptolemaei, et ingens multitudo hominum.

Erit autem magis dilucida lectio Pauli, si σῶμα intelligas de persona, ut olim loquebantur Graeci, et vult Paulus de usu ordinato personae loqui.

Fundamentum autem dissimilitudinis de cibis et de vago concubitu, hoc est, quod ea, quae sunt legis moralis, affirmat esse necessaria, quia lex moralis est ipsa lex aeterna in mente divina, et voluntas Spiritus sancti, qui obedientiam incoat similem voluntati divinae, ut supra dixi. Pugnat autem horribiliter cum voluntate Dei libidinum confusio.

De dicto:

Erunt duo in carnem unam.

Ex dicto Genesis: Erunt duo in carnem unam, sumit Paulus argumentum a similitudine, quod postea recitabo. Necesse est enim prius teneri propriam et nativam sententiam eius dicti, quod multi indocti putant otiose positum esse, quasi tantum hoc dicat, quod omnibus notum est, ita conditam esse naturam hominum, ut ex Maris et Foeminae coniunctione genus humanum propagandum sit. Etsi autem eam sententiam complectitur etiam illa brevis concio, tamen simul continet praecepta de modo generationis, hoc est, sancit leges de coniugio et prohibitione vagarum libidinum, et veram, integram et eruditam definitionem coniugii proponit.

Cum enim praecipit iungi marem et foeminam, prohibet alias commixtiones cum hoc ordine naturae pugnantes.

Cum ait: *Duo,* prohibet vagas libidines. Unum marem vult alligatum esse ad unam foeminam, et unam foeminam vult alligatam esse ad unum marem. Talis fuit prima naturae institutio, a qua postea aliquantulum discessit humana infirmitas, tolerante Deo, quando recepta est πολυγαμία, ita tamen, ut uni viro adiungerentur plures mulieres, non uni mulieri plures viri.

Postremo vult etiam coniunctionem illam maris et foeminae perpetuam et indissolubilem esse, cum ait: Erunt in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Unitas enim significat Vinculum perpetuae coniunctionis, et prohibet divortia, qualia nunc sunt Turcica, et fuerunt olim omnium fere gentium, imo et Iudaeorum. Sed tamen et Moyses aliquantulum laxavit hanc particulam, tolerante Deo, propter ingentem infirmitatem hominum post lapsum. Nam haec lex in Genesi descriptio est pulcerrimae societatis, qualis in natura integra fuisset, et esse debebat. Et Christus Ecclesiam de hac prima forma commonefacit Matth. 19. ut postea dicemus in capite septimo.

Nihil affingo concioni illi in Genesi, sed haec sententia, quam recitavi, vera, simplex et propria est eius loci, quam si quis considerabit, intelliget illud dictum non otiose positum esse, sed de rebus maximis concionari, et hinc extrui definitionem coniugii, quam in capite septimo recitabimus.

Nunc intellecta nativa sententia consideretur argumentum Pauli, qui transfert dictum Genesis ad coniugium spirituale filii Dei et Ecclesiae, ut facit etiam in Epistola ad Ephesios: Iuncti estis filio *Dei*, et facti membra eius. Ergo non sitis membra scortorum vagantia et aberrantia a filio *Dei*. Maritus et coniunx possunt

esse membra filii Dei simul, quia ea coniunctio approbata est a Deo. Et coniuges ambo possunt esse membra filii Dei, imo sunt velut unum membrum. Nec aberrat nec avellitur a filio Dei maritus, habens consuetudinem cum coniuge, quia ea consuetudo est approbata a Deo, et non rumpit unitatem. Sed cum vagatur libido contra praeceptum Dei, tunc avellitur persona a filio Dei, et polluitur, et fit membrum scorti et organum diaboli, sicut Nero aut Ptolemaei horribiliter vagantur.

Ex hac enarratione utcunque intelligi potest, quomodo Paulus transtulerit dictum in Genesi ad spirituale coniugium. Videtur autem obscura rudi lectori accommodatio, quam recensui. Sed tamen si quis eam attente considerabit, agnoscet Paulum hoc voluisse, quod recitavi. Vult enim in summa, ordinem a Deo constitutum non conturbandum esse. Hic est ordo, ut coniuges, qui sunt membra Christi, non vagentur libidinibus, quod cum faciunt, desinunt esse membra Christi, et fiunt membra polluta scortorum et organa diaboli.

Nec ex dicto Genesis omnes particulae congruunt ad Pauli argumentum. Nam particula *Unum* proprie intellecta, ut in Genesi, non congruit, scilicet de Inseparabilitate. Sed altera particula congruit de commixtione, Antonius fit caro Cleopatrae. Hic non manet illa unitas ordinata, de qua loquitur Genesis.

Ὁ δὲ πορνεύων, εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει.
Fornicans in proprium corpus peccat.

Exaggerat delictum ex obiecto. Plus peccat Cato, sese interficiens, quam si alium interfecisset. Ita cum omnis scortatio polluat proprium corpus, id est, ad usum alienum, contra ordinem a *Deo* institutum, et destruat templum Dei in te ipso, non ducatur esse leve peccatum.

Quod vero inquit, caetera peccata extra proprium corpus fieri, id intelligatur de generibus delictorum, quae sunt frequentiora. Homicidae plerunque in alios saeviunt, rariores sunt, qui sibi mortem consciscunt: hi quoque in suum corpus peccant. Sed Pauli dictum cum quodam candore accipiatur, de iis, quae saepius accidunt.

Sed cur dicit, Extra corpus fieri, cum singuli peccantes ardeant pravis affectibus in corpore suo, et organa adhibeant, ut Clodius sua manu caedem facit?

Dixi supra, Obiectorum collationem fieri, non causarum formalium, aut organorum. Nam in quolibet peccato duplex fit destructio, prior in peccante, qua se avertit ipse a Deo, et fit reus aeternae irae et mortis. Ut Cain primum ipse sese destruit. Altera destructio est obiecti. Ut cum Cain interficit fratrem. Ita in scortatione prima destructio est in voluntate et corde aberrante a Deo. Postea destructio sequitur obiectorum, quae hic sunt corpus proprium et corpus alterius personae. Ut autem corpus proprium obiectum est huius sceleris, ita plerunque postea haerent poenae in proprio corpore, videlicet saevi morbi, aut quia seminis abusus est, grassantur poenae in liberos, ut post Davidis adulterium sequitur incestum stuprum filiae, deinde filiorum tragici interitus. Sicut plerunque poenae in ea re grassantur, qua peccatur, et ut in libro Sapientiae dicitur: Per quae quis peccat, per eadem punitur. Id eo fit, ut sciamus poenas non accidere casu, sed vere esse certorum scelerum vindices. Item, ut sciamus nos a Deo commonefieri de illi ipsis delictis, ut redeamus ad poenitentiam.

Quare autem maius delictum est proprii corporis abusus? Ad id respondo: Quia maiore cura nos ipsos regere debemus, quam alios, et magis a nobis depellere peccatum, quam ab aliis, sicut hoc ipsum facilius est. Et in vagis libidinibus multorum conscientiae a Deo avelluntur. David suam et adulterae conscientiam polluit. Ideo haec peccata nequaquam levia ducenda sunt.

De Capite septimo.

In capite septimo doctrina valde necessaria toti Ecclesiae traditur de coniugio, quam ordine recitabimus.

Occasio autem harum responsionum initio consideretur.

Magna apud Ethnicos confusio fuit libidinum, et crebra fuerunt divortia. Quare alii, ut fit, in novo studio acceptae doctrinae et conversionis, prorsus dissuadebant coniugia. Alii praetextu religionis divortia faciebant. Respondet igitur Paulus, et aliquot necessarias regulas tradit, quas ordine recitabo: primum definitione

coniugii constituta, sicut institutum est Genesis 2.

Coniugium est unius maris et unius foeminae, quae legitime iungi possunt, coniunctio indissolubilis, instituta a Deo, propter generationem, et ad vitandas vagas libidines.

Hanc definitionem verba huius capitis confirmant, quod sit coniunctio indissolubilis, testantur haec verba: Praecipio non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere, et viro, mulierem non dimittere. Quod hic finis etiam Deo placeat, ut ducatur uxor, si non prolis causa, tamen ad vitandas vagas libidines, id quoque hic expresse dicitur, et doctrina ac consolatio piis necessaria est: Vitandae scortationis causa, unusquisque suam habeat uxorem.

Sequuntur regulae. Prima. Coniugium non solum non prohibendum est, sed etiam iis, qui non sunt idonei ad continentiam, necessarium est. Sicut inquit Paulus: Melius est ducere uxorem quam incendia pati. Haec regula contra superstitiosos posita est, qui cum vagas libidines Ethnicorum viderent, novo studio castitatis etiam coniugium fugiebant, et improbabant, quae superstitio Ecclesiam tunc valde exercuit. Ideo et Paulus et Apostolorum discipuli gravissimas sententias opposuerunt, quae et nunc legi pontificiae, et doctrinae monachorum opponendae sunt. Sic enim scripsit Ignatius: Virginitatis iugum nemini imponito. Periculosa est enim possessio et difficulter retinetur, quando coactis imperatur. Iunioribus concede coniugium, priusquam corrumpantur consuetudine prostitutarum. Verba haec sunt: *παρθενίας ζύγον μηδενὶ ἐπιτίθει. ἐπισφαλὲς γὰρ τὸ κτῆμα καὶ δυσφύλακτον, ὅταν κατὰ ἀνάγκην γένηται. τοῖς νεωτέροις ἐπίτρεπε γαμεῖν, πρὶν διαφθαρῶσιν εἰς ἑταίρας.*

Et hic Paulus unumquemque iubet suas vires, seu dona sua considerare, ac iudicare, an idoneus sit ad coelibatum, aut non sit. Ideo inquit: Unusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius aliter. Haec admonitio bis repetita significat Apostoli solicitudinem, quae praevidit secuturam magnam perniciem animarum ex imprudentia eorum, qui se temere oneraturi erant coelibatu.

Deinde sequuntur regulae de ipso coniugio, sed in Scholis prius desponsatione dicitur, quae personae coniungi possint, et quando contractus valeat.

Prohibitio de personis extat Levit. 18. Ea prohibitio divina est, et obligat omnes gentes, tanquam ius naturae, quia Deus hanc reverentiam cognati sanguinis in natura sanxit, ne fiant commixtiones cum promiximis, et horribiliter punit incestas libidines, ut ibi de Cananaeis dicitur, et exempla poenarum Oedipi et Aegyptiorum regum iram Dei ostendunt.

Postea qui gradus probabili ratione additi in Ecclesiis recte institutis serventur, considerandum est.

De contractu et hoc servavit vetustas, quod honestum, pium, et ad explicandas controversias desponsationum accommodatius est, ut desponsationes sine perspicuo et expresso consensu parentum factae iudicentur irritae. Quare in Institutionibus dicitur: Consensum parentum habeant, quorum sunt in potestate. Nam hoc fieri debere et civilis et naturalis ratio suadet, in tantum, ut iussus parentum praecedere debeat. Et Ambrosius in historia Rebeccae vult accedere consensum parentum, idque ait adeo honestum et naturae consentaneum esse, ut etiam Poëtae idem docuerint. Et citat dictum Euripidis, apud quem in Andromache, cum Orestes petit coniugium Hermiones, haec respondet, Eam rem pertinere ad arbitrium patris. Versus hi sunt:

Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς,
μέριμναν ἕξει, κ᾽ οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

Cum hoc veteri more congruunt verba Pauli in hoc capite: Qui elocat, recte facit. Nam haec verba significant, consensu parentum de coniugiis paciscendum esse. Si lex Moysi locuta est: Cum duces filio uxorem.

Hanc vetustam consuetudinem nunc quoque sequantur Ecclesiae, omissa recenti lege, quae inextricabiles labyrinthos peperit in diiudicandis arcanis desponsationibus.

Sed tamen ubi duriores sunt parentes, pii magistratus suam autoritatem interponant: sicut etiam vetustae leges praecipiunt.

Discrimen etiam est inter sponsalia de futuro et de praesenti, quod sumatur ex aliorum longioribus scriptis. A sponsalibus de futuro recedi potest, nisi accesserit concubitus. Sed sponsalia de praesenti sunt iam re ipsa matrimonium seu coniugium, quia consensus facit coniugium. Nec de hoc discrimine subtilius disputabo. Non enim haec recenseo, ut plus rixarum

seramus, sed ut rudiores teneant praecipuas regulas huius contractus.

De conditione honesta et possibili adiecta etiam haec regula teneatur, ut cum dicitur: Ducam te, si dabis mihi centum. Talis conditio impedit coniugium, si non impleatur. Sed tales conditiones concubitu abolentur. Omitto autem disputationes de conditionibus inhonestis et impossibilibus, quia in communi vita exempla rariora sunt.

Hactenus de contractu praecipuas disputationes recitavi. Nunc addantur regulae de officiis coniugalibus et de accidentibus in coniugio. Paulus in textu mentionem facit officii coniugalis, quod honesta appellatione ornat, nominans debitam benevolentiam. Hinc regula sumatur: Officium coniugale opus iustum esse, et superstitiosas opiniones damnandas, quae falso fingunt id opus displicere Deo, cum sit conditum, et certo ordine institutum a Deo.

Ex his verbis: Vir non habet potestatem sui corporis, aliqui etiam ratiocinantur improbari *πολυγαμίαν*, de qua supra breviter dixi: Primum institutam esse societatem unius maris et unis foeminae. Ab hoc ordine postea infirmior natura discessit, quod quatenus permiserit Deus, lex ostendit, sed Evangelium nos de prima institutione commonefacit.

Secunda regula prohibet vulgaria divortia, quae ut nunc apud Turcas, ita tunc apud Iudaeos et Ethnicos sine discrimine prorsus, ut libuit, fiebant.

Hanc licentiam restringunt Christus, Matth. 19. et hoc loco Paulus, et volunt coniugium esse perpetuam et indissolubilem coniunctionem. Ideo inquit: Non ego, sed Dominus praecipit, ne uxor a marito separetur, et ne maritus uxorem deserat. Hanc regulam in Ecclesia vult Deus servari. Sed accidunt ibi quoque divortia non voluntate piorum, sed alterius coniugis delicto. Et tantum duo casus expressi sunt: alter a Christo, alter a Paulo.

Persona quae admisit adulterium, rumpit foedus coniugii. In eo casu etsi reconciliatio tentanda est, tamen cogi innocens persona non potest, ut pollutam recipiat.

Cum igitur petit innocens pronunciari de divortio, iudex damnat nocentem, quae rupit foedus coniugii, et pronunciat innocentem personam liberam esse, quae cum sit prorsus liberata a nocente, potest aliud coniugium contrahere.

Tale divortium non fit cupiditate aliqua innocentis, sed alterius delicto, quae iam vinculum coniugii dissolvit. Facile igitur intelligi potest, hoc divortium Iudaicis aut Romanis dissimile esse. Cato cedit volens Martiam Hortensio. Agrippa volens dimittit Marcellam, ducturus Iuliam Augusti filiam. Tiberius Nero volens cedit Liviam Augusto.

Alter casus a Paulo expressus est, cum coniugem sine crimine viventem, alter coniugum re vera deserit, ita ut voluntas deserentis ex causis fugae et tempore et errationibus, et aliis circumstantiis iudicari possit, ut Ulysses non est desertor. Theseus relinquens Ariadnen, est desertor. Demophoon desertor est Phyllidis mulieris Thraciae, quae fuerat coniunx.

In hoc casu etiam Apostolus dicit, personam innocentem desertam, liberatam esse. Eodem igitur modo ut supra inquiritur deserens, quantum fieri potest, et reconciliatio tentatur, quae si non procedit, iudex pronunciat desertam esse liberam. Ac manifestum est et in hoc casu desertam non dissolvere coniugium sua voluntate, sed foedus antea ruptum est perfidia desertoris.

De his duobus casibus aperte loquitur textus Matth. 19. et in hoc capite.

Quanquam autem Canones recentes fatentur, divortia concedi in his casibus, tamen deinde personae innocenti prohibent coniugium. De hac quaestione dissimiles sunt etiam veterum sententiae. Sed exempla sunt apud Iustinum et Hieronymum, quae ostendunt, primam Ecclesiam concessisse coniugium innocenti personae: idque sentio iustum et pium esse, et consentaneum dictis Christi et Pauli. Cum enim fiat divortium, necesse est intelligi divortium, quod re ipsa, non inani appellatione sit divortium, hoc est, in quo vere persona innocens libera sit, et possit aliud coniugium contrahere, sicut ipsa lex Moysi intelligit vocabulum divortii. Cum igitur Christus in casu, de quo dictum est, concedat divortium, necesse est tale verum et non commentitium divortium intelligi. Et sic iudicasse antiquitatem ex Iustino apparet, qui, ut recitat Eusebius, narrat mulierem honestam et piam cum marito adultero et obscoeno divortium fecisse, ut tunc fiebat. Et Hieronymus Fabiolam excusat, quod divortio facto cum primo marito

adultero, nupserit secundo, ubi de priore marito dicit: Tanta prior maritus vitia habuerat, ut ne scortum quidem et vile mancipium ea sustinere potuisset.

Etsi igitur superstitione quadam recentes Canones duriores sunt, tamen Ecclesiae emendatae recte concedunt coniugium personae innocenti. Persona nocens iudici politico relinquitur, qui eam punire, aut tollere debebat.

Dictum est de duobus casibus, quorum exempla cum sint crebra, prodest scire, quid iudicandum sit.

Nunc dicamus de quaestione, quam et Paulo propositam esse hic videmus, et postea saepissime agitatam esse in Ecclesia, ostendunt Canones. Quaerebatur enim: An liceat marito pio retinere coniugem impiam, seu idola colentem, et contra: an liceat mulieri piae manere in coniugio viri impii, seu idola colentis.

Non fuit levis quaestio. Nam et lex Moysi prohibet habere coniugem manentem in professione impia. Et manifestum est ex dissensione de cultu Dei oriri atrocissimas discordias, quia cum de re magna sit dissensio, maius est incendium animorum in colloquiis, et maior dolor. Et multa contumeliose dicta pii audiunt, propter quae maiore dolore afficiuntur, quam si mors oppetenda esset. Non possunt igitur non alienari voluntates.

Erant enim usitata familiarum sacra, ad quae cognati omnes conveniebant. Et hi congressus vincula erant mutuae benevolentiae, et disciplinae iuniorum. Huc si paterfamilias veniebat sine coniuge et liberis, aut materfamilias sine marito, aut liberorum aliqua distractio erat, iam congressus erat insuavior. Denique in quotidiana consuetudine plurimae offensiones oriuntur ex tanta dissensione de Deo. Praecipue vero institutio liberorum dissimilis parit discordias, ut exempla videmus hac aetate quotidiana.

Non dubium est igitur, magnam de hac quaestione dubitationem inter prudentes fuisse, ut postea etiam Canones non eodem modo decreverunt.

Sed Paulus sapientia singulari iudicat, non esse divellenda haec coniugia, quia iusticia Evangelii est iusticia cordis, et aeterna, non impediens leges vitae politicae: ideo interea vult alia foedera civilia servari. Sicut igitur potest Ecclesia esse sub atheis regibus, sic potest pia coniunx manere in familia coniugis impii. Deinde cur talia coniugia divellerentur, cum semper inter hos, qui dicuntur membra Ecclesiae, aliqui sint coniuges impii? Nabal erat impius, Abigail pia. Et magis ad publicam pacem conducit, non distrahere coniuges. Semper autem gubernatorum consilia sint συμβιβαστικά, et quantum fieri potest, ea magis sequantur, quae coniungunt voluntates civium, sicut et Platonicum illud, si dextre intelligatur, monet: ὅτι δεῖ ἓν ποιεῖν τὴν πόλιν.

Postremo scandali etiam ratio habenda fuit. Si Evangelium divulsisset coniugium, quanto magis ab eo omnes moderati homines abhorruissent.

Respondet igitur Paulus, Coniugia propter dissimiles sententias de Deo, non divellenda esse, si modo persona impia non abiiciat alteram, et consolationem addit seu rationem: Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, de quo dicto variae interpretationes confictae sunt. Sed vera et nativa haec est. Sicut alias inquit, Cibum sanctificari, pro eo quod est usum sanctum, hoc est, a Deo concessum esse credentibus: ita hic loquitur, Usum coniugis sanctum et a Deo concessum esse. Cum pius tenet doctrinam Evangelii, et statuit se fide iustum esse propter mediatorem, et Ecclesiam esse sparsam in hanc confusionem generis humani inter malos, et tamen politicam societatem retinendam esse, ut colligi Ecclesia possit, et invocationem et dilectionem politicis officiis exercendam esse: recte et pie coniuge ethnica utitur, et consuetudo illa Deo placet. Sicut Esther pie utebatur coniugio Assveri. Et Monica Augustini mater pie utebatur coniugio mariti ethnici, et soror Constantini coniugio Licinii. Et congruit haec sententia cum illo Pauli dicto: Omnia munda mundis.

Posterior aetas divulsit coniugia dissentientium de Deo, ac addit Augustinus sophisma: Licet adulteram dimittere, Licebit igitur colentem idola dimittere, cum idolorum cultus etiam vocetur adulterium. Verum has recentiorum disputationes, quae extant in titulo de divortiis, et apud Gratianum in causa 28. omittamus, et potius Pauli doctrinam sequamur, quae consolationem proponit omni tempore piis salutarem. Sem-

per enim multa sunt coniugia, in quibus de Deo et de invocatione dissensiones sunt.

Extat autem lex Theodosii in Codice, quae fieri divortia concedit, non tantum propter adulteria et desertionem, sed etiam propter saevitiam et insidias vitae structas. De his causis quaeri potest, et Canones de vitae periculis aliquid statuerunt. Etsi autem nolo magis laxari vinculum coniugii, tamen cum lex divina divortium propter impios et indomitos concesserit, sapiens magistratus dicens ius impiis et indomitis, posset conscientiae et vitae pii hominis ex ea lege consulere. Apparet enim illam Theodosii legem gravi consilio latam esse. Cum enim antea fierent divortia sine gravibus causis, ut cuilibet libebat more Turcico, et fierent re non iudicata, Theodosius hac lege illam ethnicam licentiam astringere voluit, et causas nominatim recenset, propter quas solas concedi vult divortium, et vetat ea fieri re non iudicata. Quod autem plures causae nominantur quam duae, eis consilii aliqua ratio fuit non vituperanda. Sed haec iudicio sapientum Magistratum et Pastorum commendanda sunt, qui etiam quaerant, ex quo fonte consulendum sit illi, qui propter lepram carere consuetudine coniugis cogitur.

Alioqui filii vestri essent immundi. Ἐπεὶ ἄρα τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτα ἐστὶν, νῦν δὲ ἅγιά ἐστιν.

Interpretatio Septuaginta sic loquitur: ἀκάθαρτα vocat immunda, id est, prohibita, ut dicimus, suillam carnem lege Moysi immundam esse, hoc est, prohibitam aut puerperam immundam esse, hoc est, cuius contrectatio prohibita est.

Connexio autem argumenti haec est. Si non placeret consuetudo coniugalis, filii vestri essent Spurii, et eatenus immundi, ἀκάθαρτοι. At filii vestri non sunt spurii: ergo consuetudo coniugalis Deo placet.

Quomodo autem spurii peculiari modo fuerint immundi, ostendit lex Deut. 23.: Non ingreditur ממזר in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem, id est, ad nullam functionem in Ecclesia admittatur.

Sit igitur haec simplicissima sententia: Nati non sunt spurii, et non arcendi, ut lex Moysi arcebat: Igitur et consuetudo coniugalis placet Deo.

Quod vero ex hoc loco Anabaptistae ratiocinantur, nihil esse peccatum originis, et ex sanctis nasci sanctos, id est, foetum non reum, et sine labe originis: haec non possunt ex hoc textu effici, et refutantur in aliis locis perspicue. Iohan. 1. et Iohan. 3. clare dicitur, neminem esse haeredem vitae aeternae, nisi renatum ex Spiritu sancto. Haec testimonia opponenda sunt Anabaptistis.

Cur igitur Paulus hic vocat infantes sanctos? Simplicissima est enarratio de immunditia, de qua lex Moysi dicit: Non sunt spurii arcendi ab Ecclesia.

Deinde si quis contendat, plus dici, intelligatur dictum de his, qui inserti sunt Ecclesiae Dei, vel per baptismum, vel per invocationem filii Dei, super eos, quia utrunque certum est, Apostolos incoasse baptismum infantum, et mulieres credentes non amplius usas esse ethnica invocatione et lustratione infantum, ut semper inter gentes etiam ritus aliqui manserunt, quibus recens editi foetus Deo commendati sunt, γενέθλια indicant, quae omnes celebrabant.

Non dubium est igitur puerperas, quae veram invocationem norant, etiam vero Deo commendasse sobolem, imo aliqui nati baptizabantur, aliqui ad Ecclesiam adferebantur propter communem precationem. Tales sunt inserti Ecclesiae, et in eis fuit efficax Spiritus sanctus. Ideo ad eos pertinet dictum: Talium est regnum coelorum.

Affirmat igitur Paulus, et consuetudinem piae coniugis cum ethnico marito, et liberorum procreationem Deo placere, quia propter fidem alterius coniugis concubitus sit munditics, et procreati mundi: imo nati etiam fiant sancti invocatione piae matris aut pii patris. Cogitemus magnum ardorem fidei in illa prima Ecclesia fuisse, et pios vehementer abhorruisse ab idolis. Ideo valde consentaneum est, ethnicos ritus, quibus infantes lustrabantur, statim adiectos esse.

Ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι. *Circumcisio nihil est.*

In hac parte capitis discernit Moralia et Ceremonias, et Gradus vitae politicae, sicut saepe alias repetitum est hoc discrimen, ut ad Galatas 5. in Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec praeputium, sed fides, quae per dilectionem est efficax.

Bona opera moralia eodem modo necessaria sunt in omnibus. Haec vocat in hoc loco mandata. Et meminerit lector hoc dictum ad refutandos Antinomos, qui fingunt, in Ecclesia nulla esse mandata, nullam legem. Ideo autem moralia necessaria sunt, quia sunt iusticia cordis, congruens cum mente divina, cuius imago esse nostra Mens et Voluntas renata debet, iuxta illud: Dabo legem meam in corda eorum.

At ceremoniae leviticae nihil ad nos pertinent, quae ad tempus in politia Mosaica institutae fuerunt.

Deinde gradus vitae politicae, Dominus, Servus, Dives, Pauper, et similes, sunt ἀδιάφορα, et possunt in bonis et malis esse. Verum hoc servetur, ut suae quisque vocationi obtemperet. Item, ne abutamur his gradibus. Plorans, non succumbat dolori, deficiens a Deo. Laetus non efferatur, ut oblitus Dei indulgeat cupiditatibus, ut fit in rebus sesundis, ut dicitur: Luxuriant animi rebus plerunque secundis.

Tandem igitur addit: Praeterit figura huius mundi, id est, gestus mundani, varii gradus vitae, dominia, servitutes, contractus.

Observa etiam hic approbari contractus et rerum dominia, cum approbat emptionem. De his omnibus facile est iudicium iis, qui norunt iusticiam, de qua concionatur Evangelium, esse novam et perpetuam lucem, iusticiam, et vitam in cordibus. Interea tamen in hac consuetudine civili utendum esse politicis ordinationibus eorum locorum, ubi vivimus, si tamen congruant cum lege naturae.

Caput VIII.

Περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν.

Initio mos consideretur, quam acceptum a patribus Ethnici, postea etiam amissa vera doctrina retinuerunt.

Cum in diebus festis sacrificium fiebat, pars victimae incendebatur, pars erat propria Sacerdotum, pars communis patrifamilias et caeteris, qui victimas dederant. Et erant multa peculiaria certarum familiarum sacrificia, in quibus cognati frequentes conveniebant, et a sacello victimae partes in suas domos afferebant, ut senex apud Aristophanem in Pluto victimae partem domum affert. Aliqui etiam ad sacella una cum Sacerdotibus convivabantur. Credibile est autem, aliquos, qui iam abiecerant cultum idolorum, tamen a cognatis ad convivia vocatos esse. Et vix fieri potuit, quin mariti ethnici convivio interesset uxor pia.

In talibus casibus videmus Paulum aliqua ἐπιεικείᾳ usum esse ac permisisse, ut proximi interessent non sacrificiis, sed conviviis. Aliqui autem, ut fit, illam permissionem nimium laxabant, et victimarum carne vescebantur malo exemplo, id est, invitabant alios imbecilliores, ut ipsi quoque vescerentur, quorum conscientiae postea turbabantur. Damnabant enim sese, quasi consuetudinem impiam confirmarent. Quandocunque autem conscientia sese damnat, iudicat se contra Deum facere. Quare fides excutitur, et impeditur invocatio.

Nunc igitur Paulus illam permissionem astringit, et hic tantum de Scandalo concionatur, postea rursus in genere astringit, quia quoquo modo excusetur, tamen aliquid in exemplo mali est. Nam consuetudo colentium idola confirmatur.

Sed hic nominatim fit mentio huius scandali, quod eruditi movebant imbecilliores, ut vescerentur, et horum postea sauciebantur conscientiae, ut varii casus nostro tempore acciderunt, ubi imitatione libertatis etiam in recte factis imbecilles conscientiae valde turbatae sunt.

Obiurgat igitur Paulus doctos sibi placentes, et audaces in rebus non necessariis, ut sunt multi propter ostentationem suae eruditionis et sapientiae. Et regulam Roman. 14. traditam, hic repetit: Docet necessaria facienda esse: In non necessariis vero, quae tantum licita sunt, eam moderationem servandam esse, ne exempla nostra laedant aliorum conscientias, aut labefactent communem concordiam, sicut regula Iurisconsultorum recte docet: Quod tibi non nocet, et alteri prodest, id praestandum est. Iustum est igitur astringere libertatem propter aliorum salutem, ut itinere faciendo robustus minus properat propter imbecilles comites.

Haec regula, quae monet servandum esse discrimen inter necessaria et non necessaria, magnum usum habet in universa vita, et coërcet multa vitia, πολυπραγμοσύνην, arrogantiam, et alia.

Haec est summa capitis, quam recensui. Caeterum dicta multa inserta sunt, doctrinam eximiam continent: Scientia inflat, Dilectio aedifi-

cat. Hoc dictum monet, Cognitionem non esse virtutem, nec opus placens Deo sine obedientia voluntatis, ut etiam philosophia docet, Cognitionem non esse virtutem. Sed necesse est accedere voluntatis conversionem ad Deum, qua voluntas Deo subiicitur, et habet *προαίρεσιν*, seu, ut loquuntur usitate, bonum propositum recte faciendi, iuxta illud: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

Extat hic etiam testimonium de vero Deo patefacto in missione filii, crucifixi et resuscitati, discernendo ab omnibus aliis numinibus, quae extra hunc Deum cogitantur aut coluntur. Nam huius testimonii sententia exclusiva est, praeter hunc patefactum Deum nihil aliud esse numen aeternum. Deducit igitur nos in agnitione Dei ad hunc unum, qui se patefecit datis promissionibus, editis miraculis, et misso filio. In hunc vult nos intueri invocantes, et vult nos separare invocationem nostram ab ethnica, et aliis. Ideo sic locutus est: Unus est Deus, Pater, ex quo sunt omnia, et unus Dominus Iesus Christus, quasi dicat: Volo excludi a divinitate, gentium commentitios Deos, et affirmo unum esse Deum, quem vero, et ubi agnoscendum? Hunc inquam, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, et qui se patefecit misso filio. Cogitans igitur Deum, intuere hunc patrem filium. Tribuit enim et filio divinitatem, cum inquit: Per quem sunt omnia. Nec excludit Spiritum sanctum, sed, ut dixi, exclusiva opponitur omnibus commentitiis numinibus, sicut plerunque in Prophetis dicitur, ut Esaiae 44.: Praeter me non est Deus, dicit Iehova rex Israël, id est, praeter me patefactum in Israël.

Caput novum.

Prima pars et longior consumitur in hoc praecepto: Docentibus Evangelium deberi victum, idque praeceptum confirmat multis exemplis, et allegoria Mosaica et mandato Christi.

Allegoria Mosaica haec est: Non ligabis os bovi trituranti. Hanc imaginem ritus servandi in armento eleganter transfert ad homines, qui faciunt operas: Ut necesse est armentum pasci, ita multo magis hominem, cuius laboribus fruimur ali necesse est.

Quod autem inquit: Num boves Deo curae sunt? non tollit providentiam, sed hoc tantum dicit: Non scribi leges boum causa, sed disciplinae hominum causa, videlicet, ut homines discant iusta officia.

Addit autem Paulus, se hoc iure non usum esse, ut ali se a Corinthiis peteret, ne malevoli hac calumnia Evangelium deformarent, circumferri doctrinam, quae doctoribus aucupium esset quaerendae pecuniae, et ut vitet calumnias, ait se etiam multa tolerare, quae non necesse erat ferri, ubi suo exemplo docet, gubernatorem oportere et necessaria facere, et perferre non solum saevitiam tyrannorum, quam depellere non potest: sed etiam iniurias amicorum, quibus cum adversari posset, tamen eos condonet communi tranquillitati, ne alienentur voluntates, quae retineri et provehi possunt. Ideo *πάντα στέγομεν*, quod significat, aut onus impositum sustinere, ut columnae sustinent fastigium, aut capere, ut vas capit congium vini. Sed prior significatio de onere ferendo hic est accommodatior. Non solum tolero saevitiam Neronis et Pharisaeorum, sed etiam sustineo aliud onus, scilicet fratrum morositates et ingratitudinem, et meum dolorem dissimulo. Docet igitur exemplo suo illustri, necessariam esse gubernatori *ἐπιείκειαν*, multos multorum infirmitates et iniurias tolerantem. Sicut postea dicit: Omnibus omnia factus sum. Et saepe citatur dictum illud contra nimiam severitatem, quod extat in Graecis Epistolis: *ἴσθι μιμουμένη τὰ ὄργανα, ἃ διαφωνεῖ μᾶλλον ἀνειμένα, ἐκρήττεται δὲ μᾶλλον ἐπιτεινόμενα. καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν θεραπαινῶν ταυτὸν. ἡ μὲν γὰρ ἄνεσις διαφωνίαν ἐμποιοῦσα τῆς πειθαρχείας, ἡ δὲ ἐπίτασις τῆς ἀνάγκης, διάλυσιν τῆς φύσεως. καὶ ἐπὶ τούτου δεῖ νοεῖν, μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον.*

De hac ipsa aequitate saepe praecipit Spiritus sanctus, ut Ecclesiastae 7.: Ne sis iustus nimis. Et Paulus de sese inquit: Sapientibus et insipientibus debitor sum, id est, attemperare me ad captum imbecillium debeo, nec statim acerbe perfectionem postulare. Et 1. Thesal. 2.: Ut nutricula fovi infantes. His concionibus de aequitate obtemperemus, et amicorum infirmitates toleremus publicae concordiae causa, ut usitate dicitur: Mores amici noveris, non oderis. Hanc sententiam in hoc capite, et postea aliquoties repetit Paulus, interim tamen retinet regu-

Iam, oportere necessaria facere. Ideo dicit: Vae mihi, si non evangelizavero. Et hoc ipsum dictum testatur, obedientiam praeceptorum necessariam esse, et non quiddam *ἀδιάφορον*, ut Antinomi fingunt.

Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος. Omnis autem qui certat.

Postquam antea multa dixit de aequitate attemperante *ἀδιάφορα* ad utilitatem eorum, inter quos vivimus: nunc generalem regulam in omni vita necessariam addit, quae continet doctrinam de Diligentia, quae est prudentia in prospiciendo fine, et mediis ad finem, et intentio animi in mediis illis parandis tuendis. Estque haec regula: Sic curras, ut metam prospicias, et media et eam metam recte ducentia. Haec commonefactio etiam in Ethicis proponitur, et cum in tota vita necessaria sit, tamen saepe stultitia nostra aut pravis cupiditatibus contra eam facimus, et quasi extra viam currimus. Hos errores intelligi necesse est, ut caveri possint. Sit igitur virtus *Diligentia*, ut dixi, deliberatio de fine et de mediis, et quaedam voluntatis contentio, et constantia in tuendis mediis.

Vitia opposita sunt: Ignavia et *πολυπραγμοσύνη* orta ex variis causis, ex natura inquieta, ex pertinacia, ex ambitione, ex avaricia, ex cupiditate dominandi, ex aemulatione et similibus morbis.

Scipio in suo cursu hunc finem intuetur, ut patria sit beata, eligit media, labores militiae et legitima imperia, et non concupiscit potentiam contra leges, aut ulla extraordinaria commoda, imo ne turbet patriam, cedit turbulentis civibus, et iniurias accipit.

Habet eundem finem propositum Pericles, ut beata sit patria, et antecellat reliquae Graeciae: sed medio non recte eligit, et peccat iniusta pertinacia, cum duriora edicta proponit adversus Aeginetas, et irritat Lacedaemonios.

Alcibiades, Pompeius, et multi alii, de fine et de mediis errant. Se volunt summos esse, non beatam patriam, et multis contrariis consiliis ipsi sibi exitium accersunt. Alcibiades nunc cum civibus, nunc cum Lacedaemoniis sentit, nunc Tissapherni, nunc Pharnabazo amicus est.

Iam conferamus exempla in Ecclesia: Ieremiae, Baptistae, Paulo, meta proposita est, ut doctrina pure propagetur, propter gloriam Dei, et ut ipsi salvi fiant. Ad hunc finem eligunt media, sustinent labores docendi, ubi possunt, invitant bonis exemplis auditores, confirmant dociles, tolerant rudiores, frenant omnes cupiditates, ne aut doctrinam deforment, aut turbent Ecclesiam, aut Deum offendant.

Econtra Carolostadius etsi finem propositum habet, ut doctrina Evangelii pure propagetur, tamen de mediis saepe errat, tumultuatur de articulis aut falsis, aut non necessariis, damnat omnia forensia officia et leges Romanas, pugnat de necessitate stoica, saepe obsequitur suis cupiditatibus, iracundiae, ambitioni, avariciae, et alienat auditores, et offendit Deum. Etsi igitur studium habet inconsultum, tamen ad metam non pervenit.

Plus peccant, qui nec finem iustum intuentur, nec media recte quaerunt, ut Monetarius, rex anabaptisticus, Pontifices, qui non hoc quaerunt, ut doctrina recte propagetur, aut ut Ecclesia beata sit, sed ut ipsi potentiam aut opes sibi parent, aut defendant, aut ut voluptatibus tuto fruantur, et ad multa contraria et impia consilia decurrunt.

Iam facile est intelligere textum: Omnes currunt, sed unus accipit praemium, scilicet qui direxit mentem, consilia, et voluntatem ad iustum finem, quem infra nominat: Omnia ad gloriam Dei facite, et non sitis scandalo Ecclesiae, id est, qui praecipue hoc vult, ut Deus vere invocetur, ut Ecclesia beata sit. Et media recte eligit, recte docet necessaria, frenat cupiditates privatas. Et sic currit Paulus: *ὡς οὐκ ἀδήλως*, non coeco impetu, sine cogitatione finis, non sine prudentia eligente media salutaria, non inconsulto studio, ut currere his annis multos vidimus, non malos homines, sed media non recte eligentes, ut Huttenum et alios.

Οὕτως πυκτεύω. Sic pugno.

Ut prior similitudo a vago cursu sumta est, ita haec sumitur a pugile, qui non ferit antagonistam, sed aberrans, caestum incutit vicinio aëri. Sed sententia eadem est. Significat enim et haec similitudo eos, qui aut nullo fine proposito tumultuantur, ut multi fanatici, at alii leves homines: aut etiamsi verum finem intuentur, tamen media vel negligunt, vel non recte adhibent. Tales cum frustra laborent, dicuntur et

ipsi aërem verberare. Ut in publica gubernatione aërem verberant doctores, qui de non necessariis et incertis dimicant, cum interea relinquant necessaria, ut qui litigant de forma vestis in Liturgia: aut in privata vita monachi quaerebant multos inutiles ritus. Ut abstinentia carthusiana a carne, prorsus est aërem verberare.

Rursus laxare frenum ambitioni, aut malevolentiae, et tamen prae se ferre studium religionis, etiam est aërem verberare.

Hae imagines cursus, et pugilum certamen, pingunt diligentiam prospicientem finem et media, quia cursorem oportet intueri metam, Pugil feriat antagonistam.

Et uterque videat media, suo certamini necessaria.

Iam igitur de mediis loquitur, dicit se frenare vitiosas cupiditates, ambitionem, cupiditatem vindictae, avariciam, incendia libidinum. Usus est autem insignibus verbis: Multo plus est *ὑπωπιάζειν*, quam frenare. Nam *ὑπώπια* significat tumores ortos ex plagis. Inde est *ὑπωπιάζω*, adeo duriter tundo corpus, ut partes quassatae tumescant, et fiant lividae, quorum utrumque eo fit, quia percussione sanguis ex propriis vasis excutitur, et circa locum ictum concurrit, ubi destitutus suo calore fit pus. Etsi discrimen traditur inter haec, *ὑπώπιον* macula, *ὑπόπυον* purulentum, et *πελιώματα* livores, tamen vicina sunt, situt effectus coniuncti sunt, scilicet putrefactio, et cutis pallor seu livor. Significat igitur Paulus duras repressiones affectuum, quae cum aliquo dolore fiunt. Ut tolerantia in dissimulanda obtrectatione, et in ferendis iniuriis, quae reprimit gloriae aut vindictae cupiditatem, non potest praestari sine acri sensu doloris, ut inquit Iuvenalis:

At vindicta bonum est, vita iucundius ipsa.

Reprehendit aliquis valens autoritate sententiam a te recte traditam, et videtur aliquid de tua autoritate detrahere, hanc iniuriam saepe prodest dissimulare, sed sine dolore id fieri non potest. Ita caeteri affectus ardentiores non sine dolore reprimuntur, Ira, Amor. Si es incensus iniusto amore, vitanda est consuetudo, oculi regendi, avertenda mens est labore aliquo seu studio, quod assiduitatem aut intentionem flagitat. Haec omnia vocat duriter tundere corpus, et in servitutem redigere, id est, cogere, ut mentis iudicio facile obtemperent cor oculi, lingua et caetera membra. Haec se facere inquit, ne amittat haereditatem vitae aeternae. Hic rursus admonet, novam obedientiam necessariam esse, nec esse quiddam *ἀδιάφορον*.

Cum autem nonnulli hunc locum citarint ad confirmanda monachorum exercitia, pauca etiam de ea accommodatione dicenda sunt.

Paulus in genere loquitur de necessaria et seria cupiditatum repressione, non loquitur de Ceremoniis et Simulatione. Ut non ideo reprimit ambitionem Tecelius, quia sordidam vestem monachorum gerit. Sic non ideo reprimit flammas amoris, quia non comedit carnes die sexto. Vera ac seria diligentia coërcendi vitiosas cupiditates semper est necessaria. Ut temperantia semper est necessaria, inedia certorum dierum non est necessaria, sed suo cuiusque iudicio relinquatur. Loquitur autem de virtutibus necessariis et seriis earum exercitiis, de reprimenda ambitione, *φιλονεικίᾳ*, iracundia, aemulatione, avaricia, de extinguendis incendiis libidinum, et aliis malis.

Caput decimum.

Postquam ingressus est in hanc commonefactionem de diligentia bene operandi, iam attexit longam concionem, in qua confert Ecclesiae tempora, lapsus et poenas, ut nos excitet ad studium retinendae iusticiae, et ad cavendos lapsus. Estque haec sententia: Ut patres perierunt ruentes contra conscientiam, ita et vos peribitis, si similes lapsus admittetis. Igitur magna cura et vigilantia retinete insticiam vobis donatam. Haec est argumenti summa.

Primum igitur docet, in reconciliatis novam obedientiam necessariam esse, ut saepe dictum est.

Secundo monet, omnibus temporibus esse Ecclesiam Dei similem, scilicet coetum, in quo sonat ministerium Evangelii de mediatore, et per quod multi reconciliati fiunt haeredes vitae aeternae. Et quanquam vox ministerii eadem est, tamen externa signa differunt, ut Circumcisio et Baptismus. Mutantur enim, ut novitas signi sit commonefactrix de nova instauratione doctrinae. Sunt etiam dissimiles politiae diversis temporibus. Sed aerumnae sunt similes et gradus hominum, alii perseverant in fide, alii labuntur, et in his

aliqui lapsi rursus convertuntur, ut Aaron, David: aliqui lapsi pereunt, ut Saul, Chore, Dathan et alii. Hanc imaginem Ecclesiae veteris vult nos intueri.

Hinc tertio discimus vere reconciliatos posse labi, et rursus amittere Spiritum sanctum, gratiam et fidem, quia hic clare dicit, Omnes baptizatos esse, id est, receptos externis testimoniis, nube tegente populum, et undis stantibus in mari. Haec miracula fuerunt sacramenta, testificantia hunc populum recipi. Et Paulus utrunque facit typum baptismi.

Quod autem inquit: In Moysen baptizatos esse, intelligatur, ministerio Moysi baptizatos esse, quia necesse est scire, Verbum, quod amplectimur, divina autoritate traditum esse. Ideo nominatur in ea Ecclesia Moyses, qui illustribus testimoniis vocatus erat.

Et omnes eundem cibum spiritualem manducarunt, et eundem potum spiritualem biberunt.

Hic clare affirmat credentes in Ecclesia Moysi vere reconciliatos esse, et a Spiritu sancto renatos. Interpretatur enim potum: Biberunt ex spirituali comitante eos Petra, Petra autem erat Christus. Hic affirmat, filium Dei affuisse populo, et dedisse potum, non modo corporibus, fluentem ex rupe, sed etiam mentibus spiritualem, scilicet Spiritum sanctum. Expresse enim inquit, Petram una euntem fuisse Christum. Hoc testimonium necesse est meminisse, ut sciamus semper Ecclesiae interfuisse, interesse, et interfuturum esse filium Dei, sicut ipse dicit: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item: Maneo vobiscum usque ad consummationem seculi. Nominat autem eum Petram, alludens ad iuga montium, ad quae iter fecerunt, ex quibus flumen aquae erupit, ipso Messia fundente eos fontes, qui aderat. Est autem Christus rupes fundens fontes, quibus redditur nobis vita aeterna.

Ἀλλὰ οὐκ ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν εὐδόκησεν ὁ θεός. Sed non in pluribus eorum beneplacitum erat Deo.

Cum antea dixisset, receptos esse omnes, scilicet credentes, cum illa ingentia miracula exhibita essent, quibus Deus testificatus fuerat vere hunc populum Ecclesiam suam esse. Nunc addit alteram sententiam de lapsis, multos, scilicet lapsos non placuisse Deo, scilicet propter delicta, quae postea secuta sunt, ut deinceps Paulus delicta quaedam recitat.

At phrasis simpliciter intelligatur: Multi displicuerunt Deo, scilicet propter lapsus. Nam *εὐδοκεῖν* est bene affici erga aliquem, seu delectari aliquo, ut *εὐδόκησε τῷ ξένῳ*, bene afficiebatur erga hospitem. Sic et illud accipiatur: Hic est filius meus dilectus, quo delector. Affirmat enim pater, se et amare filium, et laetari hoc filio, quae cum cogitamus, abiiciantur stoicae imaginationes de Deo, et statuamus, ut in hominibus sunt *στοργαὶ* erga natos et parentes, ita vere esse in patre aeterno et filio amorem, laetitiam, etiamsi nescimus, quomodo haec in divina natura flagrent. Esse tamen, non dubium est, et *στοργαὶ* in nobis sunt vestigia divini amoris erga filium, nobis insita, ut aliquo modo commonefaciant nos de Deo, qualis sit, et quomodo erga filium et erga suas creaturas affectus sit.

Haec de vocabulo *εὐδοκεῖν* observanda sunt, de quo variae interpretationes ab aliis traduntur.

In recitatione delictorum exempla populi Israël et poenas proponit, ut significet, similia peccata subinde vagari in Ecclesia, et sequi poenas similes.

Etsi autem universaliter in uno delicto multa insunt, seu uni multa copulata sunt: tamen genera discernuntur, quia dissimiles occasiones sunt, quae miscent alias alia facta caeteris peccatis, quae alioqui concurrunt.

In omnibus delictis populi in deserto sunt horrenda ingratitudo, diffidentia, impatientia seu fremitus adversus Deum. Sed alias accedunt alii lapsus. Et hic nominantur ordine haec genera.

I. Intemperantia.
II. Idolorum cultus.
III. Scortatio.
IV. Tentare Deum.
V. Et murmuratio.

Intuetur autem Paulus historias populi Israël, ut dixi, quia simul nos de poenis commonefacit.

De Intemperantia extat historia apud Moysen in Numeris capite 11., ubi populus fastidiens iam Manna adpetit carnes: nec esus carnium taxatur, sed fastidium praesentis doni. Et concurrunt multa peccata ut dixi: Ingratitudo populi, qui cum a Deo tantis miraculis eductus esset ex

Aegypto, et sciret iam se in terram promissam Patribus duci, ubi pulcerrimam politiam tanquam sedem Ecclesiae certam Deus conditurus erat: nunc nec Deum nec miracula recordantur, sed taedio itinerum fracti irascuntur Moysi, quaeruntur se humano consilio, et ipsius tyrannide ex Aegypto eductos esse. Sunt et inobedientes, ut ostendit impatientia, quia mediocrem laborem itinerum recusant ferre. Cumque mediocris copia sit victus, nec laborent fame, fruuntur enim Manna, non contenti sunt hoc dono Dei, sed appetunt delicias.

Hanc intemperantiam, cum quidem et alia peccata accedunt, punit Deus. Et similia peccata subinde in Ecclesia accedunt, ut nunc, quia difficultates in re familiari, et potentum adversus nos odia et contemtum experimur propter professionem Evangelii, multi appetunt suave illud otium et splendorem, quem habuerunt ante emendationem doctrinae. Imo aliqui abutuntur Evangelio ad augendam intemperantiam et avariciam, et ad ostentationem et splendoris amplificationem. Secutae sunt igitur poenae, bella et aliae calamitates.

Secundo nominatur adoratio Idolorum. Et verba sumuntur ex Moyse capite 32. Exodi, ubi populus otiosus et securus iubet fabricari idolum. Nec dubium est populum Israël imitatione Aegyptiorum fabricasse vitulum, quia Aegyptii coluerunt *Apin* specie tauri, propter agriculturam. Et saepe homines ad usitata idola relabuntur. Praecipue vero hic consideretur, quanta sit hominum miseria, quod post tanta miracula populus tamen recipit idoli cultum, quem sciebat a Deo damnatum esse, et quod Aaron assentitur.

Causam vero narrat: Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere. Id est, in luxu et in otio homines frigidius invocant Deum, et maiore audacia fingunt opiniones de Deo, ut saepe accidit in Ecclesia. Samosatenus, Arius et similes, cum in magna securitate viverent, novas opiniones petulanter excogitarunt: et his proximis annis multi furores opinionum extiterunt. Et illi ipsi, qui antea vehementissime vociferati sunt contra ceremonias, nunc restituunt Missam, in qua sciunt manifestum idolum esse.

Tertio de Scortatione intuetur Paulus historiam in Numeris cap. 25.

Quarto nominat peccatum: Tentare Christum, cuius exemplum est in historia in Numeris cap. 21., ubi fit mentio serpentum, et Exodi 17. usus est Moyses his verbis: Cur tentatis Dominum?

Etsi autem hoc peccatum, tentare Deum, valde atrox est, et saepe accidit, tamen quia obscurius est, declarationem addemus ex collatione hoc modo.

Differunt Murmuratio et tentare Deum. Murmuratio enim est impatientiae, quae est inobedientia irascens Deo in aerumnis aut poenis. Hanc inobedientiam intelligimus utcunque, quia saepe et in sanctis existunt tales fremitus et indignationes, ut in Iob, Ieremia et aliis.

Sed tentare Deum addit aliud peccatum maius. Non tantum est irasci Deo, sed etiam insuper addere vel negationem, vel correctionem, fiducia propriae sapientiae, ut in Exodo addunt negationem: Estne Dominus inter nos, an non? Ubi contradicunt manifestis miraculis quasi decepti sint, et tota haec eductio, plena mirabilium testimoniorum *Dei*, fuerit impostura.

In Numeris capite 14. addunt correctionem horrendam ex sua sapientia, volunt novum ducem eligere, a quo reducantur in Aegyptum. Postea utcunque repressi, volunt pergere et praeliari cum hostibus, cum quidem tunc Deus prohiberet. Ita saepe humana sapientia peccat, quae iubet *Deus*, non vult facere, et quaerit alia, quae prohibet. Achas non vult parere voci Esaiae, in qua Deus promittit ei auxilium. Postea quaerit impiorum regum auxilia, quae sunt ipsi et regno perniciosa. Esaias dicit: In silentio et spe fortitudo vestra. Sed multi propter impatientiam et diffidentiam quaerunt remedia iniusta. Tales correctiones sunt tentare Deum.

Haec interpretatio congruit cum sententia, Matth. 4., ubi cum diabolus esset suasor, ut Christus omissis gradibus deiiceret se de fastigio templi per aërem, respondit Christus: Non tentabis Dominum Deum tuum. Perspicuum est enim hoc velle Christum: non sunt faciendae correctiones ordinationis divinae humana curiositate, sed homo sciens mandatum et ordinationem Dei manere inter has metas reverenter debet, et Deo gratias agere, et ei obedire. Ut cum sciamus mandatum et ordinationem Dei esse, ut homo vitam cibo et potu foveat, ut in primo et secundo capite libri 1. Moysi scriptum est, Faceret peccatum huius generis, id est, tentaret Deum, si quis nollet uti cibo et potu.

Sic sine ulla dubitatione peccant et tentant Deum, qui omissa divina ordinatione coniugii, quaerunt coelibatum, et quidem fingunt, id opus esse excellentem cultum Dei.

Sic et in Actis cap. 15. inquit Petrus: Quid tentatis Deum, imponentes iugum super cervices discipulorum? Hic manifesta est correctio. Sciunt ex Evangelio remitti peccata, et reconciliari homines, reputari iustos, sanctificari, et fieri haeredes vitae aeternae propter filium Dei *gratis*, fide, non propter ceremonias Moysi, sciunt finem esse politiae Mosaicae, sciunt promissionem Gratiae pertinere ad Israëlitas et ad Gentes. Sciunt etiam nequaquam homini licere cultus instituere, sicut scriptum est: Frustra colunt me mandatis hominum. Quanquam autem haec omnia norunt, tamen aliqui humana sapientia volunt stabilire et amplificare politiam Mosaicam, cogitant pulcrum esse, Ecclesias gentium imitari fontem, esse similes ritus, et hanc Paedagogiam esse honestiorem, sicut ingeniosi inter conversos ex Iudaeis, et amantes patriam pro sua imaginatione multa concinna argumenta excogitare poterant. Tales correctiones ortas a sapientia humana contra sapientiam Dei iam Ecclesiae patefactam, nominat Petrus tentare Deum.

Sic tentat Deum is, qui audito Evangelio de remissione peccatorum gratuita propter mediatorem, non vult acquiescere, sed currit in eremum, excogitat Monachatum, aut similia opera. Tales correctiones prorsus sunt tentare Deum.

Haec exempla non obscure declarant hanc appellationem, tentare Deum, ac sciendum est, id peccatum esse non ignorantiae lapsum, sed scientis, qui ἐκ προαιρέσεως fiducia suae sapientiae, iusticiae, aut virium, discedit a mandato et ordinatione divina, tanquam certans cum Deo, sapientia aut viribus propriis, videlicet, aut negans esse Deum, aut opera Dei, cum sit aliter convictus, aut corrigens ordinationem Dei humanis consiliis. Negant Israëlitae, se a Deo eductos esse, et contradicunt manifestis testimoniis Dei, propterea quia non omnes eventus respondent ipsorum imaginationibus. Peccant igitur impatientia, quia Deo nolunt obedire, et deinde addunt novum et atrocius peccatum, negant esse opus Dei, de quo convicti erant certissimis miraculis, negant Moysen esse ducem a Deo constitutum, sed vociferantur eum esse impostorem.

Talia peccata saepe accidunt privatim et publice, in cultibus, actionibus et doctrina.

De cultibus exempla manifesta sunt, monachi relicta via a Deo ordinata, fingunt sua vota meliores cultus esse, et mereri remissionem peccatorum, et esse perfectionem.

De actionibus via ordinata est a Deo, ut Pastores recte doceant Evangelium, nec quaerant imperia, nec moveant bella praetextu ministerii evangelici, sicut Romani Pontifices fecerunt et faciunt, et sicut Struthio et Monetarius ferebant novas leges, et movebant seditiones, ac somniabant se pulcrum statum velle constituere.

De doctrina curiositas omnibus temporibus habet exempla. Semper enim multi discedunt a verbo Dei, et quaerunt vel concinniores opiniones, vel argutiores, ut Samosatenus corrumpit dictum Iohannis: In principio erat verbum. Monachi corruperunt dictum: Fide iustificamur, scilicet formata.

Ἀπώλοντο ὑπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ.

Textus in Numeris capite 14. inquit: Exploratores omnes praeter Iosuam et Caleb subita nece coram populo divinitus interfectos esse, et consentaneum est, multos seditiosos alios simul extinctos esse. Haec facta sunt per angelum, quem nominat ὀλοθρευτήν. Et sumtam esse appellationem existimo ex 12. capite Exodi, ubi dicitur: Non sinet ingredi percussorem מַשְׁחִית, quo verbo et in historia de Sodomis textus utitur, et significat proprie ὀλοθρευτής perdentem et delentem aliquid. Ideo ad Ebraeos undecimo usus est eodem verbo de angelo eunte per Aegyptum.

Exequitur autem Deus poenas etiam per sanctos angelos, ut in historia de Sodomis manifeste dicitur.

Ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις.

Cur inquit, Typi, cum hae poenae non fuerint figurae, sed manifesta supplicia scelerum? Item: Cur dicit, ipsis accidisse ut typos?

Respondeo: Vocabulum, Ipsis, non est necesse referre ad typos, sed ad verbum, Acciderunt. Hae poenae obruerunt ipsos, id est, inter ipsos haec facta sunt.

Sed cur nominat Typos?

Vel generaliter dicit typos pro exemplis, vel quia omnes corporales poenae sunt typi, id est,

signa aeternarum poenarum, quae sequuntur, nisi fiat conversio ad Deum. Quia corporales poenae principaliter ad hoc ordinatae sunt, ut sint commonefactiones de iusticia et ira Dei, postea etiam sunt ad hoc ordinatae, ut prosint ad pacem inter homines.

Hoc igitur vult dicere Paulus: Illae poenae, quas recitat historia, fuerunt figurae significantes, Deum vere irasci similibus peccatis in Ecclesia omnibus temporibus, et aeternas poenas secuturas esse, nisi fiat conversio, sicut universaliter docet vox divina, corporales poenas esse commonefactiones de poenitentia, ut infra Paulus inquit: Cum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Item: Vexatio dat intellectum.

Ὥστε ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ. Ideo qui se existimat stare, videat ne cadat.

Admonitio utilis est, in qua primum hoc considerandum est renatos posse labi, et amittere gratiam et Spiritum sanctum, ut manifeste inquit Christus in parabola Matth. 12. Et exempla manifesta sunt, Adam, Aaron, Saul, David, et aliqui resipiscunt, ut Adam, Aaron, David, aliqui sine poenitentia perseverant in suis furoribus, et ruunt in aeternum exitium.

Tumultuantur autem de hac quaestione Anabaptistae multis modis. Aliqui negant electos labi posse, aliqui negant eos effundere Spiritum sanctum, etiamsi labantur, aliqui dicunt Saulem et alios non electos, quanquam habere veram fidem.

Sed his omnibus opponamus hoc commune dictum Pauli: Qui stat, videat ne cadat. Electos posse labi et amittere gratiam et Spiritum sanctum, testantur tristissima exempla Adae et Aaronis, de quo dicitur Deut. 9. capite: Adversus Aaron valde iratus est Dominus, et voluit conterere eum. Et sunt valde multi plurimorum sanctorum tristes et atroces lapsus, ut Davidis, Salomonis, Petri et aliorum, ex quibus tamen revocati per poenitentiam fide eriguntur, et rursus donantur gratia et Spiritu sancto, et fiunt haeredes vitae aeternae.

Et Christus sciens ingentem imbecillitatem hominum, iubet remittere septuagies septies, Matth. 18.

Itaque explodendi sunt errores Catharorum, et non sunt extenuandi sanctorum lapsus, sed potius doctrina tota de poenitentia cognoscenda et exercenda est.

Quod autem in aliquibus, qui initia fidei habuerunt, est postea lapsi non redeunt, fides illa, priusquam excutitur, vera sit, dictum Petri testatur 2. Pet. 2.: Illecebris capiunt eos, qui vere effugerant, τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας. Item: Cum enim hi, qui effugerant contaminationes mundi in agnitione Domini et servatoris Iesu Christi, rursus iisdem implicati succumbunt, fiunt eis postrema deteriora prioribus.

Et Matth. 12. Dominus expresse dicit, Expulsum fuisse immundum spiritum, et domum purgatam et ornatam. Haec de vere iustificato dici, non dubium est. Et Saul vere iustus fuit, quia textus dicit: Spiritus Domini recessit a Saul. Nec tales dicerentur lapsi, si nunquam iusti fuissent. Hac brevi admonitione hoc loco contenti simus.

Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν, εἰ μὴ ἀνθρώπινος. Tentatio vos non apprehendit, nisi humana.

Antithesis cogitetur tentationis humanae et diabolicae. Ac mitigat Paulus obiurgationem Corinthiorum, ut eos consoletur, ne fracti desperatione prorsus a Deo deficiant.

Quanquam autem erat atrox peccatum, quod supra recitavit de incesto, qui cum noverca consuetudinem habuit, et alii alia peccata admiserant, certabant aemulatione et odiis: tamen vult haec peccata discerni a blasphemiis, sicut Iohannes discernit peccata ad mortem a peccatis non ad mortem.

Tentatio diabolica est, quando Satanas in cor ingreditur, vel, sicut in Luca dicitur, quando Satanas rapit Verbum Dei ex corde hominis, ut Epicureus contemtus Dei, ut in Rabsace, aut odium et ira adversus Deum, ut in Saule, seu oppugnatio veritatis, seu rabiosa propugnatio impii dogmatis. Tales fuerunt tentationes Cain, Saul, Iudae, Samosateni, Arii, et similium, accensae diabolo impellente mentes, et confirmante tenebras, et sicut de Iuda scriptum est, Diabolo ingresso in corda eorum.

Etsi autem hoc ingens malum non comprehendi potest indicio rationis, quanta miseria sit, dominari diabolum in corde hominis: tamen cum manifesta sint dicta in narrationibus propheticis et apostolicis, expavescant omnes homines, cogitatione tanti mali, et petant, ut filius

Dei depellat diabolos, iuxta illud dictum: Nemo rapiet oves n eas ex manibus meis.

Tentatio humana est dubitatio, vel error vel lapsus ab humana infirmitate ortus, nondum ita confirmato furore, ut mens sit Epicurea, ut accedat persecutio agnitae veritatis aut odium Dei. Valde tristis lapsus fuit Davidis, et diabolus ei non leviter insidiatus est, sed tamen non potuit eum impellere ad Epicureum contemtum vel odium Dei, ut Saulem impulit.

Fortassis intuetur Paulus in hac ipsa descriptione discrimen primi sceleris diaboli, et primi lapsus hominum. Scelus diaboli fuit blasphemia, quia cum propius nosset Deum, et non aliunde impelleretur, suo consilio et arbitrio superbe contemsit Deum et filium Dei.

Sed primi parentes aliunde impulsi ceciderunt.

Etsi autem hominibus valde difficile est ista diiudicare, tamen utcunque discrimen considerandum est, et cogitandum, quam varii et horrendi lapsus sint sanabiles et insanabiles, et excitandae mentes sunt ad timorem Dei, et ad invocationem, sicut praecipit Petrus: Sobrii estote, et vigilate quia adversarius vester, diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide.

Πιστὸς δ᾽ ὁ θεὸς ὃς οὐκ ἐάσει. Fidelis autem Deus est, qui non sinet, etc.

Antea tradidit severissimam admonitionem, ut simus vigilantes, et illecebris cupiditatum ac diabolo repugnemus. Nunc consolationeem de protectione divina, et auxilio Dei addit. Et est argumentum a possibili: Cum et debeatis et possitis repugnare pravis illecebris, non sitis ignavi. Potestis autem vincere, quia Deus et pericula maiora arcet, et vobis in vestris certaminibus opitulatur. Ideo inquit: Fidelis Deus, qui non sinet vos tentari, supra quam ferre potestis, imo et cum tentatione dabit eventum, ut vincere possitis.

Fidelis est beneficus et verax. Miseretur infirmitatis nostrae, et promisit auxilium. Ideo vere nobis adest, sicut protexit et adiuvit Abraham in periculis uxoris, et Ioseph tentatum ab adultera, et postea coniectum in carcerem, et Moysen in tota gubernatione adversus Pharaonem et seditiosos, ne vel opprimeretur ab hostibus, vel fractus desperatione a Deo deficeret. Et experiuntur omnes pii hanc praesentiam *Dei* omnibus temporibus, sicut clamat David Psalmo 27.: Dominus adiutor meus et protector meus, in ipso speravit cor meum, et adiutus sum. Et Psalm. 90.: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. Et Psalmo 144.: Allevat Dominus omnes, qui corruunt, et erigit omnes elisos.

Haec et similia dicta propriissime congruunt cum dicto Pauli in hoc loco.

Sed cum tam multi superati a diabolo et sua infirmitate, ruant in exitium, ut maxima pars populi in deserto, et parabola de semine Matth. 13. significat plurimos deficere a Deo: Quomodo congruit ad haec dicta, quod tanta multitudo non protegitur?

Respondeo: Semper in Ecclesia duae sunt partes. Una habens initia timoris et fidei, quae quanquam infirma est, tamen habet exercitia Poenitentiae et Invocationis, et retinet timorem Dei et fidem, de qua parte dicitur: Habenti dabitur. Item Psalmo 144.: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Item: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Item, Esaiae 66.: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu et trementem sermones meos.

Altera pars est secura sine exercitiis poenitentiae et invocationis, ebria voluptatibus, aut admiratione et fiducia suae sapientiae et institiae, ut Saul, Achitophel, Absolon, et alii innumerabiles. Hi superantur a diabolo, quia sunt sine timore Dei, sine agitatione infirmitatis suae, sine dolore, nec expetunt auxilium Dei. Non igitur accusent Deum, quod non proteguntur, sed seipsos, quia ipsi suo furore arcent Deum, iuxta illa dicta: A non habente etiam id quod habet, auferetur. Item, Matth. 12.: Et veniens, invenit domum otiosam. Tunc alios septem spiritus assumit nequiores se, et fiunt novissima peiora prioribus. Et 2. Pet. 2.: Si cum effugeritis contaminationes mundi, rursus eis implicabimini, fiunt posteriora deteriora prioribus.

Ex his et similibus testimoniis manifestum est, dictum in Paulo intelligendum esse de his, qui habent exercitia poenitentiae et invocationem: Fidelis est Deus, nec sinet nos tentari, supra quam ferre potestis. Vos videlicet, non furentes securitate, sed habentes exercitia poenitentiae et invocationis, sicut et Salomon inquit: Beatus qui semper est pavidus. Et Zachar. 1. dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Et Esaiae 1.: Desi-

nite mala facere, et discite bene facere. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, eritis candidi sicut nix. Hos igitur protegit Deus, hos sustentat velut subiecta manu, ut nutantes aut labentes non ruant in exitium. Et in horum tentationibus regit eventus, et dat placidos exitus, sicut hic dicitur: Dat cum tentatione exitum seu liberationem, ut vincere possint.

Sed de securis, qui non habent exercitia poenitentiae, dicitur Proverb. primo: Quia vocavi et renuistis, et increpationes meas neglexistis, ego quoque in exitio vestro ridebo.

Hac distinctione considerata securitatem corrigamus, et invocationem exuscitemus. Ita nobis dulcissimam consolationem in his dictis Pauli propositam esse sciamus.

Φεύγετε ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρίας.

Redit ad speciales admonitiones, ac primum generaliter prohibet, ne polluantur ullis contagiis cultus idolorum, id est, ne accedant ad sacrificia ethnica, item ne scientes veniant in convivia, in quibus usitatum erat, vesci parte carnium consecrata. Habebant enim certae familiae sua queadam sacrificia, et dies festos, in quibus cognati cognatos vocabant.

Erat autem impia et tetra confusio, profiteri agnitionem veri Dei, et vel interesse sacrificiis idolorum, vel conviviis, ubi pars consecrata quasi religione quadam proponebatur.

Hanc confusionem fieri prohibet, sicut nunc quoque tetra confusio est, interesse pompae, in qua panis adoratur, et intelligere, panem in ea pompa esse idolum. Considerentur hic et alia similia exempla.

Cum autem fiat mentio conviviorum, Paulus antithesin facit Coenae Domini, et sacrificiorum ac conviviorum ethnicorum, et expresse inquit, non faciendam esse talem confusionem mensae Christi et mensae daemonum. Haec est summa huius loci. Nunc verba Pauli ordine consideremus.

Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν. Calix benedictionis, quem benedicimus, etc.

Manifestum est loqui Paulum de Coena Domini. Est igitur Calix benedictionis, calix, quo sumitur sanguis Christi, sicut sonant verba de institutione Coenae apud Matthaeum, Marcum, Lucam, et infra cap. 11.

Nominat autem Calicem benedictionis, et addit: Quem benedicimus, ut discernat hunc calicem a profano potu, qui hauritur sitis causa, cum hic potus hauriatur non propter corporis nostri rigationem, sed ut sit commonefactio de sanguine Christi pro nobis effuso.

Haec ut planius intelligantur, consideretur usus vocabuli benedicere, quod aut significat gratias agere, ut cum dicitur, Psalmo 33.: Benedicam Domino omni tempore. Et David 1. Reg. 25.: Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit te hodie in occursum mihi.

Aut significat bona precari: aut cum Deus benedicit, significat benefacere, quia Deus dicendo efficit, ut Genesis 48. scriptum est: Benedixit Iacob filiis, id est, bene precatus est. Et postea in eodem loco: Benedicat Deus pueris istis, id est, dicendo benefaciat eis, det eis bona. Item: Benedictio Domini divites facit, id est, Deus bona dicendo auget, et custodit facultates.

Hae sunt praecipuae significationes verbi Benedicere, quarum exempla ubique obvia sunt, et in lectione prudenter iudicandum est, quae sit simplex et nativa significatio.

Promiscue autem usurpata sunt in Matthaeo et Marco de Coena Domini verba *εὐλογήσας* et *εὐχαριστήσας*. Et verbum *εὐχαριστήσας* ostendit, Dominum velle in coena fieri gratiarum actionem. Itaque simplicissima erit enarratio: Calix benedictionis, id est, calix gratiarum actionis, ex quo bibentes agamus gratias Deo, et Domino nostro Iesu Christo, quod sanguine Christi redemti simus, id est, agnoscamus et celebremus hoc beneficium, et vera fide statuamus, nos recipi, et pro immensa misericordia et mirando consilio redemtionis reverenter agamus gratias, et sit vera gratitudo, qua corda se Deo subiiciant, et vere eum invocent. Caeteras interpretationes omitto.

Ita quod sequitur: Quem benedicimus, id est, apud quem dicimus verba tradita a Domino, item gratiarum actionem et precationem, quae omnia simul sunt ritus discernens hanc coenam a profana coena, quae pascit corpus nostrum. Nam haec coena non est ad hunc physicum usum instituta, sed habet alium finem.

Usitata est aliis interpretatio, quem benedicimus, id est, quem consecramus.

Haec interpretatio dextre intellecta, non vituperanda est. Consecramus, id est, addimus sacra verba et gratiarum actionem, ne sit usus profanus seu physicus, sed sit consolatio animae. Sed sacrificuli dicunt, consecramus, id est, facimus virtute verborum mutationem substantiae.

Adest autem Christus suo Sacramento, non quia sacerdos faciat ibi mutationem, aut quia sit vis in verbis mutans res, sed quia liberrime vult adesse ritui quem instituit, sicut Spiritus sanctus liberrime adest in baptisando.

Οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστὶν.

Id est, est illa res externa visibilis, qua sanguis Domini nobis exhibetur.

Sic panis quem frangimus, est illa res externa visibilis, qua efficimur socii et membra corporis Christi. Sicut dicitur: Evangelium est potentia Dei, id est, illa res seu instrumentum, quo Deus est efficax.

Recentior aetas monachorum finxit transsubstantionem, quam ita novo nomine nuncuparunt, de qua priusquam dico, quaedam de ratione Sacramentorum dicenda sunt.

Exordiar autem a primo initio.

Ecclesia Dei colligitur voce promissionis inde usque ab initio, mox post editam primam promissionem, qua recepti sunt Adam et Eva: ac semper addidit promissioni Deus externa signa. Ac de signis ante diluvium non multa scripta sunt. Sed tamen signum erat ipsa agni inflammatio.

Deinde cum promissio renovata est, et restricta ad posteritatem Abrahae, additum est signum, scilicet circumcisio.

Et deinceps in ceremoniis Leviticis multa signa fuerunt, mactatio agni Pascatos. Et postremo post adventum Messiae, Baptismus et Coena Domini.

Ita Ecclesia semper voce promissionis et Sacramentis constituta est, et a caeteris gentibus distincta, et Patres et Prophetae, et eorum auditores pii et eruditi intellexerunt doctrinam de promissione gratiae et fide, et vero usu signorum. Sed magna multitudo semper omnibus aetatibus oblita est doctrinae de promissione et de insticia fidei, et signorum usum multis modis depravavit.

Alii signa verterunt in numina seu Deos, ut Chaldaei et Persae ignem finxerunt esse ipsum Deum, quia audierant igni delapso ex coelo incensas esse victimas.

Alii finxerunt ritus esse opera, quae mereantur remissionem peccatorum. Et hac opinione cumularunt illa opera, et non solum novas ceremonias, sed etiam nova numina et novos Deos excogitaverunt.

Sic Pharisaei putabant se mereri remissionem suis sacrificiis, et iubebant populum saepe facere mactationes, ut hoc modo peccata delerentur.

Hi errores vagati sunt in genere humano omnibus aetatibus.

Ita circumferunt Papistae panem, et affirmant esse Deum. Et de Missa, de monasticis ritibus dixerunt, haec opera mereri remissionem peccatorum. Et populus hac persuasione fascinatus, magna pecunia cumulari tales ceremonias curavit.

Hos tetros errores necesse est in in Ecclesia taxari. Et videmus Prophetas gravissimis et asperrimis concionibus hos furores damnare, ut Psalm. 49.: Non in sacrificiis tuis arguam te. Et Iesaiae 1. Et Ierem. 7.: Non praecepi de holocaustis, ubi certe Iudaeis videbatur Propheta expresse pugnare cum lege. Et Oseae 6.: Misericordiam volo, non sacrificium: et agnitionem Dei magis quam holocausta.

Denique passim in Prophetis obviae sunt tales conciones. Haec vero loca tantum eo indicavi, ut illa vetera certamina iuniores considerent, et agnoscant similia esse praesentium.

Reiectis vero abusibus, extet in Ecclesia doctrina pura et integra de insticia fidei, quod homo accipiat remissionem peccatorum, et reputetur iustus fide propter filium Dei *gratis*, non propter propriam dignitatem, opera, aut virtutes.

Deinde sciendum est, duos esse potiores fines Sacramentorum. Alter est, ut sint signa Promissionis. Alter, ut sint signa Confessionis, et distinguant Ecclesiam Dei a caeteris gentibus. Ut circumcisio primum erat signum promissionis. Nam promissio facit mentionem seminis. Igitur in ea parte signum institutum est. Atque ita testimonium est de voluntate Dei erga nos, sicut ipsa promissio. Et recte inquit Augustinus: Sacramentum est verbum visibile, id est, idem monet quod promissio, sed incurrit in oculos, cum

promissio accipienda sit auribus, et mens intuens signum, commonefiat de voluntate Dei erga nos, hoc est, de promissione, et statuat se iuxta promissionem receptum esse. Et nitatur fides ipso mediatore, non hoc opere aut signo.

Addidit autem Deus talia signa promissionibus, ut firmior et durabilior memoria esset promissionum, quia spectacula incurrentia in oculos magis movent animos, et facilius retinentur, quam nuda dicta.

Alter finis est, ut sint signa confessionis et distinctionis Ecclesiae. Sed hic finis nec primus nec solus esse ducatur, ut Anabaptistae fingebant, Baptismum tantum fuisse ritum inventum, ut discerneret Ecclesiam ab aliis hominibus. Imo prior finis est, ut sit signum voluntatis Dei erga nos, videlicet promissionis, monet certo nos mergi in mortem filii Dei, et propter eum ac per eum ablui peccata nostra.

Deinde accedunt alii fines. Et quaedam signa proprie sunt nervi publicorum congressuum, quia semper Deus voluit exaudiri vocem Evangelii in genere humano, ac propterea ut late spargi vox Evangelii posset, voluit audiri et conspici Ecclesiam, et honestos congressus publicos doctrinae propagandae causa instituit, et hos immensa bonitate omnibus aetatibus servat, frementibus diabolis. Et ut tales congregationes fierent maiore gravitate, ceremonias addidit, tanquam ritus panegyricos, quae essent vincula et nervi illorum congressuum.

Hae gravissimae et verissimae causae rituum publicorum considerentur, et procul removeantur imaginationes, quae fingunt idola et meritum.

Deinde et haec sententia verissima teneatur, nihil habere rationem Sacramenti extra usum institutum, quia Sacramenta sunt actiones in Ecclesia ordinatae certo modo. Cum ritus mutatur, aut extra institutum ordinem transfertur ad alios usus, non est Sacramentum, sed actio superstitiosa, aut idolum, ut si baptisatio fieret ad tollendam lepram, talis mersio non esset Sacramentum, sicut circumcisio Iudaeorum hoc tempore, nec Mahometica circumcisio ullo modo rationem habet Sacramenti.

Ita panis, qui circumgestatur, nullo modo rationem habet Sacramenti, et adoratio prorsus est idoli adoratio, sicut adoratio ignis Chaldaici aut Persici, quem fingebant esse Deum, et nominabant Orimasda, id est, sacrum lumen. Sic et in papistica oblatione adoratio est idoli adoratio, quia cultus ille extra institutionem confictus est. Hanc tam tetram profanationem et idolomaniam cum piae mentes cogitant, non possunt non horribiliter dolere.

Et valde consentaneum est, Danielem de hoc ipso idolo loqui, cum inquit, Colet Deum Maozim auro et argento. Nec nomen Maozim procul abest a nomina Missa, quod nomen etiam affine est nomini Mazon, quod Cibum significat. Sed filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum assiduis gemitibus oremus, ut propter suam gloriam omnia idola et omnes errores ex Ecclesia tollat, et in mentibus nostris veram invocationem accendat.

Remotus igitur abusibus dicamus de vero usu.

Actio recitatur a Matthaeo, Marco, Luca et Paulo, quae sic fiat, sicut ibi describitur. Et sit primus finis, ut haec sumtio sit nobis tanquam pignus, quo confirmati credamus vere nos esse et fieri membra filii Dei, et ablutos esse sanguine filii *Dei*. Atque ita statuamus nobis certissime dari remissionem peccatorum, non propter hanc sumtionem, sed propter filium Dei, qui fuit victima pro nobis, et nunc regnat, colligit et sanctificat Ecclesiam. Ita fit applicatio beneficiorum Christi propria, fide, et sumtione propria, non aliena oblatione sacerdotis, quia manifestum est, institutam esse sumtionem singulorum, sicut dicitur: Accipite, manducate. Nec existimetur hoc spectaculum esse simile tragoediae Herculis aut Thesei, ut profani homines imaginantur, ubi mortuorum et absentium recordatio fit, sed vivit filius Dei et regnat, et vult adesse Sacramento in hoc usu instituto, et nos sibi tanquam membra copulat, et sine ulla dubitatione ibi efficax est in iis, qui fide sumunt, et hac consolatione se sustentant.

Postea sunt alii fines huius totius actionis.

Primus ille est, quem dixi, Ut fides exuscitetur, applicans nobis beneficia. Sicut Abraham cogitatione circumcisionis exuscitabat fidem, laetabatur promissione seminis.

Secundus, Gratiarum actio, quia beneficii recordatio simul accendere gratitudinem debet. Hinc est usitata appellatio εὐχαριστία. Et Cyprianus complectitur utrunque finem, adfirmat accipienda esse beneficia Christi, et vicissim agendas esse gratias: Pietas inter data et condonata tanti beneficii largitori gratias agit.

Tertius finis est, Ut sit nervus publicae congregationis, in qua vult Deus sonare et conservari vocem Ministerii evangelici. Ideo dicit: Quotiescunque facietis, mortem Domini annunciabitis. Ac semper voluit Deus honestos et publicos Ecclesiae congressus esse, et eos sua bonitate conservat et tuetur.

Quartus finis, Ut in publico congressu sit testimonium confessionis, quia vult Deus per hanc sumtionem conspici, quam doctrinam, quos coetus approbemus.

Quintus finis, Ut sit mutuae dilectionis et quasi foederis signum, sicut usitatissimum fuit sancire foedera simul edendo in sacrificiis.

Sed prudenter discernendi sunt tot fines, ac semper principalis retinendus est, ne de pravetur usus ceremoniae.

Num igitur dico, quod idolum aliquid sit?

Refutatio est argutae excusationis, qua defendebant aliqui suam licentiam: Cum idolum nihil sit, licet rebus uti, quales sunt natura, ut Rahel idola patris aurea secum avexerat, ut viaticum haberet, non ut coleret.

Hanc callidam elusionem Paulus refutat: Etsi nihil est reipsa idolum, tamen necesse est opinionem et cultum in Ethnicis aperte taxari. Nam horum furores, qui idola vel excogitant vel stabiliunt, sunt magna et tetra peccata, quibus adversari necesse est, quia dictum est: Non habebis Deos alienos.

Illi autem, qui intersunt vel sacrificiis vel conviviis sacrificantium idolis, confirmant eorum opinionem, cum non ostendant se abhorrere a talibus sacrificiis. Sicut nunc, si qui comitantur dominos in circumgestatione panis, videntur illam adorationem non improbare, quae certe pugnat cum dicto: Non adorabis Deos alienos.

Multum differt exemplum Rahel a Corinthiorum conviviis. Nam cum Rahel aufert statuas, hoc ipso ostendit, se nolle eas a patre coli, nec ipsa colit, sed aurum in viaticum collatura est, sicut Irene filia imperatoris Licinii statuas aureas in sacello patris destruxit. At familiaritas Corinthiorum cum sacrificantibus similis erat collusioni. Certissimum est autem, velle Deum vitari idolorum cultus et confirmationem.

Non obsura est Pauli sententia, sed fiet magis perspicua, cum transferemus eam ad exempla eorum, qui nostra aetate intersunt circumgestationi panis, aut idolorum cultibus in invocatione mortuorum, aut Missis funebribus et similibus.

Πάντα μοὶ ἔξεστιν, ἀλλὰ οὐ, etc. *Omnia mihi licent, etc.*

Refutat aliam obiectionem ex doctrina de libertate Christiana sumtam: Libertas Christiana tollit discrimina ciborum. Cur igitur interdicis mihi in amicorum conviviis his cibis, quos scio creaturam Dei bonam esse, nec mutari per stultas consecrationes, sicut aurum, ex quo facta sunt sacra pocula, non mutatur?

Respondet Paulus, addens restrictionem ad generalem doctrinam de libertate: Quanquam licent omnia, scilicet in hoc genere, quae dicuntur media, ut in usu cibi, potus dierum, tamen addenda est haec restrictio de scandalo: Non utaris libertate, ubi confirmat cultum idolorum, aut ubi adducit conscientias imbecillium in dubitationem, sed servias utilitati aliorum.

Postea rursus addit Paulus confirmationem doctrinae libertatis. Omne quod in macello venditur, comedite, non inquirentes propter conscientiam, quia Domini est terra et plenitudo eius. Nihil in his locis dicitur de distinctione politica rerum. Libertas Christiana non concedit conturbari dominia, et rapi aliorum coniuges aut pecudes. Quia hanc civilem societatem vult Deus regi politicis ordinationibus. Non de civili societate hic dicitur, sed de conscientia singulorum erga Deum, in usu rerum propriarum. Hoc quaeritur, an sit peccatum coram Deo, vesci carne leporis, qui iure tuus set. Hic respondet Paulus, non esse peccatum. Et accomodat dictum ex Psalmo: Domini est terra et plenitudo eius.

In Psalmo non dubium est hanc simplicissimam esse sententiam: Cum alloquatur reges, Attollite portae capita vestra etc. Initio praeponit antithesin: Domini est terra, quasi dicat: Non est Regum et Principum, sed Dei. Vestrum est ei obedire, et sic uti terra, ut placet Domino: et quidem vult Dominus ex tota terra colligere Ecclesiam. Haec est nativa sententia. Paulus generalem sumsit de creatione, cuius etiam mox fit mentio: Ipse super maria fundavit eam, Dominus condidit terram, et res nascentes in ea, et quidem condidit, ut frueretur Ecclesia, et sunt res bonae. Et bona

conscientia omnibus convenientibus rebus usurus erat Adam. Hoc dominium nunc redditur Ecclesiae, Omnibus convenientibus rebus bona conscientia nunc Ecclesia uti potest. Nam vincula legis remota sunt, et res ideo conditae sunt, ut eis Ecclesia fruatur.

Συνείδησιν δὲ λέγω, etc. *Conscientiam autem dico, etc.*

Vocabulum est forense, ἀνακρίνοντες, quod significat scrutantes, interrogantes seu inquirentes, sicut in iudiciis examinantur litigatores aut testes. Paulus igitur tanquam prudens monitor, ut occasiones multarum quaestionum praecidat, mavult omitti interrogationes. Nam si qui vescerentur inscii, non erat futura disputatio, sed ignorantia pariter omnes excusabat.

Addita est autem utilissima admonitio de rebus mediis, ut quocunque tempore sic eis utamur aut non utamur, ne alienas conscientias sauciemus. Talis est enim natura hominum, ut aliqui aut inscitia aut infirmitate turbentur, et in dubitationem adducantur: aliqui vero morositate aegre ferant fieri aliquid contra suas opiniones et contra suam consuetudinem. Postea languefiunt fides et invocatio tum dubitatione, tum indignatione. Et sequuntur ex his parvis offensionibus magnae et perniciosee discordiae et defectiones.

Sive igitur infirmitas, sive morositas, sive malitia causa est dissensionum, Paulus ut sapiens monitor suadet vitari occasiones talium dissidiorum, et mavult doctos non uti sua libertate, ne spectatores irritent qualescunque sunt, seu infirmi, seu stulti, seu morosi. Est omnino sapienter cogitata Pauli admonitio, ut postea in conclusione ostendet eius argumentum, quod opponit obiectioni eorum, qui volunt perhiberi doctiores. Hi opponunt morosis haec dicta: Quare libertas mea iudicatur ab aliena conscientia? Quare morosi sumunt sibi iudicium de nobis, et nos contemnant propter usum rei concessae, propter vestem aut ordinem cantionum? (Nam haec verba μιμητικῶς legenda sunt.)

Etsi autem Paulus hac ipsa obiectione etiam taxat morosos, tamen ut sapiens monitor, potius vult sapientes alienae infirmitati et morositati cedere. Et regulam tradit, quae monstrat summos fines omnium deliberationum, quorum consideratio omnes actiones in tota vita regere debet.

Primus et summus finis est omnium creaturarum, praesertim intelligentium, ut omnia faciant ad illustrandam noticiam Dei, et ornandam eius gloriam, et confirmandam invocationem. Hic finis in primo praecepto continetur, et lex naturae aliquo modo eum monstrat. Et filius Dei inquit: Luceat lux vestra, ut glorificetur pater vester coelestis. Ita hic inquit: Omnia ad gloriam Dei facite.

Deinde sequitur altera regula: Non offendite Ecclesiam Dei. Post illam primam curam de gloria Dei, sit proxima cura, non quod nobis suave est, aut pulcrum videtur, sed quod fovet communem concordiam, et non turbat invocationem. Talis circumspectio necessaria non est solum in Ecclesia, sed etiam in vita civili, sicut Plato inquit: Omnium legum fines esse oportere hos duos, ut cives honesti sint, et inter sese amici.

Hae regulae ex fontibus sapientiae sumtae, diligenter cogitandae sunt in omnibus vitae actionibus. Et homo considerans, quibus rebus vel foveatur vel turbetur communis concordia, intelligit harum regularum vim maximam esse.

Caput undecimum.

Prima admonitio est in hoc capite, ut unam normam doctrinae et cultuum traditam a Domino nostro Iesu Christo sequamur. Ideo Apostolus inquit: Imitatores mei estote, sicut ego sum Christi. Nequaquam vult doctrinam aut cultus alios recipi, nisi quos accepit traditos a Christo. Et laudat auditores, quod retineant doctrinam et ritus, sicut ipse tradidit. Et vocabulum παραδόσεις intelligatur de doctrina et ritibus praecipuis, quorum testimonia extant in scriptis apostolicis. Et rituum usus intelligatur iuxta doctrinam Apostolorum, sine superstitione.

Etsi autem occasio quaestionis de mulieribus non velatis, sciri hoc tempore non potest, praesertim cum in his regionibus alia nunc sit consuetudo: tamen adparet ortam esse eam quaestionem ex sermonibus de libertate. Aliae veteri more veniebant in publicam congregationem velatae, sicut Iudaicae et Romanae mulieres incedebant: aliae liberiores incedebant non velatae. Et credibile est, severioribus displicuisse hanc libertatem, quae fortassis imitatio erat ethnicarum mulierum, ut ex comoediis iudicari potest.

Igitur Paulus ritum severiorem adprobat, et quaerit rationes in ipso ordine in creatione instituto, sicut in moralibus regula servanda est, ut ordinem naturae convenientem iuxta creationem sequamur. Abstineat vir a muliere menstrua, abstineat a puerpera, propter naturae debilitatem. Ita hic argumentatur: Natura mulier ornata est prolixiore coma, ut sit tecta. Et turpe et alienum a natura est, mulierem conspici sine ulla coma. Ergo inquit, sit tecta.

Ab hac convenientia naturae sumitur argumentum, et vult Paulus fieri id, quod est honestius, quia naturae magis congruit, sicut nos nunc dicimus, honestius esse in publico congressu vestitum esse mediocri veste, quae nates tegit, quia naturae congruit eas partes tegere.

Et vox valde digna est consideratione et memoria, cum ait: An non docet vos natura? Hic sciamus in moribus considerandum esse legem naturae. Diserte enim dicit: An non docet vos natura? non vult nos cupiditates seu affectus huius depravatae naturae sequi, sed vult intelligi, quid doceat natura, id est, legem seu noticias monstrantes ordinem vult aspici. Hoc discrimen diligentissime considerandum est. Et saepe in moribus haec regula proponi potest: In contractibus servato aequalitatem, quia natura docet hanc aequalitatem iusticiam esse Deo placentem, et necessariam communi societati, et nisi servetur aequalitas, exhauriri unam partem et interire. Ac multa exempla recitari possent. Sed satis sit monitum esse lectorem, ut hanc regulam observet, de natura docente. Et tamen sciendum est, loqui Paulum de moribus et de lege, non de promissione Evangelii aut aliis materiis extra conspectum rationis humanae positis. Imo et in his moralibus sciamus etiam nobis circumdatas esse metas per expressam legem Dei, quia ratio in aliquibus negotiis, praesertim in haec naturae depravatione vagatur longius, ut Lamech ausus est plures uxores ducere, et deinde Aegyptii duxerunt sorores. Etsi igitur considerandum est, quid doceat natura, tamen Deus ideo legem quoque tradidit, ut vagabundae rationi frenos iniiceret. Anteferenda est igitur lex Dei expressa.

Haec in summa de hac quaestione dicta sint, de qua tamen Paulus ipse ostendit, se non velle haec superstitiose intelligi, non facit cultum, non opus necessarium, hanc velandi consuetudinem: sed vult contentiones vitari, et monet, quid sit honestius.

Viri caput est Christus.

Recitavimus praecipuam in hac admonitione sententiam: Imitatores mei estote, sicut ego sum Christi. Vult nos amplecti doctrinam a filio Dei traditam, et prorsus nihil recipi contra Evangelii sententiam.

Deinde in quaestione de velandis mulieribus utitur duobus argumentis, quae non superstitiose accipienda sunt. Et in altero perspicuitas maior est. Nam natura comam prolixam mulieri addidit, et significat magis eam tegendam esse, quia minus debet venire in conspectum populi. Viro non est addita talis coma, quia virum in gubernatione, in acie, in Senatu, in dicendo conspici oportet. Ergo mulier sit velata. Enthymema oratorium est, et a signis in natura et iudicio naturali recte sumtum. Et homines sani huic argumento tam apte sumto ex natura, non refragantur.

Alterum argumentum obscurius est, quod cum dextre et sine cavillationibus accipitur, congruit ad hanc quaestionem, et doctrinam continet utilem. Gradus facit: Deus est caput Christi. Christus est caput viri. Vir est caput mulieris. Hic cavillator obiiciet: Imo Christus et mulieris caput est, sicut certissimum est, mulieres et viros pariter haeredes esse vitae aeternae, et pariter recipi fide propter mediatorem. Et scriptum est: In Christo nec mas est nec foemina, nec προσωποληψία est. Sed vere et dextre sic respondeo. Paulus non loquitur hic de remissione peccatorum utriusque, sed de ministeriis. Ita sine ulla sophistica congruit ordo in gradibus recitatis. Deus est caput Christi, non de essentia dicitur, sed de ministeriis. Filius mediator accipit ministerium a consilio divinitatis, sicut saepe inquit: Pater misit me. Fit hic mentio non arcanae essentiae, sed ministerii, ad quod filius singulari modo missus est. Deinde congruit: Christus est caput viri. Certissimum est, virum in toto genere humano primum accipere ministerium docendi et gubernandi publicum coetum: cum quidem velit Deus semper esse publicos congressus et vocem docentium in publico coetu exaudiri a toto genere humano, sicut dictum est: In Ecclesia magna laudabo te. Est igitur regulare hoc, viri esse hanc gloriam, do-

cere et regere coetum publicum, et politias, et mulierem proprie gubernatricem oeconomicam esse, sicut inquit Homerus: *λόγος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.*

Sequitur ergo gradus oeconomicus: Vir est caput mulieris, id est, vir prius accipit ministerium docendi et regendi, deinde partem attribuit mulieri in oeconomia. Mater docet et regit sobolem, sicut Rebecca docet filium Iacob. Haec interpretatio vera, plana et perspicua est. Et vir in publico coetu doctor est, et gubernator et praeliator. Hunc conspici oportet: ideo non sit velatus. Mulier non docet in publico congressu, nec est gubernatrix politica nec praeliatrix: ideo in publico conventu sit velata. Haec apte congruunt, quia oratorem, gubernatorem, ducem, in acie conspici oportet, sicut et domi in oeconomica gubernatione matremfamilias conspici oportet.

Sunt ergo perspicua haec dicta: Vir in publico congressu stans velatus in precatione publica, aut concione, deformat caput, id est, non servat ordinem, non vult conspici, sicut Christus se praebet conspiciendum.

Dux qui non vult conspici, spernitur ab exercitu. Et semper fuit et est usitatum, duces habere singularia signa in acie, ut cerni et agnosci possint.

Sic oratoris actio, si diceret velatus, ridicula esset. Actio enim dominatur in vultu et in oculis. Recte igitur scriptum est: Deformat caput, se et Christum.

Econtra mulier deformat caput, si non sit velata, quia etiam non servat ordinem, et intexitur membrum ex altero argumento: Natura eam texit coma.

Vir est imago et gloria Dei.

An non et mulier est imago Dei? Verissimum est, ita conditum esse genus humanum marem et foeminam, ut sint naturae intelligentes, aeternae, agnoscentes Deum, ornatae iusticia, et collocatae in mundum, ut certis officiis celebrent Deum, et eius noticiam tradant nascentibus ex ipsis. Ita uterque est imago et templum Dei, uterque est natura intelligens, ornata agnitione Dei et iusticia.

Sed tamen gradus sunt. Vir est prior muliere, et mulier mirando consilio ex ipso condita est, et tamen similis viro, et serviens suo loco in simili officio, quia voluit Deus hanc ipsam creationem typum esse Ecclesiae nascentis ex filio.

Sine ulla dubitatione proxima imago est aeterni patris, filius, id est, est natura intelligens, habens radios in se transfusos essentiae, sapientiae, iusticiae et vitae aeterni patris, et est gloria patris, id est, ostendens et celebrans patrem in genere humano.

Deinde sicut ex Adam sumitur costa, unde, ut ibi scriptum est, aedificatur Eva: ita sumitur Ecclesia ex ipso corpore filii Dei, id est, ex natura socia filii Dei redemta per ipsum. Et haec est imago domini, natura intelligens, accipiens ab ipso immediate verbum, agnitionem Dei, sapientiam et iusticiam, et est gloria celebrans eum. Et quia est os ex ossibus eius, et caro ex carne, mirabile incendium est amoris mutuum inter hunc dominum et inter Ecclesiam.

Hic typus illustrat dictum Pauli, imo totam doctrinam de Creatione. Ut Christus est imago aeterni patris: ita vir est proxima imago Dei seu Christi, id est, natura intelligens, ornata agnitione Dei et iusticia, et ordinata ad publicum ministerium, ad celebrandum Deum.

Postea et mulier cum sit ex viro sumta, proxime est imago et gloria viri, sed tamen simul copulata Deo, quia quae uni tertio aequalia seu similia sunt, inter sese sunt aequalia seu similia. Itaque et mulier est natura intelligens, ornata agnitione Dei et iusticia, et ordinata ad certum ministerium, sed angustius ministerio viri, scilicet ad institutionem et gubernationem oeconomicam. Et tamen simili sapientia et iusticia invocant et celebrant Deum. Ideoque mirando incendio diligit vir mulierem, et mulier virum, quia mulier ex viro sumta est, et est similis, id est, natura intelligens, ornata simili agnitione Dei, sapientia et iusticia. Et amorem accendunt cognitio et similitudo, quae tunc perfecta est, cum copulati sunt in Deo, sicut et initio ante lapsum Mas et Foemina pariter in Deo copulati erant. Ex his fontibus sumenda sunt vera et miranda argumenta consociationis maris et foeminae, et coniugii, et amoris mutui. Non sic amat vir statuam, quia nec cognata est, nec similis est, id est, non est res intelligens, nec ornata simili sapientia et iusticia, ac simili ministerio. Sed mulier est cognata, et est similis, id est, est res intelligens, ornata simili agnitione

Dei et iusticia, et serviens in eodem ministerio, quanquam angustiore, et socia generationis, et opitulatrix viro in multis vitae officiis et periculis. Ideoque et gloria viri est, quia est cognata, similis, socia generationis, et opitulatrix in vita. Huius mirandi ordinis sapientia et bonitas, nunc post lapsum nec intelligi, nec verbis enarrari potest, sicut intelligi et enarrari poterit, cum haec consilia Dei considerabimus in illa aeterna consuetudine Dei, ad quam sine ulla dubitatione conditi et redemti sumus.

At Paulus res maximas breviter attigit, nec voluit tantum pueriliter rhetoricari, sed gravissime concionatus est de mirando foedere et ordine Dei, Christi, maris et foeminae. Ego summa rei utcunque indicata, lectorem adhortor, ut de his rebus maximis piam meditationem adhibeat.

Συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀκούω σχίσματα ἐν ὑμῖν ὑπάρχειν. Convenientibus vobis in Ecclesia, audio schismata inter vos esse.

Dictum est supra, Deum velle, ut fiant honesti congressus publici, in quibus sonet vox Evangelii, et nervum nostrorum congressuum esse coenam Domini, quia vult Deus Ecclesiam conspici et audiri, ut filius in toto genere humano agnoscatur, et nota sint beneficia, quae propter filium generi humano donantur. Hos igitur publicos congressus hic ordinat Paulus. Et quomodo eos ordinet, et quomodo discesserit ab hac forma Pauli recensior aetas, postea dicemus.

Prius admonendus est lector de hoc dicto: Oportet haereses esse. Nota sit doctrina et aliis manifestissimis testimoniis, Deum non esse causam peccati, nec velle nec adprobare, nec efficere nec adiuvare peccata, iuxta illud: Deus non volens impietatem tu es. Nec in Deo sunt contradictoriae voluntates, quia verax est. Et Iohannis 8. dicitur: Cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur.

Ex his fundamentis, quae sunt verissima et firmissima, sumatur interpretatio dicti: Oportet haereses esse. Nequaquam enim intelligenda est necessitas aliter, nisi de necessitate consequentiae, scilicet, quia cum diabolus ardens odio filii Dei, non desinat turbare Ecclesias, et levia ingenia facile impellat, non cessant causae horribilium dissidiorum. Ita sequitur, ut multae oriantur haereses, etiamsi Deus vere his furoribus irascitur, et nequaquam necesse est voluntates humanas eis implicari. Sed pii invocantes Deum, et veritatem quaerentes, possunt eas vitare, sicut hic quoque significat Paulus discrimina voluntatum esse: Talibus signis, inquit, discernuntur sinceri a fucatis. Sinceri amant veritatem et constanter eam retinent. Alii leves, aut ambitiosi aut avari facile impelluntur, ut nova dogmata amplectantur.

Hac vera admonitione de dicto Pauli hoc loco contenti simus. Nunc videamus quomodo coenam Domini ordinet.

Primum vult esse communem, et prohibet particulares coenas in uno loco. Fuit igitur una communis coena, et non unius oblatio. Quare hoc testimonio improbari consuetudinem privatae Missae postea natam, manifestum est.

Postea vult addi concionem. Ideo inquit: Quoties editis panem hunc, et hoc poculum bibetis, mortem Domini annunciate.

Tertio vult omnes adferre poenitentiam, et prohibet manducationem fieri ab iis, qui perseverant in delictis contra conscientiam. Ideo inquit: Qui indigne manducat, reus est corporis et sanguinis Domini. Item: Probet homo seipsum, et sic de pane manducet, et de poculo bibat. Cum enim haec coena nominetur, et sit ritus novi Testamenti, id est, novae promissionis obsignatae morte filii Dei, et sit testimonium remissionis peccatorum, nec remittantur peccata perseveranti in delictis contra conscientiam, et contemnenti remissionem, manifestum est, contemni hoc testimonium remissionis a talibus.

Itaque sciant bonae mentes, quid sit indigne manducare, et qualis exploratio requiratur.

Digne manducat, qui mortem filii Dei cogitans, agnoscit iram Dei adversus nostra peccata, et agit poenitentiam, et simul agnoscit placatam esse iram Dei, et remitti peccata propter filium, et hanc mirandam promissionem Dei esse novum Testamentum, confirmatum morte filii Dei, et hac consolatione erectus, credit se recipi, et placere Deo, et hunc ritum statuit testimonium esse huius beneficii divini.

Requiritur ergo et haec scrutatio: An sit in nobis malum propositum, an sit poenitentia, an sit fides, qua remitti nobis peccata nostra statuamus, et an hac consolatione erecti ad mediatorem accedamus.

Caeterum nota sit doctrina communis, quae peccata sint in sanctis in hac vita, quae non sint. Non sic intelligatur dignitas, quod nulla sint in nobis peccata, sed quod oporteat deponi peccata contra conscientiam.

Quarto poena consideretur. Manifeste hic dicit Paulus, multos aegrotare, et multos mortuos esse propter abusum coenae. Ergo etiam in sanctis punitur negligentia, multo magis vero punientur praesentibus et aeternis poenis omnes illi, qui coenam Domini verterunt in horrendum cultum idolorum, et qui quaestus causa finxerunt sacrificium, pro vivis et mortuis. Horum maximorum scelerum magnitudo conspicietur post hanc vitam. Et ibi agnoscemus, haec scelera multarum calamitatum in hac vita causas fuisse. Oramus autem ardentibus gemitibus filium Dei, ut ipse his magnis vulneribus Ecclesiae medeatur.

Nunc verba consideremus.

In textu est: Quod pro vobis frangitur. In narratione apud Lucam scriptum est: Quod pro vobis datur, id est, quod est victima pro genere humano. Ideo et hic alia interpretantur, frangitur pro laceratur. Id non reprehendo. Sed simplicius videtur fractionem intelligendam esse distributionem, sicut Ebraei loquebantur: Frange esurienti panem tuum. Et hoc verbum Paulo in mentem venit propter morem distributionis, praesertim cum velit esse coenam communem.

Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστίν. Hic est Calix, qui est novum Testamentum in meo sanguine.

Haec narratio apud Lucam iisdem verbis posita est. Sed addita sunt haec verba: Qui pro vobis effunditur. Syntaxis apud Matthaeum et Marcum alia est. Hic est sanguis meus novi Testamenti: nec subtiliter quaerenda est differentia. Eodem modo utraque lectio intelligenda est: Hic est calix novi Testamenti, id est, ritus et pignus seu sigillum novi Testamenti. Nam Testamentum principaliter et proprie significat ipsam promissionem remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiae, et vitae aeternae. Deinde haec beneficia sunt res donatae hoc Testamento, id est, hac Promissione. Et accedunt externi ritus, qui sunt huius promissionis signa et pignora: Baptismus et Coena Domini. Ideo Matthaeus dixit: Hic est sanguis meus novi Testamenti.

Cum autem Lucas et Paulus dicunt: Hic est calix, novum Testamentum, *μετωνυμία* est, ut si dicam: Fasces sunt imperium Romanum. Hac brevi admonitione de Syntaxi hoc loco contenti simus.

Deinde valde necessaria est consideratio, cur hic expresse facta sit mentio novi Testamenti, et quidem in ea narratione, ubi fit mentio sanguinis.

Testamentum est promissio morituri. Ideo usurpata est haec vox de promissione filii Dei donantis sua beneficia, ut significaretur ventura mors, sicut ad Ebraeos scriptum est. Addita est igitur haec particula diserte huic narrationi, quae de fundendo sanguine loquitur. Et opponendi sunt typi sanguinis victimarum in veteri Testamento, qui omnes fuerunt signa huius futurae mortis.

Iam et antithesis consideranda est veteris et novi Testamenti. Vetus Testamentum est promissio politiae, cum obligatione ad servandam legem per Moysen traditam, quae politia constituta est, ut in ea conservaretur promissio de Messia, et ibi Messias exhiberetur, propter quem et semper ibi aliqua electorum Ecclesia fuit.

Sed novum Testamentum est promissio bonorum aeternorum, remissionis peccatorum, Spiritus sancti, iusticiae et vitae aeternae, quae propter Messiam Gratis exhibentur, non propter legem.

Affirmat igitur Dominus, iam haec bona exhiberi, et hunc calicem huius exhibitionis pignus esse. Magna igitur consolatio universae Ecclesiae proponitur. Exhibito hoc calice, scias certo exhiberi bona aeterna, propter sanguinem filii Dei effusum in ipsius morte. Nec opus ullius hominis meretur illa aeterna bona legata propter filii mortem. Non igitur hic ritus sacrificium est, quod mereatur facienti et aliis haec bona, sed testatur ea exhiberi, et fide ea accipi oportet, quae nititur ipsius filii Dei sacrificio, non ullis nostris meritis.

Haec amplissima doctrina comprehensa est in hac appellatione novi Testamenti, quam hic integram complecti non possumus: tantum breviter admoneo, huius doctrinae fontes requirendos esse, quoties de coena Domini cogitamus, et quoties ad eam accedimus.

Manifesta refutatio est Sacrificulorum et Anabaptistarum. Cum sit ritus novae promis-

sionis, quae est gratuita, non est sacrificium, quod aliis mereatur, Item, cum sit ritus Testamenti, nobis exhiberi legata a filio testatur, et pignus est voluntatis Dei erga nos, non tantum est ceremonia mutuae dilectionis inter convivas, ut Anabaptistae dicunt.

Est et haec particula insignis, quod hunc ritum servare iubet, donec Christus venerit. Haec verba sunt perspicuum testimonium, Deum semper in hac vita usque ad resuscitationem mortuorum servaturum esse Ecclesiam, publicum mininisterium Sacramentorum, publicos congressus, et aliqua Ecclesiarum hospitia. Hae dulces consolationes in hac brevi particula continentur.

Ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ αἵματος. Reus erit corporis et sanguinis.

Magnitudinem peccati in abusu coenae Domini describit, cum ait, abutentes reos esse corporis et sanguinis, id est, contumelia afficere corpus et sanguinem Domini, sicut latrones crucifigentes Dominum contumelia eum afficiebant. Et gradus sunt. Contumeliae sunt, cum profani accipiunt propter consuetudinem, sine poenitentia et sine fide petente remissionem. Sed maiores contumeliae sunt, cum fingitur usus esse sacrificium, quod mereatur aliis. Item, cum confertur in quaestum, et mutatur in idolum. Propter haec horrenda peccata multis ingentibus calamitatibus, bellis et vastationibus totae gentes puniuntur, et hi qui non agunt poenitentiam, opprimentur aeternis poenis. Oremus autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam suam liberet ab omnibus erroribus et idolis, et lumen veritatis, veram invocationem, et veros cultus accendat.

Εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα. Si nos ipsos iudicaremus, non iudicaremur.

Hanc sententiam monachi ad satisfactiones transtulerunt. Sed manifesta concio est tota poenitentia. Simul culpa et poena aeterna propter filium Dei Gratis remittuntur, iuxta illud: O mors ero mors tua, et pestis tua o inferne. Item: Qui credit in filium, habet vitam aeternam.

Deinde verum et hoc est, praesentes poenas propter totam poenitentiam mitigari vel tolli, ut testatur historia Ionae. Et Esaiae 1. cap. dicitur: Si peccata vestra fuerint ut coccinum, eritis candidi sicut nix. Cum enim velit Deus in hac vita, quanquam aerumnosa, servare Ecclesiam, mitigat poenas, ut aliqui homines sint superstites, conservetur generatio et educatio sobolis, et ministerium Evangelii publicum, et sint Ecclesiae hospitia politiae et oeconomiae. Et sciamus propter hunc finem mitigari poenas, ne Ecclesia funditus in hac vita deleatur. Et hunc finem intuentes, petamus mitigationem, sicut precatur Ecclesia in Psalmo: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Non mortui laudabunt te Domine.

Deinde Paulus generalem doctrinam de afflictionibus tradit: Cum iudicamur a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. In Ecclesia necesse est sciri causas, quare natura humana, cum antecellat omnibus animantibus, subiecta sit morti et tantis aerumnis, ac deinde, quare haec pars, quae est Ecclesia Dei, magis etiam onerata sit.

Philosophi dicunt, mala quaedam oriri a materia, quaedam a nostris erroribus et voluntatibus. Hi loquuntur de propinquis causis. Sed cur materia hominis obnoxia est corruptioni? Cur tanta caligo in mente humana? cur in voluntatibus et corde tanta contumacia est? Hic principalem causam sola vox Dei in Ecclesia monstrat, quae narrat peccatum esse causam mortis et aliarum miseriarum in toto genere humano, ut in Genesi scriptum est. Et Paulus inquit: Per peccatum mors.

Praeterea cum Deus velit in Ecclesia conspici suam iram adversus peccata, et velit nos commonefieri de poenitentia et de promissionibus, magis etiam exercet Ecclesiam. Et sunt aliae plures causae, quae suo loco recitantur. Communissima est autem haec, quam Paulus hoc loco recitat, de qua et Psalm. loquitur: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Ex his fontibus sumuntur praecipuae consolationes, de quibus alibi copiosius dicitur. Hic tantum adscribam collationem philosophicarum consolationum, et Christianarum, quam habere in conspectu utile est.

Philosophicarum consolationum loci sunt quinque.

I. Necessitas.
II. Virtus anteferenda dolori.
III. Bona conscientia.

IV. Exempla.

V. Causae finales.

Primus locus est necessitas. Cum enim mutari malum non potest, frustra augemus dolorem repugnando, sicut dicitur: *μὴ πρὸς κέντρα λακτίζειν.*

Secundus, quia ratio et lex naturae iubent anteferre virtutem dolori, non faciamus aliquid inhoneste, fracti dolore, ut Cato iniuste facit, quod sibi mortem consciscit propter dolorem.

Tertius, magna levatio est bona conscientia, ut dicitur: Est aliquid magnis crimen abesse malis: quia minus dolent Palamedes, Socrates, Camillus et similes, quia conscientia non est saucia. Econtra Iudas et similes magis dolent, quia intus et foris cruciantur, et conscientiae Erinnyes multo maiores cruciatus afferunt, quam ulla externa corporis laceratio.

Quartus, Exempla ideo utcunque leniunt dolorem, quia honestorum tristes casus ostendunt, ipsam calamitatem non esse turpitudinem. Feruntur autem facilius ea, quae videntur esse sine turpitudine, ut facilius fert exilium Cicero, quia scit in eadem republica antea viros optimos expulsos esse, ut Camillum, Rutilium, alios etiam interfectos, ut Antonium oratorem et alios.

Quintus, Causa finalis bona minuit dolorem, ut quando aliis prodest nostra calamitas, ut Codrus oppetit mortem pro patria.

Hae consolationes, etsi utcunque deliniunt animos, tamen relinquunt eos in morte, nec ostendunt vitam et liberationem ex miseriis. Ideo his languidis consolationibus opponantur Christianae, quarum loci aliqui sumti ex lege Dei congruunt cum philosophicis, sed aliqui sunt proprii Evangelii.

Primus est Necessitas, videlicet lex Dei, quae sanxit poenas. Ideo etiam dictum est: Humiliamini sub potenti manu Dei.

Secundus, Virtus anteferenda dolori. Sumitur et haec consolatio ex lege, quia lex divina praecipit, ne fracti dolore contra iusticiam faciamus, ut Cato violavit legem: Non occidas.

Tertius, Bona conscientia. Sumitur et hic locus ex lege divina, quia et lex divina praecipit dolorem propter scelera, et de bona conscientia scriptum est: Secura mens iuge convivium.

Quartus, Agnitio misericordiae et praesentiae Dei, et auxilii divini. Haec consolatio propria est Evangelii, in quo certum est promissam esse remissionem peccatorum, et poenae aeternae, et auxilium Dei in hac vita. David pulsus in exilium meminit sui lapsus, sed tamen sustentat se, et acquiescit in Deo, quia scit sibi remitti peccata et poenas aeternas. Scit se a Deo receptum esse, et se a Deo exaudiri iam et protegi, sicut Esaias inquit: Deus habitans cum contrito et humiliato spiritu, et vivificet spiritum humilium. Praecipuam oportet esse hanc consolationem in omni dolore, ut recte institui in Evangelio norunt.

Quintus, Spes liberationis aut mitigationis, et tandem aeternae salutis. Haec consolatio cum proxima coniuncta est. Cum corda erecta remissione peccatorum acquiescunt in Deo, et certo statuunt, se exaudiri a Deo, norunt iam promissam esse liberationem ab aeterna morte, sciunt etiam Deum velle in praesentia opem ferre, et vel prorsus tollere aerumnas, vel mitigare. Hae duae consolationes vere superant dolorem, quia donec mens tantum intuetur aerumnas, et mortem seu interitum, vincit dolor. Sed quando obiectum est res bona, videlicet Deus propicius et volens opem ferre, et mitigare praesentes miserias, et tandem liberare ab omnibus malis. Hoc obiectum, quod est res bona, causa est gaudii. Tunc igitur vincitur dolor, cum haec bona obiecta mens intuetur. Iob vincit dolores suos, quia scit propositam esse ultimam liberationem, sicut inquit: Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eo: et tamen expectat in praesentia quoque mitigationem. Palamedes, Socrates, etsi minus dolent, quia conscientia non est sauciata, tamen nihil nisi interitum cernunt. Sed Baptista, Stephanus intuentur venturam vitam in dulcissima consuetudine aeternae Ecclesiae. Hoc bonum spe iam possident. Et spes laetitiae causa est, sicut in versu de Stephano dicitur: Ibat ovans animis, et spe sua damna levabat, id est, laetus, et quia libenter Deo obediebat, et quia iam spe Ecclesiae coelestis civis erat.

Sextus, Exempla in Ecclesia etiam magis leniunt dolorem, quam apud Ethnicos, quia in Ecclesia causae notae sunt, quare subiecta sit cruci: et scimus non tantum interitum, sed liberationem propositam esse. Et exempla sunt illustriora. Cum filius Dei, cum alia praecipua membra

Ecclesiae sustinuerint ingentes aerumnas certo consilio Dei, quod Ecclesiae ostendit, non velimus nos seiungi a reliqua societate in afflictionibus et liberationibus. Et inqualitas ac superbia esset, si vellemus nobis melius esse, quam filio Dei, quam Abel, Ieremiae, Baptistae et similibus.

Et hic causae afflictionum notae sint. Propter peccatum nobiscum nascens generi humano universaliter mos imposita est, et morbi et aliae multae aerumnae. Deinde singulares afflictiones, sunt alias poenae certorum delictorum, ut Davidis exilium: alias exercitia, ut carcer Ioseph: alias testimonia confessionis et immortalitatis, ut neces Abel, Baptistae, Stephani. Et cum exempla nobis proponimus, simul considerandae sunt causae. Ut in aliis doctrinis non satis est exempla intueri, sed etiam considerari oportet exemplorum rationes et discrimina. Et de exemplis recte accommodatis dici potest illud vetus dictum: *κοινὸν ναυάγιον πᾶσι παραμύθιον.*

Septimus, Causae finales. Communissima causa finalis haec est: Bonum mihi, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Affligit Deus non ut perdat, sed ut vel retrahat homines ad poenitentiam, ut affliguntur David, Osias, Manasses: vel exerceat et confirmet suos, ut affliguntur Ioseph, Daniel et similes, et Paulus huius causae mentionem facit hoc loco: Cum iudicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Sunt et in Ecclesia aliae causae, de quibus iam dixi.

Lenitur etiam dolor, quando nostra confessione scimus alios confirmari, de qua causa loquitur Paulus ad Philippenses 2. cum inquit, Se laetari, quod immoletur, ut ipsi in sacrificio et ministerio fidei confirmentur. Haec brevis admonitio de collatione consolationum, aliquid lucis adfert huic loco Pauli. Et lectores mente intueantur ea, quae de cruce alibi copiosius dicuntur.

Caput duodecimum.

Magna infirmitas est naturae humanae, magna naturarum dissimilitudo. Quare etiam in parva societate facile existunt aemulationes, dissidia, lapsus et offensiones, sicut Demothenes ait, Errores et contentiones communes morbos esse omnium civitatum, et necessario accidere: *κοινὰ καὶ ἀναγκαῖα ἁμαρτήματα πολιτικὰ, ἀγνοίας καὶ φιλονεικείας.* Ita in Ecclesia Corinthia acciderant lapsus et alia incommoda. Erant dissensiones de doctrina, incestus erat abusus libertate, aliqui accedebant ad convivia in Ethnicorum sacrificiis, movebant aliqui quaestiones de divortiis non credentium, quidam turbabant ordinem coenae Domini. Quidam nolebant conferre ad alendos fideles ministros. His offensionibus hactenus in hac Epistola mederi studuit. Nec est unum perpetuum argumentum, ut res ipsa ostendit: et lector diversas occasiones consideret.

In hac sequenti parte de duabus materiis scribit: De ordine lectionum et interpretationum in publico congressu, et de resurrectione mortuorum. Graeca natio delectabatur dono linguarum, et multi in publico congressu suam eloquentiam ostentabant. Inde etiam aemulationes oriebantur. Paulus igitur in genere concionatur de usu donorum, et postea addit praecepta de ordine lectionum et interpretationum, utilia omnibus aetatibus. Imo et forma iudiciorum in Synodis hinc sumenda est.

Οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε. Scitis quod quando gentiles eratis.

Antequam dicit de singulorum donis diversis, primum monet unum commune donum praecipuum in omnibus esse oportere, et id prae caeteris donis quaerendum esse in singulis, et tuendum, videlicet Spiritum sanctum confitentem Iesum esse Dominum, sicut et supra dixit, unicum esse fundamentum, Iesum Christum.

Hoc fundamentum ait necessarium esse in omnibus, oportere omnes abhorrere ab idolis, et oportere in omnibus veram invocationem Dei, et agnitionem mediatoris esse. Id initio iubet omnes tueri, ne ruant, sicut antea cum non regerentur luce Evangelii et Spiritu sancto, ad muta idola quocunque impellebantur.

Hic igitur multa monet, ostendit horrendam esse coecitatem omnium hominum, qui non reguntur luce Evangelii et a Spiritu sancto, sicut exempla ostendunt. Ethnici quotidie novos cultus excogitabant, Athenienses bello Xerxis instituerunt sacrificia Boreae, dicebant esse ipsis amicum, quia olim ex Orithyia genuisset filios. Meretrices in illa ipsa urbe Corintho pro salute Graeciae commune votum fecerunt. Denique nullus fuit finis talium furorum. Et similia acciderunt

et adhuc fiunt, ubi curritur ad statuas, et invocantur mortui et varia idola.

Tradit igitur regulam eandem, dupliciter faciens antithesin, quia plerunque scelus magis conspici potest: Nemo habens Spiritum sanctum, dicit, Anathema Iesum. Certissimum est, vel palam maledicentes filio Dei, vel quoquo modo praebentes significationem contemtus et odii, non esse membra Ecclesiae Dei: et facile haec deprehendi possunt, quia postquam exarsit odium in persecutione, fit ingens et non obscurum incendium. Non diu occultat odium Iudas. Nam accedit impulsor diabolus, sicut scriptum est: Satanas intravit in cor eius. Statim igitur fiunt magni furores, ut in Iuliano, Ario, et in horum recentium temporum historia conspicitur: cum semel exarsit odium, fit ingens furor, ut in Eccio, Latomo, Hofmeistero, qui etiam furentes ante mortem suae desperationis signa ostenderunt. Et Berlini monachus, quem hic multi noverunt, inter maledicendum in ipsa concione subito collapsus, statim postea extinctus est.

Vult igitur Apostolus discerni hostes Christi a caeteris, et signum monstrat, quo discerni sine ulla ambiguitate possunt. Et simul monet, ut tales lapsus vitemus, et horrendae poenae cogitatione expavescamus, ne ruamus, sicut Iudas, Arius, Latomus, Hofmeisterus et similes.

Alterea pars in antithesi videtur obscurior, cum ait: Nemo potest fateri Iesum esse Dominum, nisi in Spiritu sancto. Obiiciet enim aliquis innumerabiles hypocritas, monachos et similes, qui etiam videri volunt Iesum adorare. Et ipse alibi inquit: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum coelorum. Sed explicatio facilis est.

Paulus loquitur de confessione perseveranti, et in tota doctrina. Hypocritae cito deficiunt, et cum reprehenduntur ipsorum errores, fiunt acerbissimi hostes Evangelii, ut nunc in Episcopis, Monachis, et Sacrificulis fieri cernimus. Nec unquam hypocrisis diu latere potest.

Ut igitur odium adversus Christum, et maledicta sunt certissima signa mentis impiae et captivae diabolis, ita econtra Spiritus sancti testimonia sunt, invocatio Christi, non fugitans, sed libenter ad eum accedens, et in eo acquiescens, et amor totius doctrinae, et studium discendi, et constantia in confessione. Haec rectissime congruunt ad hoc dictum: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Ac potest uniuscuiusque conscientia iudicare de propria invocatione. Deinde et alii cernere robur animi in confessione possunt, et multa signa sunt, quibus hypocrisis a vera fide discerni potest.

Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσί. Divisiones donorum sunt.

Antea dixit de communi dono, quod in omnibus veris membris Ecclesiae esse oportet, scilicet de vera invocatione Dei et agnitione filii Dei, et de fugiendis idolis.

Nunc dicit de aliis donis, quae accedunt, in aliis alia. Ut de dono linguarum, de dono sanctionis. Et initio praefatur, haec quoque dari a Deo, ut sint testimonia Spiritus sancti, et prosint Ecclesiae. Observentur autem discrimina nominum. Vocat has dotes *χαρίσματα διακονίας* et *ἐνεργήματα*. *Διακονίαι* sunt, quae immediate serviunt aliorum utilitati, ut sanationes. Ita sunt *διακονίαι* singularis felicitas in re militari aut gubernatione. Ut Samson et Salomon excelluerunt *διακονίᾳ*.

Nomen *ἐνεργήματα* significat alias mirandas effectiones, ut resuscitare mortuos, item verbo occidere, sicut Petrus revocavit in vitam mulierem in Ioppe, occidit verbo Ananiam.

Generale est *χαρίσματα*, ut prophetia, praedictio futurorum, ut Agabus.

Quod autem dicit: Idem Deus est, qui efficit omnia in omnibus, manifestum est hic tantum dici de bonis actionibus in Ecclesia. Non igitur detorquenda est haec sententia ad stoica deliramenta, quae fingunt Deum causam esse pariter malarum et bonarum actionum.

Quod vero hic ad tres personas accommodata sunt nomina, *πνεῦμα*, *κύριος*, *θεὸς*, id et Luthero placebat.

Λόγος σοφίας.

Σοφία et *γνῶσις* differunt.

Σοφία est cognitio totius doctrinae de Deo, et experientia terrorum in contritione, et consolationum fidei, illustrans doctrinam, et diiudicans dogmata. Ut experti, David, Ezechias, Paulus, aliter intelligunt dictum: Fide iustificamur. Aliter intelligit Origenes.

Γνῶσις est prudentia dans consilia in rebus agendis, ut in Salomone iudicante, cuius esset infans mortuus, erat *γνῶσις*. Erat *γνῶσις*, quando Paulus iudicabat, ubi servaret ritus Iudaicos, ubi non servaret, quando dabat consilia de coniugiis. In Zacharia dissuadente, ne bellum moveretur contra Romanos, quanquam eripiebant templo didrachmum.

Πίστις generale donum fide faciendi miracula, vel in propriis periculis vel alienis, ut *πίστις* fuit, quod in Actis capite 27. scriptum est: Servatur navis et totus coetus simul navigantium propter fidem Pauli. Et verba sequentia ostendunt nomen *πίστις* generale esse, quia dicit: Si habuero omnem fidem, ut montes transferam.

Donationes sanationum quid significent, perspicuum est.

Ἐνεργήματα dixi supra effectiones excellentes esse, qualis est resuscitatio mortuorum.

Prophetia hoc loco est praedictio futurorum, ut diximus de Agabo. Infra etiam erit recta et dextra interpretatio concionum, quae sunt divinitus traditae in Prophetis et Apostolis.

Proxime additur *διάκρισις πνευμάτων*, diiudicatio et dogmatum et spirituum, ut initio primi autores et propagatores anabaptisticae superstitionis magnam speciem religionis offundebant oculis hominum, iactitabant singulares revelationes, et narrabant quales in corde motus sentirent. Haec nova species apud multos, ut apud Carolostadium, pariebat eis admirationem. Sed Lutherus statim animadvertit fucum, quia non docebant doctrinam de iusticia fidei, sed efferebant suam sapientiam et sua exercitia. Et in urbe Monasteriensi in Westphalia, priusquam erupissent manifesta scelera Anabaptistarum, acerrime adversatus est eis initio Hermannus Buschius, vir nobilis et poëta, cum segregationem facere inciperent Ecclesiae pura a reliquis, quorum mores reprehendebant.

Γένη γλωσσῶν est nosse multas diversas linguas.

Ἑρμηνεία γλωσσῶν est facultas docendi, et ordine ac plane exponendi controversias intricatas. Ut quanquam Capnio novit multas linguas, tamen non potuisset controversiam de iusticia fidei, aut potestate Episcoporum exponere, ut Lutherus.

Postea addit Paulus praeceptum, ut haec diversitas donorum conferatur ad communem utilitatem. Et repetit gradus.

Apostoli sunt, qui immediate a Christo ad docendum Evangelium vocati sunt, et testimonia habent, quod non errent in doctrina, et habent universalem vocationem, ut docere ubique possint, nec sunt vocati ad politicam gubernationem, ut Samuel, Elisaeus, Ieremias.

Prophetae hic sunt interpretes, qui ad instaurationem doctrinae singulari dono instructi sunt, ut Augustinus suo tempore, Lutherus nostro tempore.

Doctores sunt, qui doctrinam ab his accipiunt, et aliis fideliter tradunt sine corruptelis, non sunt Apostoli, aut primi instauratores collapsae doctrinae, sed tanquam *δεύτερα λέγοντες*, consentientia cum Apostolorum et Prophetarum voce.

Δυνάμεις nominat idem quod supra *ἐνεργήματα*.

Ἀντιλήψεις, auxilia, liberationes ex magnis periculis, ut Paulus liberat simul navigantes. Esaias liberat obsidione Ierosolymam. Iacobus Episcopus Nisibin, cum oppugnaretur a rege Persico, ut narrat historia tripartita. Et multa similia exempla leguntur.

Κυβερνήσεις, id est, gubernationes, ut officia Diaconorum, magistratuum.

Caput tredecimum.

Universalis regula tenenda est in omnibus deliberationibus et actionibus: Necessaria anteferenda sunt non necessariis. Sunt autem necessaria, quae praeceptis Dei proprie flagitantur, videlicet vera agnitio Dei, Fides, Timor, vera Invocatio, Dilectio proximi. Ideo dictum est Matth. 19.: Si vis in vitam ingredi, serva mandata.

Matth. 22.: Quod est mandatum maximum in lege? Diligas Dominum Deum tuum. Secundum autem simile huic: Diligas proximum sicut te ipsum.

Et 1. ad Timoth. 1. dicitur: Summa mandati est, dilectio ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Item: Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam.

Et Matth. ultimo: Docentes eos servare omnia, quae mandavi vobis.

Et in capite ultimo Ecclesiastae: Deum time, et mandata eius servato. Hoc ad omnes homines pertinet.

Micheae 5.: Indicabo o homo quid sit honum, et quid Dominus postulet abs te: Facere iudicium et diligere misericordiam, et solicitum ambulare coram Deo tuo.

Et Ezechielis 20.: In praeceptis meis ambulate. Ac magis illustria sunt dicta negativa.

In prima Epistola Iohannis capite 3.: Omnis qui odit fratrem, homicida est. Et scitis, quod omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem.

Et eodem capite expresse recitatur vera et artificiose constituta definitio peccati: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία, peccatum est non obedire legi. Est enim privative opposita definitioni iusticiae universalis: τὸ δίκαιον νόμιμον, ut Plato, Xenophon et Aristoteles loquuntur. Iusticia est obedientia legibus omnibus debita.

Et Galat. 5.: Fructus spiritus, dilectio, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Contra talia enim non est lex. Ubi etiam normam tradit, scilicet legem, et adprobat actiones congruentes ad hanc normam, et damnat contrarias, ut eodem loco dicit: Manifestae sunt actiones carnis, adulterium, scortatio, idolorum cultus, talia agentes regnum Dei non possidebunt.

Constitutis igitur his regulis: Necessaria facienda esse, et praecepta lege divina, necessaria esse: perspicue sequitur, dilectionem proximi necessariam esse, et anteferendam donis, quae sunt ornamenta non singulis necessaria, ut non necesse est singulos scire multas linguas.

Hanc admonitionem de necessitate utiliter hic inserit Paulus, taxans eos, qui libertatem ita laxabant, ut arbitrarentur se non peccare, etiam cum scientes faciebant contra mandata Dei. Severissime igitur concionantur de necessitate: Si linguis hominum et angelorum loquar, dilectionem autem non habeam, sum aes sonans. Etsi omnem fidem habeam, ita ut montes transferam, dilectionem autem non habeam, nihil sum.

Hic magnae contentiones sunt, de iustificatione. Cum necessaria sit dilectio, cur non dicimus homines dilectione iustos esse? Respondeo: Aliud est causa iustificationis, aliud est necessarium, ut effectus sequens iustificationem. Ut si dicam: Aliud est vitae causa, aliud est necessarium in vivente, ut effectus sequens. Ut motus in vivente necessarius est, non ut vitae causa, sed ut effectus sequens. Hoc exemplum aliquid lucis addit huic declarationi: Manifestissimum est, contritionem, dilectionem, bonum propositum non esse causas iustificationis, id est, remissionis peccatorum et imputationis iusticiae, et donationis Spiritus sancti et vitae aeternae. Sed causa efficiens, videlicet iustificans, est Deus propter solius filii meritum. Fides autem est instrumentum, quo fit applicatio. Nam fide accipiuntur remissio peccatorum, imputatio iusticiae, donatio Spiritus sancti, et vitae aeternae.

Postquam autem acceptus est Spiritus santus, iam in renatis sunt motus tales, quales est Spiritus sanctus. Et si quis fingit in aliquo Spiritum sanctum esse, et non esse ibi dilectionem, pugnantia fingit, ut si quis fingeret in aliquo aquam esse, et nihil humoris esse.

Necessaria est igitur dilectio in renatis, ut effectus necessario sequens. Ut in vivente dicimus necessario motum esse, qui tamen non est vitae causa. Haec perspicua sunt dextre et non calumniose indicantibus.

Sed vociferantur aliqui multo vehementius. Cum Paulus dicat, Etiamsi omnem fidem habeam, nihil sum: negat hominem iustum esse, etiamsi adsit fides, nec tamen accedat dilectio. Nec aliud argumentum speciosius opponitur contra exclusivam: Sola fide iustificamur.

Usitata responsio est, Paulum loqui de dono miraculorum, non de fide iustificante. Sed hic rursus quaeritur, an donum possit esse in his, qui non sunt iusti, qui excutiunt Spiritum sanctum?

Valde deploranda et detestanda est haec hominum perversitas, quod monstrata veritate, tamen non acquiescunt, nec Deo gratias agunt, nec transferunt eam ad usum, sed quaerunt cavillationes sine fine. Sive dona manent aliqua ex parte, sive non manent, vera est propositio: Si dilectionem non habeam, nihil sum. Quia nemo est iustus propter donum miraculorum. Et conconsentaneum est, aliqua dona manere in hypocritis, ut in Matthaeo dicitur: In nomine tuo multas virtutes fecimus.

Caeterum quocunque modo vocabulum fidei hic intelligitur, prorsus vera et immota est Pauli

oratio: Sine dilectione nihil sum. Oportet enim in reconciliato seu iusto, id est, in eo, qui acceptus est Deo, esse dilectionem. Ut supra dictum est: Spiritus sanctus tales motus ciet, qualis est ipse. Nec aliud vult Pauli dictum, quam illud Iohannis: Qui non diligit, manet in morte. Vera est oratio, quia in reconciliato est conversio et incoata obedientia, iuxta illud: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Hic in ipso iuramento fit mentio conversionis. Et notissima sunt dicta: Dabo legem meam in corda eorum. Item: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Non dubium est igitur, haec dicta Pauli et Iohannis, quae affirmant necessariam esse dilectionem, postulare dilectionem, ut effectum, qui sequitur fidem, nec est causa aut meritum remissionis peccatorum aut iustificationis. Haec cum manifestissima sint recte institutis, non ero prolixior. Caetera in hoc capite grammatica sunt.

Ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ.

Antea dixit, in reconciliatis necessariam esse dilectionem, quae est, propter Deum iuxta mandata Dei diligere proximum. Nunc recenset opera dilectionis, ut discerni possint diligentes a non diligentibus. Et exorsus est Paulus ab opere notiore caeteris, videlicet a remissione vindictae. Semper conspectiora sunt vitia. Ideo ex contrario sumatur declaratio. Cupiditas vindictae manifeste pugnat cum dilectione, cum videlicet aliquis putans se laesum esse, ardet odio et ira, et vult illis nocere, a quibus se laesum esse existimat. Ut civilia bella ingentia ex cupiditate vindictae inter Marium et Syllam orta sunt. Remissio vindictae sedavit bella, ut cum Thrasibulus sanxit *ἀμνηστίαν*. Scipio cessit Tribunis, ne maiores motus in republica orirentur. Maximilianus victor fecit pacem cum Venetis, ne attraheret Turcos. Arius dolore repulsae in electione Episcopi, movit postea certamen de filio Dei. Et vidimus ipsi his annis quosdam inflammatos cupiditate vindictae nova dogmata spargere et movere rempublicam.

Hunc affectum reprimere magna virtus est, quae hic nominatur *μακροθυμία*, id est, patientia. Ut David, cum quidem magnas causas haberet tollendi Saulem, tamen iniurias perfert, et est illustre exemplum huius dicti: Dilectio est patiens, id est, non cupida vindictae. Est autem haec patientia virtus pertinens ad praeceptum: Non occides. Et est iusticia, aut vicina iusticiae aequitas, aliis, etiamsi videatur esse nocendi causa, tamen propter Deum et salutem publicam parcens, ut David parcit multis civibus seditiosis, ut calamitas publica mitigetur.

Χρηστεύεται.

Benigna est seu benefica. Reprimere vindictam, cum videaris laesus, patientia est, et est vel iusticia, vel aequitas vicina iusticiae. Se benignitas seu beneficentia insuper est benefacere seu amicis seu inimicis. Lenitatem alii verterunt, quae est non facile irritari. Sed id perspicuum est, cum benefit etiam inimicis, ut Camillus non alienatur a civibus dolore iniuriae, sed benefacit eis, et redit ad patriae liberationem, quanquam iniuste expulsus. Ioseph benefacit fratribus, quanquam perdere eum conati fuerant.

Ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ.

Non est aemulatrix seu invida. Aemulatio est velle alium tollere, non quia laesit, sed quia dolemus eum nobis antecellere. Ut Cain, Saul, Chore, Dathan, Abiron, imo et Aaron et soror accenduntur aemulatione. Id malum proxime oritur ex superbia, quae amorem nostri prima comitatur. Sinpuli enim volumus antecellere aliis, et esse Dei similes, ut inquit serpens ad Evam. Ideo tollere eos conamur, qui videntur anteferri. Hoc vitium nominatur Aemulatio et Invidentia. Hinc illa dicta sunt: Omnis cura viris, uter esset induperator. Item Cicero, Labes est seculi, invidere virtuti.

Ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται. Non agit insidiose.

Aemulationi et invidentiae proximum est insidiari, quod est arte alios pellere aut tollere, sicut Pericles arte expulit Cimonem. Et Aschines conabatur expellere Demosthenem, et usitatum est non solum aulicis, sed et concionatoribus, invenire *τέχνας* ad extrudendos collegas, ut Maximus arte extrudit Gregorium Nazianzenum. Graeci usurpant vocabulum *περπεροὶ* de Cecropibus, qui cum essent latrones, singulari astutia viatores opprimebant. Quare vocabuli significatio petulantiam et insidias complectitur. Nomen Perperi extat in explicatione Proverb. apud Erasmum: In Melampygum ne incidas.

Οὐ φυσιοῦται. Non inflatur.

Si ordinem vitiorum consideres, primum est Superbia, id est, admiratio sui, praeferens sese caeteris, qui in hac depravatione naturae homines sese plurimum amant, sua dona mirantur, et se ab aliis magnifieri et coli postulant, et volunt esse sicut Dii, ut inquit serpens ad Evam. Ex hac superbia sequuntur odia adversus eos, qui videntur nos obscurare. Et cum hos repellere conamur, magnae contentiones et dissidia oriuntur. Hic ordo vitiorum facile intelligi potest. Prius autem Paulus de illis manifestis vitiis locutus est, quae magis conspici possunt, et ex superbia oriuntur, de cupiditate vindictae, de morositate, quae est opposita lenitati, et de insidiis. Nunc de radice loquitur. Ait dilectionem non inflari, id est, alienam esse a superbia et fastu despiciente alios, et quasi regnum in alios exercente, qui est malum tyrannicum, etiam cum praeterea non accedit saevitia: tamen ferre despicientem et evehentem sese nimium supra collegas, et quasi regnum gerentem, molestum est. Et molestius est, cum accedunt contumeliae adversus alios, ut cum Romanus Episcopus Alexander tertius Friderici Imperatoris collo pedem imposuit. Fuit nostra memoria insignis superbia Cardinalis Eboracensis in Anglia, qui cum esset lanii filius, medius incessit inter Carolum V. Imperatorem, et Henricum regem Anglicum, utriusque humero manum imponens. In tali gestu utcunque agnosci hoc malum potest. Est autem proprium dilectionis subiicere sese aliis, et dona ad aliorum utilitatem conferre, et se tanquam ministrum et inferiorem aliis gerere, ut filius Dei formam servi induit. Et minimum fuit superbiae in Cyro et in Scipione, qui etiam erga infimos studuerunt esse officiosi, nec praebuerunt significationem, quod se aliis anteferrent. Laboribus et virtute student antecellere, non fastu.

Οὐκ ἀσχημονεῖ.

Superbiam multi indecori gestus comitantur, quorum hic fit mentio. Primus est inanis ostentatio, ut Philippus Macedo iussit suam statuam gestari inter Deorum statuas. Alexander incessit velut Iupiter Hammon. Episcopi Romani gestantur corona triplici ornati, et praecedit equus gestans panem consecratum, sicut ignis vehebatur ante Persicos reges, ut simul fieret adoratio. Et multi sunt alii indecori gestus Romani Pontificis, ut quod praebet pedes osculandos.

Longum esset differentias gestuum deformium recitare, quorum alii proprie pleni sunt scurrilitatis, ut gallicae saltationes Cardinalium. Alii oriuntur ab ira, ab aemulatione, odiis, cupiditate vindictae, ut convicia, obtrectationes, fastidia, calumniosae delationes, crudelitas suppliciorum, ut defensor Arianae impietatis Gregorius Episcopus Alexandrinus iussit virgines duci nudas ad supplicia, quae retinebant confessionem verae doctrinae, immisit et equitum cohortem ad interficiendos homines, qui in alio templo convenerant. Et multa sunt talia tyrannica exempla omnium aetatum. Faber Episcopus Viennensis Grynaeum, qui placide eum allocutus fuerat, auditis monstrosis erroribus in concione habita in conventu Spirensi, Anno 1529. statim per lictores quaeri iussit, ut in carcerem duceretur. Denique mediocriter indicari potest gestuum deformitas in summis et infimis.

Οὐ ζητεῖ τὸ ἑαυτῆς.

Id est, non est *πλεονεκτική*, sed amat aequalitatem, nec appetit extraordinaria commoda, nec alios onerat laboribus, sed potius in sese plus onerum transfert, quia in aequalitas, quae aliis eripit commoda, voluntates alienat, ut dicitur: *ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ.*

Ideo studiose Cyrus, etsi plurimum laboris sustinet, tamen regem Cyaxarem reverenter honore adficit, tanquam dominum, et iubet eum ab aliis honore adfici.

Οὐ παροξύνεται.

Id est, primum non sinit se irritari falsis aut frivolis delationibus, imo nec propter veras causas vehementius irascitur. Primum autem constat, saepissime falsis criminationibus et calumniis fieri perniciosas distractiones voluntatum, unde postea discordiae in republica et bella sequuntur. Et notum est dictum Salomonis gravissimum: Calumnia conturbat sapientem, et frangit robur cordis eius. Est autem Calumnia una ex pestibus aulicis praecipua, de qua dixit quidam Alexandri *Κόλαξ μήδιος*: Calumniare audacter, quia semper aliud haeret.

De ira etiam et cupiditate vindictae supra dictum est. Ac videmus moveri respub. cum gu-

bernatoses laxant frenos irae et cupiditati vindictae, ut tollant eos, quibus succensent. Ideo verissimum et dictum Iacobi: Ira viri non operatur iusticiam Dei. Et contra tenaces offensionum opponantur dicta: Remittite et remittetur vobis, quod versibus Nazianzeni egregie recitatur:

Εἰδ' οἶδας ὄφλων καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον,
Οἴκτῳ γὰρ οἶκτος καὶ θεῷ σταθμίζεται.

Huc et decretum Atticum pertinet: *μὴ μνησικακεῖν.*

Οὐ λογίζεται τὸ κακόν. Id est, *non suspicax.*

Est autem pernicies magna vitae communis esse suspicacem, et vitium amori calumniarum. Pugnat enim et suspicio cum veritate et candore. Veritas tantum credit certa et explorata. Candor ambigua interpretatur in meliorem partem. Suspicio saepe falsis, et plerunque incertis assentitur: Est igitur vitium dignum odio, et cum pariat distractiones voluntatum, magna cura vitandum est. Claudianus laudat Theodosium, quod non fuerat suspicax.

Οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ.

Id est, est sine *ἐπιχαιρεκακίᾳ.* Est autem *ἐπιχαιρεκακία* vitium maxime proprium diabolo, laetari in calamitate iniusta bonorum, ut Semei laetatur in calamitate Davidis, et eum venenatis sarcasmis exagitat. Fulvia adeo laetata est nece Ciceronis, ut linguam exemptam ex interfecti capite aciculis confoderit, Et in Belgico imagines captivi *Ducis* et filiorum, publice contumelia adfectae sunt, et nunc multi adversarii laetantur nostra calamitate. In hoc vitio multa concurrunt: Iniusticia et crudelitas. Nam insticiae erat bonis bona optare. Et misericordia est, dolore adfici in calamitate mediocrium hominum, et lenire aliquo modo aerumnas, ut Theseus inquit apud Euripidem: *οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποσιν ἀλλοίλων κακά.* Item: *εἰ μὴ γὰρ ὢν ἄνθρωπος ἀνθρώπου τύχαις ὑπηρετήσω, οὐ φανήσομαι φρονῶν.*

Συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ.

Odio personae nolle adprobare veritatem, quam tamen tacite probas, aut specie aliqua reprehendere, usitatissimum vitium est, ut vidimus quosdam tantum odio personae Lutheri et studio partium damnasse veras causas, et homines recte sentientes, cum reipsa aliter sentirent. Hoc vitium est *προσωποληψία,* propter personam iniuste de rebus iudicare. Sed huic vitio opponuntur Iusticia et Veritas, quae virtutes vera et iusta adprobant, et damnant iniusta et falsa sine ullo personarum respectu, et sine ullis peregrinis affectibus. Sicut Ionathas constanter approbavit causam Davidis contra patrem. Aristides probavit consilium Themistoclis, quanquam inter eos aemulatio erat. Sempronius quanquam inimicus Scipionum, tamen Scipionem Asiaticum liberavit, cum in carcerem duceretur.

Πάντα στέγει.

Sequuntur virtutes quatuor maxime necessariae in gubernatione. Prima est *ἐπιείκεια,* quae est mitigare aliquid ex summo iure, ferre aliquas imbecillitates eorum, qui sunt sanabiles, sicut coniuges et amicos oportet inter sese hac *ἐπιεικείᾳ* aliqua, quae offendunt, obruere, ut usitate dicitur: Mores amici noveris, non oderis. Nec possibile est collegas sine hac virtute concordiam inter sese tueri. Et in eandem sententiam supra capite nono dixit: *πάντα στέγομεν.* Qui sit autem modus huius virtutis, alibi dicitur. Dissimulandae et tolerandae sunt morum infirmitates, non vitia enormia, aut corruptelae veritatis.

Sequitur Candor:

Πάντα πιστεύει.

Ἐπιείκεια vicina est candori. Ut enim remittit *ἐπιείκεια* aliquid ex acerbitate iuris: ita candor interpretatur ambigua in meliorem partem, et non est diffidens, non suspicax, non lividus. Nec propter leves et frivolas suspiciones credit alium sibi insidiari aut aliquid mali moliri, donec argumenta vera habet, ut Alexander noluit diffidere medico Philippo, cuius ei fides perspecta erat, tametsi Parmenio monuerat ab eo periculum esse. Veritas et Candor virtutes sunt in medio: extrema sunt, esse prorsus incautum, et contrarium Diffidentia, quae sine probabili ratione, tamen omnibus diffidit quadam naturae malevolentia, sicut Dionysius tyrannus, Alexander Phereus. Inter haec media virtus est, considerare voluntates hominum, et probabili ratione confidere ac diffidere. Ita haec virtus retinet metas, et obtemperat huic dicto: *μέμνησο ἀπιστεῖν,* ne sit incauta, et ne obliviscatur dicti: Maledictus qui confidit in homine.

Πάντα ἐλπίζει.

Tertia virtus est lenitas sperans emendationem, quae virtus gradus est, quem in gubernatione saepe ad priores accedere oportet. Ut David tolerat mores Ioab, etsi quaedam facit iracundius, quaedam ut candor postulat, in meliorem partem David interpretatur. Tandem etiam cum praestantes viros Abner et Amasam hic vetus dux Ioab interfecisset, tamen David non properat ad poenam, sed adhuc sperat eum fidelem fore. Sed consuetudine confirmata, impietas non facile mutatur. Ut igitur semper Ioab fuit inquietus et turbulentus, ita ad extremum naturae inquietae specimen ostendit, spreta autoritate Davidis, conatur seditiose regem creare Adoniam suo arbitrio. Quare postea interficitur.

Alexander diu parcit Philotae filio Parmenionis contumeliose de ipso loquenti. Tandem cum proferuntur signa coniurationis, eum interfici iubet. Sic et Dion, cum Heraclidis socii iniurias diu tolerasset, tandem eum interfici permisit. Et Augustus Cornelium Gallum.

Sed omnium maxime illustre exemplum est lenitas in Deo, qui diu multa magna peccata nostra tolerat, quae non ignorat, sed eo tolerat, ut spatium nobis ad poenitentiam concedat, ut in parabola de ficu, Lucae 13. dicitur et Roman. 2.

Πάντα ὑπομένει.

Patientia in omnibus his gradibus necessaria est. Multi magni dolores perferendi sunt propter iniurias et delicta aliorum in gubernatione. Et quaedam *ἐπιείκεια* eorum, qui sunt meliores, sanari possunt, ut Fabius corrigit errata Minutii. Ideo autem postremo loco nominat hanc tolerantiam, et quia superioribus gradibus mixta est, et quia aliquando haec patientia retinenda est, etiam cum videmus insanabiles esse collegas, et non est spes emendationis, ut Ionathas magno cum dolore tolerat patris furores, quem videt iam sanari non posse. Haec particula non est *ἐπιείκεια* leniens vel excusans scelera patris, sed magno cum dolore ea tolerat, et a Deo mutationem expectat.

Ἡ ἀγάπη οὐδέποτε ἐκπίπτει.

Quidam sic interpretati sunt: Dilectio non excidit, id est, non frustratur, non est inutilis virtus. Caetera dona saepe inutilia sunt habenti vel aliis, ut eloquentia saepe nocet oratori et populo. Sed Paulus de perpetuitate loquitur. Dilectio manet in iis, qui sunt haeredes vitae aeternae in omni aeternitate, et ut supra dictum est: Virtus est necessaria in omnibus. Aliorum donorum, ut doni sanationis, non est usus post hanc vitam. Dilectionem vero aeternam esse oportet, quia illa aeterna iusticia erit legis impletio, quae, ut notum est, praecipit dilectionem. Et qualis esset aeterna vita in consuetudine Dei et Ecclesiae, sine dilectione? Imo dolores apud inferos erunt horribilis indignatio adversus Deum et totam Ecclesiam, et odium Dei et Ecclesiae, quod nunc quoque cogitantes expavescere debemus.

Gravissime igitur monet Paulus, ut aeternitatem intueamur, et hanc virtutem exerceamus, quam in omni aeternitate in nobis fulgere oportet.

Εἴτε δὲ προφητεῖαι καταργηθήσονται.

Commoratur in collatione virtutum, et in declaratione proximi dicti, quo significat dilectionem necessariam, et perpetuo duraturam, anteferendam esse virtutibus et donis, quae in hac fugacitate vitae serviunt Ecclesiae, et postea cessatura sunt.

Prophetiae, inquit, cessabunt, quod verum est, sive intelligas prophetias de ministerio interpretationis, sive de praedictionibus futurorum eventuum. Nam in vita aeterna, ut postea dicit, coram intuebimur fontem sapientiae Deum, et videbimus eventus. Prophetiae nunc sunt: Mortui reviviscent, Ecclesia ornabitur perpetua gloria, impii abiicientur in aeternas poenas. Harum maximarum rerum noticia post eventus multo erit illustrior.

Cessabit et donum linguarum, quia non ut nunc suas linguas habebunt singulae gentes, non intellectas ab aliis. Hoc non indiget declaratione.

Cessabit et cognitio seu scientia, id est, noticia obscura, seu ut loquimur abstractiva, de multis partibus doctrinae ecclesiasticae et naturalis, de Deo, de spirituali essentia, de anima, de natura coelestium corporum, denique de multis rebus, de miranda copulatione divinae et humanae naturae, quia tunc coram aspiciemus Deum, filium Dei, angelos, et perspiciemus nostras et alias substantias, et cum Deo intuebimur ideam

tantarum rerum, causas consilii divini discemus.

Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν.

Correctio est. Nam cum dixisset cessaturam esse cognitionem, statim obiici potuit: Quid igitur hic de Deo, de filio Dei, de anima, et de aliis rebus multa discimus, si haec noticia penitus delebitur. An non hic initia vera discimus, et eundem Deum cogitamus et alloquimur, quem et postea cernemus et alloquimur? Si extinguetur huius temporis noticia, cur dictum est: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum esse Christum? Nonne vult Dominus in hac vita incoari agnitionem, duraturam in omni aeternitate? Item, Cur inquit Daniel: Docti fulgebunt ut stellae, si pariter in omnibus extinguetur lux in hac vita accensa?

Haec obiici poterant, et ex hoc dicto Pauli male intellecto, multi absurdas disputationes sumserunt. Addit igitur Paulus correctionem seu interpretationem: Non inquit penitus delebitur prior noticia, sed imperfectio abiicietur, et ex noticia obscura, umbratili, ac mixta dubitationibus fiet illustris et immota, et ut vocabulis notis utamur, ex abstractiva fiet intuitiva, plena lucis et splendoris. Ut si quis aliquem in crepusculo utcunque conspectum, postea in clara luce manifestius intuetur.

Inquit igitur: Ex parte cognoscimus, id est, imperfecte, obscure, languide. Eodem modo intelligatur quod inquit: Ex parte prophetamus, id est, imperfecte et obscure intelligimus tum interpretationes, tum praedictiones. Scimus filium Dei redditurum esse nobis corpora nostra. Haec prophetia est, sed valde obscura. Nemo enim cogitare potest, quomodo toties dissipata membra in halitus, et in alia corpora inde usque a quinque millibus annorum rursus ad sua corpora reditura sint. Omitto exempla alia. De hac imperfectione et obscuritate se antea locutum esse inquit, cum diceret, cessaturas esse prophetias et nostram cognitionem. Sed manebunt in nobis initia doctrinae, quae nunc sunt in aliis maiora, in aliis minora. Et vera erit sententia: Docti fulgebunt ut stellae, ut infra rursus dicemus. Scio iam qualis sit urbs Roma, vidi picturas, habeo qualemcunque obscuram imaginem urbis in mente. Haec noticia non deletur, cum Romam venio, et omnia aedificia ac situm urbis coram contemplor, sed cum sit incoata noticia eiusdem rei, quam prius absentem cogitaveram, fit perfectior, ut eadem lux in aëre, quae fuit in crepusculo, manet in aëre, sed plus lucis accedit, cum sol iam supra terram altius evectus est. Hanc collationem imperfectionis et perfectionis declarat aliis exemplis et similitudinibus: Cum essem infans, ut infans loquebar.

Ὅτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐλάλουν.

Manifestum exemplum est, quod ostendit, non deleri ea bona, quae prius adsunt: sed imperfectionem abiici, ac bonis prioribus addi plus roboris. Ut cum post tenerae aetatis balbutiem recte loqui grandiusculus incipit, non amittit priores linguae motus, sed habet iam faciliores et planiores.

Videmus iam per speculum, in aenigmate.

Non hoc dicit, incertam esse cognitionem in hac vita, sumtam ex verbo Dei, sed quanquam sit certissima, tamen obscura est, et nequaquam ita illustris, ut erit lux illa in consuetudine coelesti. Certissimum iam nobis est fide, in filio *Dei* Domino nostro Iesu Christo duas esse naturas, divinam et humanam, et invocatio intuens filium Dei fatetur eum esse omnipotentem, sed hoc statuit iuxta verbum. Haec cognitio est adhuc obscura et similis aenigmati. Verbum enim est velut involucrum illius arcanae et mirandae rei, quam in vita coelesti coram aspiciemus.

Ita nunc verbum de resurrectione est velut aenigma, id est, involucrum eventus postea secuturi, qui tunc clare conspicietur. Ita fides expectans promissam liberationem cernit eventum involutum verbo tanquam aenigmate.

Israëlitis promissa est eductio ex Aegypto. Hanc cernit Moyses in verbo, et quanquam fides est firma, tamen qualis, aut quando sit futura non cernit.

Talia exempla utcunque ostendunt, verbum apte nominari aenigma, tanquam involucrum. Significat enim aenigma sermonem tecte aliud significantem.

Sed quid nominat speculum, seu videre per speculum? Duo sunt, obiectum et ipsa visio. Aenigma est obiectum, ut verbum monstrans

consolationem, videlicet: Noli timere Abram, ego protector tuus. Ipse vero sensus consolationis, quem accendit Spiritus sanctus in corde Abraham credenti, et est lux et laetitia non ignota piis, est hoc speculum, per quod intuentur Deum in illo verbo seu aenigmate se ostendentem. Ita et 2. Corinth. 3. dicitur: Speculantes gloriam Domini, id est, intuentes Deum in illa luce, et consolatione accensa per Evangelium et per Spiritum sanctum.

Sed haec noticia nondum adeo illustris est, ut intuitiva in coelesti consuetudine, quam hic nominat Videre facie ad faciem, id est, coram sine caligine illa cernere Dei substantiam et voluntatem, et in eo causas divinorum operum.

Ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην.

Recte usus est verbo *ἐπιγνώσομαι*, quia significat rem antea utcunque notam seu cogitatam, cum postea venit in conspectum, ex illa priore qualicunque idea certo cognoscere, id Latini nominant Agnoscere. Nunc utcunque obscure cogitamus, quid sit Deus, quid sit anima, sed postea clarius eum cognoscemus, et congruere eum ad priorem cogitationem intelligemus. Monet autem valde perspicuam noticiam fore, quia talis erit, qualis est in Deo nos intuente, id est, clara et certa sine ulla caligine et ambiguitate.

Caeterum ex hoc loco etiam haec consolatio sumenda est in invocatione in hac vita. Dolemus, quod non clarius cernimus Deum, et in invocatione libenter quasi complecti eum brachiis vellemus. Sed simus contenti hac qualicunque cogitatione intuente Deum in verbo et eius testimoniis, iuxta illa dicta: Beati qui credunt, cum non viderint. Item: Iustificati fide pacem habemus. Nondum fulget in nobis intuitiva noticia, sed acquiescamus fide in aenigmate, videlicet in verbo.

Νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη.

Hanc ipsam consolationem proponit Paulus, in hac vita iubet adprehendere Deum fide et spe. Caeterum ex hoc loco sumta est usitata enumeratio trium virtutum, quae nominantur Theologicae. Nec inconcinna est enumeratio: nam virtutes aliae multae in haec membra includi possunt.

In quacunque enumeratione virtutum prima res et praecedens est cognitio. Quia ignoti nulla cupido. Ideo et primum praeceptum ab agnitione Dei orditur: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti. Primum ibi nominatur Deus, et discernitur ab omnibus creaturis et commentitiis numinibus. Ita erudite hic ait Paulus, necessariam virtutem esse fidem, videlicet cognitionem, et quidem talem, quae sit fides, id est, assensio, qua verbum Dei amplectimur de rebus non incurrentibus in sensum, nec ratione deprehensis.

Haec cognitio aut est historiae, aut legum et comminationum, aut promissionum. Cum vera adsensione leges et comminationes amplectimur, oritur timor. Cum autem promissiones amplectimur, oritur fiducia acquiescens in Deo, et vivificans corda. Haec virtus proprie nominatur Fides, quia tunc demum accedimus ad Deum, cum apprehensa est misericordia propter filium promissa. De hac fide dicitur ad Ephesios 3.: Per quem habemus fiduciam, et audemus accedere per fidem eius. Complectitur autem haec fides omnes articulos fidei, nec tantum noticia est, sed est fiducia, qua cor acquiescit in filio Dei, et in Deo, iuxta promissionem. Quia cum in veris pavoribus articulum, Credo remissionem peccatorum, ita amplecteris, ut de quoque includas in promissionem universalem, et statuas tibi remitti peccata, certissimum est in corde sequi fiduciam et laetitiam acquiescentem in Deo, ut experientia in vera consolatione ostendit, in qua recte discimus, quid sit fides, et simul agnoscimus, oportere nos fide acquiescere in verbo Dei, nec quaerere alias illuminationes. Hanc admonitionem necessariam esse, etiam ostendit experientia.

Spes est expectatio vitae aeternae certa, propter filium Dei, iuxta promissionem in Evangelio expressam, et est expectatio mitigationis poenarum seu calamitatum in hac vita, iuxta consilium Dei. Cum autem dicant adversarii verae doctrinae, non servari a nobis discrimina virtutum, fidei et spei, moneri iuniores de vera differentia necesse est. Fides accipit praesens beneficium, scilicet remissionem peccatorum et reconciliationem, ut certissimum est ex dicto: Iustificati fide pacem habemus. At spes futuram liberationem intuetur, et expectat. Haec doctrina perspicua est.

Sed quaerunt: Cur affirmemus in Ecclesia fidem et spem virtutes esse, cum tamen fides sit noticia? Deinde etiamsi fiducia esse dicatur, tamen mirari aliquis potest, quomodo sit virtus. Item, cur spes sit virtus, cum in vita usitatissimum sit, spe incitatos homines decipi, et ruere in maximas calamitates, ut dictum est:

Fallitur augurio spes bona saepe suo.

Et Pindarus inquit: Spes somnia esse vigilantium. Et dictum est Epicteti valde dignum memoria: Ut pedibus, ita spe accedenda sunt possibilia, *ὥσπερ τοῖς σκέλεσι, οὕτως καὶ ἐλπίσι πρὸς τὰ δυνατὰ δεῖ βαδίζειν.*

Respondeo: Fides et spes sunt haud dubie virtutes, quia sunt obedientia, quam postulat Deus praestari suo mandato. Vox divina manifesta est: Hunc audite. Item: Haec est voluntas patris mei, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Fides igitur virtus est, quia Deo obtemperat, et cum est assensio amplectens omnes articulos fidei ac promissionem gratiae, et cum ea coniuncta est fiducia in *Deo* acquiescens. Nota sunt et de spe plurima praecepta 1. Petri 1.: Firmiter sperate gratiam, quae nobis exhibebitur, cum Iesus Christus revelabitur, videlicet in iudicio. Et in eodem capite: Ut fides vestra et spes sit in Deum. Et Roman. 5.: Spes non confundit. Et Rom. 8.: Spe salvi facti sumus. Est igitur virtus spes, quae verbo Dei obtemperat.

Et hinc sumatur responsio ad obiectiones supra recitatas de spe fallaci: Vox divina praecipit spem de iis rebus, quas promisit, ac vitae aeternae promissio propter filium certa et immota est. Non praecipit Pompeio sperare victoriam, etiamsi ipse hac sua imaginatione movetur. Causa iubet superos melior sperare secundos, quia iudicium Dei est, utra causa sit iustior. Et saepe Deus punit homines propter priora delicta, etiamsi in praesenti negotio iustam causam habent, ut puniebat Israëlitas pugnantes cum tribu Beniamin, et saepe alias. Est igitur fallax spes, quae non regitur promissione divina.

Reguntur autem promissione divina spes vitae aeternae, et spes mitigationis poenarum et calamitatum in hac vita, ubi et doctrina tenenda est: Etiamsi praesentes calamitates non tolluntur, nec mitigari videntur, tamen semper retinenda est spes vitae aeternae, iuxta dictum Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eum, veruntamen vias meas coram eo arguam, et ipse erit mihi salvator, et non venient ad eum omnes hypocritae, id est, etiamsi in hac vita non tollentur calamitates, tamen spem vitae aeternae retineant omnes, qui ad Deum convertuntur.

Experimur autem valde languefieri animos in poenis, et dubitare, an sit speranda et expectanda salus aeterna, cum nunc sentimus iram Dei in poenis, et abiici videmur. Adversus hanc tristissimam dubitationem necesse est tenere in conspectu firmas consolationes, quarum haec prima et praecipua est, quod Deus vult nos quocunque tempore ad se converti, et conversos certissime recipit propter filium Gratis, quia haec promissio semper vera et immota est: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut *Omnis*, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et Ezechielis 33.: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item: In quacunque die conversus fuerit impius, non corruet in impietate. Matth. 19.: Quoties remittam: Septuagies septies. Lucae 15.: Gaudium est angelis de uno peccatore poenitentiam agente. Et ibi recitatur conversio filii prodigi.

Altera consolatio est: Hanc ipsam ob causam punit Deus, ut nos retrahat ad poenitentiam, et conversis det vitam aeternam, non ut perdat nos. 1. Cor. 11.: Cum iudicamur a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et in Psalmo: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Esaiae 28.: Vexatio dat intellectum. Esaiae 66.: Ad quem respiciam, nisi ad miserum et contritum spiritu, et trementem sermones meos. Micheae ultimo: Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Hic expresse de poena loquitur, et confitetur peccatum. Postea addit consolationem, in qua narrat se fidem et spem retinere: Cum sedebo in tenebris, Dominus lux mea est. His dictis adde vocem filii Dei, quae continet amplissimam et certissimam consolationem: Venite ad me *Omnes*, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Et Rom. 8.: Longa est concio de spe retinenda in summis doloribus et cruciatibus. Spe salvi facti sumus. Spes autem, quae videtur, non est spes.

Haec dicta et similia teneamus, ne propter poenas, quibus Deus in hac vita nos de ira sua commonefacit, spem vitae aeternae abiiciamus. Et sciamus hanc spem nequaquam esse irritam,

quia praecipitur voce divina. Quanquam autem praesentes poenae in hac vita saepe non prorsus tolluntur, quia Deus propter multas causas vult Ecclesiam cruci subiectam esse, tamen et mitigatio promissa est, quae fit alias aliter. Cumque promissa sit divinitus, haec spes etiam non est irrita. Nahum primo: Bonus est Dominus, et confortans in tribulatione, et respiciens sperantes in ipsum.

Ioëlis 2.: Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia bonus est, et misericors, et mitigans poenam.

Osea 11.: Non faciam furorem irae meae.

Et Lucae 21.: Orate, ut possitis effugere ventura mala.

Et illustria exempla sunt mitigationis poenarum, servata Ninive, restitutio Davidis in regnum, sanatio Ezechiae, reductio Manassae, et non dubium est, tales mitigationes in tota Ecclesia quotidie fieri, sicut Psalm. 77. dicit: Et non accendit totam iram suam.

Ieremias in Threnis capite 3.: Misericordiae Domini quod non consumti sumus.

Et alibi capite 46.: Consumam cunctas gentes, ad quas eieci te, te vero non consumam, sed castigabo te in iudicio, et ostendam te, quae videris innocens, non innocentem esse.

Et Abacuc 3.: Domine in ira misericordiae recorderis.

Haec et similia dicta saepe cogitemus, ut et ardentius petamus mitigationem poenarum publicarum et privatarum, et agnoscamus immensam Dei misericordiam, quod verissime lenit poenas, et nos sustentat, et ei gratias agamus.

Hanc commonefactionem de fide et spe utilissimam esse manifestum est. Et ut sit ardentior invocatio, saepe cogitanda est.

Constat autem ex his, quae dixi, recte nuncupari fidem et spem virtutes, quia sunt obedientia, quae regitur verbo Dei, et sunt cultus praecipui, ut Psalm. inquit: Sacrificate sacrificium iusticiae, et sperate in Domino. Nec sunt Philosophis notae hae virtutes, quia tantum monstrantur voce Dei, quae docet etiam, quomodo regendae sint. Fide accipimus remissionem peccatorum, Spe expectamus certo vitam aeternam, non propter nostra merita, sed propter filium Dei Gratis. Haec ita fieri oportet, quia in Evangelio Deus hanc suam voluntatem certissimis testimoniis patefecit. Ac procul extra philosophiam haec sapientia posita est. Nec philosophia fidem et spem inter virtutes ponit, cum non regantur certa et firma noticia principiorum, experientia aut demonstratione, sed indicat stultitiam esse assentiri incertis. Ut cum sperat Antonius victoriam, quia instructior est Augusto.

Sed Ecclesia certa est propter promissionem divinam, et credit praeter spem in spem, in est, credit et sperat, ubi etiam diversum iudicio naturali apparet. Ut Psalmo 71. dicitur: Liberavit pauperem, cui non erat adiutor. Et Psalm. 26.: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

Etsi autem caeterae virtutes, ut timor vel reverentia, obedientia in afflictionibus Deo debita, quae est pars insticiae, et nominatur tolerantia vel patientia, recte comprehenduntur in dilectione, ut mox dicam: tamen sciendum est, et his et caeteris fidem et spem praelucere. Quod ut fiat perspicuum, fiat collatio patientiae philosophicae et Christianae, et consolationum utriusque generis.

Philosophica patientia est utcunque obedire rationi in ferendis adversis, ita ut nihil contra iusticiam aut alias virtutes facias. Ut Cato se ipsum interficiens contra iusticiam facit. At Socrates nec iusticiam nec modestiam violat, cum sine seditione et sine deformitate ulla mortem oppetit. Nec in philosophica patientia spes inclusa est, sed Palamedes rationi obtemperat, etiam cum spes omnes salutis in hac vita, et postea extinctae sunt.

At Christiana patientia est, obedire mandato divino in tolerandis adversis, ita, ne facias aliquid contra mandata Dei, ne Deo irascaris, sed fide agnoscas eum tibi propicium esse, et speres auxilium, mitigationem aut liberationem, et hac fide et spe lenias dolorem.

Cernis hic in definitione addi fidem et spem, sicut supra de utraque virtute mandata severissima recitata sunt, iuxta illud: Sine fide impossibile est placere Deo. Item, Petrus: Firmiter sperate gratiam, quae vobis exhibebitur, cum Iesus Christus revelabitur. Ideo autem in Christiana patientia lenitur dolor, quia tunc obiecta bona, fide et spe cernuntur.

Baptista scit se Deo carum esse, et Deum adesse in hoc ipso agone, et videt hanc mortem esse iter ad coelestem Ecclesiam. Haec non vident Palamedes, Socrates, Theramenes, aut si-

miles. Non autem vere lenitur dolor, donec tantum tristia obiecta mens intuetur. Quae autem obiecta ad consolandos animos proponantur in philosophia, quae in Evangelio, supra dictum est. Et valde prodest collationem illam causarum semper meminisse.

Ἀγάπη, τὰ τρία ταῦτα, μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη.

Sequitur descriptio dilectionis, qua universa antiquitas complexa est obedientiam universalem, dilectionem Dei et hominum propter Deum, et iuxta ordinem a Deo institutum, sicut Paulus inquit Roma 13.: Dilectio est impletio legis. Et primae Iohannis 5.: Haec est dilectio Dei, ut mandata eius servemus. His dictis mota antiquitas, nomine dilectionis usa est, sicut alioqui utimur nomine iusticiae universalis. Haec ideo recito, et ut dicta scriptorum magis perspicua sint legentibus, et ut recentium ineptiae repudientur, qui in hoc textu Pauli contendunt tantum de dilectione proximi et officiis erga proximum dici, non de dilectione Dei. Magna coecitas est, has virtutes divellere, quia dilectio proximi non est ordinata, nisi regatur dilectione Dei, id est, nisi sit talis voluntas, et sint talia officia, qualia Deus in suis praeceptis ordinat. Item, Nisi ad hunc finem referatur, ut Deo praestetur obedientia, et simus in Deo copulati, sicut Dominus inquit: Ut unum sint in nobis. Sciamus igitur unam esse virtutem dilectionem Dei et proximi, quae gradus habet, sed tamen et orditur a Deo, et refert inferiores gradus ad Deum tanquam ad principalem finem. Abraham diligit Deum. Postea et Agar diligit, sed pluris facit Deum, quo iubente, dimittit ancillam Agar.

Difficile est autem nobis in hac tanta duritie cordium tradere illustrem definitionem dilectionis. Si enim arderent corda sensu amoris Dei, sicut amantes incendia amoris inter sese sentiunt, minus obscurum esset quid nominetur Dilectio. Ac profecto talia vera incendia erga Deum in corde esse deberent, sed quia valde languida sunt, etiam si qua sunt, obscurior est descriptio.

Sed tamen constituamus hanc qualemcunque descriptionem: Dilectio Dei et proximi est, postquam vera fide apprehensa est misericordia Dei propter filium donata, vicissim subiicere cor Deo, et facere mandata eius, cum quadam laetitia acquiescente ipso. Ut quia scit Laurentius se Deo placere, vicissim ei obtemperat in confessione et aliis officiis, et laetitia acquiescit in Deo, quanquam corpus sentit magnos cruciatus. Haec laetitia est effectus et indicium dilectionis, sicut saepe scriptum est, ut Actorum 5.: Ibant Apostoli a conspectu synedrii gaudentes, quod contumelia affecti essent propter Dominum. Hanc laetitiam utcunque sentire mediocres homines possunt. Interdum vero in cordibus piorum accenduntur subitae flammae dilectionis ardentiores, quas suae cuiusque experientiae relinquamus. Haec de descriptione dilectionis monuisse satis sit.

Addit autem Paulus enumerationi, Tria haec, quasi significans, se praecipuas virtutes nominasse, quod verum est. Nam cum dilectio sit iusticia universalis, ut facile intelligi potest, non est postea opus longiore enumeratione, sed aspiciatur decalogus, et considerentur dilectionis officia iuxta singula praecepta. Ita si quis volet distributionem virtutum facere, iuxta praecepta concinne eas recitabit. Necesse est autem praelucere fidem et spem: quae sunt virtutes ortae ex promissione Evangelii: deinde dilectio est incoatio legis.

Iuxta primam tabulam dilectio Dei complectitur timorem filialem Dei, id est, veram revenerentiam Dei, confessionem, gratiarum actionem, patientiam in aerumnis confessionis, studium conservandi ministerii evangelici.

In secunda tabula in quarto praecepto amorem coniugis, sobolis, parentum, beneficiorum, magistratum, propter Deum.

In quinto praecepto iusticiam, quae cavet, ne laedat corpus alterius, item mansuetudinem frenatricem irae et cupiditatis vindictae, item beneficentiam.

In septimo praecepto iusticiam abstinentem a rebus alienis, et liberalitatem iuvantem egenos. Haec omnia esse officia dilectionis proximi perspicuum est, quia sunt vincula consociationis generis humani, quae est mutua benevolentia.

In sexto praecepto Castitas.

In octavo Veritas, virtutes sunt necessariae, etiamsi non prodessent proximis. Et tamen hae quoque multipliciter prosunt societati communi.

Ex hac consideratione iudicari potest, adpellatione dilectionis virtutes caeteras comprehendi.

Sed cur inquit: Maxima inter has dilectio? Repondeo simplicissime: Cum virtutes inter sese

conferuntur iuxta suam essentiam, verissimum est, dilectionem Dei longe omnibus aliis antecellere. Sicut lex etiam summam virtutem nominat: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. De quo praecepto cum Dominus ipse dicat: Hoc est primum et magnum mandatum, significatur, et virtutem, de qua loquitur, praecipuam esse. Et in vita aeterna sensus amoris Dei erga nos, et vicissim noster amor erga Deum erit summus gradus beatitudinis. Et semper amor complectitur noticiam, quae quidem in vita aeterna erit multo illustrior, non obscura, ut nunc est fidei noticia.

Non disputabo autem subtilius de collatione harum virtutum. Utramque sciamus esse flammam a Spiritu sancto accensam, scilicet veram fidem et veram dilectionem. Ideo utraque magnifacienda est, etiamsi altera antecellit.

Sed argumentum hic explicandum est, quod opponunt aliqui contra dictum, Fide iustificamur:

Maxima virtus potius iustificat.
Dilectio est maxima virtus:
Igitur dilectio potius iustificat.

Respondeo: Maior vera esset, si iusti essemus impletione legis. Sed quia lege non sumus iusti, et in promissione ostenditur alia iusticia, scilicet quod propter filium Dei iusti simus, imputata nobis ipsius iusticia: nominatur fides, quae adprehendit mediatorem, sive haec virtus sit maior, sive minor dilectione, id ad rem non pertinet. Non enim sumus iusti propter nostras qualitates, sed propter filium Dei. Et tamen verum est, quod cum fide apprehenditur filius Dei, corda vivificantur, et filius Dei vere in nobis efficax est, et accendit Spiritu sancto novam lucem, dilectionem et caeteras virtutes, quae sunt incoata impletio legis. Et tamen quia adhuc in hac misera natura sunt reliquiae peccati, persona est iusta, id est, accepta Deo propter mediatorem pro nobis interpellantem apud aeternum patrem, et imputata nobis iusticia mediatoris, non est iusta propter propriam dignitatem. Recte igitur de utroque dicimus, de renovatione et de imputatione: Necesse est fieri renovationem. Et filius Dei est in nobis, et ex efficax. Et tamen haec consolatio omnibus necessaria est, quod propter ipsum filium Dei certo placeamus Deo, fide, non propter dignitatem nostram. Qui hos fontes huius doctrinae considerant, possunt et dictum Pauli hoc loco recte explicare, et multis aliis obiectionibus in hoc articulo respondere.

Addam et hoc, usitatam responsionem esse: Dilectio est maxima, scilicet quo ad actiones inter homines, quia fere omnes actiones praeceptorum secundae Tabulae sunt opera dilectionis. Sed hanc responsionem omitto, etsi verum est, ut supra dixi, dilectionem proximi virtutem simpliciter necessariam esse singulis, dona miraculorum non sunt singulis necessaria. Et de hac fide, quae est donum miraculorum, praecipue hic Paulus loquitur, ut mox initio in sequenti capite ostendit: Sectamini dilectionem, suscipite vero spiritualia. Vult singulos sectari, id est, appetere dilectionem, quae est virtus simpliciter necessaria singulis. Deinde vult dona caetera, quae prosunt Ecclesiae, et sunt motus et testimonia Spiritus sancti, magnifieri, etiamsi non est necesse singulis ea dari.

Caput XIV.

Διώκετε τὴν ἀγάπην, ζηλοῦτε δὲ τὰ πνευματικά.

Dictum est supra, considerandum esse discrimen inter necessaria singulis, et inter alia dona, quae etiamsi prosunt Ecclesiae, tamen non dantur omnibus, ut dona Ioseph et Danielis sunt excellentia, et universae Ecclesiae prosunt, et sunt illustria testimonia de praesentia Dei in Ecclesia. Sed tamen non omnibus tanta ornamenta tribuuntur. Id discrimen hic indicat, cum ait: Sectamini dilectionem, id est, haec talis est, quam expetere et possidere vos singulos oportet. Sed dona spiritus admiramini, magnifacite, et agnoscite beneficia Dei esse, et doctrinae testimonia, et Deo pro hac patefactione gratias agite. Et sicut ad Ephes. 4. dicitur: Dat alios Prophetas, alios Apostolos, scitote non similia esse ministeria et dona singulorum. Ideo de his usus est verbo ζηλοῦτε, id est, admiramini ea et magnifacite, et suo loco quisque suo ministerio fungatur, et suo dono serviat Ecclesiae. Consideranda est autem Pauli prudentia. Corinthii studio donorum fiebant insolentiores, et negligebant dilectionem. Nunc cum audiant anteferri dilectionem, ne studium et exercitia donorum negligant, tribuit utrique generi locum convenientem.

Deinde omissis caeteris, loquitur de eo loco, cuius praecipuus usus est in docendo.

Μᾶλλον δὲ ἵνα προφητεύητε.

Certum est phrophetiam in hoc capite significare sententiae alicuius lectae seu recitatae enarrationem, ut Lutherus enarrans Paulum ad Romanos aut ad Galatas, prophetiae dono utitur.

Lingua loqui, est diversas linguas posse sonare. Id miraculum cum ostentarent aliqui in publica congregatione, quia ut alioqui Graeci homines amarunt eloquentiam, ita magis delectabantur cognitione multarum linguarum, quam caeterae gentes et hoc studium amabant, et tanquam laudes seu precationes diversis linguis recitabant: Paulus retrahit eos ad studium enarrationis. Et praesertim in publica congregatione tantum sonare diversas linguas, sine enarratione, nulla utilitas erat. Vult autem Paulus dicentes in publico coetu non theatricam ostentationem instituere, ut apud Ethnicos fuit usitatum recitare Poëmata aut Panegyricos in spectaculis: sed servire utilitati discentium, et accendi pios affectus et invocationem.

Et hic vetus mos considerandus est. Lecta aliqua sententia in libris Prophetarum in Synagogis, plures ordine de ea dicebant, ut Lucae 4. Dominus recitat sententiam ex Esaia, et in Actis cap. 13. Paulo datur locus dicendi. Nec tamen erant promiscui clamores, ut in vulgi suffragationibus, sed dabatur locus dicendi ab eo, qui praeerat Synagogae, ut in Actis dicitur. Et hic discrimen est inter sedentes et reliquam multitudinem, ut de iudiciis dictum est:

Considere duces, ut vulgi stante corrona.

Ita Paulus hic plures ordine sine tumultu iubet dicere, et enarrare lectas sententias.

Λαλεῖ οἰκοδομὴν καὶ παράκλησιν καὶ παραμυθίαν.

Commoratur in instituta admonitione. Loquens lingua, id est, dicens laudes, gratiarum actionem seu precationem variis linguis, aut peregrina lingua, non hominibus loquitur, id est, non docet populum. Sed spiritu, id est, dono spirituali, quo cordis affectibus accensus est, loquitur bona quidem, sed tamen non intellecta caeteris. Sed prophetans, id est, enarrans, loquitur ea, quae praesunt ad aedificationem, adhortationem et consolationem.

Usitatum est Paulo, genera concionum partiri in has tres species, quae sunt praecipuae. Prima species est *διδασκαλική*. Oportet enim initio doctrinam de articulis fidei et de distinctione Legis et Evangelii, et aliis membris docrinae principalibus tradere.

Alia species est adhortatio ad poenitentiam et ad bona opera, quae et obiurgationem complectitur, et similis est suasoriis materiis in Rhetoricis.

Tertia species est consolatio, quae praecipue sumitur ex Evangelio, quia fundamentum in omni vera et efficaci consolatione est, agnitio remissionis peccatorum, et reconciliationis cum Deo propter filium, ut supra de consolationibus dictum est.

Eodem modo Paulus distribuit genera doctrinarum in priore Epistola ad Timoth. 4.: Assiduus esto in lectione, consolatione et doctrina. Hoç dictum prorsus congruit cum his verbis, quae recitantur in hac Epistola ad Corinthios, et sapienter docet, quae sint praecipua genera concionum in Ecclesia, quod esse consilium in docendo oporteat, et ad quos fines referenda sit omnis oratio.

Primum fit mentio lectionis, ubi considerandum est discrimen doctrinae in Ecclesia, et artium caeterarum. Non ordimur Arithmeticam aut alias philosophiae partes a lectione, sed afferimus ad artium descriptionem initia nobiscum nata, ut numerationem et alia, sed doctrina Ecclesiae longe aliter discenda est. Ordiri necesse est a lectione. Quia cum articuli fidei de tribus personis divinitatis et de duabus naturis in redemtore nato ex Maria virgine, de Ecclesia, de gratuita remissione peccatorum, de resurrectione mortuorum, et alii articuli Evangelii nequaquam natura noti sint: necesse est eos cognosci tantum ex patefactione divina, quam Deus immensa bonitate post primos parentes literis mandari voluit per Prophetas, ac deinde per Apostolos. Ideo nos primum ad lectionem deducit, id est, vult in Ecclesia legi libros propheticos et apostolicos, quos vult esse fontes doctrinae, et normam, ne recipiantur ullae opiniones ab hac norma dissentientes, sicut ipse dicit: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Itaque sit hoc primum concionatoris munus, ut libros propheticos et apostolicos populi legat, et legi curet, et moneat regulam doctrinae in his contineri.

Secundum officium concionatoris est Docere. Est autem una simplex via docendi, in lectione genus sermonis enarrare, et deinde monstrare ordinem rerum, quae proponuntur, et membra distinguere, et via quadam artium addere definitiones et collationes. Ut in principio libri Moysi necesse est monere lectorem, ubi de Creatione, ubi de Lapsu primorum parentum dicatur.

Postea discerni oportet iusticiam et peccatum, deinde legem et promissionem. Denique sani omnes intelligunt, in docendo adhiberi oportere Gramaticen, Numerationem, Dialecticen, et aliarum artium adminicula. Necesse est articulos fidei ordine populo proponi, discerni Legem et Evangelium, peccatum et redemtorem, iusticiam philosophicam et aliam iusticiam, quae aut propter filium nobis imputatur, aut in nobis restituitur.

Discerni oportet Ecclesiam et Imperia, Vetus et Novum Testamentum, leges divinas et humanas, aeternas poenas et aeterna praemia.

Harum rerum enarrationem in Corinthiis nominat Paulus Aedificationem. Et intelligat concionator, quae materiae sint principales ac necessariae ad aedificationem, id est, ad confirmandam fidem in omnibus articulis. Has repetat, omissis peregrinis disputationibus, sicut iubet ad Timotheum eligi utilia ad aedificationem. Pertinent autem haec duo genera lectio et doctrinae explicatio ad genus didascalicon.

Tertium genus est Consolatio. Non est finis doctrinae in Ecclesia tantum scientia, nec tantum actiones nostrae, sed Deus se patefecit et Evangelium tradidit, ut liberet nos a peccato et aeterna morte, et finis est, ut abolito peccato et morte, fruentes communicatione sapientiae, iusticiae et laetitiae Dei, in omni aeternitate apud eum vivamus, et vicissim eum celebremus. Est igitur genus extremum consolatio.

Postquam igitur concionator proposuit lectionem et doctrinam, ostendat quomodo applicanda sit ad consolationem, et ad hunc effectum postremo orationem referat. Et gradus hic considerentur.

Primum erigenda est fides, id est, fiducia misericordiae, qua cum in Deo acquiescimus, sequitur pax et gaudium, ut scriptum est: Iustificati fide pacem habemus. Et proximi gradus sunt Invocatio, Spes et Gratiarum actio. Scimus enim invocationem nequaquam irritam esse. Leniuntur ergo dolores spe mitigationis calamitatum, aut liberationis, quam petimus et expectamus. Et gratiarum actio accenditur, cum ordine beneficia Dei utcunque agnoscimus. Primum remissionem peccatorum, deinde auxilium, et praesentiam filii Dei nos sustentantis, postea mitigationem calamitatum vel liberationem.

Mox repetit eadem genera concionum: Si reversus ad vos tantum variis linguis sonarem meas precationes aut hymnos, quid prodessem vobis, nisi et concio accederet ex revelatione, vel scientia, vel prophetia, vel doctrina?

Nominat doctrinam lectionem, et dogmatum recitationem, ut supra dictum est. Prophetiam enarrationem et lectionis et dogmatum. Et haec duo membra partim ad genus didascalicon, partim ad alterum genus pertinent, quod nuncupavit consolationem. Scientia est admonitio de moribus et de externa gubernatione, ut supra capite duodecimo dictum est, ut de electione et de potestate ministrorum Evangelii, de legum discrimine, quae sint abolitae, quae sint perpetuae, de usu libertatis, de iudiciis Ecclesiae, de coniugio, de usu rerum politicarum, et similibus negotiis.

Revelationem vero nominat singularia testimonia doctrinae ipsi exhibita, sicut ad Galat. inquit: Non ab homine accepi Evangelium, nec me quisquam hominum docuit, sed accepi revelante Iesu Christo. Pertinent huc et praedictiones, sicut de postremis Ecclesiae temporibus vaticinatur ad Thessalonicenses et ad Timoth. Item iudicia de fanaticis doctoribus, quales tunc quoque multi vagabuntur, et iactitabant suas quasdam illuminationes, ac variis praestigiis fallebant et turbabant Ecclesias, ut in Actis capite 13. In Cypro Elymam punit coecitate, et narrat ad Timotheum, se Hymenaeum et Alexandrum tradidisse Satanae, ut desinerent spargere blasphemias.

Vidimus et nostro tempore multo ante seditionem rusticanam fanaticum hominem Nicolaum Stork, natum Cygneae, vagari in his religionibus, qui narrabat, saepe angelos visibili specie secum locutos esse, et ipsi praedixisse, fore eum ducem instaurationis Ecclesiarum. Loquebatur autem de cultibus more enthusiastarum, dicebat iusticiam esse in cordibus novam et coelestem lucem, et novos motus seu afflatus. Nec recte de

fide et consolatione in veris pavoribus loquebatur, in quibus corda se sustentant imputatione iusticiae filii Dei. Exaggerans vero illos enthusiasmos, extenuabat usum Sacramentorum, et traditiones humanas prorsus reiiciebat, nec paucos admiratio rerum sublimium et ignotarum movebat, ut eius sententias amplecterentur, quorum multos nominare possemus. Fuit autem inter praecipuos eius admiratores Thomas Monetarius, qui postea seditionis in Thuringia autor et dux fuit, qua seditione oppressa Monetarius supplicio affectus est, in quo valde fracto animo fuisse eum narrant. Nec multo post eius Magister Nicolaus Stork fugitivus in Xenodochio Monachensi, in Bavaria mortuus est. Ita eventus refutavit horum furores. Sed multo ante Lutherus illam ipsam factionem coram et publicis scriptis damnaverat. Tales praestigiae diaboli non iudicari possunt sine singulari dono Dei. Quare et talia iudicia nomine revelationis hic complectimur.

Ὅμως τὰ ἄψυχα φωνὴν διδόντα.

Multis similitudinibus ostendit, non prodesse in coetu peregrinis linguis recitare preces aut lectiones sine enarratione. Ut nihil prodest tuba edere sonos non intellectos militibus.

Non sunt obscurae hae similitudines, ideo non addo declarationem. Sed lector admonendus est, ut hanc sententiam saepe repetitam infigat pectori: Magnifacite dona, ut ad aedificationem Ecclesiae sitis locupletiores et instructiores. Item: Omnia ad aedificationem Ecclesiae fiant. Hoc praeceptum in docendo sequamur, non ostentemus ingenia subtilitate disputationum de rebus non necessariis. Non captemus plausus et studia principum aut multitudinis, blandientis aut perversis eorum iudiciis, aut pravis cupiditatibus, sed regantur mentes et oratio hac regula: Omnia fiant ad aedificationem, id est, eligantur materiae necessariae, recte enarrentur articuli fidei, recte proponatur integrum doctrinae corpus. Et postquam doctrina recitata est, semper ad hos fines referatur concio, ut in auditoribus exciteutur timor Dei, ac deinde fides, erigens perterrefactas mentes et accendens invocationem et gratiarum actionem. Has metas in concionando semper intueamur.

Ἐὰν γὰρ προςεύχομαι γλώσσῃ, τὸ πνεῦμα μου προςεύχεται.

Commoratur in instituta collatione. Etsi pium opus est, precationem dicere quacunque lingua, tamen utilitati Ecclesiae etiam serviendum est, et addenda enarratio. Cum lingua peregrina recito precationem, spiritus meus orat, id est, affectus dono spirituali accensus. Loquitur enim non de simulatis lectionibus aut cantilenis, quales nunc sonant conducticii hypocritae in templis, sed de seria precatione piorum. Sed mens mea sine fructu est, id est, mens, quae in hac pia meditatione cogitavit bonas sententias, quarum cognitio prodesset aliis, non impertit eas coetui.

Inquit igitur se et spiritu precationem seu Psalmum recitaturum esse, et mente, id est, se si ita sit occasio, variis linguis precationem seu hymnum compositurum esse, sed tamen additurum enarrationem utilem reliquo coetui.

Illustrat argumentum, quod instituit, ab inutili. Si publicam precationem dicas lingua peregrina, quomodo possunt auditores in fine usitatam clausulam addere, qua significans se eadem petere, et coniuncta esse vota universae Ecclesiae, videlicet, cum dicitur usitato more *Amen*, qua voce et Moysi tempore hoc modo usam esse Ecclesiam, cum populus respondens testabatur se eadem petere, apparet ex capite 27. Deutero., ubi saepe repetita sunt haec verba: Et dicat omnis populus, *Amen*. Id Graecus vertit καὶ ἐροῦσι πᾶς ὁ λαός: γένοιτο. Grammaticis enim est, Verum, id est, ratum et firmum sit, eveniat quod petimus, nec existimamus haec nostra vota inane murmur esse, ut Ethnici vociferantur quidem ad Deum, sed dubitant quid invocent: item an ulla numina respiciant homines, an ipsorum gemitus et lacrimas audiant et curent. In his dubitationibus eorum clamores irriti dissipantur in auras, et prorsus sunt, ut Seneca inquit:

Rumores vacui, verbaque inania,
Et par solicito fabula somnio.

Huic ethnicae opinioni opposita est confessio Ecclesiae, cum ait Amen. Quia est asseveratio, quasi dicat: Vera et rata sint haec vota, et esse rata credimus. Scimus eum velle hac fide coli et invocari, qua credimus propter mediatorem vere nostros gemitus respici, et nostras preces exaudiri, et certo impetrare vel liberationes vel mitigationes.

Haec de vocabulo satis sit hic monere. Nam doctrina integra de precatione alibi traditur, et familiarissime notam esse omnibus oportet, ut in quotidiana invocatione sit in conspectu, et semper addas ipse hanc tuam asseverationem finita precatione: Credo Domine, haec mea vota propter filium mediatorem a te recipi, sed opem fer meae imbecillitati. Scio de velle hunc honorem tibi tribui, ut credamus te vere affici cura nostri, et nos exaudiri, nec promissiones tuas inanes sonos esse. In hoc nostro exercitio discimus, quare antiquitas semper addiderit precationibus, Amen.

Ac vide morem Ecclesiae perpetuum: Semper fuit unus aliquis in coetu, qui sua voce reverenter recitavit publicam precationem. Postea vel populus, vel unus nomine populi respondit Amen. Quid opus est, dicat aliquis? Respondeo: Vult Deus consensum esse Ecclesiae in doctrina, fide, invocatione et petitione: vult et publicos ac honestos congressus fieri, et in his vult consentientibus piorum pectoribus invocari, iuxta promissionem Matthaei 18.: Si duo ex vobis consenserint in terra, de omni negotio quod petent, fiet eis. Ideo servatus est hic mos, ut populus adderet hanc significationem sui consensus. Et Paulus vult eam addi. Ait igitur de respondente: Quomodo implens locum idiotae, dicet Amen, si te non intelliget? *ἀναπληρῶν τόπον τοῦ ἰδιώτου*, dicitur respondens, quasi precationem ab alio recitatam, postea complens expresso consensu populi. Ad hunc ipsum morem et multa alia dicta congruunt, ut Psalmo 117. prius nominat domum Aaron, et hanc iubet gratias agere et celebrare Deum: dicat nunc domus Aaron, bonus est Dominus, et in seculum misericordia eius. Sit sacerdos *ἔξαρχος* publicae precationis, et quasi praeeat populo sua voce. Postea igitur additum est: Dicant nunc omnes qui timent Dominum, bonus est Dominus, et in seculum misericordia eius.

Fratres, ne pueri fiatis mente, sed sitis infantes malitia, integri vero sitis mente.

Inserit generalem admonitionem, ut recte iudicent de usu donorum. Non inanis spectaculi caosa dona exhibita sunt, sicut videntur illi cogitare, qui tantum ostentant donum linguarum recitando hymnum peregrina lingua, quem coetus non intelligit. Haec admonitio late patet. Sacrificia in Israël instituta erant ad certos usus. At sacerdotes transtulerunt ea ad pompam aut quaestum. Coena Domini ad usum certum, videlicet ad consolationem conscientiarum instituta est. Postea horribiliter prophanata est, et in magna parte generis humani celebratur ut spectaculum, aut quaestus causa. Certarunt Ecclesiae de die Paschatos, et saepe de aliis non necessariis quaestionibus. De hoc toto genere monet Paulus, ut non velut pueri spectaculis et ritibus capiamur, sed sapienter regamus actiones, et causas intueamur, et suum cuique locum tribuamus. Et regulam hic saepe repetit: Omnia ad aedificationem fiant. Cogitate quare donum linguarum attributum sit Ecclesiae, non ut inane spectaculum, sed ut prosit iis locis, ubi peregrinae linguae usus necessarius est. Sed in vestra Ecclesia recitetur lectio lingua intellecta populo, et enarratio utilis audientibus proponatur de aliqua doctrinae parte.

Ἐν νόμῳ γέγραπται, ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις.

Causae tres sunt, propter quas donum linguarum Ecclesiae attributum est. Prima et principalis, ut propagari Evangelium cito in multis gentibus posset, quarum non est una lingua.

Secunda, ut hoc ipsum donum esset testimonium Spiritus sancti, et praesentiae Dei in Ecclesia, sicut alia magna miracula.

Tertia, ut esse signum et testimonium, caeteras gentes etiam ad Evangelii societatem vocandas esse.

Haec significat Esaias capite 28., unde haec verba citantur. Etsi autem sententiae variae quaeruntur apud Esaiam, tamen haud dubie et hanc complectitur quam recitat Paulus, fore, ut Evangelium spargatur in multas gentes diversis linguis, quod displiciturum sit huic populo, et populum tunc poenas daturum esse contemtae vocis divinae. Esaias longa narratione taxat coecitatem Ecclesiae fascinatae falsis opinionibus et traditionibus. Omnes mensae repletae sunt vomitu, id est, fere ubique ebria et delira est Ecclesia magnis erroribus, et post reditum ex Babylone Pharisaei et Saducaei exorti sunt, quorum furores etiam accusat Esaias. Ita post Apostolos in Ecclesia grassatae sunt haereses, deinde Pontificum, Monachorum, et Sophistarum traditiones, de sacrificio Missae, de adoratione panis, de invocatione mortuorum, de dubitatione, de

iusticia operum, de coelibatu, et aliis stultis ceremoniis, extincta luce Evangelii.

Post hanc reprehensionem addit Esaias antithesin: Quem docebit scientiam? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, id est, castigatos et non ebrios voluptatibus et opinionibus, quas peperit haec coeca natura, et quas didicerunt inter Pharisaeos a pueritia, sicut in eodem capite mox inquit: Vexatio dat intellectum.

Postea sequitur Mimesis, quae recitat eorum traditiones: Manda remanda, expecta re expecta, modicum ibi, quasi dicat: Ipsi mandata et glossas cumulant. Sed hae glossae erunt eis exitio. Addit igitur: Me derident suis vel traditionibus vel ironiis. Ego vicissim loquar eis lingua, quae displicebit, seu derisoria, et vocabo gentes ad societatem Ecclesiae diversis linguis, et delebo ipsorum politiam. Haec est simplicissima enarratio. In Hebraico legitur: Labiis subsannatoriis, et alia lingua loquetur ad hunc populum. Ubi antithesis consideretur, quasi dicat: Nunc ipsi meum verbum derident, et mea lingua ipsis peregrina est seu barbara: Ego vicissim loquar eis lingua vere peregrina, quae tunc eis ingrata erit, colligam gentes ad societatem Ecclesiae deleta hac politia.

Ex hac simplici recitatione manifestum est, Paulum recte citasse hoc dictum, et inde ostendere donum linguarum signum esse praedicationis Evangelii. In Graeca versione Esaiae legitur: *διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας*, etc. Reddidit enim לַעַג *φαυλισμὸν*, quod significat subsannationem. Deinde et altera vox additur in Ebraeo et in Graeco, videlicet alia lingua, quod convenit ad Pauli sententiam.

Ὥστε αἱ γλῶσσαι εἰς σημεῖον εἰσὶν, οὐ τοῖς πιστεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀπίστοις.

Dictum est supra, donum linguarum Ecclesiae attributum esse, ut Evangelium inter gentes propagari posset. Simul autem fuit testimonium praesentiae Dei, ut alia miracula. Hic igitur Paulus inquit, linguarum varietatem signum esse non credentibus, sed incredulis, videlicet, ut moti hoc miraculo, sicut caeteri invitentur ad Evangelium. Nec opus est longiore enarratione in hoc membro.

Postea prophetiam ait prodesse credentibus. Manifesta sententia est, Ait interpretationem toti coetui prodesse, in quo multi peregrinas linguas non intelligebant. Hi cum audiunt sua lingua enarrationem alicuius propheticae concionis de summa doctrinae, erudiuntur et exuscitantur ad timorem, fidem, spem, invocationem, gratiarum actionem, tolerantiam, et ad alias virtutes. Sicut Paulus docet et confirmat credentes, citans et enarrans dictum ex Genesi: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam. Et in Epistola ad Ebraeos erudiuntur credentes, enarratione dicti de saserdotio filii Dei: Tu es Sacerdos in aeternum, etc. Huius testimonii explicatio ostendebat causas, cur Sacerdotium Leviticum seu typicum post exhibitum Messiam desineret. Et docebat, quale sit sacerdotium filii Dei, quo vere placatur ira Dei adversus peccatum, et annunciatur remissio peccati, et abolentur peccatum et mors, sicut ibi scriptum est: Una oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Denique omnibus temporibus pii erudiuntur et confirmantur talibus enarrationibus, quas hic nominat Prophetias. Hoc igitur donum in Ecclesia unius linguae magis vult exerceri, ubi si veniant in coetum ignari peregrinarum linguarum, et tantum audiant ibi peregrinos sonos, mirari possent, quid ageretur, cum illa recitatio nullam populo utilitatem adferat, sicut in die Dionysii in Ecclesia Wirtzburgensi canuntur Graecae cantilenae scriptae latinis literis, nec ipsis quidem canentibus intellectae. Hae pueriles ineptiae nec gravitati Ecclesiae conveniunt, nec prosunt canentibus aut populo. Hoc exemplum utcunque illustrat haec verba: Nonne dicent vos insanire? Cur igitur antea dixit, prodesse linguarum varietatem tanquam miraculum? Verum est, prodesse ut miraculum apud eos, ubi usus est peregrinarum linguarum. Sed hic loquitur de coetu unius linguae, in quo iam Ecclesia collecta indiget assidua enarratione. In tali coetu ineptum est ostentare peregrinas linguas.

Εἰσέλθῃ δέ τις ἄπιστος ἢ ἰδιώτης, ἐλέγχεται ὑπὸ πάντων.

Dixi iam loqui Paulum de coetu unius linguae, in quo et infideli intelligenti linguam, et fideli prodest concio enarrantis praecipuos articulos doctrinae in Ecclesia, ut consentaneum est saepissime hoc accidisse, ut homines modesti ex Ethnicis accesserint cum amicis ad conciones Ec-

clesiae, uxores ethnicae cum maritis iam Evangelium profitentibus, aut fratres cum fratribus, filii cum parentibus. Horum aliqui cum audiebant taxari idolorum cultus, et magnas tenebras Ethnicorum, certe flectebantur. Et sic paulatim collectam esse Ecclesiam manifestum est. Talibus nihil profuisset hymnus peregrina lingua compositus. In hanc sententiam hic Paulus inquit: Si ingrediatur infidelis, ut cum ministri Cornelii Centurionis audiunt Petrum concionantem. Aut Idiota, id est, rudis, qui primum cepit Catechismi doctrinam audire: Tales, ait, argui et convinci ab omnibus, et occulta cordium patefieri, id est, audita doctrina, taxante ethnica vitia, Epicureas opiniones, aut cultus idolorum, libidines et alia scelera, et monstrante veri Dei patefactionem, converti eos ad Deum, et agnoscere Ecclesiam vere esse coetum Dei, et hanc doctrinam non esse commentitiam. Et summa laus Ecclesiae his brevissimis verbis describitur: Agnoscit et fatetur vere Deum inter vos esse, ἀπαγγέλλων, ὅτι ὁ θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστί. Hic retro cogitentur historiae de collectione Ecclesiae. Hostes Evangelii male loquebantur de congressibus Christianorum, ut scribit Tertullianus, et alii. Adducti sunt amici credentium, ut spectatores essent, et narrarent, quid ibi ageretur. Horum multi cum et audirent optimam doctrinam, et honestissima exempla cernerent, movebantur, ut et ipsi Evangelium amplecterentur.

Et usitata sunt in Iustino Martyre, qui scribit ad Marcum Antoninum imperatorem, et in aliis argumenta quatuor, quibus refutant Ethnicos, quae in conspectu habere singulos utilissimum est.

Primum: Manifesta absurditas et manifestus furor est Ethnicorum, Episcureas opiniones amplecti, aut probare cultus idolorum, et multos Deos, aut probare nefarias libidines. Haec vitia demonstrationibus naturalibus refutari possunt, quae saepe a piis cogitandae sunt, et refutatio multos Ethnicos movit, ut aliam doctrinam quaererent.

Secundum argumentum: Quod bonas mentes valde confirmat, et quod Iustinus maxime urget, sumtum est ab antiquitate. Quia manifestum est, historiam Ecclesiae antiquiorem esse omnium Ethnicorum historiis. Series temporum et imperiorum ostendit, Israëlitas et patres eorum ante monarchias fuisse, ante Assyriam, Persicam, Graecam et Romanam. Et multa vestigia apud gentes testimonia praebent antiquitati Ecclesiae. Graeci fatentur se ortos esse ab Iapeto, Persae ab Elam. Et similia multa sunt. Nec ulla in toto genere humano extant scripta, quae a rerum initiis continuam seriem annorum monstrent, nisi sola historia Ecclesiae. Teneamus igitur regulam Tertulliani optimam: Primum quodque verissimum est.

Tertium argumentum: Miracula assidua, resuscitatio mortuorum et alia, quae nequaquam potest imitari diabolus. Ac recenseo inter miracula praedictiones de monarchiis, in Moyse, Esaia, Ieremia et Daniele. Id miraculum est illustre testimonium quocunque tempore post eventum. Cum viderent multi tempore Romani imperii talem fuisse successionem monarchiarum, qualem Prophetae praedixerant, fatebantur et hanc doctrinam a Deo traditam esse, et Deum regere tales imperiorum mutationes, et divinitus conservari genus humanum.

Idem argumentum nobis quoque proponamus, ut firmissima assensione doctrinam Ecclesiae amplectamur.

Est et hoc miraculum assiduum, quod non deleri potest Ecclesia, cum omnibus seculis summi reges, et antecellentes gloria et potentia, opprimere eam conati sint, ut Pharao, Nabugdonosor, Antiochus, Romani imperatores multi, postea Turci et alii. Est igitur perpetuitas Ecclesiae inter tantos fluctus illustre testimonium, quod ostendit, conservari eam a Deo.

Quartum argumentum sumitur ab ipso genere doctrinae. Nulla gens habet legem honestiorem et rectius convenientem iudicio naturali. Tota philosophia fatetur imperfectionem suam, quod videt in ratione lucere veras noticias, et tamen dissidium esse maximum virium humanarum, id unde sit ignorat, nec remedia ostendere potest.

Videt absurda multa sequi, si animae non sint immortales: et tamen dubitat de immortalitate.

Nequaquam potest affirmare philosophia, exaudiri etiam bonos, ut Palamedem aut Socratem, in calamitatibus.

Nulla gens extra Ecclesiam habet certam et expressam doctrinam de remissione peccatorum, de praesentia Dei apud vere invocantes, et de

vita aeterna, et de modo, quo accipitur vita aeterna certo, cum nemo legi satisfaciat, et nemo sit sine peccato.

Cum haec quatuor argumenta simul coniunguntur, movent homines non Cyclopicos. Et cum postea accedit sensus iudicii Dei in agnitione peccatorum, et consolatio ac vivificatio in corde, agnito filio Dei, in his motibus Spiritus sanctus trahit et confirmat corda, ut iam convinci se fateantur, et Evangelio assentiri firmius incipiant. Haec ita fiunt in omnibus, qui exercitia poenitentiae intelligunt, et de hac confirmatione loquitur Paulus, cum ait, 2. Corinth. 1.: Deus est autem, qui confirmat nos in Christum, qui et unxit et obsignavit nos, et dedit arrabonem spiritus in corda nostra. Et Roman. 8.: Spiritus dat testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei. Et 1. Iohan. 2.: Unctio docet vos de omnibus. Et Hebr. 11.: Fides nominatur *ἔλεγχος*, quod hoc modo, ut dixi, convincantur mentes, et firma fiat assentio. Ita et in hoc capite inquit Paulus: Aliquos audita summa doctrinae in congressu Ecclesiae, et facta collatione ad ethnicos errores, trahi a Spiritu sancto, et flecti ad amplectendum Evangelium. Tales inquit fateri, quod vere Deus sit in Ecclesia, id est, sentiunt se a Deo trahi, terreri, et rursus erigi ac vivificari, et fatentur doctrinam veram esse, et amplectuntur eam.

Haec narratio ostendit, quomodo et collecta et aucta sit Ecclesia, cum veniebant Ethnici ad audiendam doctrinam. Et eodem modo colligitur Ecclesia omnibus temporibus.

Πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γινέσθω.

Repetit praeceptum, quod et supra tradidit, ut considerent doctores, quid Ecclesiae prosit, videlicet, ad agnoscendam necessariam doctrinam de singulis articulis. Deinde ad flectendos animos ad poenitentiam, ad corrigendam profanam securitatem. Postea ad consolationem piorum, ad excitandam fidem, invocationem, spem et laetitiam in Deo, ad ardens studium verae obedientiae. Haec et similia complectitur verbo aedificationis, alludens ad extructionem aedificii.

Contra non aedificant, id est, non iuvant Ecclesiam recitationes non intellectae. Destruunt etiam tanquam aedificium curiosae quaestiones et labyrinthi, quae mentes implicant dubitationibus, et pariunt odium doctrinae, tanquam incertae et ambiguae.

Προφῆται δὲ δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν etc.

Hic monet, ordinem servandum esse in docendo. Et simul iudices constituit, quod valde dignum est consideratione. Non vult in Ecclesia concedi licentiam spargendi quaslibet opiniones, sed vult iudicari doctrinam. Hic continetur ordo synodorum et iudiciorum de doctrina, de quibus haec quatuor consideranda sunt:

I. Quae personae sint iudices de doctrina in Ecclesia.

II. Quae sit norma, iuxta quam iudicandum est.

III. Quomodo iudicatum valeat.

IV. Quae sit executio.

De prima quaestione, aliud est loqui de norma, aliud de personis. De norma non dubium est, simpliciter normam esse capita doctrinae tradita in scriptis propheticis et apostolicis, et comprehensa in symbolis. Et haec norma est tanquam summus iudex. Sed quia iam de personis quaeritur, ut et Paulus de personis loquitur, et in hac vita in refutatione errorum, in congregatione, personas aliquas oportet sua voce et suo testimonio adversari errantibus. Ideo disputatio est, quae sint illae personae. Paulus inquit: Sedentes iudicent, id est, omnes auditores, non ut in seditione, sine ordine, sed suo quisque loco, ut postea inquit Paulus: Omnia fiant ordine. Item: Deus non est autor *ἀκαταστασίας*. Ita et Matth. 18. scriptum est: Dic Ecclesiae. Haec verba non intelliguntur de impio coetu, qui dominatur in Ecclesia titulis Episcoporum, et tamen est hostis vera doctrinae, sed de coetu, qui non falso tenet nomen Ecclesiae, quales erant coetus tunc a Paulo collecti. In hoc coetu ordine dicantur sententiae a docentibus et senioribus, sicut in Actis capite 15. dicitur: Congregati sunt Apostoli et seniores, ut considerarent hanc causam. Postea in condendo decreto, non soli Apostoli aut seniores sumunt sibi potestatem *ὀλιγαρχικὴν*, sed totius Ecclesiae consensus accedit, iuxta haec verba: Tunc visum est Apostolis et Presbyteris cum tota Ecclesia. Et postea rursus dicitur: Apostoli et Presbyteri et fratres. Non voluit Spiritus sanctus in Ecclesia tyrannicam aut oligarchicam potestatem constituere, sed audiri pios voluit etiam in gradibus inferioribus, sicut hic inquit Paulus: Potestis singuli dicere, ut omnes discant. Item: Si fuerit sedendi revela-

tum, taceat prior. Item, 1. Thessalonicens. 5.: Spiritum ne extinguite, prophetias ne contemnite. Omnia probate, quod bonum est, tenete. Hoc modo ad refutandum Samosatenum privato studio propter gloriam Dei convenerunt procul Gregorius Neocaesariensis et alii. Ac talia semper sunt verae Ecclesiae iudicia, quandocunque sunt Ecclesiae mediocriter restitutae, ut nos adhibitis aliis piis ac eruditis viris, hoc modo saepe Anabaptistas refutavimus ac damnavimus. De tali iudicio non tyrannico Basilius loquitur, inquiens: *Ἀλλά εἰσιν ἐπίσκοποι, κληθῶσι εἰς ἀκρόασιν. Ἐστὶ κλῆρος κατὰ πᾶσαν τοῦ θεοῦ παροικίαν, συναχθήτωσαν οἱ δοκιμώτατοι, λεγέτω μετὰ παῤῥησίας ὁ βουλόμενος, ἵνα ἔλεγχος ᾖ τὸ γιγνόμενον, καὶ μὴ λοιδορία.*

Secunda quaestio est de norma, iuxta quam iudicandum est. Hic non dubium est normam esse ipsos libros propheticos et apostolicos et symbola, in quibus praecipui articuli propositi in libris propheticis et apostolicis breviter comprehensi sunt. Et cum deliramentum aliquod pugnat cum perspicuo articulo tradito in libris propheticis aut apostolicis, aut symbolis, manifesta est diiudicatio iuxta hanc regulam: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit, ut Manichai furores, item Pelagiani cum perspicuis articulis pugnabant.

Sed hic obiiciunt Sophistae, multa esse dicta obscura et ambigua in libris propheticis et apostolicis. Quare vocem iudicis contendunt anteferendam esse libris propheticis et apostolicis. Hoc praetextu alii synodos, alii Papam anteferunt his libris, sicut in quolibet regno, cum in legibus deprehenditur obscuritas aut ambiguitas, anteferturvox regis explicans obscure vel ambigue dictum. Et in imperiis necesse est acquiescere in ea explicatione, alioqui nullus finis esset litium. Hoc exemplum politicum transferunt Sophistae ad iudicia Ecclesiae.

Sed respondendum est: De doctrina necessaria, nulla est ambiguitas in libris propheticis et apostolicis et in symbolis, si sine cavillatione et dextre intelligantur, inspecta perpetua narrationum serie, et secum consentientibus membris, ut in quacunque interpretatione fieri debet. Ideo 2. Corinth. 4. dicitur: Si velatum est Evangelium nostrum, in his qui pereunt, velatum est.

Item cum expresse praeceptum sit: Nihil addas, nihil detrahas, et in Numeris capite 15.: Non sequantur cogitationes suas, sed sint memores praeceptorum Dei: Sequitur non esse ambiguitatem, cui humano iudicio possit addi interpretatio.

Etsi autem de lege, et de promissionibus et de articulis necessariis, non est ambiguitas in scriptis propheticis et apostolicis, tamen quia in contentionibus etiam plane dicta diversis interpretationibus transformantur in plures sententias, prodest audire testimonia purioris Ecclesiae in aliquibus materiis, et ea conferre ad fontes, quae cum videmus magis congruere cum fontibus, multum confirmamur et his ipsis testimoniis. Ut quanquam Samosatenus astute disputat in dicto Iohannis *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος*, non intelligi personam nomine *λόγος*, tamen cum legimus Irenaei, Gregorii Neocaesariensis, et aliorum probatorum interpretum sententias, prosunt haec testimonia ad nos docendos et confirmandos. Ideo enim Deus ministerium in Ecclesia servat, ut Ephes. 4. scriptum est, Ne circumferamur variis doctrinarum ventis, sed sint aliqui testes verae doctrinae sine ambiguitate. Et iussit audiri Ecclesiam doctricem et monitricem, sicut inquit Samson: Nisi arassetis mea vitula, non invenissetis. Et ad Petrum inquit: Et tu conversus confirma fratres tuos.

Audienda est igitur vera Ecclesia ut doctrix et monitrix, sed fides nitatur verbo Dei. Commonefacti igitur ab Ecclesia conferamus testimonia eius ad fontes. Et grata confirmatio est bonae menti, scire se non discedere a consensu verae Ecclesiae, et uno spiritu et una voce Deum invocare cum vera Ecclesia, sicut Psalmo 21. dicitur: In medio Ecclesiae laudabo te. Item, Psalmo 110.: Confitebor tibi Domine in concilio et congregatione iustorum. Et in fontibus ex tota narrationum serie unica et nativa sententia plerunque inveniri potest. Sic et nunc adiuvamur in multis controversiis a veteri et sinceriori Ecclesia. Manifestum est in prima Ecclesia non fuisse privatas Missas. Hunc morem cum ad Pauli dicta conferimus, videmus eum congruere cum hoc dicto, 1. Corinth. 11.: Cum convenitis ad coenam Domini, expectate caeteros. De baptismo infantum etiam Augustinus citat primae Ecclesiae consuetudinem. Et Origenes expresse inquit 6. capite ad Romanos. Itaque et Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare baptismum. Et id magis congruit cum dictis in scriptura. Certum est promissiones ad

parvulos, qui sunt in Ecclesia, pertinere, non ad alios extra Ecclesiam. Quare inserendi sunt Ecclesiae per baptismum.

Sunt igitur normae iudicii scripta prophetica et apostolica et symbola. Et in aliquibus controversiis adiuvamur testimoniis verae Ecclesiae. Ac recte discernenda est vera Ecclesia ab indocta colluvie. Videnda etiam perpetua eruditorum sententia, non excerpenda sunt mutila dicta, et sophistice detorquenda contra perpetuam autorum sententiam. Nemo enim semper satis circumspecte, diserte et proprie loquitur.

Postquam de norma iudicii dictum est, iam et hoc quaeritur. Si non convinci velint errantes, quomodo compescendi sint? Nam si non compescantur, non erit finis dissidiorum.

Hic sciendum est, eventum iudiciorum in Ecclesia dissimilem esse eventui in iudiciis politicis, sicut et iudicantium autoritas dissimilis est.

Cum iudices politici pronunciarunt in quaestione ambigua, contumaces armis compescere debent, ut sit finis litium et dissidiorum. Quia in materiis civilibus cum sint subiectae rationi, magistratus autoritatem habet probabili ratione pronunciandi de ambigua quaestione, et armavit Deus eos hac autoritate, ut eorum interpretationes valere et recipi velit. Possunt igitur prorsus tolli controversiae.

Sed in Ecclesia iudices non habent potestatem regiam seu praetoriam, nec postea armis compescere condemnatos debent. Et cum magna potentia et multitudo est errantium, si nolint convinci, etiamsi vera Ecclesia eos excommunicat; tamen haeret discordia, ut etiamsi Apostoli damnabant synagogam, tamen non extincta est discordia, donec Deus ipse fuit executor sententiae Apostolorum, et synagogam delevit. Ac plerunque hoc modo solutae sunt magnae dissensiones in Ecclesia, non humanis viribus.

Addamus et hoc de synodis. Cum de iudiciis in Ecclesia loquimur, semper considerandum est, qui coetus vere sint Ecclesia Dei. Nequaquam facimus iudices de doctrina coetum eorum, qui palam sunt hostes doctrinae Evangelii, ut synagoga, quae Christum et postea Apostolos et Stephanum damnaverat, nec Ecclesia Dei erat, nec iudex esse poterat: ita nunc iudices esse nequaquam poterunt Episcopi eorum satellites, monachi, et alii, qui palam sunt hostes Evangelii, et multis praeiudiciis quotidie ostendunt, se multo ante damnasse Evangelium. De his omnibus regula teneatur: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Hanc admonitionem et consolationem proponit Apostolus, non vult nos ad horum iudicia provocare, sed vitari eos tanquam anathemata. Et quanquam titulis et autoritate eorum multi moventur: tamen gravissimam consolationem nobis proponit, cum eos nominat anathemata. Non moveamur eorum fulminibus, sed sciamus in Psalm. 108. scriptum esse: Maledicent illi, et tu benedices. Sed ea, quae de iudiciis in Ecclesia dicta sunt, intelligantur de Ecclesiis sonantibus vocem Evangelii, ut Paulus de coetu Corinthio loquitur. Possunt enim et in tali Ecclesia oriri controversiae, ut in Actis capite 15. movent quaestionem de ceremoniis pii admixti hypocritis. Haec de synodis iam dixisse satis sit, quae ad hanc Pauli commemorationem recte quadrant, quia hic aliquo modo iudicia talia ordinat.

Prophetae duo vel tres loquantur, et caeteri iudicent.

Manifestum est ex narratione Lucae 4 et ex Actis, fuisse honestissimum ordinem dicentium in publicis congressibus in synagogis. Nec promiscui clamores erant vulgi, quales fuerunt Romae in suffragationibus tribunitiis, nec tyrannis erat: sed seniores suo loco dixerunt sententias, ac si quis modeste addere aliquid voluit, fuit concessum, iuxta regulam: Nolite extinguere spiritus, omnia probate, quod bonum est, tenete. Et iudicium erat penes Ecclesiam, de singulorum suntentiis, quae cum probabat alicuius interpretationem, alius non obstrepebat, nec movebat certamen. Ideo hic inquit: Si fuerit sedenti revelatum, taceat prior.

Et ut sit prohibita tyrannis, expresse inquit: Potestis omnes interpretari, servato per singulos ordine. Hoc dictum valde utilem consolationem continet de vocatione. Manifestum est, eos qui sunt in ministerio, in templis et in scholis, oportere propter locum ipsum, ad quem vocati sunt, dicere sententias, nec his obiici dictum illud potest: Curabant, et non mittebam eos.

Sed cur alii scribunt aut docent, qui non sunt ad locum publicum vocati? Hi si vera scribunt aut docent, habent hic expressam concessionem, potestis omnes interpretari. Et extat com-

mune praeceptum Colos. 3.: Sermo Christi habitet inter vos abunde in omni sapientia, et docete et commonefacite vos mutuo. Prorsus mandatum est omnibus ut discant, et ad discendum collatio sententiarum in docendo, audiendo et disputando necessaria est, sicut hic inquit: Docete et commonefacite vos mutuo. Item, Parentes et paedagogi habent expressum mandatum, ut Deut: undecimo: Docete filios vestros, ut illa meditentur. Et Psalm. 77.: Et statuit testimonia in Iacob, et legem posuit in Israël, quam praecepit patribus nostris, ut notam faciant eam filiis suis. Et Ephes 6.: Educate filios in disciplina et doctrina Domini. Habent igitur parentes et paedagogi suam vocationem, et mandato divino coguntur docere. Et cum hanc officii partem negligunt parentes ac paedagogi, graviter peccant, et Deum offendunt. Hac se cogitatione muniant, cum eis obiicitur: Currebant, et non mittebam eos. Imo parentes et paedagogi missi et vocati sunt, ut suo loco doctrinam de Deo recte doceant. Nec interea turbent aliorum vocationem.

Praeterea generale mandatum est omnibus traditum, ut suam confessionem singuli ostendant, quod magis perspicue faciunt hi, qui recte docent et scribunt, quam alii. Ac dicta de confessione sint in conspectu, Matth. 10.: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre coelesti. Et hoc mandatum de confessione cogit pios in congressu, de quo Paulus loquitur, dicere sententiam, cum audiunt alios in interpretatione errare. Sed omnia vult Paulus fieri ordine, et placide, non seditiosis et turbulentis clamoribus. Ideo sequitur: Deus non est autor ἀκαταστασίας, sed pacis.

Pertinet autem ad bonum ordinem hoc quoque, ut cum aliqui in Ecclesia recitant suas interpretationes, audiant eas seniores et doctiores, et sint iudices, ostendant quid adprobent, et quid reiiciant. Ideo hic inquit: Caeteri iudicent. Et in fine prioris Epistolae ad Thessalonicenses dicitur: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Vult Deus in Ecclesia iudices esse controversiarum, quae subinde moventur. Et dictum est supra, quorum sit officium praecipuum convocare caeteros, et audire doctores eruditos, et timentes Deum. Eius rei exemplum sequendum est, quod in Actis proponitur, ubi scriptum est capite 15.: Congregati sunt Apostoli et seniores considerare hunc sermonem. Ita et in hac Ecclesia et Academia saepe controversias diremimus, hic aut alibi ortas. Sic Ecclesia Antiochena damnavit impium dogma Samosateni, quanquam autor erat Episcopus. Sic Alexandrina Ecclesia refutavit Meletium, qui negabat lapsos post baptismum recipiendos esse, refutavit item Arium. Ac vetera exempla passim leguntur. Nec desunt huic aetati recentia. Ubicunque enim est vera Ecclesia Dei, ibi sunt aliqui recte iudicantes, de quibus scriptum est, 1. Iohan. 2.: Unctio vos docet de omnibus, et vera est, et non est mendacium. Manet in aliquibus fundamenti sententia incorrupta, ex quo de rebus necessariis recte iudicari potest. Caetera de synodis et iudiciis supra dicta sunt.

Et haec Pauli admonitio eo sit omnibus notior et gratior, quia quanquam commemoratio brevis est, tamen ostendit, oportere iudicia in Ecclesia esse, et prohibet utrunque: Tyrannidem, et seditiosos vulgi clamores. Ac formam similem Aristocratiae constituit. Vult audiri multos eruditos et timentes Deum. Potestis inquit ordine omnes dicere sententias. Prohibet et contumaciam, cum ait: Si fuerit sedenti revelatum, taceat prior. Postquam rectissimo iudicio Apostolorum pronunciatum est, omittendos esse ritus Mosaicos, huic sententiae caeteri obedire debebant. Et multi obtemperaverunt, sed tamen alii quidam pertinaces retinuerunt suam opinionem, ut longo tempore postea multi ritus Mosaicos retinuerunt.

Obiectionem etiam fanaticorum spirituum refutat Paulus inquiens: Spiritus Prophetarum Prophetis subditi sunt. Quasi dicat: Sunt quidam, qui iactant zelum, et singulares raptus divinos, seu ἐμφωτισμοὺς, sicut Maccion et multi Anabaptistae iactarunt. Hi vociferantur se divinitus impelli ad contradicendum. Sed pii iudices discernant spiritus, si contradicunt certae Evangelii sententiae, manifestissimum est fanaticos et mendaces esse, et vel mentiri illos, qui vociferantur, se non posse tacere, vel a diabolis violenter impelli, sicut afflatae fatidicae mulieres Delphis vaticinabantur. Estque utile conciderare hoc discrimen inter bonos spiritus et fanaticos, quales et ethnici vates fuerunt. Fanatici et Ethnici non intelligunt sua vaticinia, et sonant ea violenter impulsi a diabolo seu afflati ita, ut tacere non possint. Saepe etiam tantum ambigua fundunt, ut Virgilius inquit in 6. Aeneid.:

Bacchatur, vates magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans.

Et rursus:

Horrendas canit ambages, antroque remugit
Obscuris vera involvens.

Sicut enim diaboli interdum per statuas edunt sonos et oracula, ita per suos vates spargunt praedictiones, quas nec intelligunt ipsi vates, nec reticere possunt, ut per statuam dictum fuit duci Spartano Pausaniae:

Στεῖχε δίκης ἄσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις.

Et in Hassia ante bellum Canis edidit aliquot continuata verba. Talium exemplorum historiae plenae sunt.

Sed Prophetae in Ecclesia docentes aut enarrantes articulos fidei, qui reguntur luce Spiritus sancti intelligunt sua dicta, et non fundunt ea coacti, sic, ut non possint se reprimere. Et cum audiunt meliora, cedunt. Certe non pertinaciter repugnant veritati.

Audivimus autem ipsi Anabaptistas etiam cum convincerentur, tamen rabiose reclamare veritati de peccato originis, de dignitate ordinis politici, et similibus manifestis rebus, ut evidentia veritatis ostenderet, eos agitari a diabolis. Talia exempla considerari prodest, ut spiritus discernantur, ut 1. Iohan. 4. dicitur: Explorate spiritus, an ex Deo sint.

Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν.

Haec particula non est obscura. Notum est enim apud omnes gentes, quarum gubernatio non prorsus barbarica fuit, distincta fuisse virorum et mulierum officia, et viros rexisse bella et politica negotia in publicis populi conventibus, sicut Homerus utrunque dicit: *πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.* Et *λόγος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.* Mulieres vero domi oeconomica negotia curasse, et non solitas in publicis virorum conventibus concionari. Hunc honestum morem vult Paulus et in Ecclesia servari, et vult in gubernatione publica fieri congruentia legi Dei, et veris iudiciis humanis secundum rectam rationem. Non vult barbaricas confusiones in Ecclesia fieri, non vult Semiramidem aut Zenobiam fieri Episcopos. Etsi enim sunt multae sanctae et sapientes matronae, tamen haec publica officia non conveniunt huic sexui, et exemplum periculosum est.

Escandescit tandem Paulus intuens illas ineptias Corinthiorum, in quibus Graecae vanitatis, curiositatis, ostentationis et garrulitatis signa videbat. Viri ostentatione certabant, cum alii alia lingua componerent et recitarent hymnos: Mulieres curiositate, quae et ipse in publico recitare hymnos vel disputare volebant. Dolebat igitur Paulus in sanctis tantum stultitiae et ineptiarum manere, et addit asperam increpationem. Nimium vobis indulgetis homines Graeci, putatis doctrinam Evangelii et haec dona Dei de coelo allata esse, ut his materiis ostentetis ingenia, et transferatis eas ad ludos, spectacula, comoedias, sicut luditis de historia Troiana et similibus. Absit haec ab Ecclesia vanitas. Cogitate potius, quantae res sint, patefactio Dei, quem antea ignorastis, quae sit iusticia et ira Dei adversus peccata vestra et aliorum. Dolete vos horribiliter irritasse Deum Epicureis furoribus aut idolorum invocatione, libidinibus, et aliis sceleribus. Rursus etiam considerate, quale consilium sit, quod vos liberat Deus per filium ex aeternis poenis, quod suam lucem vobis ostendit, quod reddit iusticiam et vitam aeternam. Pro his donis agite gratias ipsi, celebrate ipsum, et gratitudinem vera obedientia ostendite. Sint mixtae veris doloribus consolationes, invocationes, gratiarum actiones. Non ludant animi securi, ostentatione donorum, quasi accepissetis calamos, ut Hesiodus, a Musis, aut Tibias, et Marsyas, a Pallade. Hos ludos removete ab Ecclesia, qui tamen aliquanto post in eam invehentur. Certabunt docti disputationibus, ostentabunt ingenia, audacissime nova dogmata gignent, constituent imperia praetextu ministerii, certabunt ambitione, avaritia, odiis, cupiditate vindictae. Ex his malis bella, dissipationes generis humani et vastationes orientur. Tantorum malorum initia iam compescite.

Nos iam in hac senecta mundi cogitemus, ex qualibus initiis postea maiora mala secuta sint, et doleamus, semper in Ecclesia, etiam cum tempora sunt feliciora, tamen multum imbecillitatis esse, et filium Dei oremus, ut publicis et privatis morbis medeatur, et reliquias suae Ecclesiae servet.

Omnia autem decenter et ordine fiant.

In fine regulam generalem addit: Omnia decore et ordine fiant, id est, congruant omnes actiones ad legem Dei, et ad naturale iudicium,

ut sint congressus honesti, et augeant reverentiam religionis. Hic disputatur de ritibus in Ecclesia, de ordine dierum et lectionum, et de aliis exercitiis, an sint cultus, an sint res necessariae, an vero ordinis causa tantum sine laqueis conscientiae observanda. Hanc disputationem, cum alibi satis explicata sit, omitto.

Caput XV.

In hoc capite longa et perspicua confirmatio extat articuli de resurrectione mortuorum, ac inseritur doctrina de aliis quibusdam locis gravissimis. Primum autem hic miremur, et agnoscamus imbecillitatem Ecclesiae. Tunc quoque, cum viverent adhuc multi, qui viderant Christum resuscitatum, et alios, qui tunc resuscitati fuerant, qui sciebant multos a Christo et Apostolis resuscitatos esse: tamen ortae sunt dubitationes de hoc praecipuo articulo. Finxerunt aliqui praestigiatores, allegoricam esse resuscitationem mortuorum, et significare emendationem morum. Et aliqui negaverunt corporibus reddi vitam, etiamsi aliquandiu superstites volitarent animae, ut Stoici docebant. Aliqui Epicureorum et Saducaeorum similes, senserunt simul extingui corpora et animas, et nec superstites esse animas, nec restitui vitam corporibus.

Opponit igitur Paulus his furoribus testimonium, videlicet resurrectionem Christi, et narrat, a magna multitudine Christum post resurrectionem conspectum esse. Resurrexit autem ideo Christus, ut et nobis omnibus post mortem restituat vitam eodem modo, sicut ipse in corpore revixit, et aboleat mortem. Haec in textu satis perspicue dicta sunt.

Ὅτ' ἂν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ θεῷ καὶ πατρί.

Mirum videri potest, quare Paulus ita loquatur, quasi discernat regnum Christi et regnum patris, cum tamen toties dicatur, regnum Christi esse regnum aeternum, ut Lucae 1. dicitur: Et regni eius non erit finis. Sic autem haec declaro.

Regnum patris nominat illum statum, in quo iam completo toto opere Christi mediatoris, post resuscitationem, coram videbimus divinitatem immediate, et divinitas nobis immediate concedet suam lucem, sapientiam, iusticiam et laetitiam aeternam. Antequam ad hunc statum perveniat Ecclesia, adhuc Christus mediator Deus et homo exercet certa opera necessaria ad consummationem Ecclesiae, quia semper mediatoris propria opera haec sunt: esse summum Sacerdotem, deprecari pro Ecclesia, conservare ministerium Evangelii, dare Spiritum sanctum, colligere Ecclesiam per Evangelium, et simul in accipientibus Evangelium esse efficacem dando Spiritum sanctum, imputando illis suam iusticiam, et obumbrando eos, item eripiendo credentes ex aeterna morte, item depellendo diabolos, resuscitando mortuos. Haec fiunt immediate per hunc mediatorem filium, etiamsi simul sunt efficaces, pater, filius et Spiritus sanctus, tamen actio immediata est huius mediatoris, cui pater hoc tale regnum tradidit, ut per ipsum immediate sic colligatur et salvetur Ecclesia, et adducatur ad Deum, cuius luce postea immediate coram fruatur.

Haec qualiscunque declaratio illustrat doctrinam de regno Christi, et ostendit, voluntatem Dei esse, ut fides immediate ipsum mediatorem intueatur et apprehendat, et per eum ad aeternum patrem adducatur, sicut inquit, Ioan. 14.: Nemo venit ad patrem, nisi per filium. Ac in precatione hanc doctrinam exerceamus, sciamus propter filium nos recipi et exaudiri, et per ipsum quasi adduci ad patrem, et deprecari eum pro nobis, et sic simul patrem et filium spirare Spiritum sanctum in corda nostra, sicut dicitur: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Iam considerentur et veterum promissionum dicta: Semen mulieris conteret caput serpentis. Item: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Item: Parvulus datus est nobis, pater futuri seculi etc. An non tota divinitas conterit caput serpentis, et benedicit nobis? Respondeo: Textus expresse dicunt de semine mulieris, de semine Abrahae, de parvulo nato ex virgine.

Quanquam igitur tota divinitas conterit caput serpentis, tamen id fit immediate per mediatorem, et meritum est proprium mediatoris, quo satisfit iusticiae Dei. Deinde et ipsa actio, qua colligitur Ecclesia per ministerium, et sanctificatur dato Spiritu sancto, et eripiuntur sancti ex aeterna morte, est immediate opus filii, sicut expresse dicitur, Iohan. 17.: Dedisti ei potesta-

tem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.

Has actiones habet rex Christus, donec adducet resuscitatam Ecclesiam ad patrem, id est, donec divinitas immediate se ostendet Ecclesiae. Tunc offeret regnum patri, id est, ostendet has actiones completas esse. Et deinde simul regnabit ut Deus, immediate divinitatem nobis ostendens, non habens iam actiones deprecatoris, aut colligentis Ecclesiam per ministerium.

Quando abolebit omnem principatum.

Aliqui intellexerunt de imperiis mundi, et de potentia diabolorum, sicut Danielis secundo et septimo de interitu imperiorum dicitur. Etsi autem et hanc sententiam complectimur, tamen generaliter intelligo aboleri et imperia mundi, et potentiam diabolorum, et ministeria angelorum et Ecclesiae. Imo et auxilia cibi, potus, et aliarum creaturarum, quia tunc Deus se ostendet immediate, et vivificabit beatos, immediate effundens in eos suam lucem, sapientiam, insticiam et laetitiam. In hanc sententiam et postea dicitur: Deus erit omnia in omnibus, scilicet, non per ministerium Evangelii regens, sed immediate se ostendens, vivificans, et effundens in beatos suam mirandam lucem, sapientiam, iusticiam et laetitiam.

Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Alioqui quid facient, qui baptisantur qui mortuis.

Constat nunc, etiam cum infantes baptizantur, tamen recitari articulos symboli, ut vocant. Id exemplum sumtum est a prima Ecclesia, in qua optimo consilio institutum fuit, ut fieret planissima professio singulorum articulorum. Et scribunt quidam, adductos esse baptizandos ad ossa mortuorum, et ibi professos esse articulum de resurrectione mortuorum, et interrogatos, an crederent hos ipsos revicturos esse, quorum ibi ossa intuerentur, respondisse, futurum, ut his ipsis vita restituatur.

Quanquam autem hic ritus non fuit universalis, tamen omnes in baptismo ubique planissime professi sunt, se firmissima fide resurrectionem mortuorum credere. Etsi multae interpretationes de hoc loco traduntur, tamen valde consentaneum est, hanc simplicem interpretationem nativam et veram esse: *βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*, id est, *βαπτιζόμενοι ἐξομολογοῦντες ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*. Baptisantur pro mortuis, id est, profitentes de mortuis. Nam praepositio *ὑπὲρ* hanc significationem professionis continet, non significat vices, *ἀντί*. Non hoc inde ratiocinari necesse est, aliquos per vicariam personam baptismo initiatos esse. Ibi enim dicendum fuisset *ἀντὶ νεκρῶν*. Haec utcunque considerantibus Graecae linguae usum, manifestissima sunt, ut *ὑπὲρ ἄλλου ἀπολογοῦμαι*, non *ἀντὶ ἄλλου*. Possem et alias recitare interpretationes: sed hac contentus ero, quia non dubium est, in baptismo ubique factam esse professionem symboli.

Τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν.

Argumentum de resurrectione sumtum a praesentibus aerumnis. Si non restaret alia vita, non esset discrimen inter iustos et iniustos, et iusti stulte sustinerent in vita tantos labores et tantas aerumnas: sustinent autem certa spe futurae tranquillitatis. Igitur Ecclesia vere sentit restare aliam vitam. Inserit autem admonitionem, ut vitent prava colloquia, et versus est memoria dignus:

Φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.

Et apud Aeschylum dicitur:

Οὐδὲν κάκιον κακῆς ὁμιλίας.

Ἀλλ' ἐρεῖ τὶς πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί. Sed dicet aliquis, quomodo surgunt?

Voci divinae credendum est, etiamsi non scimus, quomodo effecturus sit Deus ea, quae promittit, aut praedicit se facturum esse, sicut Moysen credere oportuit, petram percussam effusuram esse magna flumina aquarum. Sed humana diffidentia interrogare solet de modo, quo Deus sua miracula effecturus est. Reprimit autem hic interrogantes, opponens familiare exemplum in natura: Cum non scias, quomodo ex grano mortuo exoriantur culmus, et multae spicae, et grana, cur quaeris modum resurrectionis? Simul autem significat, ex parvis pulvisculis relictis, tamen totum corpus rursus aedificari, sicut ex nucleo ingens arbor oritur.

Est corpus animale.

Corpus *ψυχικὸν* significat vivens vita, quae alitur cibo et potu, et habet actiones omnium potentiarum, etiam nutritivae. Forma loquendi ex Genesi sumta est: Factus est Adam in animam

viventem, hac videlicet vita, quae habet functiones omnium potentiarum animae, etiam nutritivae. Tale corpus nominat et *χοϊκὸν*, quasi dicas, testaceam, a *χοῦς*, quod ollam significabat, quia adhuc terrestrem et mutabilem naturam habet. Aliud autem corpus, quale erit post resurrectionem, nominat spirituale, non quod prior materia non restituatur, seu quod sit redacta in nihilum, sed quod restituta vivat iam vita spirituali, id est, non functionibus potentiae nutritivae, nec sit mutabilis et mortalis, sicut testacea, sed sit perfusa spiritu, et alio modo vivat quam antea, sit lucida, pura, non mutabilis, non mortalis, habens actiones animae rationalis, sensuum, adpetitionum, locomotivae, quae omnes ardent Spiritu sancto, ut cum ex materia lychni fit flamma, accensa ab igni. Ita et haec nostra massa accensa a spiritu Christi fit spiritualis. Ideo dicit hunc hominem coelestem esse, id est, accensum spiritu Christi, et similem iam Christo.

Ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα βασιλείαν θεοῦ κληρονομῆσαι οὐ δύνανται. Quia caro et sanguis regnum Dei haereditare non possunt.

Articulus est in symbolo: Credo resurrectionem mortuorum, quo adfirmamus singulos homines resurrecturos esse ex morte, electos ad salutem aeternam, impios ad cruciatus aeternos, ut expresse dicit filius Dei in capite Iohannis quinto: Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. Et Roman. 14. dicitur: Omnes stabimus ante tribunal Christi. Item: Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. 2. Corinth. 5.: Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque ea, quae gessit in corpore.

In priore Epistola ad Thessalonicenses in capite 4.: Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primum, deinde nos qui vivimus, qui reliqui sumus, simul cum eis rapiemur in nubibus, in occursum Domini. Et 2. Petri 3.: Veniet dies Domini, sicut *fur* in nocte, in qua coeli cum sonitu transibunt, elementa vero incendio solventur, et terra, et quae sunt in ea, comburentur. Haec omnia cum dissolventur, quales oportet vos esse in sancta conversatione et pietate, expectantes et festinantes, ut in die Dei praesto sitis.

Cum igitur expresse adfirment dicta filii Dei et Apostolorum, omnes homines resurrecturos esse, hoc quoque sequitur, eosdem qui vixerunt in hac vita, qui sunt caro et sanguis, resurrecturos esse. Et expresse inquit Iob capite 19.: Scio quod redemtor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.

Haec illustria testimonia tenenda sunt contra eos, qui fingunt Pythagoricas migrationes animarum, seu *μετεμψυχώσεις*, et contra alios, qui fingunt, non omnes resurrecturos esse, nec restitui corpora, cum Iob expresse dicat: Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.

Cur igitur Paulus hoc loco dicit: Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt. Respondeo: Paulus ipse hic utrunque adfirmat, eosdem homines resurrecturos esse, et tamen futurum esse, ut haec ipsa materia, quae antea fuerat mortalis, tunc fiat immortalis. Haec enarratio saepe repetita est. Oportet mortale induere immortalitatem. Itaque manet substantia carnis et sanguinis, sed proprietas alia ei per filium Dei attributa est. Sic igitur intelligenda est oratio: Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, scilicet, sine mutatione, qualis est haec mortalis caro. Mox ergo sequitur:

Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.

Omnes quidem non dormiemus, sed omnes mutabimur. Textus ostendit hanc sequentem declarationem additam esse, ne ambiguitas in prioribus verbis aliquid incommodi pareret. Fuerunt autem lectiones diversae in hoc textu. Sed retineamus Graecam usitatam et simplicissimam, cuius sententia congruit cum dicto in Epistola ad Thessalonicenses, adfirmat aliquos non morituros esse, qui tunc vivent, cum se filius Dei ostendet toti generi humano: hi erunt obvii venienti Christo. Non igitur est *μετεμψύχωσις*, et singuli in suis corporibus occurrent Christo.

Sed tamen fiet mutatio proprietatis, ut subito haec corpora, quae prius fuerunt mortalia, donentur hac proprietate, ut deinceps sint immortalia.

Τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος, κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Tunc fiet verbum dictum: Absorpta est mors in victoria, etc.

Valde prodest hic monere lectorem, unde haec dicta sumta sint, et quid legatur in fontibus, et quae sit interpretationum varietas. Sciendum est igitur, haec dicta ex duobus Prophetis citata esse. Priorem sententiam ex capite 25. Esaiae sumtam esse certissimum est, ubi longa concio et perspicuum testimonium extat, quod oportet omnibus esse notissimum, de abolenda morte, et restituenda aeterna vita. In lectione Ebraea sunt haec verba: בִּלַּע הַמָּוֶת לָנֶצַח quae iuxta Grammaticam simplicissime sic redduntur: Devorat mortem ad victoriam, seu in sempiternum. Devorat, videlicet Dominus, quem antea in eadem concione nominat. Hieronymus reddit his verbis: Praecipitabit mortem in sempiternum. Haec interpretatio re ipsa non dissentit ab altera. Graeca lectio in libris usitatis apud Esaiam continet haec verba: *κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας*, quasi dicat, antea devoraverant homines mors praevalens seu victrix, sed deinde abstulit Dominus lacrimam ab omni facie. Si haec lectio tempore Pauli extabat, valde credibile est, consulto eum aliter reddidisse hanc sententiam, ut priorem interpretationem emendaret. Et quia passiva sunt pleniora, verbum reddidit passive, absorpta est.

Deinde phrasis usitatissima est לָנֶצַח ad finem vel ad victoriam, et alias tempus, alias modum significat, id est, vel in sempiternum vel omnino, quasi dicas, re penitus superata, ut eius finis sit. Paulus inquit: *ἐς νῖκος*, id est, ad victoriam, ut sit sententia: Absorpta est mors, vel Dominus devoravit mortem ad victoriam, id est, omnino, ita ut sit penitus victa, vel absorpta est in sempiternum. Psalmo 9.: Inimici defecerunt frameae in finem לָנֶצַח, id est, prorsus, et saepe alias. Hae interpretationes nequaquam dissentiunt.

Cognita autem Grammatica, hanc dulcissimam concionem transferamus ad usum in feris doloribus, et tam illustri testimonio erecti, firmius statuamus, peccatum et mortem vere devorata et deleta esse per filium Dei victorem, nec ruamus in exitium conspectu peccati et mortis. Fortassis lectio Graeca Esaiae olim alia fuit, *κατέπιεν θάνατον ὁ ἰσχύσας*, devoravit mortem victor Dominus. Ambrosius legit: Absorpta est mors ad contentionem, sed erravit, existimans scriptum esse *νεῖκος* cum diphthongo, quod significat contentionem. Aliud autem nomen est *νῖκος*, quod significat victoriam. In ea enim significatione Paulus et postea utitur voce *νῖκος*: Gratia qui dedit nobis victoriam. Ubi alienissimum esset legere, qui dedit nobis contentionem. Nec dubium est Paulum voluisse reddere verbum Nezah.

Ut autem Esaiae dictum illustrius et dulcius fiat, tota illa concio Esaiae 25. saepe legenda et cogitanda est.

Sequitur alterum dictum sumtum ex capite Hoseae 13., quod Hieronymus sic interpretatur: Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne. Nec obscura est sententia, sed de Grammatica et emphasi verborum disputationes motae sunt. Certum est enim hic quoque praedici, futurum esse, ut mors aboleatur per Messiam, et vita aeterna restituatur. Coniunxit igitur duorum Prophetarum testimonia, quia prorsus idem affirmant. Prior disputatio est de vocabulis, Ubi et Ero. Hieronymus reddidit אֱהִי ero, et narrat eandem interpretationem esse apud Symmachum. Sed usitate apud Graecos, et quinta editio et Aquila interpretantur Ubi: cum his congruit Paulina lectio.

Si legas Ero, complecteris personam victoris: Ego Messias, qui sum Iehova, ero pestis mortis, id est, delens seu abolens mortem mea resurrectione, sicut et antea dixit: Perditio ex te est, at in me auxilium est. Ut igitur persona victoris comprehendatur, aliqui magis amant lectionem Ero.

Deinde asseveratio plenior est, cum dicit: Ero mors tua o mors, quanquam vocabuli אֱהִי usus est ambiguus, tamen Grammatici norunt iuxta analogiam magis esse futurum Ero.

Alii quibus placet interrogatio Ubi, moventur eo, quod libenter vocabula pestis et luis accommodant ad mortem, et ad infernum. Malunt dici pestem mortis et luem inferorum deletam, quam dici Christum esse pestem mortis. Volunt enim illustrari emphasin. Mors non est malum naturale, sicut putrefactio pomi. Sed cum morte seu interitu hominis est horribilis sensus irae Dei. Ut igitur intelligamus utrunque abolitum esse, et mortem et sensum irae Dei, probant interrogationem, quae copulat utrunque, Et gloriose velut

in carmine ἐπινικίῳ affirmat mortem et vires mortis extinctas esse. Idque voluisse Paulum ostendit eius lectio et enarratio quam addit: Ubi est mors aculeus tuus? Et postea inquit, peccatum esse hunc aculeum, quia cum peccatum ostenditur, sensu irae Dei homines extinguuntur, ut Psalmo 89. dicitur: Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, et in ira tua defecimus. Item, Esaiae 38.: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Hos ingentes dolores, et fugam in morte dicit oriri a peccato et lege ostendente peccatum, ut experientia ostendit. Ideo dicit peccatum esse aculeum mortis. Et in verbis Oseae ponit κέντρον, quod in Graeca versione in altero membro ponitur: ποῦ τὸ κέντρον σοῦ ᾅδη; In priore membro sunt usi hanc voce δίκη: ποῦ ἡ δίκη σοῦ θάνατε; Ubi est iudicium tuum mors, vel accusatio, vel poena, qua nos afficis? Id congruit cum sententia Pauli, Non tantum aboleri mortem, id est, ipsum interitum, sed accusationem seu poenam quoque, id est, sensum irae Dei. Haec breviter recitavi, ut quae sit emphasis in utraque lectione consideretur. In summa sententiae non est ambiguitas. Nam utraque lectio docet, Messiam credentibus redditurum esse iusticiam et vitam aeternam, abolitis peccato, morte et inferis.

Addit autem Paulus brevem repetitionem doctrinae suae de lege. Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati lex est. Nequaquam hic loquitur de politico usu legis, sed ut Roman. 7. de illo tristissimo iudicio, in quo Deus cogitatione legis ostendit iram suam adversus peccata. Ut David expavescit, cum obiurgatur voce Nathan. Et de se inquit Paulus, Roman. 7.: Peccatum ut fiet excellenter peccatum, id est, reum, per bonum, in me effecit mortem. Haec tota doctrina saepe repetita est in Pauli scriptis. Et opponenda est somniis pharisaicis, qui fingunt homines lege mereri remissionem peccatorum, cum lex tantum sit iudicium, quod Deus horrendam iram suam adversus peccatum in nobis ostendit.

Hic autem addit Paulus antithesin: Gratia Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, quasi dicat: Cum lege perterrefacti sumus, sciamus hanc solam veram et efficacem consolationem nobis propositam esse, de qua dicitur in Iohanne: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. In his terroribus fide statuamus propter filium Dei passum, resuscitatum et regnantem certo nobis remitti peccata, imputari nobis ipsius iusticiam, nos fieri iustos et haeredes vitae aeternae. Hac fide vincimus per filium Dei terrores peccati et mortis, ut Roman. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Et quidem in hac ipsa consolatione datur Spiritus sanctus, qui efficit pacem, id est, laetitiam cordis, et initium vitae aeternae, iuxta dictum: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum, id est, quod sentient se esse in gratia, et liberatos ex pavoribus et morte aeterna, et poterunt iam vere laetari in Deo et eum invocare, sicut Roman. 8. dicitur: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Hanc consolationem necesse est omnibus, in exercitiis poenitentiae notam fieri, quam qui intelligunt, vident, quam tetri sint errores monachorum, qui fingunt homines mereri remissionem suis operibus, et iubent manere in dubitatione. Hi furores pugnant etiam cum hoc triumphali praeconio, quod hic recitat Paulus: Gratia Deo qui dat victoriam per Iesum Christum.

Ἑδραῖοι γίνεσθε, ἀμετακίνητοι. *Firmi estote etc.*

Postquam refutavit furores eorum, qui de resurrectione falsas opiniones sparserant, addit in fine brevem adhortationem, in qua praecipit, ut constanter retineant integram doctrinam ab Apostolis traditam, nec admittant corruptelas in ullo articulo.

Addit autem et consolationem dulcissimam: Labor vester non est inanis in Domino. Haec sententia nobis omnibus semper in conspectu sit: primum ut leniamus dolores privatos hac spe, quod post hanc vitam certo simus futuri in consuetudine aeternae Ecclesiae, in qua Deus nobis communicabit sapientiam, bonitatem et laetitiam suam.

Deinde ut huic dolori, quem habemus, cum non videntur multi proficere ex nostris laboribus, opponamus hanc asseverationem, aliquos tamen emendari, et ad colligendam et ad conservandam Ecclesiam aliquo modo nostram vocem et nostram sedulitatem prodesse. Hac consolatione nobis valde opus est. Quia cum homo existimat, suos

labores prorsus inanes esse, nec prodesse aliis, voluntas deterreretur, ut prorsus abiiciat incoatas operas. Huic tentationi opponendae est haec dulcissima sententia: Labor vester non est inanis in Domino, id est, Deus ipse efficiet, ut labores nostri aliquibus prosint, et iuvent conservationem Ecclesiae, etiamsi magna multitudo est furenter contemnens Deum, et turbans Ecclesiam et communem vitae societatem.

Sequamur ergo hanc regulam saepe repetitam in concionibus divinis: Obtemperemus mandato Dei, quod praecipit operas vocationis, et speremus Deum gubernaturum esse eventus, iuxta dictum: Commenda Deo viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet. Et de successu haec testimonia nota sint, Iohan. 15.: Qui manet in me, et ego in eo, hic feret fructum copiosum. Item: Posui vos, ut eatis, et fructum feratis, et fructus vester maneat. Et Psalm. 1.: Folium eius non defluet, et omnia quaecunque faciet, prosperabuntur. Et Esaiae 55.: Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non redibit ad me vacuum. Et Esaiae 65.: Electi mei non laborabunt frustra. Huc addantur et insignes consolationes recitatae in Ecclesiaste capite 11.: Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua, quia nescis utrum magis oriatur. Et ibidem picturam illustrem proponit. Videntur perire ea, quae in aquam sparguntur. At Salomon iubet, ut panes, id est, doctrinam tanquam in aquas spargamus, et affirmat nos tamen post aliquod tempus recepturos fructum eius laboris. Obediamus igitur his mandatis: Insta opportune, importune, argue, increpa, adhortare. Et certo statuamus, ipsum filium Dei in hoc suo ministerio efficacem fore, sicut inquit: Ego ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Etiamsi pauci proficient, et videtur tanquam in aquas spargi doctrina, tamen semper aliqui proficient, sicut inquit: Qui manet in me, et ego in eo, ille feret fructum copiosum. Et semper aliqua erit vera Ecclesia, etiamsi erit exigua, ut Esaiae 65. ait, similem fore vindemiae, in qua paucae uvae, sed gratae reperiantur. Hanc totam consolationem singuli nobis in hoc docendi munere necessariam esse intelligimus. Ideo hoc dictum Pauli, et caetera congruentia testimonia saepe cogitemus, nec fracti dolore aut desperatione officia vocationis omittamus.

Caput XVI.

Certum est morem fuisse etiam in Israël, ut cum in diebus festis populus convenisset, singuli aliquid conferrent ad usus egentium aliena liberalitate. Hunc morem Apostoli tradiderunt etiam Ecclesiis. Et eo tempore, quo Paulus hanc Epistolam scripsit, multi in Iudaea expellebantur ex possessionibus. Et simul Claudii tempore praecipue in Oriente fames tam saeva fuit, ut modius frumenti sex drachmis venderetur. Exemplum autem consideretur, quod monet, ut in publicis congressibus Ecclesiae hoc pium genus liberalitatis exerceatur, et singuli aliquid conferant. Ac historiae ostendunt, veterem Ecclesiam in hoc genere valde officiosam fuisse.

Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα.

Caetera dicta in hoc capite nihil obscuritatis habent. Adscripsit autem Paulus sua manu gravissimam sententiam, quae omnibus notissima esse debet: Si quis non diligit Dominum Iesum Christum, sit anathema Maran atha. Damnat utrosque et manifestos hostes Evangelii, et hypocritas, qui praetextu religionis quaerunt suam potentiam aut alia commoda, et inflectunt Evangelion ad hominum cupiditates, et miscent corruptelas, adversus tales omnes hanc vocem iudicii dvini pronunciat, et tanquam fulmen mittit, ut Iohannes Baptista inquit: Qui credit in filium, habet vitam aeternam, qui autem non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum. Et de hypocritis et malis doctoribus extant comminationes saepe repetitae, ut Matth. 25.: Et inutilem servum eiiciet in tenebras quae foris sunt. Ibi erit fletus et stridor dentium.

Primum autem dicit, Sit anathema, id est, quiddam damnatum, sicut huius vocabuli usus in Ecclesia notus est, ut ad Galatas: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Et ratio etymologiae sumatur ex lege de consecratis, quae tolli et interfici oportuit.

Addit autem peregrina vocabula Maran atha, quae verba recitative ponuntur, et grammatica adpositione attexenda sunt dictioni proximae, quasi dicat: Sit anathema, id est, sit damnatus hac ipsa tristissima sententia, quae sunt verba ana-

thematis: Maran atha, id est, Dominus noster venit, scilicet, ad puniendum, et ad declarandam tristissimam iram, quam antea contemsisti. Sunt igitur haec vera imprecatio poenae, ut si diceretur:

Εὗρε θεὸς τὸν ἀλιτρόν.

Vel sicut Psalmus 57. inquit: Laetabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris, et dicet homo, utique est fructus iusto, utique est iudicans in terra. Talis est asseveratio de venturo iudicio, et de poena in his verbis: Dominus noster venit.

Est autem sermo Syriacus seu Chaldaicus affinis Ebraico, quia vicinae gentes linguam Ebraeam a patribus retinuerunt, sed paulatim depravarunt, ut fieri solet, vestigia tamen agnosci possunt. Mar seu Mara significat Dominum, ut in Thargum, Proverb. cap. 23. et Amos 1. Consentaneum est autem nomen, Mara esse a dictione מוֹרָה quod significat Doctorem, vel a dictione מוֹרָא quod significat terribilem. Et notae sunt origines יָרָה docuit, et יָרֵא timuit. Et in vita Hilarionis legitur, illius aetate adhuc idolum fuisse in Syria Maras. Fuit autem usitatum novis idolis et cultibus tribuere nova nomina, quae videbantur maiorem significare. Ut post primum cultum, in quo Deus nominabatur יְהוָה אֱלֹהֵינוּ impii homines, qui veterem doctrinam et cultum reliquerunt, nominarunt Deum בַּעַל possessorem, *δεσπότην*. Postea vicini aliud terribilius nomen excogitarunt, Maran, id est, terribilis noster. Ita cum discessum est a vera doctrina, et veris cultibus, superstitio et nomina nova et opiniones, et ritus alios fingit. Fuit igitur Mara nomen usitatum in Syria. Appendix *n*, vel *na*, est noster Atha, venit. Hanc esse nativam interpretationem vocabuli Maran atha affirmant, et saepe usurpari in Iudaicis enarrationibus scribunt. Ideo mirum est, cur Burgensis vir doctus aliam etymologiam excogitaverit, qui pro Maran atha fecit Meherem motha, et dicit Apostolum voluisse atrocissimam speciem condemnationis nominare: Qui non diligit Christum, sit non vulgare anathema, sed Meherem, id est, res deleta sua vastata, et tale anathema, quod occidi necesse sit, ideo additum esse existimat Motha, quasi dicat: Anathema vastationi et morti destinatum, quia non omnia consecrata interficiebantur. Hanc etymologiam Burgensis ideo recitavi, ne sit ignota iunioribus, non quod eam probem, cum adpareat longius accersitam esse. Amplectamur autem alteram, quam et Hieronymus tradit, et cum sermone commentariorum congruere aiunt. Maran atha, id est, Dominus noster venit. Et sciat lector haec verba recitative poni tanquam formulam, qua iudex poenas seu diras imprecatus est. Continet autem haec postrema clausula gravissimam comminationem adversus omnes hostes Evangelii et hypocritas, ac praesertim doctrinae corruptores. Ideo sinceris pectoribus quaeramus veritatem, et ipsum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oremus, us nos Spirito suo sancto gubernet.

SECUNDAE EPISTOLAE AD CORINTHIOS,

ARGUMENTUM.

Semper in conspectu sit discrimen Legis et Evangelii, et sciamus non tantum historias peregrinationum Pauli et praecepta moralia in eius scriptis quaerenda esse, sed longe aliam sapientiam de filio Dei, et de eius beneficiis, de remissione peccatorum, de miranda collectione Ecclesiae, et de vita aeterna. Sed tamen iis, qui doctrinam Ecclesiae recte didicerunt, utile est etiam tempora et seriem historiae nosse. Ut igitur consideremus, quo tempore primum venerit Paulus Corinthum, et quando postea scripserit Epistolas ad Ecclesias eius loci, ordine utcunque distribuam annos.

Anni a conversione Pauli.

Anno Christi.	*An. post conversionem.*	
35.	1.	Annus Pauli conversionis, Annus a natali Christi 35.
36.	2.	Ivit Paulus in Arabiam.
37.	3.	
38.	4.	
39.	5.	Ivit in Tarsum, Acto. 9.
40.	6.	
41.	7.	
42.	8.	Barnabas ex Tarso duxit Paulum Antiochiam, Acto. 13.
43.	9.	
44.	10.	Ivit in Cyprum, Act. 13. Ubi auditor fuit Sergius proconsul.
45.	11.	Profectus in Pergen et Iconium Act. 14. et vicinas urbes.
46.	12.	
47.	13.	
48.	14.	
49.	15.	
50.	16.	
51.	17.	Synodus Ierosolymae, cui Paulus interfuit.
52.	18.	Rediit in Iconium et Lystram, ubi Timotheum sibi adiunxit, et traiecit in Macedoniam, et fuit Corinthi.
53.	19.	
54.	20.	
55.	21.	Rediit in Asiam, et fuit biennio in Epheso.
56.	22.	
57.	23.	
58.	24.	Rediit Paulus in Macedoniam, prius peragrata Phrygia et finibus Galatarum. Cumque venisset in Macedoniam, sicut hic inquit se ex Troade traiecisse, scripsit in Philippis utranque Epistolam ad Corinthios non longo intervallo. Postea rediit in Asiam, ac venit Mytilenen, item in Samum et Miletum.
59.	25.	
60.	26.	
61.	27.	
62.	28.	
63.	29.	
64.	30.	Circa hoc tempus fecit Paulus iter postremum Ierosolymam, inde missus est Romam captivus.
65.	31.	
66.	32.	Paulus Romam missus, fuit biennium in domo conducta Acto. ult. De reliquo tempore non scribitur, sed tamen consentaneum est, eum Romae mansisse usque ad annum penultimum Neronis, quo interfectus est, quia non leguntur alia Pauli itinera, postquam Romam venit. Et illud reliquum tempus breve est.
67.	33.	
68.	34.	
69.	35.	Interfectus Paulus a Nerone anno 13. Neronis.
70.	36.	Decimus quartus Neronis, quo Nero ibi conscivit mortem.

Hanc brevem recitationem addidi, in qua praecipua itinera recensentur. Nam omnia certo in singulos annos distribui non possunt. Ac adparet annis posterioribus Claudii ac deinde Neronis tempore saepe eadem Asiae et Graeciae loca pervagatum esse.

Videmus autem in priore Epistola multas materias complexum esse, quia ita fit, constituta Ecclesia, non diuturna tranquillitas manet, sed diaboli insidiis et vanitate ingeniorum turbatur. Ita cum Corinthi orta essent dissidia, et multae quaestiones motae, de coniugio, de usu libertatis evangelicae, de consuetudine cum noverca, de conviviis apud amicos redeuntes ex sacrificiis, de resurrectione et aliae, Paulus graviter ad singulas quaestiones respondit, et ostendit se magno dolore affici propter scandala. Cum igitur Corinthii responderent, et signa emendationis ostenderent, Paulus nunc respondet lenius, ac primum excusat se, quod nunc non accedat ad eos, inquiens se venturum esse tempore minus tristi.

In secundo capite iubet recipi lapsum, qui consuetudinem habuerat cum noverca. Id exemplum observandum est contra Novatianos, quia manifeste docet lapsos a peccato absolvendos et recipiendos esse.

In tertio capite generaliter concionatur de efficacia ministerii evangelici, et de discrimine legis et Evangelii, et de cruce.

Haec commemoratio praecipue necessaria fuit, et semper in Ecclesia necessaria est. Ut enim olim ante adventum Messiae Iudaei multi, qui inter gentes vixerant, ut Daniel et alii, adiunxerant sibi auditores, alii recte tradentes doctrinam de Messia, alii tantum de externa disciplina legis concionantes: ita Pauli tempore multi Iudaei adhuc inter gentes auditores habebant, quos tamen tantum de externa disciplina legis docebant. Hi cum audirent a Paulo doceri Messiam venisse, et politiam Iudaicam interituram esse, et homines non mereri remissionem peccatorum lege, non esse iustos lege. Execrabantur hanc novam doctrinam, pugnantem cum opinionibus, quas antea tradiderant ipsi, cum docuissent Ethnicos, venturum Messiam, qui uno imperio omnes gentes in toto orbe terrarum coniuncturus esset, et perfecturus, ut eodem modo, videlicet lege Moysi, verum Deum, idolis abolitis, invocarent. Eandem opinionem multi Pseudoapostoli confirmabant. Cum autem Paulus aliter doceret, Iudaei passim ei adversabantur, et suos auditores contra eum concitabant. Et alioqui Ethnici caeteri adhorrebant a novo genere doctrinae, et nolebant idola taxari.

Opponit igitur clamoribus Iudaeorum et Pseudoapostolorum hanc longam concionem de discrimine legis et Evangelii, et de efficacia ministerii evangelici, et de cruce, quasi dicat: Etsi antea Iudaei vos docuerunt de lege, et idola damnaverunt, et utcunque de disciplina legis concionati sunt: tamen Evangelium alia doctrina est, ostendit donari remissionem peccatorum, non propter legem, sed propter Messiam, et simul effundit Spiritum sanctum in corda credentium, et incoari aeternam iusticiam et vitam, et exhiberi iam bona aeterna, quorum umbrae in lege propositae fuerunt. Et haec revera fiunt voce nostri ministerii, cui Deus testimonia addit manifestis miraculis, quanquam subiecti sumus cruci, et non possumus delere gentes, ut Moyses et Iosua occupabant Cananaeam, et ut Iudaei existimant, Messiam armis domiturum esse gentes.

Hac occasione disputationum Pauli considerata, intelligi potest, quare has conciones instituerit, et quid velit docere. Ideo in tertio capite hanc maxime memorabilem sententiam proponit: Lex est litera et ministerium mortis, sed Evangelium est ministerium spiritus. Haec vox nova erat Iudaeis, qui antea gentes utcunque de disciplina docuerant, sicut et saepe in Ecclesia fuit ignota, et nunc monachi et similes ab ea abhorrent. Ut autem Prophetarum tempore semper aliqui fuerunt huius doctrinae illustratores: ita haec propria vox est Apostolorum, ostendere discrimen legis et Evangelii, et immensa bonitate Deus subinde in Ecclesia renovat hoc discrimen. Extincta fuit haec lux interpretationibus Origenis, qui finxit homines iustos esse lege, id est, disciplina morali, et literam tantum interpretatus est, ceremonias externas, et spiritum, allegorias. Postea Augustinus errorem late sparsum taxavit et ostendit, literam esse, et ceremonias et opera moralia, quae fiunt humana diligentia, non Spiritu sancto vivificante corda in veris pavoribus. Spiritum vero esse ipsum Spiritum sanctum, vivificantem corda in veris pavoribus, et incoantem in nobis iusticiam et vitam aeternam, et illa bona re ipsa praestantem, quae significantur in lege.

Ita post Augustinum aliqui fuerunt, et recens Lutherus, qui discrimen illud legis et Evangelii, et literae ac spiritus renovarunt.

Commoratur in hoc discrimine Paulus a tertii capitis initio usque ad sextum caput, et miscet doctrinam et consolationes, quae quidem ex doctrina necessario sequuntur.

Primum discrimen ministerii legis et ministerii evangelici sumitur a proximis effectibus. Ministerium legis, sine voce Evangelii, est tantum ministerium mortis, id est, aut est politica disciplina, quae est externa gubernatio et frenum potentiae locomotivae, ut nominamus: aut est iudicium, quo Deus ostendit in corde hominis horrendam iram adversus peccatum, de quo iudicio dicitur Esaiae 38.: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Et Paulus Rom. 3. ait: Per legem cognitio peccati. Item: Lex iram efficit, quia Deus hanc noticiam in homine post lapsum voluit reliquam esse, ut per eam regatur externa disciplina, et deinde ut sit vox sententiae, qua Deus monstret iram et condemnationem. Manifestum est autem, non solum non tolli peccatum et mortem, iudicio illo et sensu irae Dei, sed etiam hunc ipsum sensum irae Dei esse pavores, et dolores tristiores ipsa morte corporis, et initium aeternarum poenarum, nisi voce Evangelii per filium Dei homo liberetur, sicut scriptum est: Aculeus mortis peccatum est, Potentia peccati lex. Gratia autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Praeterea disciplina externa nec tollit peccata, nec meretur remissionem peccatorum, nec est impletio legis.

Sed Evangelium est ministerium spiritus, ut hic in capite tertio dicitur, id est, vox, qua Deus credenti remittit peccata propter filium, et dat Spiritum sanctum, quo corda in illo sensu irae Dei et in pavoribus eriguntur, et ex doloribus inferorum eripiuntur, et sentiunt pacem et laetitiam in Deo, et initia vitae aeternae.

Alterum discrimen est ab ulterioribus, et modis, qui accedunt. Lege promulgata, constituitur politia Moysi, et adduntur gloriosae liberationes corporales, eductio ex Aegypto, et multae admirandae victoriae, repressio cursus solis, et alia incurrentia in oculos multarum gentium, et quae proderant universae multitudini, sanctis et non sanctis.

Evangelii vero promulgatio non habet similem politicam gloriam, nec constituit politiam mundanam, sed colligit alibi alios auditores in diversis politiis, et est ministerium, quo in eis incoantur iusticia et vita aeterna. Interea vero in hac mortali vita manent auditores subiecti cruci, et ingentibus aerumnis. Hac specie autem valde alienantur animi hominum ab Evangelio. Absurdissimum enim videtur, hos dispersos homines sine politia, sine certa sede, sine certo imperio, sine praesidiis, qui passim a quibuslibet interficiuntur, esse populum Dei. Nec consentaneum est, cum Moyses tam pulcram politiam constituerit, Messiam nullum certum hospitium suis tradere.

Haec absurda semper omnes homines movent. Sed Paulus respondet, Ministerio Evangelii afferri bona nequaquam peritura, ut intereunt politica: sed aeterna, et ait, huic voci etiam addi testimonia, ut resuscitationes mortuorum, et alia miracula. Et consolatur Ecclesiam dulcissimo argumento ex minore sumto.

Cum fuerit magna gloria et conservatio politiae, quae in promulgatione legis instituta est, quae tamen fuit res interitura: conservabitur haud dubie etiam Ecclesia, et erit maior eius gloria, etiamsi dissimiliter haec fiunt.

Post has collationes legis et Evangelii, cum hoc ministerio Messiae non constituatur regnum politicum, ut Iudaei somniarunt, et Ecclesia in diversis imperiis et in persecutione colligatur: necesse est doceri Ecclesiam de cruce, et de ventura liberatione in vita aeterna. Addit igitur Paulus in capite 4 et 5. conciones de cruce, et de vita aeterna: et inserit insignes sententias de caeteris Evangelii membris, qualis haec est in fine 5. capitis, quae est tanquam epilogus superiorum: De Christo legatione fungimur, tanquam Deo adhortante per nos, et precamur nomine Christi: Reconciliamini Deo. Eum enim, qui non novit peccatum pro nobis fecit peccatum, ut nos fiamus iusticia Deo in ipso. Etsi autem tota lectio plena est doctrinae necessariae, tamen haec sententia praecipue digna est consideratione, quia et ministerii dignitatem illustrat, et postea splendidissimis figuris concionatur de redemtore. Duae sunt hic adpellationes, altera peccati, altera iusticiae Dei. Nihil autem tristius nominari potest, quam peccatum, quia est malum, cui Deus horribiliter

irascitur, et quod horribiliter damnatum est a Deo.

Rursus nihil gloriosius et melius est, quam iusticia Dei, id est, quiddam placens Deo, et congruens cum voluntate Dei, et vivens luce et vita aeterna divinitus donata. Considera igitur hoc loco permutationem.

Filius Dei est sine peccato, sicut hic dicitur, Non novit peccatum, id est, non habet, non vult ullum malum pugnans cum voluntate Dei, sed et essentia est iustus, et habet deinde obedientiam perfectam, qua se subiicit aeterno patri assumta humana natura, et hac obedientia legi satisfacit, et solvit λύτρα pro nobis, sicut ipse nominat, Matth. 20.

Quanquam igitur iusticia Dei, id est, lux et rectitudo divina et perfecta obedientia est in filio, tamen ipse fit pro nobis peccatum, id est, quiddam reum coram Deo, et ira Dei in ipsum effunditur. Etsi enim genus humanum per misericordiam a Deo recipitur, tamen etiam insticiae divinae satisfieri oportuit, ac inenarrabilis copulatio misericordiae et iusticiae facta est. Ita receptum est genus humanum, si poenam solveret aliquis in genere humano. Sed ut valeret poena pro aliis, hunc redemtorem oportuit esse sine peccato. Ideoque redemtor dicitur, quia pretium pro nobis persolvit. Fit igitur peccatum, id est, reum quiddam, sentit horrendam iram aeterni patris, contra omnium peccata, quasi ipse se tuis et meis et omnium peccatis polluisset. Huius doloris magnitudinem nulla creatura satis intelligere potest.

Contra vero tibi et omnibus credentibus tribuit id, quod in coelo summum est. Cum ipse sit iustus iusticia Dei, id nobis tribuit, primum imputatione et incoatione, postea etiam consummatione. Nos qui reipsa sumus immundi et rei peccati, tegimur per filium, pronunciamur non rei, sed iusti, Deo iustificante, id est, acceptante nos, et simul renovante et vivificante. Nihil maius dici aut cogitari potest. Ita inquit, Esaias cap. 61.: Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimentis salutis, et indumento iusticiae circumdedit, et est ipse sicut sponsus in sacerdotali ornatu, et nos sicut sponsa ornata monilibus. Primum inquit se laetari non viribus naturae nostrae, aut ullius creaturae auxilio, sed gaudebo inquit in Domino Deo meo. Gaudebo me reconciliatum esse Deo, et me ipsius Dei opera a summis malis liberatum esse, et iam in eo vivere vita aeterna. Induit me, inquit, vestimento iusticiae, id est, tegit me remissione peccatorum, et imputatione insticiae, imo et effectione novae et aeternae insticiae. Ipse tanquam vestem mihi circumdat suam insticiam, quae mihi imputatur, et simul novam et aeternam iusticiam in me incoat. Vestit me etiam salute, id est, vita aeterna, et aliis donis in hac vita et post hanc vitam. Et ipse est sicut sponsus in sacerdotali ornatu. Filius Dei est sponsus Ecclesiae, vere eam diligit et servat. Amplectitur autem eam in sacerdotali ornatu: primum quia ipse est summus sacerdos, offerens seipsum pro nobis, prostratus coram patre, deprecans pro misera sponsa: deinde etiam resuscitatus adiungens eam sibi, et ornans eam Spiritu sancto, et semper pro ea intercedens, instituens et conservans ministerium, protegens et salvans eam.

Astat et ipsa apud sponsum, decorata similibus ornamentis, congruentibus huic sponso, foris cruce, intus remissione peccatorum, Spiritu sancto, imputatione iusticiae, et deinde aeterna insticia et vita, huic uni sponso addicta, non polluta, ullis idolis, ardens dilectione huius sponsi, et per ipsum adducta ad aeternum patrem, et laeta in omni aeternitate celebrans Deum, fruens eius luce, sapientia, insticia, et vita. Hae sunt illae aeternae nuptiae, ad quas haec sponsa ornata a sponso ducitur. Talium dictorum collatione fit illustrior hic locus Pauli.

In sexto capite, postquam antea doctrinam Evangelii recitavit, addit adhortationem, ut incoata dona retineamus et exerceamus, et miscet consolationes. Nominatim vero prohibet confusiones religionum. Iubet ut vitent idolorum cultus et sacrificia, quae idolis fiebant. Fuit autem mos, ex sacrificata carne convivia instruere, ad quae familiae totae convocabantur. Haec contagia prohibet, sicut nunc necesse est pios fugere profanationem coenae Domini in Missa pontificia, adorationes panis in circumgestatione, invocationes mortuorum, ut in enarratione copiosius dicetur.

In septimo capite repetit priorem adhortationem, ut vitemus idola. Et statim postea lenit eorum dolorem, quem attulerat eis indignatio Pauli, ubi mira solicitudo Apostoli conspicitur.

Non vult relinquere in animis eorum ullam suspicionem animi exulcerati, sed vult illos certo scire, penitus deletam esse offensionem, ut sit firmior benevolentia, et ne dissidia oriantur, quod fieret, si simultates tacitae manerent reliquae. Inserit autem necessariam doctrinam de conversione seu poenitentia, partem esse ministerii in Ecclesia arguere peccata, et oportere in conversione dolores oriri. Haec tota sententia referenda est ad communem doctrinam de Contritione, de qua dicitur: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Et Esaiae 66.: Ad quem respiciam? nisi ad humiliatum et contritum spiritu etc. Et Psalmo 50.: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum non despicies. Item, Deut. 4.: Deus ignis consumens est.

Vult Deus aliquo modo agnosci peccata, et iram suam adversus peccata. Non vult eam negligi, et damnat secura et ferrea corda, ut apud Ieremiam cap. 8.: Erubescere nescierunt. Esa. 48.: Frons tua aenea. Et Zachar.: Posuerunt cor suum velut adamantem. Et Paulus ad Ephesios ait, impios esse ἀπηλγηκότας, id est, sine dolore, securos, contemnentes iudicium Dei. Hae tristissimae conciones observandae sunt, ut sciamus necessariam esse contritionem, quam sic nominant, scilicet veros pavores et dolores propter iram Dei adversus nostra peccata.

In octavo et in nono adhortatur Corinthios, ut collatione eleemosynae iuvent Ecclesias in Oriente, quae indigebant aliena liberalitate, et quia multi pii ex suis possessionibus expellebantur, et quia tunc Claudii imperatoris tempore fames adeo saeva erat, ut modii pretium fuerint 6 drachmae, cum usitatis annis esset una drachma, ut si Lipsici medimni pretium sit usitatum dimidius Ioachimicus, tunc venditus esset trib. Ioachimicis. Talis difficultas fuit in Germania anno 1517.

Multa sunt autem dicta insignia in hac adhortatione. Fit mentio aequalitatis. Hic non intelligatur aequalitas ἀναλογίᾳ arithmetica: nec fingamus Paulum docere Platonicam rerum communionem, aut Spartanam exaequationem facultatum, ut Anabaptistae finxerunt. Certissimum est enim in Evangelio non constitui politias externas, sed adprobari rerum distinctionem, et legitima imperia, ut suo loco copiosius dicetur. Sed loquitur Paulus de aequalitate non dominii et possessionis, sed usus in communicatione voluntaria hominis benefici erga egentes, iuxta dictum: Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum maneto. Tota haec collatio voluntaria est, nec necesse est praecise eam ad arithmeticam vel geometricam vel harmonicam proportionem accommodare. Manifestum est sceleratum esse, facere aequalitatem proportione arithmetica, ut non plus numero possideat Isaac, quam Ismael. Nec necessaria est aequalitas proportione geometrica. Non necesse est Consulem duplo plus habere, quam alium civem: aut Consulem duplo plus conferre, quam alium civem. Magis congruere illa collatio cum harmonica proportione videtur, in qua nec proportionum, nec differentiarum aequalitas est, sed sicut se habet maximus terminus ad minimum, ita se habet differentia maximi et medii ad differentiam medii et minimi, ut: 3, 4, 6. Senarius est duplus ad tria. Ergo et differentiam medii et minimi, quae est unitas. Ita sunt Lucullus 6, Atticus 4, et Cicero exul egens 3. Si Lucullus dat duo talenta exulanti, det Atticus unum.

Sed tamen quia voluntaria collatio est, non necesse est ad haec vincula astringi. At Paulus ipse aliquoties testatur, se non postulare hanc collationem ita, ut cogere ullum existimetur, sed se de voluntaria liberalitate loqui. Non igitur novam politiam Platonicam vel anabaptisticam constituit.

In capite nono commonefacit eos promissionis divinae, sicut in Evangelio dicitur Lucae 6.: Date, et dabitur vobis. Hic tenendum est discrimen promissionum. Alia est propria Evangelii promissio reconciliationis, qua tantum propter filium Dei gratis exhibentur remissio peccatorum et imputatio insticiae.

Aliae sunt legales, quae valent in reconciliatis. Vult enim Deus pro bonis operibus reconciliatorum etiam sua quaedam praemia dare, ut vidua Sareptana alitur, quia fuit liberalis erga Eliam. Tribuamus Deo veritatem, et speremus ac petamus haec praemia, et hac spe et nos ad benefaciendum excitemus.

In decimo capite, 11. 12. addit refutationem Pseudoapostolorum, qui spargebant Iudaicas opiniones, et gentibus imponere ceremonias Iudaicas conabantur, ac somniabant, imperium Messiae tale fore, in quo politia Iudaica in totum mundum proferretur. Hi et aliorum Apostolorum exempla allegabant, qui adhuc in Iudaea et vicina patriis ritibus utebantur.

Opponit autem Paulus non solum recitationem suorum laborum, sed etiam testimonia di-

vina, quibus a Deo ipsius doctrina confirmata est. Inter haec testimonia recitat singularem patefactionem divinitatis ipsi ostensam, ait se raptum esse in tertium coelum, quod intelligo dictum esse Hebraeorum more, qui coelum nominant etiam hunc aërem sub luna. Erit igitur imum coelum aër: secundum, orbes omnes, quibus vehuntur lumina, planetae et stellae: tertium, arcana sedes Dei, in hac ostensa est divinitas Paulo. Nec opus est curiose quaeri de hac singulari ostensione, qualis fuerit, sicut nec scire possumus, quo modo se Moysi Deus in rupe ostenderit. Etsi enim multae piae mentes interdum clariorem lucem in consolationibus habent, tamen ostensiones factae Patribus, Prophetis et Apostolis, illustriores sunt, et nos scimus oportere nos fide acquiescere in verbo, sicut scriptum est: Beati qui credunt et non vident. Et quid hoc sit fide acquiescere, experientia docet, cum magni dolores fide et spe leniuntur, ut dicit Paulus: Iustificati fide pacem habemus. Neque hoc quaerendum est, quales in Paulo fuerint dolores, qui hic nominatur *σκόλοψ* in carne, tantum stulta opinio abiiciatur, quae fingit fuisse incendia libidinum. Existimo autem fuisse singulares terrores, quales saepe describuntur in Psalmis, ut cum David inquit: Non est pax ossibus meis. Et variae sunt luctae fidei de multis doctrinae partibus, de Ecclesiae periculis, et de privata salute, in quibus animi valde cruciantur. Tales cruciatus significat, cum nominat *σκόλοπα,* id est, sudem seu palum praeacutum, quia vetus supplicium fuit hominem configere palo, quod nominabant *ἀνασκολοπίζειν,* quod nunc quoque Turcis usitatum est: non enim leves molestias significat.

Et recenset ibi Paulus dulcissimam consolationem. Ait sibi petenti responsum esse, Sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitate perficitur: manent in aliis aliae imbecillitates. Semper autem in conspectu sit haec consolatio: Exuberat gratia supra delictum. Hanc consolationem hic proponit, recitans haec verba: Sufficit tibi gratia mea. Deinde praesentia Dei et auxilium infirmis ostenditur. Fit conspectior Dei praesentia, cum defendit Danielem inter leones, quam si inter barbaros homines eum tegeret, quos videretur ipse suo consilio posse flectere. Sic toti populo redeunti ex Babylone fit conspectior praesentia Dei, cum defenditur imbellis multitudo, quae praesidia, nec moenia habebat, quam cum ante exilium haberet moenia et exercitus. Et sinit Deus accidere nobis inextricabilia mala humanis consiliis, ut destituti aliis auxiliis confugiamus ad ipsum, et liberati, fateamur nos divinitus servatos esse, ut in Psalm. dicitur: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Item: Orphano tu eris adiutor. Item, Psalm. 59.: Non egredieris Deus in virtutibus nostris, da nobis auxilium de tribulatione. Et, vana salus hominis.

In ultimo capite addit comminationem: Si venero, inquit, ac videro vos non esse emendatos, utar potentia spiritus ad puniendos aliquos. Significat enim se aliquibus imprecaturum esse morbos, aliquibus mortem, sicut Petri voce interfectus est Ananias, Act. 5. Et Act. 13. Elymas magus visum amisit imprecatione Pauli. Sed mitigat Paulus hanc comminationem, quia ait, se prius velle auditis testibus causas cognoscere.

Addit etiam dictum memorabile, quod saepe citatur contra tyrannidem: Data est mihi potestas non ad destructionem, sed ad aedificationem, id est, vult nos Dominus uti potestate, non ut privatis affectibus morem geramus, ut tyranni abutuntur potestate, sed vult nos ea uti ad aliorum salutem: primum singulos emendari cupit, et poenam omittere, deinde si poena necessaria est castigandis aliquibus, prosit exemplum caeteris.

Hactenus argumentum Epistolae secundae ad Corinthios recitatum est. Facilius enim singulae partes intelligi poterunt, si lector primum considerabit summas rerum et seriem, et animadvertet, quae sint occasiones, cur alibi alias materias instituat. Nunc addemus brevem enarrationem ipsi orationi Pauli.

EPISTOLAE SECUNDAE AD CORINTHIOS
Caput primum et secundum.

In primo et secundo capite excusat se, quod non rediit Corinthum statim, sicut spem ostenderat. Orditur autem a gratiarum actione, ut fit saepissime, quia exordiis familiaria sunt verba affectuum. Deinde narrat se in magno periculo in Asia fuisse, et petit se iuvari Ecclesiae precibus, ut plures celebrent beneficium Dei, et Deo gratias agant. Haec sunt initia primi capitis.

De inscriptione et salutatione nihil iam dicam, quia enarratio alias saepe repetita est.

In exordio agit Deo gratias, quod in afflictionibus ipsi opitulatur. Et hoc ait fieri Ecclesiae causa. Hic copiosa doctrina continetur, quare Ecclesia subiecta sit cruci, et quod certum sit, adesse ei Deum in afflictionibus, sicut apud Esaiam dicitur, Habitare Deum in afflictis, scilicet iis, qui ad *Deum* convertuntur, et fide accipiunt remissionem peccatorum, et petunt et expectant auxilium, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Haec doctrina de lege iudicante peccatum, et de consolatione in afflictionibus, quae in Evangelio proponitur, alibi prolixe recitata, hic mente repetenda est. Et praecipue consideretur haec collatio: Lex dicit: Deus est ignis consumens. Hic ait: Gratias ago patri miserationum, et Deo omnis consolationis. Affirmat Deum vere exaudire afflictos, qui conversi petunt et expectant auxilium.

Hic autem singularem causam finalem addit pertinentem ad doctores. Ideo doctores magis exercentur afflictionibus, et liberantur gloriosius, ut Ecclesia intuens eorum exempla confirmetur in utraque re, in perferendis aerumnis, et in fide cernente praesentiam Dei, et petente et expectante mitigationem aut liberationem. Ideo sic ait: Consolans nos in omni afflictione, ut possimus ipsi consolari alios eadem consolatione, qua nos erigimur, id est, hac asseveratione, quod Deus certo nobis adsit, et opem ferat. Item: Sive tribulamur, ideo affligimur, ut exemplum patientiae et liberatio vobis prosit, et vos erigamini fide in similibus calamitatibus. Sive consolatione erigimur, fit hoc quoque vestra causa. Sic alibi inquit: Sis typus fidelium in fide, in spiritu etc.

Non enim volumus vos ignorare.

Post gratiarum actionem, qua incoat Epistolam, addit narrationem de suo periculo, quod ait fuisse tantum, ut nulla humana ope servari potuerit. Hic de causa finali addit memorabilem sententiam. Ideo Ecclesia talibus aerumnis oneratur, ex quibus eluctari humanis consiliis non potest, ut in liberatione conspiciatur praesentia Dei, et fides in nobis confirmetur. David fateri cogitur, se non humana ope in regnum restitutum esse. In talibus exemplis discendae sunt hae conciones: Vana salus hominis. Item: Perditio tua ex te Israël, tantum in me auxilium tuum. Item: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Item, Psalm. 71.: Liberavit pauperem, cui non erat adiutor. Item, Psalm. 124.: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur. Ieremias in Threnis capite tertio: Misericordiae Domini, quod non consumti sumus, qui non deficiunt miserationes eius. Mane redit, et magna est misericordia tua: pars mea Dominus, propterea expectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum.

Petit autem se iuvari precibus Ecclesiae, et addit insignem admonitionem de gratiarum actione. Dato beneficio postulat Deus gratiarum actionem, ut in Psalm. dicit: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Ita hic inquit, ut gratiae agantur per multos pro nobis ex multis personis.

Idemne significant haec dicta? Per multos, et ex multis personis? Non existimo idem significare. Primum hoc perspicuum est cum ait: Per multos. Vult enim multorum hominum voce Deo gratias agi, et liberationes divinas a multis celebrari. Sed cur ait, a multis personis? Hic

plures causas significat celebrandi beneficii. Ut si plures personae in historia aliqua loquerentur. Alii celebrent liberationem Pauli propter hanc causam, quia utile est Ecclesiae diu superstitem esse talem doctorem. Alii celebrent, quia gloriosum exemplum est, et confirmat multos, ut firmius statuant, hunc doctorem a Deo missum esse, ac firmius amplectantur doctrinam. Alii celebrent, quia moventur hoc exemplo, ut ipsi quoque ausint petere et expectare liberationes, sicut in Psalmo ob hanc causam exemplum proponitur, ut alii quoque confugiant ad Deum: Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.

Gloriatio enim nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.

Hic instituit eam partem narrationis, in qua se excusat, quod non rediit Corinthum, cum quidem spem reditus eis fecisset. Ac postea aliquoties in hac Epistola inquit: Ministerii sui confirmationes esse multa miracula, quae ostendebant ipsum non esse impostorem, sed ministrum Deo placentem, et recte fungentem suo ministerio, non insidiantem alienis facultatibus non potentiam quaerentem, non factiones constituentem ad movendas seditiones.

Nunc orditur tantum a puritate suae conscientiae: Etsi nondum redii, tamen nolo vos de me secus suspicari, quasi eo non redierim, quia non possim tueri doctrinam meam contra Pseudoapostolos, aut pudeat me cursus mei apud vos, aut alibi aliquid captarim. Sed affirmo me optima conscientia, et apud vos et alibi fungi ministerio, me non esse impostorem, sed vere circumferre incorruptam vocem Evangelii, nec me servire ulli privatae cupiditati. Complectitur enim asseverationem et de doctrina, et de privatis moribus. Ideo inquit: Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate et sinceritate Dei, non in sapientia carnali, sed in Gratia Dei versatus sim in mundo. Id est, affirmo optima conscientia, me nec corrumpere doctrinam, nec astute inflectere ad cuiusque affectus, nec me privatae ulli cupiditati servire. Sumamus exempla ex recentibus historiis.

Gratum faciunt regibus, qui quaerunt fucos, quomodo doctrinam Ecclesiae inflectant ad statum, qui ipsis placet, qui arte pingunt Missam, aut alios ritus.

Gratum faciunt multi, qui augent potentiam eorum, praetextu religionis, et armant populum contra eos, quos excutere conantur. Haec artificia nec ignota nec usitata sunt.

Ita tunc erant, qui doctrinam ad suarum factionum sensus et voluntates astute attemperabant. Haec se fecisse negat, et sapientiam carnalem nominat omnia talia consilia humana, vel corrumpendae doctrinae, vel quoquo modo inflectendae, ut aut rationi humanae magis concinna videatur, aut magis accommodata sit constituendae factiosorum potentiae.

Puritatem vero doctrinae nominat sinceritatem, sicut ad Titum ait: ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν.

Simplicitatem nominat suae voluntatis rectitudinem, non servientis ulli privatae cupiditati, aut ullorum factiosorum affectibus. Exempla plurima ex omnium temporum historiis sumi possent. Multi et olim et nunc palam corruperunt doctrinam de iusticia fidei, quia non videtur concinna rationi.

Utcunque enim norunt humanae mentes legem, et iudicant iusticiam esse obedientiam secundum legem, et possunt aliquo modo praestare disciplinam. Hac fingunt se mereri remissionem peccatorum et vitam aeternam, et ignorant Messiam, nec cernunt interiora peccata in cordibus, tenebras et dubitationes de Deo, et ἀταξίαν in corde. In hac caligine humanae mentis homines proni sunt ad fiduciam suae iusticiae, et quaerunt merita in seipsis, et varia exercitia instituunt, tanquam cultus Dei. Ideo subinde in Ecclesia lux doctrinae de iusticia fidei valde obscurata est, sicut in scriptis Thomae et similium prorsus silentium est de iusticia fidei, et confunditur discrimen legis et Evangelii.

Tales imaginationes natas in ratione humana Paulus nominat sapientiam carnalem, sic et alii articuli fidei corrupti sunt, dum quaeritur concinnitas cum ratione, aut servitus affectibus hominum, ut tunc Ebion negabat Messiam esse filium Dei, et multi contendebant, non esse omittendas ceremonias Mosaicas, ne pulcerrima politia Israëlitica dissolveretur.

Ex his exemplis mediocriter intelligi potest, quid Paulus hic velit, cum affirmat, se sincere docuisse, nec corrupisse doctrinam opinionibus aut affectibus humanis.

Quaestio de gloriatione conscientiae alias saepe tractata est. Sed tamen breviter hic quoque monendi sunt iuniores de his sententiis, quae discrepare videntur, 1. Corinth. 1.: Non glorietur omnis caro coram eo. Aliter vero dici videtur, 2. Corinth. 1.: Gloriatio nostra est testimonium conscientiae nostrae. Altera prohibet gloriationem in ulla re nostra: altera admittit, si nullum sit vulnus conscientiae.

Sed nequaquam discrepant hae sententiae suo ordine collocatae. Nemo glorietur, scilicet de iustificatione coram Deo, id est, nemo cogitet se iustum esse ullis virtutibus suis coram Deo, sicut et alibi inquit Paulus prorsus eadem sententia: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Postquam autem fide per misericordiam recepti sumus, placet iam Deo quoque iusticia bonae conscientiae, et necesse est eam tueri, et calumniis opponenda est, quia nequaquam confirmanda sunt calumniatorum mendacia. Ait enim vox divina: Non dices falsum testimonium.

Hinc et disputatio in libro Iob intelligi potest. Fatetur se non esse iustum coram Deo, et inquit capite nono: Vere scio, quod non iustificetur homo coram Deo. Item: Deus est, cuius irae nemo resistere potest. Sed affirmat se nullum habere vulnus conscientiae, sicut eum accusabant sui amici. Non docui falsa, mea gubernatio non fuit tyrannica, non sum pollutus adulteriis. Ideo inquit capite 27.: Iustificationem meam, quam coepi tenere, non deseram. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

Quotquot enim promissiones Dei in ipso sunt Etiam et Amen.

Nondum recitavit causam, cur non redierit Corinthum, sed tantum ait, non esse levitati tribuendum, quod iter distulit. Addit autem signum, quod ostendit, se non esse vanum et levem, quia inquit: Cognovistis me in ministerio meo fuisse veracem, et doctrinam in vobis efficacem fuisse, Vos dona Spiritus sancti accepisse, et multis miraculis Deum testificatum esse, me nequaquam esse impostorem. In hanc sententiam inquit: Fidelis est Deus, quod sermo noster apud vos non fuit etiam et non, sed verax et efficax in Deo.

Deinde addit generalem sententiam, promissiones divinas ratas et firmas esse.

Postquam vero tradidit generalem sententiam de promissionibus divinis, addit exemplum de sese et de Ecclesia Corinthia: Cum promissiones sint ratae, et in Evangelio certum sit promissa esse haec bona, reconciliationem et Spiritum sanctum, et haereditatem vitae aeternae, non existimandum est, nostras conciones tantum esse inania *θελκτήρια*, sicut pueris narrantur fabellae de fortunatis Insulis aut de campo Elysio, sed certissimum est, nos bona promissa in Evangelio accipere, et iam sentitis in corde initia novae lucis, et Spiritum sanctum, qui est pignus et arrabo, qui ostendit certe Deum nobiscum esse, et nobis daturum esse vitam aeternam. Haec serie membrorum considerata, oratio magis perspicua erit, et magnitudo rerum de quibus loquitur, magis conspicitur.

Sciant iuniores vocabulum arrabo factum esse ex Ebraeo עָרַב quod significat spopondit, seu fideiussit. Inde arrabo dicitur proprie in emtionibus aliquid datum ad hoc, ut sit testimonium confirmatae emtionis. Ita effusio Spiritus sancti in corda credentium, quam sentiunt in vera consolatione, et testimonium reconciliationis et praesentiae Dei, et venturae haereditatis vitae aeternae. Sicut Roma. 8. dicitur: Ipse spiritus testificatur cum spiritu nostro, quod simul filii Dei. Si autem filii, etiam haeredes sumus. Sic et apud Zachariam dicitur: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Nominat Spiritum sanctum procedentem a patre et filio, erigentem nos in veris pavoribus, et vera consolatione vivificantem corda, quam consolationem sentientes audemus accedere ad Deum et eum invocare. Ideo postea nominatur spiritus precum.

Ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι.

Hic tandem iuramento addito recitat causam, cur non redierit Corinthum, quia si venisset aliquos durius castigasset. Cum autem intellexisset, eos magno in dolore esse propter obiurgationem, quam in priore Epistola scripsit, noluit eis augere moestitiam durioribus exemplis, si reversus aliquos fulmine spiritus sui interfecisset, ut Petrus Ananiam interfecit. Hic apparet, quantum incendium fuerit in apostolica indignatione et zelo. Significat igitur, ideo se non rediisse Corinthum, ne ea indignatio coram magis inflammaretur,

sicut alioqui prudentes cum sentiunt se irasci, vitant congressus eorum, quibus irascuntur.

Observandum est autem hoc loco exemplum iuramenti, quod ostendit, concessum esse Christianis iurare, ut alibi copiosius dicitur.

Inde autem existimari potest, fuisse magnas causas huius indignationis, Haud dubie aliqui fanatici et superbi Pseudoapostoli cum sua factione valde turbaverant Ecclesiam Corinthi. Sed tamen Paulus iram reprimit. Quare mox recitata causa, cur non venerit, intexit occupationem, ut occurrat tacitae obiectioni. Poterant enim aliqui minus verecundi dicere: Quid minitaris nobis? Quale imperium tibi sumis? non ideo amplexi sumus Evangelium, ut tu in nos tyrannidem exerceas, si tam periculosa servitus ferenda est, potius ad Ethnicos redeamus Huic obiectioni occurrit hoc modo: Non mihi sumo in vos imperium. Non quaero potentiam aut opes, sed minister sum salutis vestrae, idque dicit blandius, gaudii vestri, sequor regulam mihi a Deo traditam, qui hoc nostro ministerio vocat vos ad salutem, in quo tantum ea ago, iuxta regulam a Deo traditam, quae vobis salutaria sunt. Et haec donec fide statis, vobis grata erunt.

Iam hic discrimen politicae potestatis, et ministerii evangelici consideretur, ut alias saepe dicitur. Potestas politica vi corporali coërcet, et punit invitos, ut Romani recepta Capua Senatores Capuanos ad palum deligatos securi percusserunt invitos: sed potestas ecclesiastica nihil agit vi corporali, non habet arma et exercitum. Haec alibi copiosius enarrantur.

Caput II.

Decrevi apud meipsum.

Initium secundi capitis pertinet ad finem proximi. Narrat enim pluribus verbis, cur non redierit, videlicet ne eius moestitiam severitas aliqua augeret. Et mitigat obiurgationem in priore Epistola scriptam, subinde repetens commemorationem suae erga nos ipsos benevolentiae, et vicissim Corinthiorum erga ipsum observantiam. Ait se lacrimantem scribere.

Postea addit expressam absolutionem hominis antea damnati propter incestam consuetudinem cum noverca, qui ad poenitentiam redierat. Ac primum hic sciendum est, hoc exemplum inter illustria testimonia recitari, quae confirmant lapsos post baptismum redire ad poenitentiam posse, et redeuntes recipiendos esse.

Coniungit autem suam sententiam cum illius Ecclesiae voce: Cui ignoscitis, et ego ignosco. Ita voluit ordinem iudiciorum servari, non armari ullos, ut sine cognitione pronunciarent, sicut saepe fit a Romanis pontificibus. Sic intelligatur et sequentia verba: Ego cum ignosco aliis, ignosco vestra causa, id est, non sum usus poena duriore, quam mediocri castigatione, quae non interficeret sontem, ne vobis maiorem dolorem afferrem, et vestros animos ab Evangelio alienarem. Et nunc absolvo eum prorsus, et consolatione vera erigi volo, ne diabolicae insidiae in hoc dolore eum impellant in desperationem et in exitium. Novi, inquit, cogitationes hostium, scio diabolos insidiari Ecclesiae, et intentos esse in occasionem, ut oppressos moestitia, urgeant. Nec addo hic longiorem enarrationem. Satis est enim commonefacere lectorem, ut exemplum observet de modo condemnandi lapsos, et de recipiendis conversis longior doctrina de conversione alibi recitatur.

Ἀλλὰ ἀποταξάμενος αὐτοῖς, ἐξῆλθον εἰς μακεδονίαν.

Narrat itinera sua, ac adparet in his narrationibus saepe pervagatum esse minorem Asiam, et aliquoties inde in Europam navigasse. Verbum *ἀποταξάμενος* significat, indicans discessum aliis, sicut Lucae 9. Usurpatur et in Actis capite 18. Est autem in verbo haec emphasis, ordinare apud alios, quae ad discessum pertinent. Est igitur et forense verbum *ἀποτάξασθαι τῇ κληρονομίᾳ*, cedere haereditate, indicare, profiteri se nolle haereditatem audire. Et Cyrillus dixit: *εἰς νοῦν μὴ λαβόντες τὴν σύνταξιν χριστοῦ, καὶ τὴν ἀπόταξιν τοῦ διαβόλου*, Non cogitantes se foedere coniunctos esse cum Christo, et renunciasse diabolo.

Τῷ θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ χριστῷ.

Agit gratias Apostolus *Deo*, quod quanquam magis aerumnis et certaminibus passim exerceatur, tamen servetur, et habeat docendi locum, et colligat aliquem coetum, sicut nunc mirum est, adeo adversantibus pontificibus et regibus, tamen Deum alicubi et ministerium Evangelii et Ecclesias servare. Pro eo beneficio

nos quoque Deo gratias agamus, et cogitemus esse victorias et triumphos filii Dei, reprimentis diabolos et eorum organa.

Verbum *θριαμβεύειν* aiunt factum esse a *θρίον*, id est, folium fici, quia dicunt, olim victores coronatos esse foliis ficorum, quia victoria est dulcis. *Ἄμβη* est margo vel extremitas, ut corona imposita capiti aut caeteris ornamentis. Est autem dissimilis significatio in constructione. Hic inquit: Ago gratias Deo vincenti et triumphanti in nobis per Christum. Hic persona coniuncta triumphanti significatur. In Colossensibus accusativus significat personam hostilem, ducit in triumpho diabolos.

Bonus odor sumus Deo.

Sumta est metaphora a consuetudine offerentium accensa thura, quae fumos fragrantes exhalant. Ac ut illi halitus dissipantur, sic nostrae conciones in genere humano sparguntur, et salutares sunt iis, qui eas fide accipiunt, aliis vero, qui aspernantur, annunciant iram Dei. Diserte autem inquit: Sumus bonus odor Christi, id est, conciones nostrae sunt halitus sparsi a Christo, et de ipso, qui sunt grati Deo. Ac ut accommodatio sit illustrior, pinge in mente imaginem Christi tanquam summi sacerdotis coram aeterno patre offerentis accensa thura late fragrantia et exhalantia fumos. Hos halitus interpretatur esse vocem Evangelii, quae a Christo summo sacerdote per ipsos spargitur, et est efficax, quia ab ipso Christo editur, non est hominum inventum, ut de efficacia ministerii statim prolixe dicetur in capite proximo, ubi ait, Evangelium esse ministerium spiritus et vitae. Vult enim ostendere discrimen legis et Evangelii, et refutat Pseudoapostolos, qui multa futiliter de lege dicebant, conabantur politiam Moysi conservare, et fingebant homines lege iustos esse, non intelligebant, in Evangelio non constitui politiam huius vitae mortalis, sed offerri filium Dei, qui remittit et abolet peccatum et mortem, et restituit aeternam iusticiam et vitam, ut postea copiosius dicetur.

Et ad haec quis sufficiens est?

Inserit brevem commemorationem de sua fidelitate, postea de efficacia loquetur. Ac duae sunt sententiae, quas tenere ambas necesse est. Prior haec est: Certum est, ministerium Evangelii efficax esse non potentia ulla humana, sed divina, ut postea dicetur.

Hic dicat aliquis: Nihil igitur refert, a quibus aut quomodo doceantur, si humana potentia nihil agit? Huic obiectioni respondet altera sententia, quae hic recitatur: Etiamsi efficacia est divina, tamen nos oportet fideles esse in docendo, id est, vocem Evangelii incorruptam tradere, sicut in priore Epistola dicit: Hoc requiritur, ut fideles simus. Ita hic inquit: Affirmo me fidelem esse, docere sine corruptelis traditam a Deo doctrinam, et ipso teste et spectante meum cursum et iuvante Christo. Non misceo veritati prava dogmata, sicut caupones vina corrumpunt. Non inflecto veritatem ad affectus Iudaeorum, qui somniant regnum politicum, non ad iudicia rationis, quae putat lege tolli peccatum, et nec legem nec iusticiam Evangelii recte intelligit. Ab hac commemoratione de sua fidelitate redit ad alteram sententiam de efficacia, et de discrimine legis et Evangelii.

Caput III.

De toto suo ministerio, de fidelitate et de efficacia provocat initio ad testimonium ipsorum: Vos scitis meum ministerium fuisse efficax inter vos, quia et miracula vidistis, et vos ipsi ornati estis donis Spiritus sancti, dono curationis, et dono linguarum, sensistis et in cordibus vestris conversionem et consolationem. Ergo non sum impostor, nec doctrina inanis fabula est.

In hac praefatione facit mentionem causae efficientis, ubi manifesta asseveratio est, quae affirmat, ministerium Evangelii esse efficax, non humanis viribus, sed Deo ipso convertente et vivificante corda. Hoc testimonium opponendum est multis erroribus. Alii somniant in Evangelium esse otiosam narrationem, et nihil efficere usquam, et cogitant inanem esse laborem docendi et discendi Evangelii, et nullam esse Ecclesiam. Huic pernicioso errori opponenda sunt multa dicta hoc loco et alibi. Sunt autem praecipua: Iohannis 20.: Sicut misit me pater, sic ego mitto vos. Manifestum est autem, filii ministerium fuisse efficax. Est igitur et deinceps efficax per alios, ab ipso aut mandato ipsius vocatos. Iohannis 15.: Ego elegi vos et posui vos, ut vos eatis et fructum feratis, et fructus vester

maneat. Lucae 10.: Qui vos audit, me audit Roma 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Esaiae 55.: Verbum meum quod egredietur de ore meo, non redibit ad me vacuum, sed efficiet omnia, quae volo. Esaiae 51.: Posui verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protegam te, ut plantes coelos. Iohannis 17.: Non pro his tantum oro, sed etiam pro iis, qui credituri sunt per Verbum eorum in me.

Haec et similia testimonia sint nobis in conspectu, ut certo statuamus, vere colligi Ecclesiam Deo, quandocunque et ubicunque sonat vox Evangelii incorrupta, et id ministerium vere esse efficax. Hanc confirmationem nobis omnibus necessariam esse perspicuum est, quae illustrat articulum symboli: Credo esse Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

Est autem illustre testimonium hoc loco positum, de quo postea dicam. Cum promulgatio legis non fuerit inanis, sed habuerit suos effectus, constitutionem politiae Mosaicae, et multa testimonia praesentiae Dei: Quanto magis vox Evangelii erit efficax, et vere adferet aeterna bona, quae promittit, cum propter hoc ministerium priora omnia facta sint. Quid enim prodesset politia mortuis patribus Abrahae, Isaac, Iacob, qui eam nunquam viderunt? Alia igitur maiora bona expectarunt. Sed de his verbis in textu postea dicemus.

Alii somniant: Etiamsi non est inanis fabula Evangelium, tamen est tantum lex, et hac disciplina homines sunt iusti, quam praestant viribus humanis, naturae utcunque imitantibus legem.

Huic falsae imaginationi, de qua cum Pseudoapostolis semper dimicat, opponit sequentem antithesin: Deus fecit nos ministros non literae, sed spiritus: litera enim occidit, sed spiritus vivificat.

Hic primum adpellationes discernantur. Origenes et multi alii, sicut Pseudoapostoli, cogitarunt Evangelium legem moralem, et eo commodiorem, quam fuit Mosaica, quia est expeditior, nec onerat gentes ceremoniis, Et literam intelligit Origines ceremonias, spiritum interpretationem allegoricam. Haec Origenica deliramenta falsa et explodenda sunt. Et sciendum est, literam dici omnem doctrinam legis et Evangelii, intellectum literae historicum seu iuxta sermonis proprietatem et allegorias, denique omnes cogitationes, bonas intentiones, conatus et assuefactiones humanarum virium, sine Spiritu sancto accendente verum timorem Dei, et veram fiduciam et invocationem filii Dei, qua corda liberantur ex veris doloribus. Haec omnia nominat literam, id est, pictas imitationes in mente et externis membris, quae non sunt vita et motus divini. Sic loquitur de litera Roma 2.: Circumcisio cordis spiritu non litera. Et Roma 7.: Serviamus in novitate spiritus, non in vestutate literae.

Spiritus significat verissime hoc loco Spiritum sanctum, procedentem ab aeterno patre et filio Domino nostro Iesu Christo. Cum enim voce Evangelii accepta per filium, qui est Verbum aeterni patris, reconciliamur aeterno patri, simul ab aeterno patre et filio effunditur in corda nostra Spiritus sanctus, et vere habitat in nobis divinitas, liberat nos ex doloribus inferorum, et vivificat nos, incoat novam lucem et sapientiam, et motus cum Deo congruentes, ut manifesta testimonia adfirmant.

Galatas quarto: Misit Deus spiritum filii sui in corda nostra, clamantem Abba pater.

Et in Actis capite secundo: Dextra Dei exaltatus, promissionem sancti Spiritus accipiens a patre effudit eum, quem nunc vos videtis et auditis.

Et Iohannis 14.: Dabit vobis alium paracletum, ut maneat vobiscum in sempiternum, spiritum veritatis.

Et Zachariae 12.: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Etsi brevis descriptio est, tamen ostendit, quare detur Spiritus sanctus, et quid intersit inter iusticiam novi Testamenti et legem, qua vel condemnati ruimus in mortem, vet utcunque praestamus disciplinam. Ideo enim per Evangelium datur Spiritus sanctus, ut primum corda sentiant se esse in gratia, et agnoscant filium Dei, per quem et propter quem datur remissio peccatorum, sicut ipse inquit Iohan. 16.: Ipse me glorificabit. Spiritu sancto accendente corda, beneficia mediatoris agnoscuntur, et vera fiducia misericordiae propter mediatorem promissae vivificamur. Ac simul praesentia Dei sentitur, et fit vera invocatio. Et quia ipse Spiritus sanctus est motor divinus, et lex Dei non fit aliter, nec in angelis nec in hominibus, nisi ipso Deo in eis lucente et eos movente, iam sunt in sanctis initia aeternae vitae et iustitiae aeternae, sicut et mox dicitur in hoc capite tertio: Nos

revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam Domini spiritu, id est, nos vere sentientes iudicium et iram Dei adversus peccata, et rursus sentientes audita promissione et agnito mediatore consolationem, cernimus gloriam Domini, iudicium et vitam, et transformamur in eandem imaginem, id est, huius lucis et vitae participes efficimur, et haec gloria, id est, lux iusticia et vita crescunt in conversis, lucente in eis spiritu Domini nostri Iesu Christi, per quem datur Spiritus sanctus.

Denique collatio literae et spiritus ita fit illustris, cum cogitatur utcunque, qualis sit post resurrectionem futura aeterna iusticia et vita, cum Deus erit omnia in omnibus. Hic integra iusticia erit Deo ipsi in nobis palam habitante et lucente. Ad illam aeternam vitam et lucem confer iusticiam Pharisaei alicuius, qui aut securus est, donec non sentit iudicium Dei, aut ruit in desperationem et dolores inferorum, cum sentit iram Dei, ut Saul. In tali viro cor est sine Deo et sine vita, et sunt horrendi fremitus adversus Deum, iuxta illud dictum: Cor hominis perversum et aerumnosum.

Idem velum in electione veteris Testamenti manet.

Enarratis vocabulis Literae et Spiritus, accommodat Paulus typum de facie Moysi velata. Haec interpretatio prophetica et apostolica Pharisaeis et Pseudoapostolis ignota fuit, qui nec legem nec promissiones intellexerunt. Primum autem historiam oportet notam esse, quae recitatur Exodi 34 ubi dicitur, Mosi faciem sparsisse fulgorem, ut aspici a populo non posset, ac propterea cum loqueretur ad populum, texisse eum faciem velamine, quod tamen ingrediens ad Dominum et loquens cum eo amovit. Huius historiae significationem, quae nusquam alibi traditur, Apostolus hic exponit. Manifestum est totam naturam humanam viribus naturalibus sine regeneratione, etiam cum discit et imitatur legem, tamen tantum qualescunque externos gestus legis facere, ut Saul retinet utcunque professionem de unico Deo, in hoc populo patefacto, sed cor est plenum dubitationibus, non statuit se recipi et exaudiri a Deo, sentit se mori, et in morte non sentit consolationem et vitam. Deinde sunt alii acerrimi motus pugnantes cum Deo. Denique omnes homines non profani sua experientia norunt, humanas vires tantum utcunque regere posse locomotivam, seu externos gestus. Cum autem Deus ostendit iram suam contra peccatum, quae describitur in lege, fugiunt corda, et magnitudine irae opprimuntur, et fremunt adversus Deum et ruunt in mortem. Itaque utrunque significatur. Populus intuetur faciem velatam, id est, legis externa opera utcunque audit et imitatur, et haec imitatio est iudicia politica, et pharisaica, sed fulgorem Moysi ferre natura hominum non potest, id est, iudicium et iram Dei adversus peccata, quae describitur lege Dei, nequaquam potest natura hominum tolerare. Sicut hic dicitur: Lex est ministerium mortis. Et experientia testatur, homines sine consolatione evangelica ruere in aeternam desperationem et mortem.

Haec doctrina saepe apud Paulum repetita est, ut Rom. 4.: Lex iram efficit. Item, Rom. 7.: Peccatum per legem occidit me. Item, 1. Corinth. 15.: Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati lex. Haec toties repetit Paulus, ut ostendat homines non fieri iustos lege.

Quod vero dicitur in Exodo, Moysen amovisse velamen ingredientem ad Deum, et loquentem cum eo, et completum esse luce divina: significatum est, aliam esse iusticiam, qua Deo sumus accepti, et qua Deum sustinere possumus, scilicet quando filius loquens in nobis, communicat nobis lucem suam. Ita velum legi detrahitur, et tollitur hypocrisis, et sunt in nobis iusticia et vita, quam lex describit, sed non exhibet, verum filius Dei exhibet. Ideo hic inquit Paulus: Velum aboleri per Christum. Haec sententia de vera conversione intelligenda est. In veris doloribus agnoscimus non reddi pacem conscientiis et vitam per bona opera. Agnoscimus et procul nos a perfectione legis abesse, sed ita reddi conscientiis veram consolationem, quae est initium vitae aeternae, cum filium Dei agnoscimus, et promissione ipsius sustentamur, ut David reviviscit, audiens et fide amplectens hanc vocem: Dominus abstulit peccatum tuum. Tunc enim agnita misericordia Dei, vivificatur per filium Dei, et ad Deum accedit, invocat eum, et habet initia verae obedientiae iuxta haec dicta: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Et pertinent huc dicta omnia, quae loquuntur de vera conversione, et de vita ac iusticia aeterna

in conversis, ut Ieremiae 31.: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.

Declarat igitur Paulus hoc dictum, quomodo velum aboleatur per Christum, quia mox concionatur de conversione, inquiens: Cum conversus fuerit Israël ad Dominum, aufertur velamen. Hanc doctrinam utcunque in vera conversione et consolatione discimus. Nec satis est hic de allegoriis ceremoniarum dicere. Loquitur enim haec collatio de lege morali, seu de iudicio et ira adversus peccatum, et de consolatione.

Dictum est de litera, de spiritu, de discrimine externae disciplinae, quae velatam Moysi faciem intuetur, et de sensu iudicii ac irae Dei, et de consolatione. His interpretationibus consideratis, iam continua series huius capitis erit planior. Ac valde prodest hanc consolationem, quae hic recitatur, in conspectu tenere, et saepe cogitare.

Cum ministerium mortis fuerit gloriosum, multo magis ministerium spiritus erit gloriosum.

Valde excruciantur omnium hominum animi tristi specie Ecclesiae. Nequaquam tali gloria constituunt Apostoli Ecclesiam, ut Moyses politiam. Vagantur, ut errones, et cum tantae sint dissipationes, videntur conatus Apostolorum inanes esse. Concutiuntur etiam dubitatione singulorum animi, an vox Evangelii in ipsis sit efficax, an sit vera, an sit aliqua Ecclesia, an exaudiat nos Deus, cum tantum pauci homines, ac velut seditiosi amplectantur Evangelium, et hi sint oppressi tyrannide et multis aerumnis, nec sit consociata multitudo certo imperio.

Adversus hanc gravissimam tentationem opponit dulcissimam consolationem: Deus fuit efficax in constituenda umbra: Ergo multo magis erit efficax nunc exhibito ipso Messia.

Diligenter autem considerandae sunt appellationes. Promulgationem legis nominat ministerium mortis et condemnationis, sicut alias saepe dictum est, Lege tantum accusari, non tolli peccatum in hac misera natura. Evangelium vero nominat ministerium spiritus et iusticiae, quia certum est voce Evangelii filium Dei in his, qui credunt efficacem esse, qui cum in veris terroribus agnoscunt se fide accipere remissionem peccatorum, vivificat eos Spiritus sanctus, et efficit in cordibus laetitiam in Deo, et motus congruentes voluntati Dei, sicut in Zacharia dictum est: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum, id est, Spiritum sanctum, quo corda agnoscant se sese in gratia, et qui accendat veram invocationem et caeteras virtutes. Ideo postea nominat Paulus hoc loco Evangelium ministerium iusticiae, ubi rursus antithesis consideranda est. Lex armat peccatum, ut alibi dictum est: Aculeus mortis peccatum est, potentia autem peccati lex est. Sed Evangelium est ministerium iusticiae, quia et ostendit, quomodo detur remissio peccatorum, et quomodo simus iusti, et haeredes vitae aeternae, et per hanc ipsam vocem filius Dei est efficax, et movet corda Spiritu suo sancto, ut fide accipiant beneficia oblata. Nominat autem iusticiam haec omnia: Remissionem peccatorum et reconciliationem, quae fit fide propter filium Dei, et ipsum filium Dei imputantem nobis suam iusticiam, et vivificantem nos Spiritu sancto, et novos motus congruentes Deo accendentem, sicut supra dicitur, 1. Cor. 1.: Ex ipso vos estis per Christum Iesum, qui factus est nobis sapientia a Deo, iusticia et sanctitas et redemtio.

Tandem et collationem addit Paulus: Imo tanta est excellentia gloriae Evangelii, ut promulgatio legis, quae multa exempla terribilia continet, ut poenas Pharaonis, et alias multorum, non sit dicenda gloriosa, si ad bona aeterna conferatur, qua affert Evangelium, et quae post resurrectionem palam conspicientur. Hanc esse sententiam sequentia indicant. Cum lex, quae tamen interitura erat, tanta gloria ornata sit, quanto magis Evangelium erit gloriosum et efficax, quod non affert umbras, sed res aeternas? Haec tota oratio consolatio est, ut sciamus Evangelium certo efficax esse, et vere sic Deo colligi aeternam Ecclesiam, etiamsi humanis iudiciis videtur mirum, hoc modo voce miserorum hominum res tantas effici, praesertim cum non constituatur certa politia, et tota Ecclesia sit dissipata multitudo. Adversus haec scandala instituta est consolatio. Ideo mox inquit: Habentes igitur talem spem, magna libertate utimur.

Hac usque pertexuit Philippus commentarium in alteram Epistolam ad Corinthios.

PHIL. MEL.
ENARRATIO EPISTOLAE PAULI AD COLOSSENSES.

Duos habemus libros, quibus Melanthon interpretatus est Epistolam Pauli ad Colossenses, quorum prior inscriptus est: *Scholia* in Ep. ad Coloss., posterior: *Enarratio* Ep. ad Coloss. —

Scholia edidit Melanthon anno 1527, eaque dicavit Drachstadio. Epistolam nuncupatoriam, quae non nisi in prima editione Seceriana legitur, dedimus in Epistolis Vol. I. p. 873. Liber inscriptus est:

1) Scholia in Epist. Pauli ad Colossenses Phil. Melanch. Haganoae per Joann. Secerium. Anno M.D.XXVII. mense Augusto. (In fine: mense Septembr.) 9 pl. 8. — Negligentia Secerii multa errata typographica sunt in hac prima editione, ut Melanthon ipse in Epist. Vol. I. p. 1007. testatus est. — Quae Melanthon ad cap. 7, 8. scripsit de philosophia vera et falsa, ea etiam separatim recusa sunt:

   Phil. Mel. in locum ad Coloss. videte ne quis vos decipiat per philosophiam dissent. recens edita. Basileae 1527.

2) Versio germanica: Auslegung der Epistel an die Kolosser durch Philipp Mel., gedeutscht durch Johann Agricola Eysleben. Wittenberg 1527. 8.

3) Ph. Mel. Scholia in Ep. ad Coloss. *recognita* ab autore. Witeb. 1528. 8.

4) S. Pauli ad Colossenses Epistola cum commentariis Phil. Melanchthonis iam ultimo ab ipso multis in locis recognitis ac locupletatis. Hagan. 1529. per Jo. Secerium. 12 pl. 8.

5) Scholia in Ep. Pauli ad Coloss. iterum ab auctore recognita Phil. Mel. Witeb. apud Joseph Clug. M.D.XXXIV. 8.

6) Epistola Pauli ad Coloss. cum comment. [Scholiis?] Phil. Mel., quae iam novissime ab authore ipso recognita sunt ac locupletata, idque quam plurimis in locis. Hagan. per Val. Kobianum, mense Augusto. 1534. 12 pl. 8.

7) Scholia — — — Witeb. 1545. 14 pl. 8.

8) Scholia — — — Halae Suev. 1545. 8.

Haec scholia Operibus inserere noluimus, quum Melanthon omnia accuratius exposuerit in enarratione huius Epistolae, neque Peucerus scholia in operibus Melanth. repetierit. *Enarratio* huius Epistolae autem non anno MDLVI. prodiit, ut in operibus ex errore typographico legitur, sed anno MDLIX. sic inscripta:

Philippi Mel. Enarratio Epistolae Pauli ad Colossenses. Viteb. 1559. 9 pl. 8.

Iterum Phil. Mel. Enarratio Epist. Pauli ad Coloss. Addita est responsio ad calumnias Staphyli et Avii, Francof. 1559. 10 pl. 8.

Item in Opp. Melanth. Witteb. T. IV. p. 324 sqq.

Praefationem ad Herlufum Troll dedimus in Epistolis Vol. IX. p. 745. Librum ipsum dedimus secundum textum in Opp. Witeb.

ENARRATIO EPISTOLAE PAULI AD COLOSSENSES.

Oppidum fuit Colossae vicinum amni Lyco et Meandro in confinio Lydiae e regione Laodiceae, celebratum ab Herodoto et a Xenophonte, et a Strabone. Ideo autem a Ptolemaeo omissum existimo, quia anno post Pauli mortem, ut scribit Eutropius, terrae motu submersae sunt Colossae et Laodicea. Sic postquam Deus excerpsit suam Ecclesiam, deinde impii et idolorum cultores puniti sunt.

Cum igitur huius oppidi locus notus sit, inepti sunt, qui transferunt hoc nomen ad Rhodios, quia ibi fuerit Colossus Solis a multis celebratus. Locus ideo notus sit, ut poena consideretur, quam dixi secutam esse post Pauli mortem. Nec opus est quaerere unde sic nominatum sit oppidum: fortasse enim ibi quoque magnae statuae fuerunt. Nam Colossus proprie est truncata statua, a *κόλον*, id est, mutilum, et *ὄσσε*, id est, oculi. Vel appellatio Heneta est a luto, unde in Pannonia idem est nomen oppido celebri. Sed his ineptiis omissis argumentum potius et utilitatem Epistolae consideremus.

In *primo capite* recitatur doctrina Evangelii propria de Persona et Beneficiis Christi, et de Iusticia fidei, et donatione vitae aeternae. Extat enim hic illustre testimonium de divinitate filii: Omnia per eum condita sunt, ipse est ante omnia, et omnia per eum consistunt. Cum enim affirmat per hunc Christum, per quem dicit nos habere remissionem per sanguinem eius, omnia condita esse, necesse est fateri, in hoc Christo duas naturas esse, divinam, *λόγον* et naturam humanam assumtam. Quia mundus non est creatus per naturam humanam. *Λόγος* igitur, per quem fit creatio, non est res evanescens, sed subsistens. Hic autem vocatur imago aeterni patris, sicut apud Hebraeos *ἀπαύγασμα* gloriae et character substantiae patris. Gloria phrasi Mosaica lucem significat. Nominat igitur filium *ἀπαύγασμα*, ut in symbolo Lumen de Lumine dicitur, ut cogitatio in nobis seu sermo ostendit mentem, seu, ut hac qualicunque similitudine utamur, sicut radii a Sole sparguntur. In Iohanne filius nominatur *λόγος*, hic nominatur *εἰκών*. Hae tuae appellationes sunt filii propriae, et discernunt eum a Patre et Spiritu sancto.

Intelligatur autem vocabulum Imago integra, viva et substantialis imago aeterni patris, quam nos eatenus agnoscimus, quatenus per filium pater voce doctrinae patefactus est, quod sit creator, sapiens, verax, bonus, iustus, iudex, misericors, liberrimus, remittens peccata, restituens iusticiam, et vitam per mediatorem. Nos vocabulum *λόγος* planius intelligimus, cum cogitamus filium ideo dici *λόγον*, quia sit persona immediate proferens Evangelium ex sinu aeterni patris, et immediate conservans ministerium, alloquens nos, sustentans Ecclesiam, sicut dicit in Salomone Sapientia: Ludens in orbe terrae et delectationes meae cum filiis hominum. Quae descriptio observanda est. Est enim testimonium de missione ad Ecclesiam, inde usque a prima patefactione promissionis. Et quid cogitari dulcius potest, quam quod filius Dei affirmat, se delectari consuetudine hominum. Hic autem mente repetatur doctrina de tribus personis, quae suo loco copiosius traditur.

Postea in primo capite dicit de beneficiis filii, et nominat eum Caput Ecclesiaè, quod ad personam, quae est Deus et Homo, pertinet. Quia utriusque naturae proprietates concurrunt in appellatione capitis. Christus est caput merito, quia ipse meruit toti generi humano salutem: est et caput Efficacia, quia revera missus est ab initio ad Ecclesiam, et est in ea efficax secundum naturam divinam, sicut declaratur haec ipsa descriptio in Epistola ad Ephesios: Dedit eum caput Ecclesiae, quae est corpus eius integrum, qui omnia in omnibus perficit. Sicut et ipse dicit: Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere. Ipse sustentat et conservat Eccle-

siam, ipse dat dona Ecclesiae, doctores, pastores, per quos est efficax.

Postea in primo capite de applicatione beneficiorum Christi loquitur, cum ait: Si in fide manetis firmi. Deinde quaedam addit de ministerio Evangelii et de cruce. Ita cernis ordine membra doctrinae praecipua breviter in primo capite comprehensa esse, videlicet, doctrinam de persona Christi, de duabus naturis, de beneficiis, de applicatione beneficiorum per fidem, de ministerio Evangelii et de Cruce.

Est autem insigni figura usus de Cruce: Impleo quod deest afflictionibus etc., videlicet, non quod ad meritum ducis attinet, sed quod ad militiae societatem attinet, quae nondum completa est, sed durat usque ad finem ministerii. Ducis Christi meritum integrum est et sufficiens pro omnibus subditis. Nos autem sumus milites in eodem ministerio, cuius nondum finis est. Ita subinde ad afflictiones ducis accedunt succedentium militum afflictiones, quae tantisper desunt duci, donec finis est ministerii in collectione universae Ecclesiae, etiamsi differunt meritum ducis et praelia militum. His verbis simplicissime enarretur Pauli dictum: Impleo quod deest afflictionibus Christi etc., non quod ad meritum, quod plenissimum est solius Christi, sed quod ad militiae societatem attinet, in quo subinde milites succedentes oportet similia pati afflictionum ducis. Quia diaboli oderunt ducem, doctrinam et milites, ac dici posset, formam afflictionum esse similem, causas finales dissimiles esse, Christus est propiciator et doctor, Paulus tantum est doctor.

Papistae impie detorquent dictum ad merita sanctorum, et fingunt afflictiones sanctorum mereri remissionem ipsis et aliis. Haec interpretatio falsa est iuxta dictum, Roman. 5.: Gratia et donum per gratiam unius hominis Iesu Christi exuberavit in multos. 1. Iohan. 2.: Ipse et propiciatio pro nostris peccatis, et non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis. Et ad Hebraeos: Una oblatione consummavit sanctos.

In *secundo capite*, ut prudens medicus, cum tradidit salubria, monet vitanda esse contraria, praecipit Paulus de vitandis insidiis et corruptelis doctrinae. Videte, inquit, ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi. Nam vocabulum Elementum non intelligitur, ut Physici loquuntur, sed generaliter de externo ordine, unde Graecis est nomen *στοῖχος*.

Addit autem insignem causam, quare cavendum sit, ne decipiamur humanis imaginationibus et traditionibus. Quia, inquit, in Christo consummati estis. Haec consummatio dupliciter intelligenda est, primum imputatione, quod, scilicet, conversi propter mediatorem sint iusti fide, id est, reconciliati et accepti Deo, etiamsi in eis in hac vita adhuc haeret ingens infirmitas, ut Roma. 3. dicitur: Iustificati sanguine ipsius. Secundo renovatione, quae incoatur in hac et fit integra in vita aeterna. Fitque haec renovatio propter Christum ideo, quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Omnis plenitudo, videlicet, quo ad dona seu proprietates efficaces, id est, vitam, omnipotentiam, infinitam sapientiam et iusticiam, quae dona communicat hominibus, ostendens ipsis lucem et consolationem voce Evangelii, et dans Spiritum sanctum, quasi dicat: In angelis et hominibus sunt particularia dona, non est omnipotentia, non est infinita sapientia et iusticia, sed haec plenitudo filii est, qui quidem corporaliter, hoc est, personaliter habitat in natura assumta, non separabiliter, non tantum effective: ut Deus est in Davide separabiliter, et effective, sed ita, ut sit una persona seu *ὑφιστάμενον* unum, id est, ut sint inseparabiliter copulatae duae naturae, divina et humana, unione hypostatica, qua gestatur natura humana a *λόγῳ*, propemodum, ut anima et corpus hominis sint unum *ὑφιστάμενον*, corpus gestatur ab anima, vel, ut surculus insertus arbori ab ea gestatur, etsi haec similitudo longius abest. Sed tamen hoc utcunque pingit, naturam humanam servatam esse: quia filius massam assumsit, et nos huic massae inserti servamur, quia ex plenitudine filii accipimus, placemus propter ipsum et vivificamur immediate per eum, sicut inquit: Ego sum vitis, vos palmites. Aeternus pater misit filium, per quem patefit promissio, et hic filius colligit Ecclesiam, est redemtor, et voce promissionis dicit consolationem in cordibus, et dat Spiritum sanctum. Sic cum in eo habitet omnis plenitudo divinitatis, est efficax in nobis, et accipimus ex eius plenitudine vitam aeternam, sapientiam et iusticiam aeternam.

Postea repetita est commemoratio beneficiorum Christi, liberationis a peccato et a morte, et inserta est illustris imago triumphi Christi, in qua figurae verborum sumtae sunt a regum triumphis, in quibus spolia hostium anteferebantur currui triumphali. Deinde captivi hostes ligati ducebantur ante victorem. Ita hic dulcissime inquit, spolia praeferri pendentia in cruce, videlicet, chirographa peccatorum nostrorum deleta. Quomodo pingi potest illustrius remissio peccatorum et reconciliatio, quam in hac ipsa imagine? in qua dicitur accusatio deleta esse, et gestari in cruce Christi? Quia filius redemtor pro nobis satisfecit aeterno patri, et sustulit accusationem. Ducuntur et vincti diaboli, ut sciamus, quanquam infirma est Ecclesia, tamen a victore Christo inter insidias diabolorum et furores tyrannorum et haereticorum defendi eam a victore Christo. Sicut et in Iohanne dicitur: Apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli.

Redit postea Paulus ad admonitionem de vitandis corruptelis doctrinae, et nominatim ponit hanc asseverationem, quod non sit peccatum violare leges ceremoniales Moysi et traditiones humanas de cibis, festis et similibus externis ritibus, qui non sunt iusticia cordis, et pingit praestigias, quibus astute impostores spargunt falsa dogmata, videlicet, artificiosam simulationem humilitatis, paupertatis et patientiae, qua videri volunt supra caeteros homines exuisse communes cupiditates, voluptatum, opum et gloriae: deinde iactantiam colloquiorum coelestium cum Deo et angelis. Utriusque modi vidit exempla nostra aetas, et est hic insigne verbum: Nemo vos male regat in certamine. *Βραβευτής* est a *ῥάβδος*, id est, virga, hinc est verbum *καταβραβεύειν*, male regere certantem, seu decipere, metam transferre, aut quocunque modo impedimentum obiicere.

In *tertio capite*, cum antea recitaverit summam doctrinae de beneficiis mediatoris, et admonitiones de vitandis corruptelis doctrinae, addit praecepta de bonis operibus interioribus et exterioribus, de exercitiis renovationis.

In his etiam praeceptum est insigne de studio discendi et docendi, quod eo magis amandum est, quia talia dicta, quae lectionem commendant, testimonia sunt contra Stencfeldium et alios fanaticos, qui abducunt homines a lectione doctrinae et ministerio, et simul testantur lectionem et studia Deo placere, Deum per cogitationem verbi scripti efficacem esse: quod cum sciunt pii, magis ament legendi et discendi studia. Sit igitur familiarissime notum hoc dictum: Sermo Christi habitet in vobis copiose in omni sapientia, et docete et emendate vos mutuo. Copiose, inquit, habitet. Ergo saepe multumque legatur, conferantur iudicia. Cum inquit, Docete et emendate vos mutuo: sint igitur studia doctrinae, misceatur invocatio, sicut alibi dicitur: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Utitur autem verbo Habitandi, ut significet assiduitatem, videlicet, ut doctrina familiariter nota sit, sicut hi noti sunt, qui nobiscum habitant.

Simul autem hoc sciamus, ubicunque in vera conversione ad Deum fide cogitatur doctrina, in eo corde certissime simul habitat Deus ipse, id est, est praesens sua essentia et efficacia, vere adest, et est efficax. Iohan. 14.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Et Ephesios tertio: Ut habitet Christus per fidem in cordibus vestris. Colossenses primo: Ipse est caput Ecclesiae perficiens omnia in omnibus. Nam filius voce Evangelii dicens consolationem in mente ostendit praesentiam et misericordiam patris. Sic adsunt pater et filius, et pater ac filius spirant Spiritum sanctum in cor credentis, ut laetitia, invocatio, vita aeterna et omnes fructus spiritus accendantur. Sic simul sunt Pater, Filius, et Spiritus sanctus.

Haec pie et recte cogitanda sunt, et grata sit emphasis in verbo Habitandi. Iubet autem, ut habitet in nobis sermo Dei in omni sapientia. Haec admonitio inseritur de diligentia, quae habet duo extrema, Ignaviam et Sophisticen. Non habitat sermo Dei in sacrificulis indoctis, qui legunt aut canunt sine intellectu et sine arte, non habitat in Sophistis, Haereticis et Superstitiosis, qui curiosas disputationes aut perniciosas opiniones serunt, ut vanissima sophismata sunt monachorum, an Deus potuisset assumere naturam non rationalem, an accidentia sint sine subiecto in Sacramento, an liceat consecrare fermentatum panem, et blasphemiae sunt Samosateni, Manichaeorum, Arii, Serveti, et aliorum haereticorum. Item tenebrae papisticae, quod homines sint iusti propria legis impletione, quod homo

semper dubitate debeat, an sit in gratia, quod mortui homines sint invocandi, quod per Missas liberentur animae ex purgatorio, quod nemo possit esse Episcopus nisi a Papa confirmatus, quod Papa habeat utrunque gladium, quod vota monachorum sint perfectio Christiana. Item deliria anabaptistica, quod necessaria sit Platonica communio facultatum, quod sint res illicitae suo genere iuramenta, iudicia, gerere magistratus, legitima militia, dicere causas in foro, quod non liceat uti iure Romano, quod solis sacerdotibus tribuendae sint decimae. Postea ingens chaos fuit traditionum superstitiosarum inextricabilium pavidis conscientiis, de enumeratione delictorum in privata confessione, de satisfactionibus, de indulgentiis, de prohibitione coniugii, de ieiuniis et aliis infinitis superstitionibus.

Talia exempla cogitanda sunt, ut consideremus, quare dicatur: Habitet in vobis sermo Dei cum sapientia, hoc est, sit vera diligentia in discendo, recte distinguantur membra doctrinae et collatio illustret veritatem, non sit recitatio otiosa *βαττολογία*, et omnino removeantur sophisticae praestigiae omnium haereticorum. Non potest autem rectitudo iudicii retineri sine cura discendi, et sine invocatione Dei, quare et Psalmo 46. dictum est: Psallite sapienter. Et de precatione dicitur, Psalmo 118.: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

In eodem capite continetur et haec insignis sententia: Dilectio est vinculum perfectionis. Hic aliqui otiosas disputationes de perfectione movent, cum grammatica explicatio sit plana.

Perfectio significat hic coagmentationem, ut in aedificio coniunctae et coagmentatae sunt trabes, non divulsae, non excussae, non corruit opus. De hac perfectione, hoc est, coagmentatione hic loquitur, qua cohaeret corpus Ecclesiae, congruunt firmi et infirmi, docti utuntur *ἐπιεικείᾳ* erga rudiores dociles: Huius perfectionis, id est, coniunctionis vinculum est dilectio, ut in Senatu, etiamsi quando dissentiunt Scipio et Fabius, tamen non oritur inde distractio Reipub. Quia cum illi idem spectent, hoc est, ad eundem principalem finem tendant, ut salva sit Respub., cum sint amici, alter alteri cedit. Ita amicitia ipsorum vinculum est concordiae imperii. Contra Marius et Sylla nec ad unum finem tendunt, nec sunt amici. Ideo dilacerant Rempublicam.

Sic in Ecclesia docti ac boni iudiciis aliquando dissentiunt, et tamen alter alterum tolerat et audit. Sed quando mentes sunt exulceratae, tunc etiam recte dicta livore et malevolentia depravantur. Postea quaeritur praetextus, quaeritur ubique rixandi occasio, sicut Salomo inquit: Qui vult deserere amicum, quaerit occasionem. Haec non accidunt ubi est dilectio. Ideo Paulus nominat dilectionem Vinculum perfectionis, hoc est, communis concordiae. Ac non loquitur de perfectione privata ullius personae, sed de integritate universi corporis Ecclesiae.

Caeterum observetur usus vocabuli Perfectus. Alibi perfectum dicitur substantia, ut Puerum dicimus perfectum hominem, hoc est, substantia. Alibi perfectum quantitate seu gradibus, ut cum dicimus: Nemo habet perfectam obedientiam iuxta legem Dei, Loquitur de perfectione graduum.

Paulus eodem nomine dupliciter utitur Philippenses tertio. Qui perfecti sumus, aliter sentiamus. Hic nominat perfectos, retinentes fidem et bonam conscientiam sine corruptelis, quod nominamus Perfectum substantia. Sic ad Abraham dicitur: Esto perfectus. Postea inquit Paulus se non perfectum esse, hoc est, non habere se omnes gradus obedientiae, quod nominamus perfectum gradibus.

Saepe perfectum significat idem quod non simulatum, ut Christus inquit: Gaudium vestrum sit perfectum, hoc est, non simulatum, non hypocriticum, Deus voce Evangelii, Spiritu sancto sic consolatur nos, ut laetitia in corde sentiatur et vita restituatur. Philosophicae consolationes non adferunt vitam et laetitiam cordis. Sic et Petrus inquit: Perfecte sperate, hoc est, non sit spes simulata.

In dicto Christi: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc., et sequere me, simplicissima enarratio est, interpretari perfectum, pro non simulate, non hypocritice. Cum enim adolescens gloriatus esset se mandato Deo satisfecisse, subiicit Dominus, ut retegat hypocrisin eius: Ergo, ut ostendas te mandata non hypocritice servare, et gloriam Dei quaerere, me sequaris in ministerio. Cum autem ille recuset sequi, refutatur eius iactantia. Ostendit enim se non esse perfectum, hoc est, sincerum sine hypocrisi. Sed addatur et altera enarratio: Nequaquam perfectio est opus melius operibus Decalogi. Quia nulla

est melior obedientia, iuxta haec dicta: Misericordiam volo non sacrificium, et scientiam Domini, non holocausta. Item: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Melior est obedientia quam victimae stultorum. Ergo perfectio hoc loco intelligatur de opere praecepto, scilicet, Sequere me, et intelligatur perfectum non gradibus, sed substantia, ut cum dicitur ad Abraham: Esto perfectus, scilicet, retinens fidem et bonam conscientiam. Ad hanc pertinet, obedire quemque suae vocationi. David vocatur ad regnum, hic adolescens vocatur ad ministerium Evangelii. Hae interpretationes vocabuli Perfectus tenendae sunt, ad refutanda deliria monachorum, qui opera non mandata a Deo, hypocriticam paupertatem et alias hypocrises nominarunt Perfectionem.

Duplex est autem desertio facultatum: alia necessaria propter confessionem aut vocationem. In tali desertione obedientia est opus a Deo praeceptum, scilicet, anteferre professionem seu vocationem vitae et facultatibus. Ideo est opus bonum et cultus Dei in credente. Alia est desertio non necessaria, hoc est, quae neque propter confessionem, neque propter vocationem fit, qualis est cynica desertio facultatum, ut cum Crates suas possessiones reliquit, ne impediretur in sua cynica philosophia, qui postea non vocatus ad quaecunque convivia accedebat. Haec desertio non est opus bonum, et cum accedit superstitio aut captatio, peccatum est.

In eodem capite inquit: Coram Deo non est acceptio personarum, quam nominat Graeca compositione *προσωποληψίαν*. Est autem vocabulum ex Hebraeo factum Deuteronomii 10.: Dominus Deus vester personam non accipit. Hebraice faciem, hoc est, externam speciem non antefert causae. Significat enim de causa aequaliter iudicare, sine respectu aliorum accidentium extra causam. Quod igitur Graeci nominarunt *πρόσωπον*, in Hebraeo est facies, hoc est, species. Saepe autem Apostoli repetunt hoc dictum ex Deuteronomio, Rom. 2. et in Actis capite 10.

Teneatur igitur descriptio. Personarum acceptio est dare inaequalia aequalibus, aut aequalia inaequalibus. Graeci simpliciter nominant inaequalitatem et tyrannidem, iuxta versum:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Saepe autem praecipit Deus ut iudex sit aequalis, ut Deuteronomii primo, et vult se quoque agnosci aequalem. Item irascitur peccato in omnibus, et omnes recipit confugientes ad filium. Has regulas vult esse firmissimas.

Haec doctrina utilis est ad confirmandum timorem Dei, et ad confirmandam fidem, non blandiatur sibi David cogitans Deum non esse puniturum adulterium ipsius, quia praeclare meritus sit. Nec desperent Aaron, Manasses, Nabuchodonosor, Petrus, latro in cruce, quia multa magna delicta habent, sed teneant regulam: Gratia exuberat supra delictum, et: Coram Deo non est personarum acceptio.

Vult autem Deus de Essentia et Voluntate sua iudicari ex verbo, in quo se patefecit. Tribuenda est igitur ei aequalitas, sicut toties affirmat: Non est in Deo *προσωποληψία*.

Hanc consolationem teneamus contra tentationem de particularitate. Duae sunt enim praecipuae tentationes, altera de Dignitate, altera de Particularitate. Primum enim trepidamus et dubitamus nos recipi, quia sumus indigni, et cernimus magnam peccatorum molem, adversus quae ira Dei in lege certissime denunciatur, iuxta dictum: Deus ignis consumens est. Adversus hanc tentationem opponenda est particula *Gratis*. Item haec sententia: Gratia exuberat supra peccatum.

Etsi autem difficile est eluctari ex hac tentatione, tamen altera tentatio de particularitate rursus duriter excruciat animum, cum, videlicet, disputamus an simus in numero electorum, et plurimi in hac ipsa dubitatione fiunt languidiores. Quid laboras, si non es in numero electorum. Huic consternationi tristissimae opponantur promissiones universales, et mandatum universale et summum, ut audiamus filium, et haec dicta de aequalitate Dei: Non est *προσωποληψία* in Deo.

Utraque concio est universalis. Accusat Deus omnes propter peccata, vult omnes agere poenitentiam et confugere ad filium. Nec dubium est omnes homines huic summo praecepto debere obedientiam: Audite filium. Et filius inquit: Poenitentiam agite et credite Evangelio. Nec fingendum est, filium, cum inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos etc., non esse veracem legatum. His erecti consolationibus, repugnemus dubitationi, et statuamus Deum aequalem esse, et vere nos quoque recipi confugientes ad filium, sicut scriptum est: Omnis qui credit in eum, non confun-

detur. Item: Dives Deus in omnes et super omnes. Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Ad hanc consolationem adhibeantur haec dicta: Non est προσωποληψία apud Deum, et confirmetur fides in invocatione promissionibus et mandatis divinis, quae praecipiunt credi filio Dei.

EPISTOLAE PAULI AD COLOSSENSES

Caput primum.

Paulus Apostolus Iesu Christi.

In titulo fit officii mentio. Quia necesse est in Ecclesia sciri, unde doctrina accepta sit. Quia Evangelium non est sapientia rationi nota, sed est divinitus revelatum initio per ipsum filium Dei, additis illustribus testimoniis et miraculis divinis.

Postea repetitum est in multis patefactionibus divinis, et addita sunt miracula. Ideoque missi sunt filius ipse, Prophetae et Apostoli, et Ecclesiae mandata est propagatio Evangelii, et vocationum differentiae considerandae sunt.

Est enim Propheta persona immediate vocata a Deo ad illustrandam promissionem de Christo, et habet testimonia divina, quod non erret, et missus est ad aliquam partem politicae gubernationis, in qua ostenduntur miracula.

Apostolus est persona immediate vocata a Deo ad docendum Evangelium, et habet testimonia divina, quod non erret, nec missus est ad politicam gubernationem.

Episcopus, seu Pastor, seu Doctor est persona vocata a Deo mediate per Ecclesiam, aut eos quibus hoc Ecclesia commendat, ad docendum Evangelium scriptum per Prophetas et Apostolos, nec habet aliud testimonium, quod non erret, nisi ipsa scripta prophetica et apostolica, ab his cum dissentit, errat, sicut multorum lapsus alii maiores, alii minores acciderunt, accidunt et accident.

Has distinctiones vocationum necesse est considerare propter homines politicos, qui interrogant, cur magis credendum sit Paulo quam Episcopis, qui habent ordinariam potestatem, Paulus autem videtur vagari ut erro. Hic sciendum est, Apostolos singulari vocatione immediate a Deo missos esse, et habere divina testimonia quod non errent, et eorum voci credendum esse, sicut voci Dei immediate de coelo sonanti: et necesse est Ecclesiae hoc commemorari, quod sint immediate vocati a Deo, et perferant non a se inventam doctrinam, sed traditam per filium Dei, qui est in sinu aeterni patris, et primus protulit Evangelium. Ideo toties repetunt Prophetae: Haec dicit Dominus. Et Paulus multis verbis ad Galatas primo mentionem facit suae vocationis.

Necessaria est et haec consolatio, quod scimus Deum vere velle efficacem esse per Evangelium etiam cum hi docent, qui sunt ab Ecclesia vocati: sicut Paulus praecipit Tito, item Timotheo, ut constituant Presbyteros, ut commendent Evangelium idoneis ad docendum. Quia filius immediate efficax est, sive per Prophetas sive per Apostolos, sive per Pastores annuncietur Evangelium.

Gratia et pax a Deo.

Gratia, significat gratuitam reconciliationem et acceptationem propter mediatorem, cum qua tamen est coniuncta vivificatio, quae fit per filium accensa vera agnitione Dei per Evangelium in mente, et effuso Spiritu sancto in corda, sicut Roman. 8. dicitur: Qui spiritum Christi non habet, non est eius. Ideo Paulus haec duo coniungit, Gratiam et donum per gratiam, ubi gratiam intelligit relative de reconciliatione et acceptatione propter filium, sicut alibi dicitur: Dilecti in dilecto. Donum vero intelligit sine ulla dubitatione donata beneficia, quae sunt in nobis, scilicet, quod efficimur templa Dei, et donamur

vita aeterna. Et quidem intelligatur donum non de incoatione tantum, sed de tota consummatione beneficiorum Christi.

Vocabulo *Pacis* Hebraei utuntur sicut nos vocabulo Salutis seu Laetitiae. Significat igitur hoc loco primum laetitiam in Deo, deinde bonum statum Ecclesiae, et privatim dona Dei singulis necessaria in sanctificatione, vita et vocationibus. Item, tranquilla imperia, successus in gubernatione. Haec grammatica explicatio vocabuli Pacis quam late pateat cogitandum ist, ut cum in Psalmo dicitur: Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem.

A Deo patre nostro et Domino Iesu Christo.

Cum coniungit aeternum patrem et Christum, duo haec consideremus, Omnipotentiam filii et intercessionem, cum ait dari gratiam et donum simul a patre et filio, significat filium etiam natura Deum esse. Et huc adiungamus haec dicta: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item: Benedicat his pueris Deus omnipotens, et angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Item: Omnia per eum consistunt.

Secundo consideremus, etiam eo fieri mentionem filii, ut admoneamur de mediatore, omnia bona, quae dantur Ecclesiae, dantur propter mediatorem, qui et sacrificium suum pro nobis obtulit, et semper intercedit pro nobis. Hic repetatur communis doctrina de discrimine verae et falsae invocationis. Discamus seiungere nostram invocationem ab Ethnica, Turcica et Papistica, et quotidie in invocatione cogitemus, quem Deum alloquamur, ubi et quibus testimoniis patefactum, et quare exaudiamur.

Usitate autem discernimus invocationem Christianam ab aliis populis. Errant Ethnici et Mahometistae de Essentia et voluntate Dei, negant hunc vere esse Deum, creatorem coeli et terrae, et hominum, qui se patefecit misso Domino nostro Iesu Christo, et testimonia de se in Ecclesia dedit, et qui sic revelatus est in Ecclesia, quod divinitas sit aeternus pater, et λόγος, filius aeterni patris semper missus ad Ecclesiam, et Spiritus sanctus laetificans et confirmans eam. Sed vagantur Ethnici nescientes quid invocent, sicut Hecuba apud Euripidem inquit: O Iupiter quicquid es, sive hoc coelum sive mens in coelo. Deinde de Voluntate errant, quod nesciunt, an et cur exaudiat, et invocant in dubitatione perpetua, sicut et Papistae docent.

At nos in Ecclesia invocantes primum de Essentia cogitemus hunc esse verum Deum, creatorem, qui se patefecit misso Domino nostro Iesu Christo, et qui docet nos in Ecclesia divinitatem esse aeternum patrem, et λόγον, filium semper ad Ecclesiam missum, et Spiritum sanctum laetificantem et confirmantem corda. Has tres personas simul mente intueamur, et sciamus simul ab eis dari bona, quia actiones ad extra sunt communes tribus personis, iuxta haec dicta: Omnia per ipsum facta sunt. Item: Omnia per ipsum consistunt. Item: Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Deinde et de Voluntate cogitemus, velle Deum invocari non cum dubitatione, de qua apud Poëtam dicitur: Esse Deum assentior, sed an curet humana dubito: sed velle nos credere, quod vere velit nos exaudire propter filium mediatorem Deum et hominem, velle mentionem filii fieri, sicut dicitur: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit nobis. Iubet peti nomine mediatoris, quia fiducia, quod non sit irrita invocatio, nititur mediatore.

Quare semper in invocatione utroque modo cogitandum est de filio. Primum tanquam de datore bonorum cum Patre et Spiritu sancto. Secundo rursus tanquam de mediatore seu intercessore. Quia clare sic dicit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc dabit vobis. Rom. 8. dicitur: Qui sedet ad dextram patris, ut interpellet pro nobis. Et Hebrae 7.: Semper vivens, ut interpellet pro eis. Mandatum est ut credamus nos exaudiri, iuxta dictum: Quomodo invocabunt, si non credunt? Item: Orate sine ira et haesitatione. Niti fides debet non nostra dignitate, sed mediatore. *Ergo necesse est filium ut mediatorem agnoscere et alloqui.

Quod vero obiicitur dictum Iohan. 16.: Non dico vobis, quod ego precaturus sim pro vobis, grammatica et vera responsio est, non excludi Christi precationem, ut sit dux dicat: Non dico me praeliaturum esse, sed vos mecum praeliabimini. Hic satis apparet in posteriore membro affirmativam sententiam esse, sicut et eodem loco inquit: In illo die in nomine meo petetis. Vult ergo nunc quoque agnosci, quod sit mediator et intercessor. Non est igitur exclusio in-

tercessionis Christi, sed est correctio erroris de omissione nostrae precationis, seu admonitio ut adiungatur nostra precatio. Iam cogita quam dulce mandatum sit, quod praecipit, ut nos quoque accedamus ad Deum, ut nos ad ipsius intercessionem adiungamus nostra vota et nostros gemitus, vult te quoque precari, nec vult nos ignavos aut otiosos milites esse, sed vult ut ipsi quoque accedamus ad Deum, sicut dux vult milites simul praeliari etc. Hac grammatica et vera responsione contenti simus, et meminerimus dulcissimam consolationem nobis propositam esse, quae affirmat, et audiri nostras preces et simul cum filio diligi propter ipsum, sicut eodem loco dicitur: Ipse pater diligit vos. Hanc dulcissimam consolationem non sinamus corrumpi venenata sophistica.

Exordium continet gratiarum actionem et precationem, sicut in exordiis maxime grata et usitata sunt verba affectuum, gratulationum, querelarum etc. Estque summa sententiae: Deo gratias ago, quod vos ad agnitionem filii vocavit et accendit corda vestra, ut Evangelio credatis, et oro ut vos confirmet. Haec Paulus pluribus verbis dicit, in quibus phrasi considerata nihil est obscuritatis. Estque sumta sententia ex communi doctrina, quod Evangelium sit sapientia non nota rationi, sed immensa misericordia Dei revelata per filium. Item, quod hanc mirandam sapientiam ratio non accipiat fide, nisi filio ipso monstrante, mentes et corda accendente et confirmante, ut assentiamur et retineamus assensionem et fidem, sicut Paulus inquit ad Galatas: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem.

Quid est imago Dei, etc.

In Christo nato ex virgine esse duas naturas, λόγον, et naturam humanam, expresse affirmat narratio in Iohanne: Et Verbum caro factum est, et λόγον non esse sonum evanescentem, sicut multi astute cavillati sunt, sed esse ὑφιστάμενον, illa ipsa narratio in Iohanne ostendit.

Sed teneamus illustres confirmationes, quae cogitentur in quotidiana invocatione. Iudico firmum testimonium esse invocationem, qua patres alloquuntur hunc Dominum, ut agentem aliquid. Sentiunt igitur esse ὑφιστάμενον vivum, intelligentem, et cum patre efficacem, sicut ait Iacob: Benedicat his pueris Deus, et angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Hic sine ulla dubitatione angelus intelligitur persona missa: persona benedicens aut liberans non est angelus, qui est creatura, et Paulus expresse dicit Christum fuisse apud patres in deserto, et ipse inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum. Et hoc loco ad Colossenes inquit Paulus, per Christum omnia condita esse et conservari. Non sunt autem conditae creaturae per naturam humanam, et tamen in hoc homine Christo est natura conditrix. Ergo λόγος non est sonus evanescens.

Confirmatio est etiam illustris in dictis de Omnipotentia, cum inquit: Ego vitam aeternam do eis. Item: Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere. Et 1. Iohan. 4.: In hoc scimus, quod in eo manemus, et ipse in nobis, quia de spiritu suo dat nobis. Natura finita non potest dare Spiritum sanctum. Est ergo ante assumtionem naturae humanae persona missa, quae λόγος et Imago aeterni patris dicitur, ut Hebr. 1. expresse nominatur ἀπαύγασμα gloriae, hoc est, lucis paternae, sapientiae et iusticiae, et Imago substantiae paternae. Ibidem etiam affirmatur, per hunc, qui est imago aeterni patris, omnia condita esse et sustentari. Haec natura conditrix cum sit in homine Christo, necesse est non esse evanescentem sonum. Alioqui enim non esset in homine Christo, si esset sonus evanescens.

Dicitur autem Imago, quia pater sese intuens hac cogitatione sui gignit imaginem suam, et cum haec imago substantialis deinde fulgeat in natura humana Christi, qui perfecte agnoscit aeternum patrem, et perfecte iustus est, et similis Deo propter imaginem substantialem in ipso fulgentem: dicitur Christus Deus et homo imago aeterni patris.

Cum autem dicitur Filius imago aeterni patris, cogitemus non solum de arcana patris et filii collatione, sed de patefactione erga nos. Talis est pater, qualem esse filius annunciat, et sermo est imago mentis. Ideo dicitur: Deum nemo vidit unquam, sed filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Item: Nemo novit patrem nisi filius, et cui volet filius revelare. Sic igitur agnoscamus Deum, sicut per hunc filium patefactus est, scilicet, sapientem, veracem, bonum, beneficum, iustum, iudicem, castum, omnipotentem, liberrimum. Et quanquam immutabiliter iustus est, tamen remittentem peccata et reddentem iusticiam et vitam aeternam propter filium et per eum. Hanc sciamus vere voluntatem Dei esse,

nec imaginemur in eo contradictorias sententias.

Secundo nomen Imaginis commonefacit nos de discernendo vero Deo ab omnibus commentitiis numinibus. Proponit tibi invisibilis divinitas hunc filium visibilem, et iubet te invocare hunc verum Deum, qui misit hunc redemtorem, et addidit ei testimonia, et vere in isto redemtore habitat, sicut inquit: Qui videt me, videt patrem.

Tertio sciendum est hanc Dei imaginem ad nos missam esse, ut nos rursus per eum fiamus imago Dei, hoc est, ut luceat in nobis agnitio Dei, per filium accensa, qua rursus efficimur conformes Deo, sicut 2. Corinth. 3. dicitur: Agnoscentes Deum per vocem Evangelii, transformamur in eandem imaginem, hoc est, Lux similis verbo in vobis accenditur. Athanasius dicit: Congruebat filium assumere naturam humanam, ut per imaginem Dei essentialem homo restitueretur, conditus ut esset imago Dei creata. Quia per verbum, quo divinitas patefit, restituitur imago.

Haec reverenter et pie cogitanda sunt, et in vera invocatione discenda, in qua mens intueri debet Deum patefactum per hunc filium, et discernere veram invocationem ab ethnica.

Omitto praestigias Samosateni et Arii et similium, qui cavillati sunt: Imago est umbra alterius rei, etc. Tales sycophantias hic ipse textus refutat, cum postea inquit: Per filium omnia esse condita et conservata. Et ad Hebraeos dicitur Character Substantiae, videlicet, substantialis Imago.

Primogenitus universae creaturae etc.

Simplicissima enarratio est de dignitate. Primogenitus, hoc est, dominus omnium creaturarum, iuxta haec dicta Psalmo octavo: Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et Matthaei ultimo: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Et hic dicitur: In eum omnia sunt condita, hoc est, propter eum, id est, ut in hoc filio se patefaciat Deus, et ostendat in hac miranda copulatione divinae et humanae naturae suum amorem erga genus humanum.

Et cum per hunc filium immediate colligatur Ecclesia, potestas eius est etiam immediata supra omnes creaturas. Filius propter collectionem Ecclesiae immediate servat coelum et terram, genus humanum, ministerium Evangelii, defendit Ecclesiam contra rabiem diabolorum, contra tyrannos et contra fanaticos furores, et est iudex, punit et puniet impios, interea simul orat pro nobis aeternum patrem, et est efficax voce Evangelii, ut aliqui convertantur, remittit peccata credentibus, exaudit, protegit, lenit poenas, multa mitigat in ordine naturae, pascit nos, iuvat et salvat invocantes ipsum, sicut inquit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. Item: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Sine me nihil potestis facere. Sedet ad dexteram aeterni patris, dans dona hominibus, ipse est caput Ecclesiae, perficiens omnia in omnibus.

Haec de iure primogeniturae, hoc est, de dominio Christi cogitanda sunt, et ad consolationem et ad invocationem transferenda, ne cogitetur esse otiosa dominatio, sed vere efficax in creaturis et in nobis. Hanc praesentiam filii Dei et hoc dominium putant inanes fabulas esse illi, qui nec curant iudicium ipsius nec auxilium. Additur hic illustre testimonium de omnipotente natura in filio: In hoc visibili filio est λόγος, per quem omnia condita sunt. Ergo λόγος non est sonus creatus evanescens, sed est ὑφιστάμενος et omnipotens.

Throni sive dominationes etc.

Thronos, dominationes, principatus et potestates intelligit vetustas angelos, nos omnia imperia et ordinem creaturarum, politiarum, oeconomiarum, coniugii, legum, gubernationem in coelo et in terra intelligimus. Certe hoc vult dicere omnes creaturas et creatas et ordinatas esse per hunc filium, etiamsi postea ab illo ordine discesserunt diaboli et homines.

Quod filius sit natura Deus, manifesta hic testimonia posita sunt, quia dicitur: Omnia per ipsum esse condita, et dulcissime hic addit: Ipse est ante omnia. Hoc cum dicitur, necesse est intelligi in eo naturam esse, quae fuerit ante assumtionem humanae naturae. Hinc perspicue sequitur, λόγον non esse sonum evanescentem, cum de Christo dicitur, Quod sit ante omnia.

Nota est autem haec phrasis, per filium omnia condita esse. Etsi enim omnes actiones ad extra sunt communes tribus personis, tamen sua cuiusque personae est proprietas, et dictum Augustini concinnum est.

Agit filius per se, non a se, pater vult creationem et totum ordinem rerum, et exprimit hanc

voluntatem per verbum, quo dicente res fiunt et ordine distinguuntur, ut in Genesi scriptum est: Dixit Dominus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et Spiritu sancto simul creante foventur res, sicut in Genesi scriptum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas, seu fovebat aquam.

Diligenter considerandum est, ubicunque fit creationis mentio, simul intelligendam esse praesentiam Dei in conservatione substantiarum, iuxta haec dicta: In ipso vivimus, sumus et movemur. Deuteron. 30.: Ipse est vita tua et longitudo dierum tuorum. Nec sic intelligatur creatio, ut fabricatio navis, a qua discedit architectus postquam eam extruxit, sed substantiae rerum interirent, nisi deinceps quoque conservarentur a Deo, quem tamen sciamus adesse creaturae liberrime, iuvare, ornare, moderari, aut deserendo destruere naturam liberrima voluntate. Ideo dicit hic: Omnia per eum consistunt. Et Hebraeos 1.: Ferens omnia verbo potentiae suae.

Sed quare dicit: Omnia in ipsum condita sunt? Hoc est, hic filius est causa finalis, quare Deus omnia condiderit. Quia haec copulatio divinae et humanae naturae est summum opus Dei, sicut inquit: Adhuc semel et movebo coelum et terram, et in hac copulatione divinae et humanae naturae conspicitur multiplex sapientia Dei, et immensus amor erga genus humanum. Erit sapientia in tota aeternitate discenda, in hoc filio videre motum huius copulationis et causas videre, et qualis sapientia sit lex, et quae causa sit, cur filius constitutus sit, ut sit pretium pro lege, qualis sit filii missio ad colligendam Ecclesiam, qualia fuerint opera in omni liberatione. Haec tota sapientia conspicitur in illa consideratione filii, cuius vult Deus initia in hac vita disci, iuxta dictum: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.

Et ipse est caput corporis Ecclesiae.

Expresse fatentur scriptores libro 3. sentent. distinctione 13. nomen capitis tribui toti personae, Christo, et alias proprietates competere ei secundum humanam naturam, alias secundum divinam naturam. Est autem caput efficacia, perfectione, merito, et ordine.

Primum Efficacia, quia haec persona proprie missa est, ut immediate per eam aeternus pater colligat Ecclesiam. Haec persona initio profert Evangelium, adest Ecclesiae, et eam sustentat, et protegit immediate. Similitudo cogitari potest. Sicut caput in quolibet homine demittit nervos et spiritum animalem in reliquum corpus, qui sunt causa sensus et motus: ita filius Dei sustentat et docet nos, sicut dicitur ad Ephesios, Perficere omnia in omnibus. Item: Nemo novit patrem nisi filius. Item: Ego vitam aeternam do eis. Etsi autem haec efficacia est capitis, tamen personae tribuitur, quia efficax est in hac assumta natura, ut 1. Corinth. 15. dicitur: Per hominem mors, et per hominem resuscitatio mortuorum. Multae actiones fiunt ministerio assumtae naturae, ut cum indicabit resuscitatos visibiliter. Est autem et sua efficacia assumtae naturae, quae antecellit omnibus creaturis potentia, depellit diabolos, et protegit Ecclesiam, et multa potenter agit, quae capiti congruunt.

Secundo caput Perfectione sic dicitur, non solum secundum divinam naturam, sed etiam iuxta humanam, quia natura humana in Christo antecellit sapientia omnibus angelis.

Tertio est caput Merito, iuxta humanam naturam, qua cum perfectissima obedientia meruerit Ecclesiae redemtionem et salutem aeternam, iustum est eum superiorem esse in universa Ecclesia.

Quarto, Ordine propter missionem, sicut Iohannes inquit: Prior me est. Quia haec persona ad Ecclesiam initio missa est, ut proferat Evangelium ex sinu aeterni patris.

Usitate dicitur, Christum nominari Caput, quia dignitate antecellit. Sed intelligatur non otiosa dignitas, verum haec omnia comprehenduntur, Efficacia, Perfectio naturae divinae et naturae humanae, Meritum et Ordo.

Adiungatur autem dictum ad Ephesios: Ipse est caput Ecclesiae, omnia in omnibus perficiens, et sicut ipse inquit: Ego sum vitis, vos estis palmites. Item: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ideo hic inquit: In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis, videlicet donorum, sapientiae, iusticiae, nec tantum sic, ut ipse pro sese ornatus sit hac excellentia, sed etiam ut sit efficax in aliis, sicut in Psalmo dicitur: Unxit te Deus tuus oleo laetitiae propter consortes tuos, et repetetur haec sententia infra, ubi copiosius est enarranda.

Et per eum cuncta reconciliare erga se pacificatis per sanguinem crucis eius etc.

In Ephesiis dulcissime dicitur, redigere ad unum caput omnia in coelo et in terra. Fuerunt uni capiti Deo conformes, et adiunctae omnes rationales creaturae, ante lapsum diabolorum et hominum. Postea cogitetur quam tristis avulsio sit, in qua diaboli horribili furore in tota aeternitate irascuntur Deo, et contumeliis eum afficiunt, in seipsis et in genere humano quantumcunque possunt, ut ostendunt blasphemiae, caedes, libidines et alia scelera, ad quae diaboli impellunt miseros homines, tantum ut contumelia Deum afficiant. Ut autem rursus cum capite Deo copuletur genus humanum, mediator constitutus est, qui est caput Ecclesiae, adiungens nos capiti Deo. Sic in coelo et in terra sanatur illa avulsio, sicut postea dicitur: Faciens pacem in coelo et in terra, videlicet inter Deum et hominem; et aliquoties repetit: Per sanguinem, per mortem, per corpus Christi, ut adducat et sistat vos sanctos, inculpatos et non accusandos coram eo.

Haec verba opponantur erroribus papisticis, qui fingunt homines mereri remissionem peccatorum propter disciplinam, et iustos esse propria impletione legis. Paulus contra affirmat, sanguine et morte filii Dei, id est, obedientia tota nos reconciliari. Addatur autem et ex aliis locis particula Gratis, quae expresse excludit nostra merita.

Ordo autem verborum ostendit, quae res fiant in iustificatione hominis coram Deo. Ideo Filius missus est, ut hoc mirandum decretum patefaciat, quod Deus velit filium esse victimam, et propter eum remittat peccata, restituat iusticiam et vitam aeternam, exaudiat et mirabiliter regat et protegat. Et in veris doloribus primum et summum certamen est, an Deus tibi remittat peccata, et an te recipiat. De hac lucta dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Cumque apprehenditur fide imputatio iusticiae et remissio peccatorum, simul in hac ipsa consolatione filius Dei per Evangelium ostendit misericordiam et praesentiam aeterni patris, et datur Spiritus sanctus a Patre et Filio, quo cor ad assentiendum Evangelio trahitur, laetificatur, confirmatur, vivificatur, et ex doloribus inferorum liberatur, sicut Ezechias inquit: Tu eruisti animam meam, ne periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Asseveratio igitur de remissione peccatorum et imputatione iusticiae recitatur hoc loco his verbis: Vos qui eratis inimici, reconciliavit, et quidem addit: Corpore, morte carnis etc., ut significet nos propter obedientiam filii placere Deo, et acceptos esse, sicut Roman. 5. dicitur: Propter unius obedientiam iusti constituentur multi.

Nec abducendae sunt mentes ab hac consolatione Osiandricis speculationibus, quae dicunt, homines iustos esse coram Deo propter iusticiam essentialem, et non per misericordiam imputata iusticia.

Ut exhiberet vos sanctos etc.

Deinde et reliqua verba considerentur, Ut sistat vos sanctos, inculpatos, non accusandos. Haec verba in hac vita sic intelligantur, Sanctos, id est, conversos ad Deum. Nam sanctitas significat ipsam effectionem Dei in nobis, qua homo et iustificatur fide, et iam est domicilium Dei.

Sequens vocabulum, Inculpatos, est usurpatum pro eo, quod in Genesi dicitur: Perfectus esto. Et in Psalmo, immaculatum, videlicet imputatione et incoatione, ut cum inquit: Sicut estis azymi. Ideo mox rursus addit vocabulum ἀνέγκλητοι, quod significat Non accusandos, et hic addit: Coram Deo, quod necesse est intelligi de imputatione in hac vita, sicut Paulus inquit: Nulla nunc est condemnatio his, qui in Christo Iesu ambulant. Ideo etsi in hac vita haerent in nobis multae magnae sordes, ignorantiae, dubitationes, errantes flammae etc.: tamen imputatione iusti sumus et ἀνέγκλητοι propter mediatorem, ut Roman. 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus fide in gratiam hanc, in qua stamus. Haec fides autem re ipsa nititur obedientia mediatoris.

Hoc modo diligenter pondera verborum examinentur, ac in vita aeterna erit consummata sanctitas, et erimus prorsus immaculati. Erit enim Deus omnia in omnibus beatis, hoc est, non erit ibi peccatum in sanctis ut in hac vita.

Siquidem permanetis in fide fundati ac stabiles etc.

Antea et de persona filii Dei et de beneficiis dixit, nunc addit doctrinam de appellatione, quomodo illa beneficia aeterna accipiamus et retinea-

mus, scilicet fide. Exponitur autem haec ipsa doctrina copiosius Pauli verbis in Epistola ad Romanos, ubi antithesi illustratur: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Item: Ut totus mundus sit reus Deo, Sed fide iustificati pacem habemus. Haec antithesis semper in conspectu sit. In vero agone et iudicio Dei omnes homines in hac depravata natura agnoscant hanc concionem: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item Iob. 19.: Vere, scio quod non sit homo iustus coram Deo. Et econtra intueamur hanc veram consolationem, quod immensa sapientia et bonitate Deus miserit filium, et voluerit eum fieri victimam, et velit sic et non aliter remittere peccata, et restituere in nobis iusticiam et vitam, et vivificare homines fide, cum credunt se propter filium mediatorem gratis recipi et iustificari, non propter ullas nostras virtutes et opera, sicut haec Paulus in Epistola ad Romanos prolixius tradit.

Ac significat Fides non noticiam historiae, qualis et in diabolis est, sed assensum quo amplectimur promissionem. Paulus correlative connectit fidem et promissionem Rom. 4., et enarrat vocabulum Ephes. 3.: Per quem audemus accedere in fiducia, quae est per fidem ipsius. Et fidem oportere intelligi fiduciam misericordiae propter Christum promissae, ostendit ipsa antithesis, cum certissimum sit homines propter proprias virtutes et opera non esse iustos coram Deo, sed per misericordiam, ut Psalmus inquit: Salvum me fac propter misericordiam tuam: Sequitur necessario, fidem intelligendam esse fiduciam misericordiae propter filium promissae. Quia misericordia aliter apprehendi non potest, nisi fide, et asseverari de misericordia nihil posset, nisi promissio edita esset, quod filius nobis donatus est, sicut Paulus inquit: Sumus dilecti in dilecto. Ita ex ipsa antithesi firmissime ostenditur, fidem intelligendam esse fiduciam misericordiae propter filium promissae, et ita complectimur omnes articulos fidei seu symboli.

Ac sciant iuniores idem significari his propositionibus: Fide iustificamur, et, Per misericordiam propter filium promissum iustificamur. Sunt enim correlativae propositiones, et utriusque propositionis veritas immota est, ut nominantur propositiones verae per se, non per accidens.

Ac dicere Christum per accidens iustificare, execranda est blasphemia. Cum autem propositio, Fide iustificamur, recte intelligitur, facile est Osiandricam imaginationem refutare. Cum universa scriptura doceat in iudicio Dei hominem per misericordiam fieri iustum, hoc est, placentem et acceptum Deo, manifestum est alteram propositionem dissentire: Homo est iustus, quia Deus movet eum ad iusta facienda, sicut Osiander contendit, et definit iusticiam: Iusticia est quae movet homines ad iusta faciendum.

Etsi autem verum est, cum fide recipitur homo, hoc est, fiducia misericordiae, simul Deum efficacem esse in credente: tamen illa sequens novitas non est id, propter quod persona accepta est, sed semper oportet praelucere fidem, id est, fiduciam misericordiae, iuxta dicta: Iustificati fide pacem habemus.

Ne dimoveamini a spe Evangelii etc., cuius ego Paulus sum minister etc.

Saepe repetit mentionem ministerii, ut sciamus voci eius credendum esse, sicut voci Dei de coelo sonanti, sicut Moses et Prophetae dicunt: Haec locutus est Dominus. Necesse est enim Ecclesiam certam esse, unde accepta sit doctrina, quam Apostoli circumferunt, et sciri necesse est, aliam esse doctrinam legis, aliam Evangelii, quod concionatur de promissionibus, quae sunt extra et supra intellectum omnium creaturarum, et sunt ex sinu aeterni patris prolatae per filium. Et tradidit Deus testimonia Evangelii omnibus temporibus inde usque a prima revelatione. Haec omnia consideranda sunt, quando ministerii sui dignitatem Paulus commemorat.

Gaudeo in afflictionibus meis, et impleo quod deest afflictionibus Christi etc.

Offenditur autem ratio specie Crucis et in docentibus et in tota Ecclesia. Ideo confirmat Ecclesiam mentione afflictionum suarum, quasi dicat: Etiamsi sumus subiecti cruci nos Apostoli et Ecclesia, tamen scitote veram vocem esse Evangelii, et vere sic colligi Ecclesiam, et eam usque ad novissimum iudicium inter imperia mundi sub cruce futuram esse, et tamen mirabiliter per filium Dei conservari, iuxta dicta: Qui vult me sequi, tollat crucem suam, et sequatur me. Item: Omnes qui pie vivere volent in Christo, perse-

cutionem patientur. Quod autem dicit, se implere ea, quae desunt afflictionibus Christi, intelligatur non de merito, sed de similitudine afflictionum, quas ut membrum corporis Christi sustinet. Et quia in ministerio sustinet, dicit: Pro corpore eius, videlicet, ut ministerium meum serviat Ecclesiae in docendo, non quod afflictiones Apostolorum sint meritum reconciliationis. Sed manet communis regula de similitudine afflictionum: Oportet nos fieri conformes imaginis filii Dei. Et propter quas causas filius missus sit, ut fieret victima, sciendum est, et distinguenda missio filii a reliqua Ecclesia, quae propter alias causas cruci subiecta est. Solius Christi passio est *λύτρον*, afflictiones vero Ecclesiae sunt aut *τιμωρίαι*, aut *δοκιμασίαι*, aut *μαρτύρια*.

Caput secundum.

Admonitio est de vitandis corruptelis doctrinae, ac primum insignibus vocabulis usus est, *συμβιβασθέντες ἐν ἀγάπῃ*, hoc est, concinne coagmentati, coniuncti, copulati in dilectione.

Πληροφορία significat Certitudinem, supra ad Romanos: Unusquisque certus sit in sua sententia. Ita hic dicit, se confirmare Ecclesiam, ut certitudo fidei sit in ipsis firmior, quia fides non est imaginatio ambigua similis academicarum disputationum, sed oportet esse certitudinem, sicut dicitur in definitione: Fides est *ἔλεγχος* non apparentium: et notum est dictum: Qui non credit in filium, iam iudicatus est. Item: Qui non credit in filium, manet ira Dei super eum. Non est autem dubitatio Fides, etiamsi initia fidei languida sunt, crescere tamen firmitatem oportet, sicut ille petit: Credo Domine, opem fer imbecillitati meae.

Videte ne quis seducat vos per philosophiam etc.

Ante in summa praecepit de cavendis corruptelis, nunc species aliquas recenset, confusionem philosophiae et Evangelii, ordinationes humanas, fictos enthusiasmos et ementita miracula. Ad hos modos fere reduci possunt omnes imposturae, ut Samosatenus, Mahometus, Servetus, Thammerus quaerunt philosophicam concinnitatem, disputant *λόγον* esse tantum vocem evanescentem. Pelagius et monachi dicunt hominem posse satisfacere legi Dei, et disciplinam esse perfectam impletionem legis et iusticiam, qua homo coram Deo iustus sit, hoc est, placens Deo et acceptus ad vitam aeternam. Haec sunt philosophica, et quaeritur concinnitas.

Secundus modus imposturarum est sine eruditione, videlicet externorum rituum et gestuum falsa accommodatio, qui tamen primum inde orti sunt, quod necesse est in vita esse ordinem et aliqua exercitia. His postea affingunt homines opinionem iusticiae et meriti, et cultus Dei, sicut nomen superstitionem inde factum est, quod sit immodica assiduitas in ritibus. Huc pertinent ritus monachorum, discrimina ciborum, coelibatus, *βαττολογίαι*, et omnium gentium superstitiones. Unde et multa idola orta et cumulata sunt, milites quaerunt numen certo ritu, quod opituletur in bello: mulieres quaerunt auxilium in partu, ideo statuae Iunonis, Annae etc. excogitatae sunt.

In his duobus modis peccat ratio, quaerens Deum sine verbo, aut intus disputando, aut foris male accommodando gestus et opera.

Tertius modus est aut impudenter simulata vanitas, aut diabolica illusio. Multi enim falso iactitant enthusiasmos, ut Anabaptistae plurimi his mendaciis se venditant: aut sunt praestigiae diabolicae, ut et multa falsa miracula a diabolis fiunt, et saepe spectra sese oculis hominum offerunt. Est autem hoc loco vocabulum *συλαγωγῶν*, quod significat captivum adducere tanquam praedam. Nam *σκῦλα* significant Spolia, inde est *σῦλα* una litera detrita. Iubet igitur cavere, ne decipiamur illis modis, de quibus nos monet, et simul significat deceptos et simul irretitos velut captivos teneri, nec facile liberari, sicut alibi inquit, a diabolo mentes impiorum captivas teneri.

De primo autem modo sciant iuniores non damnari veram philosophiam manentem intra suas metas, sed damnari confusionem doctrinarum, cum philosophia docetur pro Evangelio, quod est revelatum et est extra captum humanum, seu cum Evangelium transformatur in philosophiam, ut crasse faciunt Pelagiani et monachi, qui finxerunt homines posse legi Dei satisfacere, et hanc qualemcunque disciplinam esse perfectam impletionem legis, et mereri remissionem peccatorum, et esse iusticiam, qua homo sit iustus coram Deo, placens Deo et acceptus ad

vitam aeternam. Haec falso extruuntur ex philosophia, quae non loquitur de aeterna iusticia, de aeterna vita, nec de remissione peccatorum, sed de rectione locomotivae in externis gestibus.

Necesse igitur est scire discrimina doctrinarum, ac regula tenenda est 1. Timoth. 4.: Omnis creatura Dei bona est, et nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione sumitur: sanctificatur enim per verbum Dei et precationem. Esse autem noticias naturales quasdam veras in creatione mentibus hominum insitas, quae sunt normae veritatis et certitudinis, ut numerorum, ordinis, figurarum, legum naturalium de moribus, et physica principia, ex quibus extruuntur multae artes manifestum est, et quidem Paulus nominat leges naturales veritatem Dei, et ait legem scriptam esse in cordibus. Et manifestum est a Deo probari numerationem, scriptionem, lectionem, architectonicam, artem medicam, et de architecto dicitur Exod. 31.: Deus implevit eum hac sapientia. Et anni rationem eruditam Deus et instituit et ostendit, et numerare Deus iubet. Linguas esse donum Spiritus sancti historia Apostolorum ostendit, et de arte medica dicitur Syracidae 38.: Deus dedit hominibus scientiam, ut glorificetur in mirabilibus suis, hoc est, ut singularis efficacia in singulis remediis sit testimonium de providentia Dei, quod ad usus hominum res conditae sint.

Agnoscamus igitur artes extructas ex noticiis, quae in creatione hominum mentibus insitae sunt, esse res bonas et *Dei* dona, et quidem sciamus esse commonefactiones et testimonia de Deo, quia ostendunt Deum esse sapientem, et quidem lex naturae testatur esse Deum, et docet qualis sit, discernit eum a malis naturis, et testatur vindicem esse. Ideo dulcissime inquit Plato: Gratam de Deo famam in artibus sparsam esse. Et Salomon inquit: Ut oculus videat et auris audiat, Deus facit utrunque, hoc est, lumen in oculis et in mente creatura Dei est, et multo magis excellens lumen in excellentibus artificibus.

Primum ergo cogitantes de artibus, fontem sapientiae Deum agnoscamus et celebremus. Deinde artibus, quia totam vitam corporalem regunt, utamur sicut iussit, et pro eis gratias Deo agamus. Si qui vituperant artes, furiosi sunt, et nocent hominum vitae, et Deum autorem contumelia afficiunt. Nomino autem philosophiam seu artes noticias principiorum et demonstrationes, non quaelibet somnia aut sophisticas praestigias et corruptelas, quales multi sparserunt, ut Epicurei, Stoici, Pyrrhonii, Cynici et alii.

Deinde hoc quoque sciendum est, artes ex luce naturali ortas habere suas metas, et indicare de his, de quibus mentes humanae convinci possunt, iuxta *κριτήρια*.

Sed praeter artes ex luce naturali ortas Deus singularibus testimoniis Evangelium revelavit, de sua essentia et voluntate, ac nominatim de filio et de promissione gratiae, sicut 1. Corinth. 1. dicitur: Cum mundus non nosset Deum in sapientia per sapientiam, placuit Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes. Ideo de essentia et voluntate Dei statuendum est, iuxta Evangelium, non iuxta philosophiam.

Hoc discrimen doctrinarum intelligi necesse est, et suus cuique locus tribuendus est, et huius discriminis confusionem damnat Paulus, non vituperat veras noticias, quae sunt lumen a Deo conditum, si recte accommodentur.

Secundus modus imposturarum facilius intelligi potest, quia circa externos gestus versatur, qui incurrunt in oculos, ut cum in deserto Moses diutius abesset a conspectu populi, concurrit multitudo, et postulat institui certum cultum. Aaron igitur Aegyptio more vitulum collocat. Ibi sacrificant, et populus canit hymnos distributus in choros. Ita omnes homines sine luce verbi Dei fingunt sibi numina et externos gestus. Ethnici in periculis belli collocabant statuam Martis, et addebant ritus, ut Saliorum carmina. Mulieres propter pericula partus collocabant statuam Iunonis, et ibi certo modo sacrificabant. Haec ita cumulata sunt, ut accesserint mactationes hominum, quia homines sese punire insigni modo volebant, ut veniam mererentur.

Haec opinio meriti apud omnes Gentes auxit ceremonias, et accesserunt diaboli ludibria, quae impulerunt homines ad manifestas turpitudines, accesserunt et ludi ingeniorum. In Argis ut essent foelicia coniugia, colebatur statua Iunonis tenens in sinistra pomum punicum, ad quod advolabat cuculus, et finxerunt Iovem specie cuculi primum ad Iunonem venisse. Ita horribiliter humanae mentes sine luce verbi et sine Spiritu sancto contumeliis verum Deum afficiunt, sicut in Ecclesia ritus depravati sunt, et cumulati gestus ethnico more, collocatae sunt statuae, et ad eas velut ad numina concursum est, circum-

gestatur panis et adoratur, cum nihil possit habere rationem Sacramenti extra institutum usum, elegerunt singularia oper a Eremitae et monachi, et finxerunt ea mereri remissionem peccatorum et vitam aeternam, sicut et alii homines finxerunt cultus Dei et merita esse sua ieiunia et alia exercitia: sacrificuli vendunt suas missas tanquam praecipuum meritum. Adversus has contumelias Dei necesse est tenere doctrinam, qua Deus praecipit veros cultus et damnat falsos.

Regulae igitur teneantur Ezechiel. 20.: In praeceptis meis ambulate, non in praeceptis patrum vestrorum. Item: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Iohan. 14.: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Matthaei 15.: Frustra me colunt mandatis hominum.

Hic repetatur tota doctrina de veris cultibus et de mandatis. Cultus Dei est opus mandatum a Deo, factum in agnitione Domini nostri Iesu Christi et fide, cuius operis principalis finis est, ut per ipsum honos Deo tribuatur, hoc est, ut ostendas verum Deum velle coli hoc modo, et hunc esse verum Deum et iudicem, quem sic colis et non aliter, et testeris huic vero Deo hanc obedientiam deberi, ut castitas Ioseph est cultus, quia est opus a Deo mandatum, et fit praelucente agitatione mediatoris, et fide promissae misericordiae, et hoc opere tribuit honorem Deo, id est, ostendit verum Deum sic velle coli, et hunc esse verum Deum, quem sic colit, eique deberi hanc obedientiam testatur.

Haec definitio sumta est ex dictis quae iam recitavi: In praeceptis meis ambulate. Item: Hunc audite.

Ex hac definitione cultus Dei manifestum est, opera non mandata a Deo non esse cultus Dei, sive sint mandata in humanis traditionibus, sive sint electa privato arbitrio. Nominat autem hic Elementa mundi, non ut Physici loquuntur, sed vocabulum significat ordinationem a στοῖχος, quod est series, et intelligit ordinationes mundanas, ritus distinctos, qualibus in hoc mundo, hoc est, hac vita corporali utimur, videlicet, gradus personarum, ordinem in cibo, vestitu, diebus aut similibus.

Tertium genus imposturarum est ficticii enthusiasmi, qui aut sunt prorsus simulati et ementiti, ut Anabaptistici plerique et Stencfeldiani, aut sunt illusiones diabolicae, ut fuerunt multorum fanaticorum hominum, Pepusianorum et aliorum furores.

Fingit Stencfeldius Deum sese communicare sine medio, id est, sine verbi divini cogitatione. Ita astute diabolus abducit homines a verbo patefacto divinis testimoniis, ut postea ludant homines fingendis opinionibus, cultibus, idolis et confusione operum, sicut apud Ethnicos accidit: et relicto verbo divino prorsus nihil est fides, quae est apprehensio Dei cogitatione scripti verbi, sicut Paulus inquit: Fides ex auditu est, auditus ex verbo Dei. In conversione dolor oriatur cogitatione verbi, quod arguit peccatum. Rursus etiam in consolatione mens intueatur promissiones divinas, cumque cor susentatur cogitatione verbi, vera fides accenditur. Sic filius Dei efficax est, dans nobis de suo spiritu, nec imaginandum est fidem prius esse in corde, et postea primum accedere cogitationem doctrinae, quae sit exercitium externi hominis seu testimonium de luce interiore, sicut loquitur Stencfeldius. Haec necesse est diligenter considerari, ne quaerantur illuminationes seu enthusiasmi sine verbo Dei.

In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter etc.

Vocabulum Corporaliter significat proprie idem hoc loco, quod usitate dicimus Personaliter, et post oppositum inhabitationi separabili, ut habitat Deus in beatis vel in sanctis in hac vita, sed ita, ut sit ibi efficax, et sit separabilis divinitas.

Considerentur autem hic quatuor modi praesentiae Dei.

Primus modus est praesentia universalis, quo ad conservationem substantiarum, qua sic adest Deus omnibus creaturis bonis et malis, ut conservet earum substantias, tantisper donec conservantur, ut Pharao destruitur cum Deus desinit servare substantiam. De hac universali praesentia dicitur Hieremiae 23.: Coelum et terram ego impleo, dicit Dominus. Et notus sit versus: Enter, praesenter, Deus hic et ubique potenter.

Secundus modus praesentiae nominatur specialis, qua Deus est in beatis, scilicet, ita ut non tantum servet substantias, sed sese eis communicet, complens eos sua luce et iusticia, et vivifi-

cans eos vita aeterna, et immediate conspicitur ab eis. Et quanquam non discedit ab eis, tamen adest tantum societate, et reipsa est separabilis. De hoc modo dicitur: Deus erit omnia in omnibus, scilicet in beatis, id est, sic erit in eis, ut non sit simul peccatum.

Tertius modus nominatur etiam specialis praesentia, qua est in sanctis in hac vita, ut in Davide, qua praesentia non tantum servat Deus eorum substantias, sed etiam efficit in eis novam lucem et motus sibi placentes, et conspicitur immediate, ut in vita aeterna, sed per verbum. Hanc praesentiam separabilem esse manifestum est, iuxta dictum de redeuntibus ad vomitum.

Quartus modus praesentiae est unio personalis, qua scilicet secunda persona divinitatis assumsit humanam naturam, non solum inseparabiliter, sed ita, ut sit unum completum ὑφιστάμενον illa natura humana, et λόγος assumens humanam naturam propemodum, ut in caeteris hominibus copulatione animae et corporis fit unum completum ὑφιστάμενον. Hac similitudine usi sunt Athanasius, Cyrillus et Iustinus.

Sic igitur intelligatur hoc loco inhabitare corporaliter, ut discernatur unio personalis ab aliis modis praesentiae, sicut dicitur: Verbum caro factum est. Quod autem inquit: Plenitudo divinitatis, discernit et hoc modo filium ab aliis beatis. In aliis sunt particularia dona, ut in Moise, Helia. In filio autem est substantia, quae est secunda persona divinitatis, immensae perfectionis, omnipotens, et efficax in aliis, ut Iohannes inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Non igitur sic intelligatur textus, quod tres personae assumserint humanam naturam, sed plenitudo sit opposita particularibus donis sanctorum.

In ipso estis consummati etc.

Est et haec sententia valde insignis, et opponitur imaginationi quaerenti iusticiam operibus, seu legis divinae, seu traditionum, de qua imaginatione antea dixi: Nemo vos decipiat per traditiones humanas. Estque antithesis. Lege Dei non estis consummati, id est, nec iusti coram Deo, nec liberati a morte, nec donati vita aeterna, multo minus traditionibus humanis. Sed in Christo consummati estis, scilicet, et imputatione et restitutione iusticiae et vitae aeternae, quae in nobis incoatur in hac vita, et exhibetur consummata post hanc vitam. Fit autem haec effectio propter mediatorem et per eum. Ideo nominatim dicitur: In Christo consummati estis, non meritis ullius creaturae, non lege, non traditionibus. Ac semper in hac vita tenenda est haec consolatio, quod quanquam sunt in nobis adhuc reliquiae peccati et magnae sordes, tamen in Christo simus consummati imputatione, ut ad Romanos 5. dicitur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Roman. 6.: Non estis sub lege sed sub gratia. Roma. 8.: Nulla nunc est condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant. Item: Quis accusabit electos? Deus est qui iustificat. Item: Christus est in dextera patris interpellans pro nobis. Iob. 13.: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Veruntamen vias meas ego arguam, et ipse est mihi ad salutem. Quia non intrabit coram eo omnis hypocrita. 1. Iohan. 5.: Qui habet filium, habet vitam. Ioh. 3.: Sic Deus dilexit mundum, u filium suum unigenitum daret etc. Et Ioh. 17.: Sit dilectio in eis qua me diligis. His amplissimis et dulcissimis consolationibus confirmemus nos in invocatione, et adiungamus eas ad dictum: In ipso consummati estis.

In quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta etc.

Declarat superiorem particulam, In ipso consummati estis, addita antithesi. Lege non eratis consummati, sed lex erat typus, Res exhibita est per Christum. Circumcisio significabat abiectionem corporis peccatorum et regenerationem, has res iam habetis per Christum. Interpretatur ergo Circumcisionem et repetit beneficia Christi, in quibus rursus utrunque complectitur, imputationem iusticiae et renovationem, quae in hac vita fit in conversione, et duos modos complectitur, mortificationem et vivificationem. De mortificatione dicit: Estis consepulti cum eo per baptismum. De vivificatione inquit: Estis resuscitati cum eo per fidem efficacia eius. Cum autem haec vocabula Mortificatio et Vivificatio a vero intellectu ad hypocrisin externorum gestuum a monachis et fanaticis hominibus detorta sint, consideretur vera significatio.

Ut autem in omnibus artibus et negotiis diligentia necessaria est, videre ubi res eaedem pluribus appellationibus efferantur, et recte coniungere appellationes: ita in hoc loco sciamus

Paulus loqui de vera conversione ad Deum, quam usitate nominat Ecclesia Poenitentiam, cuius has partes esse dicimus Contritionem, Fidem et novam Obedientiam. Contritio hic significatur his verbis: Exuere corpus peccatorum, mortificari et consepeliri cum Christo. Significantur ergo veri pavores et dolores, quales sunt in conversione cum in agnitione peccatorum sentitur ira Dei, sicut dicitur: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Quanquam enim non sunt similes in omnibus dolorum gradus, tamen in conversione aliquam contritionem necessariam esse non dubium est, ut Iesaiae 66. dicitur: Ad quem respiciam nisi ad contritum et humiliatum spiritu, et trementem sermones meos. Et hi pavores et dolores tunc sunt, mortificari et sepeliri cum Christo, cum simul sunt initia fidei, quae facit ut doleant corda se offendisse Deum, ut non fremant adversus eum, sed confugiunt ad eum propter mediatorem. Ita hic dicit: Estis sepulti cum Christo, scilicet in hac vita, nunc iacet haec natura in doloribus et in cruce, non regnat furoribus dubitationum et falsarum opinionum et pravarum cupiditatum, qualia mala regnant in impiis.

Estque diligenter consideranda collatio sepulturae Christi ad praesentem vitam omnium piorum in Ecclesia. Iacet in hac vita Ecclesia sub cruce et doloribus, ut Christus in sepulcro, expectans integram novitatem.

Quod autem in secunda parte conversionis usitate ponimus fidem, id sumitur ex locis Pauli Rom. 6. et hinc, ubi mortificationi additur vivificatio, quae fit fide, iuxta dictum: Iustus fide sua vivet. Non enim manendum est in morte et aeterna fuga, sed ideo convertimur ut vivamus, iuxta dictum: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Fit autem vivificatio, sicut iam dictum est, Fide quae apprehendit remissionem peccatorum et reconciliationem. Et fit nominatim mentio fidei in doctrina conversionis seu poenitentiae, ut taxetur horribile mendacium Papistarum, qui dicunt manendum esse in dubitatione, et omnino silentio obruunt hanc fidem, qua statuendum est, tibi in conversione vere remitti peccatum, et te vere reputari iustum, donari Spiritu sancto et haereditate vitae aeternae.

Attribuit autem vivificationem nostri resurrectioni Christi, inquiens: Simul resuscitati estis per fidem, simul vivificavit vos cum eo. Quia Christus resuscitatus sic regnat, ut colligat aeternam Ecclesiam voce Evangelii, sit in ea efficax, vivificet eam, det Spiritum sanctum, et mirabiliter protegat ac servet eam inter horribiles confusiones et tenebras generis humani. Ac expresse dicit, fieri hanc vivificationem fide, et hanc fidem esse motum divinitus accensum significat, cum ait, Fidem esse efficaciam Dei, id est, qua Deus est efficax. Postea pluribus verbis eandem sententiam de conversione Paulus repetit: Eratis mortui, inquit, propter peccata et praeputium, id est, propter naturam immundam et ream, qualis propagata est generatione carnali. Talem naturam immundam et ream habentem peccatum originis nominat Praeputium.

At nunc vivificati estis data remissione omnium peccatorum et deleto chirographo etc.

In his verbis et imputationem iusticiae et vivificationem complectitur. Nam ad imputationem iusticiae pertinet id quod ait, omnia peccata remissa esse gratis. Deinde addit, deletum esse chirographum, id est, sententiam condemnationis, quae est conclusio ex lege divina. Ideo addit, Chirographum contra nos fuisse per decreta, id est, per legem. Sic discernit chirographum a lege tanquam conclusionem a praecedentibus propositionibus. Nam iudicium conscientiae est integer syllogismus practicus ex lege ductus, approbans convenientia cum lege, et condemnans contraria, et sequitur ordine divinitus condito condemnationem dolor et vindex, qui crescit Deo iudicante et destruente naturam ream, ut in Davide iudicium conscientiae est hic syllogismus: Moechum et homicidam Deus abiicit in aeternas poenas. David est moechus et homicida, et eo deterior, quia magis ingratus est Deo quam alii, cum fuisset ornatus ingentibus donis. Hinc sequitur conclusio ex lege: Ergo David est reiectus a *Deo.*

Haec conclusio nominatur Chirographum, id est, sententia in mente et corde tanquam scripta lege et agnitione lapsus, ac simul imprimitur ingens dolor, qui crescit, cum accedit singularis sensus irae Dei iudicantis et destruentis naturam ream per legem, sicut dicitur: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati lex. Roma. 4.: Lex iram efficit. Item: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Et Psalmo 37.: Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Psalmo 114.:

Circumdederunt me dolores mortis etc. Iob. 9.: Deus cuius irae nemo resistere potest. Hoc triste iudicium, quo Deus per legem percutit ream naturam, hic nominat Chirographum contrarium per legem.

Simul et vivificatio fit in deletione chirographi. Quia cum remissio et imputatio accipiuntur fide, in ea consolatione fit vivificatio, in qua filius Dei voce Evangelii efficaciter vivificat corda, et effundit in ea Spiritum sanctum, sicut 1. Iohan. 5. dicitur: Haec vita in filio eius est, qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium Dei, vitam non habet. Tunc enim pro dubitatione in mente lucet assensio accipiens promissionem, et pro sensu irae Dei et terroribus sunt in corde fiducia et laetitia acquiescens in Deo propter mediatorem, quae laetitia est vita spiritus, de qua Paulus inquit: Spiritus vivit propter iusticiam. Sciamus igitur Paulum loqui non de simulatis enthusiasmis, seu Stencfeldiana et Anabaptistica torvitate, sed de vera conversione seu poenitentia. Ita cum verba Pauli ad consolationem in vera conversione accommodantur, fiunt perspicua.

Quam dulcis consolatio est, intueri hanc ipsam picturam triumphi? Victor est filius Dei qui contrivit caput serpentis, id est, delevit regnum et potentiam diaboli, peccatum et mortem aeternam, scilicet in credentibus. Hunc tanquam triumphantem sequitur et sequetur in tota aeternitate Ecclesia liberata, et gestantur ut fiebat in triumphis spolia, videlicet chirographa nostra pendentia in cruce. Haec iam deleta sunt credentibus in mediatorem, qui sanguine suo, id est, tota obedientia sua delevit chirographa legis, ut amitterent ius accusandi, ut 1. Iohan. 1. dicitur: Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Hanc ipsam picturam saepe in invocatione cogitemus, ut fides accendatur et confirmetur.

At etiam diabolos duci tanquam in spectaculo, exutos principatu et potestate, scilicet, ne perdant insidiis credentes in filium, sicut dicitur: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

In fine autem addit particulam: Triumphans per sese, id ad differentiam victoriarum humanarum dicitur. Homines enim in corporalibus praeliis non vincunt sine auxiliis militum. At filius Dei sine auxilio ullius creaturae contrivit caput serpentis, haec una persona est redemtrix et propria potentia vincit diabolos, tollit peccatum et mortem.

Nemo igitur vos iudicet in cibo et potu, aut in parte diei festi etc.

Haec conclusio antithesis est antecedentium, cum iusticia sit habere remissionem et reconciliationem propter filium, et vivificari per filium ad vitam aeternam, sequitur non esse iusticiam discrimina ciborum et dierum et similes ritus, qui neque peccatum neque mortem tollunt, neque sunt res aeternae. Quare nec peccata sunt talium rituum omissiones.

Expresse igitur hic asseveratio ponitur, quae affirmat talium rituum observationem non esse iusticiam, et omissiones eorum non esse peccata. Cumque hic totus locus maxime perspicuus sit, notissimum esse omnibus oportet ad confirmandas mentes in hac doctrina de traditionibus humanis, quae in Ecclesiis nostris restituta est divinitus, quod videlicet earum observatio non sit iusticia, et quod earum omissio non sit peccatum. Loquitur enim Paulus non solum de Mosaicis ceremoniis, sed in genere de omnibus, de Mosaicis et de excogitatis ab Episcopis et ab aliis hominibus, sicut dictum Christi generale est: Frustra colunt me mandatis hominum. Et infra Paulus expresse comprehendit in hac regula mandata et traditiones hominum: Nemo vos iudicet, id est, condemnet propter omissionem talium rituum, in cibis, potu, parte diei festi, id est, vicibus festorum, ut Graeca phrasis ἐν μέρει significat per vices.

Repetatur autem hic tota doctrina de traditionibus humanis, sicut in nostris Ecclesiis traditur, et cogitetur qualis coecitas fuerit, cum observatio humanarum traditionum putaretur esse cultus Dei, et quidem necessarius, et qualis carnificina fuerit opinio, quae fingebat omissiones talium rituum esse peccata.

Extant libri Gersonis, in quibus quaeritur ἐπιείκεια, et disputatur, alias traditiones factas esse necessitatis causa, alias factas ornatus causa, quaeruntur et alia σοφὰ φάρμακα, ut mitigetur falsa exacerbatio. Sed ut Alexander Gordium nodum non longa extricatione solvit, sed subito dissecuit gladio, ita haec Pauli regula brevissime omnia illa vincula conscientiarum tollit, cum affirmat, nec observationem iusticiam esse, nec omissionem peccatum.

Dicit autem de ceremoniis Mosaicis, tunc eas fuisse umbras, cum institutae sunt non humana autoritate, sed divina, id est, nequaquam fuisse merita remissionis peccatorum, neque insticiam coram Deo, sed fuisse signa commonefacientia homines de promissione et de venturo Messia. Corpus autem esse Christum, id est, rem significatam et exhibitam, videlicet solam obedientiam Christi esse meritum remissionis peccatorum et aeternae iusticiae et vitae et λύτρον, ac propiciationem pro nobis, et ipsum mediatorem esse datorem iusticiae et vitae aeternae, sicut in Daniele dicitur: Adducetur iusticia sempiterna etc. Haec antithesis in Epistola ad Hebraeos copiose exprimitur de discrimine sacerdotii Aaron et sacerdotii Christi, ubi dicitur, Sacrificia Aaron tantum fuisse ἀντίτυπα facrificii Christi, sicut hic Paulus Umbras nominat. Sed de sacrificio Christi inquit: Qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.

Hanc doctrinam de intellectu sacrificiorum saepe repetunt ipsi Prophetae, ac docent unam et eandem esse doctrinam de iustificatione omnibus temporibus. Patres ante Mosen et post eum sola fide, id est, fiducia mediatoris coram Deo iustos fuisse, id est, accepisse remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, vivificationem per Spiritum sanctum et vitam aeternam, sicut Actor. 15. dicitur: Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, sicut et illi, etc.

Quid igitur erant tot sacrificia et tot ceremoniae? Respondeo: Erant distinctio illius politiae ab ethnicis. Quia voluit Deus immensa bonitate notam esse, et conspici politiam, in qua Christus nasceretur, doceret, ederet testimonia suae doctrinae, fieret victima, resurgeret ex morte, et ostenderet resurrectionis testimonia, et in qua conservaretur doctrina missis Prophetis. Ac ut magis conspici haec politia posset, inter clarissima imperia Babylonium et Aegyptium interiecta fuit. Et quia hanc politiam voluit esse doctrinae scholam et sedem Ecclesiae, instituit ipse sua voce exercitia externa, quae essent picturae doctrinae, ut populum commonefacerent de promissione et de mediatore, et moverent multos Ethnicos ad quaerendam causam distinctionis politiae. Saepe igitur Prophetae taxant pharisaicam opinionem, qui falso fingebant hos ritus esse meritum et iusticiam, sicut Psalmus inquit: Holocaustis non delectaberis. Et Iesaias: Offerens ovem similis est strangulanti canem.

Nemo vos decipiat simulata humilitate etc.

Graeci nominant βαυκοπανούργους, qui simulant modestiam seu humilitatem, et hac simulatione struunt insidias, ut existimentur sibi non quaerere opes, gloriam aut voluptates, sed veluti semidei esse. Haec est ars impostorum in Ecclesia. Ut autem simulatio a virtute discerni possit, nota sit definitio virtutis, quae nominatur ταπεινοφροσύνη, pro qua usitatum nomen est Humilitas.

Ut autem res fiat illustrior antithesi, et cum vitia notiora sint, prius Superbia definitur, in qua multa vitia concurrunt, ut sunt multa appellationes, quae non tantum unicam virtutem aut unicum vitium significant. Superbia est non cernentem propriam infirmitatem aut peccata, et sibi magnas virtutes falso tribuentem, securum esse, nec Deum nec poenas timere, et fiducia propriarum virtutum erumpere extra metas vocationis, movere seu appetere maiora vocatione, et despicere alios, quasi non sint organa utilia, et irasci Deo et hominibus cum impediuntur quo minus regnent. Ita initium superbiae est mendacium, quod sequitur securitas, deinde audacia erumpendi extra vocationem, ut Alexander somniat se Deum esse, deinde securus extra vocationem erumpit, contemnit leges, interficit viros iustos. Samosatenus arrogans sibi magnam sapientiam, negligens verbum Dei, nec metuens Deum, et confidens applausu populi extra metas effertur, et serit opinionem gratam multitudini, et munit se factione, ut adversantes opprimat et regnum teneat, etiamsi foris simulat, se non de sua antecellentia dimicare, sed de veritate alios in speciem sibi praeferens, non vult videri appetere voluptatem aut potentiam.

Iam contraria exempla verae humilitatis aspiciantur, ex quibus postea definitio constituatur. Nam in vera humilitate simul sunt veritas recte iudicans de infirmitate. Deinde timor Dei et dolor propter infirmitatem et peccatum, deinde cura manendi intra vocationem, ut in Ionatha est veritas recte iudicans nullum hominem esse parem regno, et a Deo regem constitui, praesertim in Israël. Deinde sunt in eo timor

Dei et cura manendi intra metas vocationis, servit suo loco, et Deo gratias agit, quod eum gloriosis testimoniis ornat, subiicit se Davidi, cui videt Deum tradidisse regnum, et non irascitur Deo, etiam cum postea in calamitatem incidit. Sit igitur haec definitio.

Vera humilitas est vere iudicantem de propria infirmitate timere Deum, et dolore affici propter propriam infirmitatem et peccatum, et est in vocatione Deo servire fide et fiducia auxilii divini, non despicere alios, sed iudicare Deum, alios quoque utilia organa facere, et eis propter Deum honorem tribuere, et non irasci Deo aut hominibus, cum divinitus poenae veniunt. Haec definitio sumitur ex his dictis, Proverb. 16.: Abominatio coram Deo omne cor superbum. Rom. 12.: Non alta expetentes, sed humilibus contenti. Philip. 2.: In humilitate mutua sentite, alios antecellere, sicut Christus, cum esset in forma Dei, non rapuit aequalitatem Dei, id est, non est usus extra vocationem. Et Petrus inquit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Syracides: Quo maior es, eo magis te humilia, et invenies gratiam coram Domino.

Cum igitur Paulus inquit: Nemo vos decipiat volens in humilitate, intelligatur simulans humilitatem, quasi dicat, volens decipere in humilitate. Talis est hominum natura, ὅμ[illegible] ὁμοίῳ φίλον, pares vel inferiores amantur, et nemini gratum est se contemni. Iustum est enim suum cuique locum proportione geometrica tribuere. Cum igitur aliquis effert se supra alios, et praesertim cum premit alios, ut quasi eos de loco ipsorum detrudat, venit in odium: denique omnes homines capiuntur assentatione. Grati sunt igitur, qui se subiiciunt aliis et arte adulantur, et inflectunt se ad affectus eorum, quibus placere volunt. Ideo facile capiuntur homines illa histrionica, quae arte imitatur gestus humiliores, admirationem etiam parit, videri non appetere voluptates et opes, quia si essent sine avaritia et sine stulta ambitione, haberent excellentem virtutem.

Experientia autem ostendit has praestigias, id est, gestus humilitatis seu modestiae, usitatas esse impostoribus, qui prava dogmata spargunt. Tales hypocritae in genere humano semper fuerunt, sunt et erunt. Ideo et in Matthaeo traditur admonitio de cavendis talibus insidiatoribus, qui speciem habent ovium, et intus sunt lupi rapaces.

Nominat Paulus et aliud genus praestigiarum, falso iactare afflatus, Enthusiasmos, illuminationes, colloquia cum angelis, et videre species divinitus oblatas. Sicut in urbe Monasteriensi Anabaptistae falso iactarunt afflatus et singulae aetates habent exempla. Expresse autem accusat eos mendacii Paulus, dicit eos superbe incedere in his quae non viderunt. Graeca phrasis est, quae superbo incessu elationem animi significat, ut, *ἐπιβατεύων τοῦ Σμέρδεως ὀνόματι*, id est, superbiens nomine Smerdis. Dicitur igitur superbe eos iactare vanissima mendacia, quod habeant afflatus aut angelorum colloquia, quae non habent. Sicut multos novi, qui falso gloriabantur, se habere afflatus, quos non habebant.

Vocabulum *θρησκεία* est superstitio, quasi *τερασκεία*, id est, exercere prodigiosum aliquid, quasi *τέρατα ἀσκεῖν*. Suidas ait esse quasi *θεὸν δέρκειν*, Deum videre. Quia vero populus miratur tales, quos putat Deo familiares esse, et superstitiosi similem familiaritatem expetunt, ideo multi eis assentiuntur, sive vera sive falsa docentibus. Saepe igitur admonitio de his praestigiis enthusiastarum cavendis repetita est, et Paulus hic inquit, frustra inflatos esse persuasione suae carnis, id est, falsa imaginatione de sua sapientia et iusticia tumere, id superbire et sese efferre supra alios, et fingere se Prophetarum similes esse. Ut autem insidiae caveri possint, necesse est normam aliquam esse. Difficilis enim diiudicatio est, ut etiam in veteri versu dicitur: *χαλεπὸν νόον ἴδμεναι ἀνδρὸς.* Item: *κιβδήλου δ' ἀνδρὸς γνῶναι χαλεπώτερον οὐδὲν.*

Expressa est autem norma universaliter in his dictis: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Item: Nemo potest fundamentum ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hanc normam et hic monstrat cum ait: Non tenens caput, scilicet Christum, qui per vocem Evangelii est efficax, et Ecclesiam colligit non per alias doctrinas. Ideo hic diserte addit de capite, ut collectio Ecclesiae intelligatur et comprehendatur Evangelium seu doctrinae integritas. Ait ergo: Ex quo capite Christo totum corpus, id est, Ecclesia, per iuncturas et compages coagmentatur et crescit, et fit tale corpus, in quo Deus erit omnia in omnibus in aeternitate.

Intelligit autem iuncturas et compages consensum in eadem vera doctrina, quo consensu membra Ecclesiae copulantur, et filius Dei efficax est, colligens Ecclesiam una et eadem voce Evangelii, sicut inquit: Ego sum vitis, vos palmites. Estque antithesis opposita enthusiastis, de quibus prius dixit, quasi dicat: Illi gloriantur se esse domicilia Dei et habere enthusiasmos, sed palam mentiuntur, quia nec membra sunt Ecclesiae, nec habitat Deus in impostoribus, qui fingunt genus doctrinae contrarium Evangelio. Sed habitat Deus in his, qui sunt adiuncti capiti Christo, et sunt membra Ecclesiae retinentia eandem vocem Evangelii incorruptam.

Gloriantur Anabaptistae se habere mirandos enthusiasmos, sed certum est, eos esse impostores: quia manifeste discedunt a capite Christo et a doctrina Evangelii, et sunt hostes verae Ecclesiae et doctrinae verae, fingunt se sese iustos suis ementitis afflatibus et sua patientia, et patientiam nominant desertionem politici ordinis etc. Qui tantos errores retinent pugnantes cum Evangelio, nec templa Dei sunt, nec membra Ecclesiae, sed sunt extra compages illas, de quibus hic Paulus loquitur.

Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, cur tanquam viventes in mundo decreta facitis: Non attingas, non contrectes, non gustes etc.

Initio monendi sunt iuniores, haec verba: Non attingas, non gustes, non contrectes, dici μιμητικῶς, seu recitative, non dispositive, id est, Paulus recitat exempla alienarum legum, quales hypocritae condunt: Non gustes carnem die sexto etc. Non inseruit haec verba tanquam leges ferens, ut monachi insulse interpretati sunt, non intelligentes figuram] dictionis. Addit autem: Quae sunt omnia interitura ipso usu, ut vestis, pocula atteruntur usu assiduo, cibi usu consumuntur. Vult enim dicere, novitas in renatis est aeterna lux et vita per filium voce Evangelii et Spiritu sancto accensa, et sunt res aeternae filius Dei et Spiritus sanctus. Non est igitur Evangelii iusticia res seu observatio rei, quae usu consumitur, ut ciborum aut vestium. Ac vocabulum ἀπόχρησις non significat abusum, quod est κατάχρησις, sed ἀπόχρησις significat assiduitatem usus seu sufficientiam in usu, ut innumerabilia exempla ostendunt, ut apud Platonem 2. πολιτειῶν. Ἀποχρῇ, id est, sufficit dicere Deum tantorum bonorum autorem esse.

Secundum mandata et doctrinas hominum, quae habent speciem sapientiae in superstitione etc.

Ut sciri possit in his Pauli concionibus reiici non solum ceremonias Mosaicas, sed etiam alios ritus, qui instituuntur humana autoritate, sive ab Episcopis, sive a Monachis, sive ab aliis hominibus. Ideo expresse hic nominat et reiicit praecepta et doctrinas hominum, et superstitiones, quas nominat ἐθελοθρησκείας, id est, ritus sine mandato Dei excogitatos, seu exercitia vel corporis vexationes non mandatas a Deo, ut aliqui inediam tridui aut plurium dierum sibi indixerunt. Eremitae abdiderunt se in solitudinem etiam familiis relictis. Monachi instituerunt coelibatum et alios ritus. Semper in mundo usitatum fuit fingere cultus, et inde processit audacia hominum, ut etiam nova numina fingerent excogitatis variis cultibus, ut milites finxerunt Martem, mulieres Iunonem, Venerem et alia idola. Alligat autem nos Deus in primo praecepto Decalogi ad unum verum Deum, qui se patefecit hoc ipso verbo, quod tradidit per Prophetas et per filium, et saepissime damnat omnes alias invocationes, ut cum inquit: Non habebis Deos alienos. Item: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies. Et Esai. 44.: Haec dicit Dominus rex Israël: Praeter me non est Deus. Ac vult nos in invocatione hunc verum Deum alloqui, et segregare nostram invocationem ab aliarum gentium invocationibus. Dicitur et expresse de cultibus Iesai 29.: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Ezechiel. 20.: In praeceptis patrum vestrorum nolite incedere, in praeceptis meis ambulate, et sciatis, quod ego sim Dominus Deus vester. Et in Numeris 15.: Non sequantur cogitationes suas et oculos meretricios, id est, respicientes ad varia numina, sed memores praeceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo, ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti.

Haec illustria et expressa testimonia omnibus notissima sint, ut sciamus, opera non mandata a Deo non esse cultus Dei, et sit nota definitio, videlicet: Cultus Dei est opus a Deo mandatum, factum in fide, cuius finis principalis est, ut Deo hunc honorem tribuamus, id est, ut hac obedientia testemur hunc verum Deum esse, quem sic colimus, et eum sic velle coli.

Sed cur inquit Paulus, traditiones humanas speciem habere sapientiae humanae seu praetextus, qui sapienter cogitati videntur, cum in multis ritibus manifesta sit crudelitas seu turpitudo, ut in mactatione hominum, in Bacchanalibus, in stupris, multa item manifesta mendacia, ut in adoratione statuarum, aut in adoratione panis in circumgestatione, quem fingunt Deum esse? Respondeo: Paulatim ad absurdiora gradus fiunt, initia autem et semina minus conspiciuntur, ut dicitur: Dato uno inconvenienti multa sequuntur. Augent enim diaboli furores in impiis. Loquitur ergo Paulus de multis, quae minus habent absurditatis, ut initio utilitatis causa constitutum est, ut tres essent praecipui Episcopi, Romanus, Constantinopolitanus et Alexandinus, quorum singuli haberent autoritatem convocandi synodos vicinorum, et ut ad eos fieret provocatio a vicinis. Hic triumviratus humano iure constitutus est, et tunc utilitas movit synodos. Postea vero Romanus Papa multa tyrannice affinxit, se iure divino summum esse Episcoporum, habere potestatem condendi dogmata et cultus, se habere utrumque gladium, denique ut fit in aulis, multi praestigiatores sine modo amplificaverunt autoritatem pontificiam. Ante paucos annos scripserunt monachi, oblationem in Missa mereri remissionem peccatorum ex opere operato. Id cum sit manifeste absurdum, nunc arte tegunt et verecundius loquuntur, et tamen nervum idolatriae retinent, et multa aliena a re de sacrificiis et de *κακοζηλία* Leviticorum sacrificiorum cumulant, quae ornantur verbis, ut de sophistica verum est, quod dicit Euripides in Hippolyto: *οἱ καλοὶ λίαν λόγοι* evertunt bene ordinatas urbes. Ideo Paulus hic inquit, habere traditiones speciem seu praetextum sapientiae. Sic enim interpretor *λόγον*, quasi dicas, Verba non rem, ut Graeci usitate de falsis praetextibus dicunt: *λόγος ἐστὶ καὶ πρόφασις*, id est, verba sunt non res, aliud ostenditur, aliud agitur, ut cum Carolus imperator simulabat se bellum inferre nostris non religionis causa, *λόγος ἦν καὶ πρόφασις*, verba erant et praetextus. Sic loquitur Plutarchus in Eumene. Ut autem ad praestigias sophisticas apte et perspicue respondeatur, utrunque necessarium est, nosse fontes earum doctrinarum, ex quibus materia disputationis sumitur, et non esse rudem dialectices, ut cum defendunt Papistae traditiones humanas, *λόγος καὶ πρόφασις* est.

Opportet in Ecclesia esse ordinem, ut Paulus inquit: Omnia decore et ordine fiant in Ecclesia. Ergo pastores possunt condere decreta.

Respondeo ad consequens: Possunt boni ordinis causa consentiente Ecclesia aliqua lectionum aut festorum discrimina facere, sed sine opinione cultus et sine opinione necessitatis. Papistae autem addunt falsas opiniones cultus et necessitatis. Has falsas opiniones taxare et tollere necesse est, quae adduntur dicto Paulino contra regulam, quae vetat plus esse in conclusione quam in praemissis.

Species sapientiae est et Osiandri grandiloquentia, quae obruit doctrinam Evangelii de iusticia fidei. Nos affirmamus in hac misera hominum natura magna peccata, et magnas sordes manere, etiamsi renatus accepta remissione peccatorum per fidem factus est templum Dei, et vere in eo accendit filius novam lucem voce Evangelii, et dato Spiritu sancto novos motus in corde ciet. Semper igitur in hac vita tenenda est consolatio, renatos iustos esse, id est, acceptos Deo propter mediatorem per misericordiam sola fide, sicut David inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hic Osiander magnificam speciem sapientiae opponit. Solus Deus est iusticia, Ergo habens Deum, habet iusticiam. Ita abducit homines a conspectu mediatoris, et delet fidem, id est, fiduciam misericordiae, et docet homines confidere in propria novitate, quam efficit Deus.

Est igitur imaginatio Osiandri corruptela, et non est *λογομαχία*, sed reipsa tollitur ex conspectu doctrina Evangelii, et movent homines illa *θαύματα ῥημάτων*, Iusticia essentialis, et haec species sapientiae: Solus Deus est iusticia, quod verum est de sua iusticia aeterna, et immensa iudicante, servante et damnante, de fonte et perfectione iusticiae. Et simul propositio vera est: Obedientia filii est iusticia, quae pro nobis est pretium, et est constituta, ut sit illa iusticia, propter quam nos iusti et accepti simus. Cum ergo additur: Habens Deum, habet iusticiam, intelligas quatenus habet, ut si dicas: Solus Deus est fortitudo, Ergo habens fortitudinem, habet Deum. Concedo quatenus habet, ut Alexander fortiter praelians armatur a Deo, sed non propterea iustus est. Ita novitas est opus Dei, et renatus habet Deum, sed ita, ut prius accipiat imputatam iusticiam propter filium fide.

Hoc modo primum persona recipitur, postea novitas, quam efficit Deus, est iusticia, quatenus est opus Dei. Sed simul adhuc in nobis manent multa peccata, ideo persona propter aliud est accepta, videlicet propter obedientiam mediatoris, quae etiam est iusticia, et quidem illa iusticia, propter quam nos sumus fide accepti. In hoc exemplo consideres, quantum caliginis offundat illa species sapientiae, et quam difficilis sit explicatio. Sed annitendum est in bonis causis, ut et confirmationes firmas teneamus, et quantum fieri potest obiectiones perspicue solvamus, ac simus memores dicti Aristotelici: *Πολλοὶ πλέξαντες εὖ, κακῶς λύουσι.*

Non parcendo corpori etc.

Vetustas, quae fuit severior, magis amavit disciplinam et exercitia temperantiae. Aliqui extenderunt inediam in triduum et plures dies, et laeserunt corpora. Aliqui etiam affinxerunt talia opera esse cultus Dei, iusticiam et satisfactionem, et mereri remissionem culpae et poenae, ut expresse scripsit Thomas. Ita multi dupliciter peccaverunt, laesione corporum et falsis opinionibus. Ideo ad Timotheum Paulus gravissimam admonitionem tradit: Corporale exercitium ad modicum utile est, pietas ad omnia utilis est. Hic exercitia ut labores corporis et inediam, quae sibi quisque suo iudicio sumit, sapienter discernit a pietate, id est, necessariis cultibus, et loquitur diserte. Cultus nominat opera necessaria mandata a Deo, non sic nominat alia opera non mandata a Deo, sed exercitia, et verecunde reprehendit: Ad modicum utilia sunt. Vult intelligi quis sit eorum usus, et vult modum esse. Ac quia saepe in Ecclesia stultae et superstitiosae opiniones ad illa exercitia accesserunt: multae et aliorum admonitiones de hac re leguntur. Ex Athanasio recitatur hoc dictum memoria dignum: *καλὸν ἡ ἄσκησις μετὰ ἀληθοῦς γνώσεως καὶ συμμετρίας.* Bona res est exercitium corporis cum vero intellectu et congruente modo, id est, ubi est fides sine haereticis opinionibus. Item, ubi scitur hos labores nostro iudicio sumtos non esse cultus Dei, non iusticiam, non meritum, et ubi haec exercitia sunt mediocria, ibi bona res est haec consuetudo se frenandi, quia tunc consuetudo nihil aliud est, quam concinno ordine vivere amat autem natura ordinem.

Erant in carcere multi sancti viri, inter quos fuit vir nobilis Attalus, is reprehendit alium, qui tantum pane, sale et aqua victitabat, et dixit eum suo exemplo alios turbare, qui imaginarentur, sese non esse sanctos, quia non tam duriter viverent. Ut autem illa aetas et corpora laesit, et superstitiosas opiniones addidit exercitiis, ita nunc laxatis vinculis traditionum, multi in alteram partem peccant. Non servamus ordinem in cibo, potu et laboribus. Tempora iusta cibi, potus, precationum, laborum, studiorum fere nemo servat, et si qui vellent servare, impediuntur barbaricis oeconomiis. Deinde quam multi sunt, qui helluantur magna parte noctis, idque faciunt securius, quia audiunt inediam non esse cultum Dei. Haec consideranda sunt, et opponenda est Pauli admonitio peccatis utriusque generis.

Praecipit Paulus honorem habere corpori, id est, praecipit ordine vivere, et nec inedia nec helluatione corpora laedere. Sed cur nominat honorem, cum satis esset, ordine vivite? Sic loqueretur medicus. Sed Paulus honorem nominat, ut de causis nos commonefaciat, propter quas ordine vivendum est. Honos enim primum et ante omnia est quiddam quod Deo debetur, id est, agnoscere et fateri, quod fere sit Deus creator, qui se patefecit misso filio, perfecte sapiens, verax, beneficus, iustus, index, castus, curans homines, exaudiens et salvans recte invocantes.

Et ad honorem pertinent haec duo, videlicet, haec fateri et subiicere nos Deo. Postea cum hominibus honos tribuitur, semper intelligatur tribui propter aliquod divinum, id est, quia ibi Deus aliquid per sese agit, ut honos debetur Mosi, Heliae, quia certum est, eos et missos esse a Deo, et domicilia Dei esse, et lucere Deum ac agere in eis. Ita intelligatur honos tribuendus esse corpori, quia Deus infundit sese in membra nostra, in cerebro cogitatione verbi accendit lucem, qua eum recte agnoscimus, et involvit sese Spiritus sanctus spiritibus cordis, et cerebri et nervorum, et ut flamma nostras flammas purificat et agitat, ut cum David praeliatur invadens et prosternens Goliath, mens intuetur Deum, et cogitat eum adesse in Ecclesia sua, repetit cogitatione promissiones divinas, et petit a Deo auxilium divinum. Ita hac cogitatione verbi lucem accendit filius, et Spiritus sanctus dat robur cordi, armat nervos in brachiis. Ita corpus Davidis est

domicilium et organum Dei. Ideo Paulus inquit, honorem tribuendum esse corpori.

Cogitemus igitur, quantum mali sit hoc organon et domicilium Dei petulanter destruere, vel inedia vel ingluvie. Et valde impediri ebrietate intentionem cogitationis de Deo, et pios motus in corde, ostendit dictum Oseae 4.: Scortatio, vinum et ebrietas auferunt cor. Et experientia genuit haec dicta: Et Venus in vinis, ignis in igne furit. Et Odyss. Φ.: Οἷ τ' αὐτῷ πρώτῳ κακὸν εὕρετο οἰνοβαρείων, id est, Sibi ipsi primo malum invenit vino gravatus. Quare et Dominus inquit: Cavete ne corda vestra graventur crepula et ebrietate. Et 1. Petri 4. dicitur: Sitis sobrii ad precationes.

Simus igitur eo temperantes, ut corpus in praesentia sit idoneum ad cogitationes de Deo et ad motus divinos, et sit durabilius et firmius in senecta.

Quod autem inquit Paulus: Ad saturitatem carnis, iubet sic tribuere honorem corpori, ut quantum satis est tribuatur, cibi, potus, somni, exercitiorum. Excludit igitur et defectum et excessum. Nam πλησμονὴ non significat excessum vel superfluitatem, sed saturitatem convenientem corpori, et existimo Paulum verbo pleniori usum esse ad taxandos hypocritas, qui corpora nimium fraudabant necessariis adminiculis, et accersebant morbos et deliria cerebri, inde fingebant sibi ostendi vaticinia et spectra, sicut multos vidimus.

Caput tertium.

In prioribus duobus capitibus tradidit Paulus summam Evangelii et admonitionem de cavendis corruptelis doctrinae, taxavit falsas opiniones de ceremoniis Mosaicis et de traditionibus, quae finguntur humana audacia in Ecclesia.

Nunc in tertio capite incoat doctrinam de bonis Operibus, in qua sunt multae dulces virtutum descriptiones et insignia quaedam praecepta, quale est hoc de assiduitate in docendo et cogitando sermone divinitus traditio: Sermo Christi habitet in vobis abunde cum omni sapientia, et docete et commonefacite vos mutuo. Huic dulcissimae admonitioni omnes obtemperemus, et saepe legamus, audiamus et cogitemus doctrinam a Deo traditam, ut nos excitemus ad agnitionem Dei, ad veram invocationem et ad timorem Dei. *Deus* enim efficax est cogitatione verbi ipsius, ut et Psalmus docet: Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino. Et Rom. 1. dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Suntque damnanda deliramenta Stencfeldii et similium enthusiastarum, qui fingunt Deum sese communicare sine cogitatione verbi divini, et abducunt homines a ministerio Evangelii et a lectione et cogitatione doctrinae. Paulus contra inquit: Habitet inter vos, et quidem, Abunde. In utraque voce insignis emphasis est. Vult sermonem divinum ita familiariter nobis notum esse, ut sunt qui in eadem familia nobiscum habitant. Nec dubium est in illo pectore habitare Deum, quod in conversione et fide cogitat verbum Dei, ac vult Paulus copiose cogitare. Addit autem: Cum omni sapientia, id est, vult legi, non ut excerpamus mutilata dicta, ut ad pravas cupiditates, ad assentationes, ad cavillationes et corruptelas detorqueantur, ut semper haeretici praestigiis sophismatum luserunt et ludunt.

Sed redeo ad initium tertii capitis. Argumentum praeponitur concioni de bonis operibus usitatum Paulo, ductum a causa et effectibus. Vetus natura est mortua in conversis, Ergo non sit efficax. Vivit autem in vobis Christus, Ergo sit efficax, et inserta est occupatio. Cur dicis, non resuscitatos esse cum Christo, cum tamen adhuc simus subiecti morti, ingentibus aerumnis, horribili luctae cum peccato, pavoribus et dubitationibus? Ad hanc obiectionem respondet: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, id est, etsi incoata est vita, tamen nondum gloria Ecclesiae conspicitur, conspicienda tunc cum Dominus rursus apparebit. Nunc habemus initia, quae adhuc tecta sunt morte corporis, reliquiis peccati et magnis aerumnis, sicut inquit Rom. 8.: Si Christus est in vobis, corpus mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iusticiam.

Hic multae insignes materiae continentur, declaratio articulorum symboli: Ascendit in coelos, sedet ad dexteram Dei patris etc. Item, quae sint proprietates glorificati corporis. Item, quomodo dicatur: Christus est in vobis, Christus est vita vestra. Ac primum de dicto: Ascendit in coelum. Quomodo haec congruunt? Alibi dici-

tur: Filius qui est in sinu patris. Item, Iohann. 3.: Filius hominis qui est in coelo. Respondeo: In symbolo intelligatur dictum, ut sonat litera, et de corpore et de corporali locatione. Ascendit, scilicet corporali et physica locatione, in coelum, id est, in locum coelestem, ubicunque est, quia hic non sunt fingendae allegoriae. Ascensio fuit visibilis et corporalis, et semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse ubicunque vult, et ascensio corporalis facta est sursum. Ideo Paulus in hoc capite locum illum nominat sursum.

At in propositione: Filius qui est in coelo, dictum intelligatur communicatione idiomatum. Λόγος semper est in coelo, etiamsi corporali locatione corpus est in virgine. Haec narratio expressa est in enarratione symboli, quea legitur in libris Cypriani, etsi alibi inscriptio est: Enarratio Ruffini, Ascendit ad coelos, non ubi verbum Deus antea non fuerat, quippe qui erat semper in coelo, et manebat cum patre, sed ubi verbum caro factum antea non sedebat, id est, ubi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, et citantur verba in Longobardo lib. 3. distinct. 22.: Non dimisit patrem Christus, cum venit infirmior, ubique totus, ubique perfectus. Deinde additur forma sermonis: Ubique totus est, sed non totum. Alii concinnius locuti sunt: Propositio vera est communicatione idiomatum: Christus ubique est.

Athanasius sic loquitur de incarnatione verbi: Λόγος non colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, ut et in eo sit, et extra omnia, et in sinu patris, neque cum sit in omnibus, fit pars in aliorum, sed omnia vitam, sustentationemque ab ipso accipiunt.

Ut autem de locali ascensione naturae humanae dictum est: Ascendit ad coelos, ita de exaltatione naturae humanae super omnes creaturas dictum est: Sedet ad dexteram patris, ut hic Paulus inquit: Ubi est ad dexteram Dei sedens. Ait Christum sursum esse, et quidem ad dexteram Dei, id est, non ut beati angeli et homines sursum sunt, sed exaltatus supra angelos in illa arcana luce Dei regnans cum patre, et tamen corpus localiter alicubi est secundum veri corporis modum, ut Augustinus inquit. Et hae propositiones: Christus in vobis est, Ego in eis, veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus etc. intelligantur communicatione idiomatum. Et de hac praesentia filii in praedicatione Evangelii et in sanctis, necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, ut agnoscamus Dominum nostrum Iesum Christum adesse Ecclesiae, et esse caput omnia in omnibus perficiens.

Iam ad Argumentum Pauli redeo, qui facit antithesin mortis nostrae et resurrectionis. Dicit nos esse mortuos, scilicet, quia in vera conversione natura carnalis incipit mori, et addit nos resuscitatos esse, quia vivificatio incoata est, sicut et supra locutus est. Hinc ducitur argumentum ex efficiente causa, sicut Rom. 6. argumentatur. Mortua natura non sit efficax, viva sit efficax. Estis autem vivificati vita, luce et iusticia, quam dat filius Dei resuscitatus ad hoc, ut vos resuscitet et vivificet. Ergo haec lux et iusticia sit efficax, non sit otiosa in vobis vivificatio incoata per filium Dei resuscitatum.

Haec est argumenti summa hoc loco. Intexit autem singularem consolationem, qua occurrit tacitae obiectioni: Cur dicis nos resuscitatos esse, cum adhuc mortem, morbos, reliquias peccati, ingentes dolores et inenarrabilem molem calamitatum in nobis circumferamus, et videatur nihil esse imbecillius Christo? Respondet: Vivitis et habetis initia vitae aeternae, sicut habebat latro pendens in cruce. Sed haec initia adhuc tecta sunt, ut erant in latrone tecta, qui tamen sentiens consolationem, sciebat se iam habere initia vitae aeternae, et sciebat Christum esse efficacem, quanquam mundus putabat eum nihil esse. Ita hic inquit, Christum quoque tectum esse, scilicet, quia mundus non videt eius efficaciam et ridet Evangelium horribili securitate tanquam inanem fabulam.

Sed gloria filii et Ecclesiae conspicietur in postremo iudicio, ubi omnes homines videbunt Christum, et fuisse et esse efficacem, et Evangelium non fuisse inanem fabulam. Hanc consolationem intexit argumento, quo hortatur, ut in incoata mortificatione et vivificatione perseveremus, non amittamus hos effectus Christi, ruentes contra conscientiam in nova scelera. Haec summa comprehenditur in hoc dicto: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Propter quae venit ira Dei super filios inobedientiae etc.

Nota sit phrasis Hebraea. Filii inobedientiae, id est, homines inobedientes, ut Filius perditionis, id est, filius perditus, etsi emphasis est in hac phrasi, quasi dicat, proprius perditionis (ut filius est proprius patris) seu cui dominatur perditio. Filius irae, filius reus, proprius irae, id est, reatus. Deinde et res consideremus. Dictum Pauli hoc loco positum adiungatur aliis testimoniis de nova obedientia contra Antinomos. Firmissime enim tenenda est regula: Milita bonam militiam retinens fidem et bonam conscientiam. Ac certissimum est ruentes in scelera contra conscientiam effundere Spiritum sanctum, et iterum fieri reos aeternae poenae, nisi rursus convertantur. Quia expresse dicitur, 1. Corinth. 6.: Ne erretis, nec scortatores, nec adulteri possidebunt regnum Dei, scilicet, tunc cum sunt tales, sunt rei aeternae mortis. Et Galat. 5.: Talia facientes regnum Dei non possidebunt, et 2. Petri 2. Si rursus implicantur prioribus contaminationibus, fient eis posteriora deteriora prioribus et accidet eis iuxta proverbium: Canis reversus ad vomitum etc. Haec esse vera certissimum est, et execrandi sunt Antinomi, qui fingunt homines esse iustos fide, etiamsi perseverent in sceleribus contra conscientiam.

Ac perspicue loquimur de nova obedientia, videlicet, novam obedientiam non esse meritum seu pretium vitae aeternae, et tamen novam obedientiam eo ipso necessariam esse, quia hic ordo in Deo immotus est, ut creatura creatori obediat. Item: Quia filius Dei venit, ut destruat peccatum, non ut confirmet licentiam ruendi in scelera. Non ideo pependit in cruce in horribilibus doloribus, ut tu sumas tibi licentiam contaminandi te libidinibus et aliis sceleribus.

Tertio necessitas est etiam propter ordinem causae et effectus, quia ubi est in corde Spiritus sanctus, ibi non regnat peccatum, sed Spiritus sanctus, iuxta dictum: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis. Nec tamen illa phrasi utimur: Bona opera sunt necessaria ad salutem, quia intelligitur de merito. Simul enim gratis propter mediatorem, et per eum accipimus remissionem peccatorum, imputationem iusticiae et vivificationem, ac efficimur haeredes vitae aeternae, sicut ipse Dominus inquit: Ego vitam aeternam do eis. Item: Qui habet Christum, habet vitam. Item: Iustificati fide pacem habemus ad Deum. Item, Rom. 8.: Si sumus filii, sumus et haeredes. Item: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Nominat autem inobedientes hoc loco, qui discedunt a regula: Milita bonam militiam retinens fidem et bonam conscientiam.

Posteaquam exuistis veterem hominem etc.

Phrasis Pauli est, in eodem homine renato nominare veterem hominem, et vetustatem et exteriorem hominem, reliquias naturae carnalis vitiosae. Contra vero novum hominem et novitatem spiritus, et interiorem hominem, quatenus in mente, voluntate et corde nova lux et novi motus accensi sunt a filio Dei, voce Evangelii et Spiritu sancto, ut 2. Corinth. 4. dicitur: Interior homo renovatur de die in diem. Et haec recte intelligenda sunt: Novitas fit in vera conversione, cum voce Evangelii nova lux in mente per filium accenditur, et datur Spiritus sanctus, fidem, laetitiam, invocationem et alios motus incoans qualis ipse est. Nec fiat hic confusio Evangelii et philosophiae, sicut quidam falso scripserunt novitatem esse rationem, sensus vetustatem. Sed sciendum est etiam rationem sine filio Dei, sine voce Evangelii et sine Spiritu sancto esse vetustatem et tenebras. Haec alibi copiosius explicata sunt.

Nominat autem hic Paulus novum hominem Imaginem Dei, ubi recte intelligatur haec doctrina. Augustinus interpretatur imaginem de potentiis hoc modo. In anima sunt mens ipsa, cogitatio et motus. Haec tria sic accommodat. Aeternus Pater est veluti Mens, Filius, Imago Patris cogitatione genita, Spiritus sanctus, ut motus. Et pie ac prudenter ista considerantibus non erit ingrata haec collatio, quia certe anima est testimonium de Deo, et vult nos Deus intelligere, se esse Essentiam intelligentem, cogitantem sese, et motricem. Sed ad haec Augustini dicta de potentiis hoc addo: Potentias intelligendas esse non corruptas, sed vel integras vel renascentes. Sic ad Ephes. scriptum est: Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis.

Hic non fit tantum potentiarum mentio, sed vult in potentiis esse iusticiam et sanctam veritatem, id est, vult lucere in nobis veras noticias de Deo, firmam assensionem et iusticiam, id est,

conformitatem cum Deo, sicut initio homo conditus est, habens veras noticias et conformitatem in voluntate et corde cum Deo. Et dulcissime hic dicitur: Renovetur novus homo ad agnitionem, ut sciamus in novitate accendi novam lucem, et quidem voce Evangelii.

Osiander alia quaedam disputat de imagine Dei: nominari hominem imaginem Dei, propterea quia filius fuerit assumturus humanam naturam. Hoc verum est, sed tamen comprehendi necesse est, veritatem et iusticiam, qua efficimur similes filio, sanctificante nos Deo et assimilante filio.

Ubi nec Graecus est nec Iudaeus etc.

Semper in conspectu sit doctrina de distinctione iusticiae Evangelii et rerum politicarum. Evangelium non condit novas politias, sicut Loriothus et alii multi fingunt: sed concionatur de poenitentia singulorum in corde, et de restitutione aeternae iusticiae et vitae in singulis, quae restitutio fit ipso filio Dei vivificante corda voce Evangelii, et dante Spiritum sanctum. Foris autem sinit nos uti in vita corporali diversis politicis legibus, si non pugnent cum legibus naturalibus, sicut alii aliis cibis utuntur, aut alii aliis spatiis dierum, Ideo hic inquit, non esse discrimen Graeci et Iudaei. Hanc sententiam saepe repetivit, quia Pseudoapostoli volebant Gentes ad politiam Iudaicam alligare, sicut nostro tempore Carolostadius et alii volebant delere et tollere ius Romanum, et res iudicare ex legibus Mosi.

Contra tales errores confirmati simus his Pauli dictis, et recte discernantur iusticia, propter quam filius Dei missus est, et ordo politicus. Dicit autem, omnia in omnibus esse Christum, omnia, videlicet propria novi hominis sunt Christus, scilicet, quo ad meritum et quo ad effectionem, seu quo ad gratiam et quo ad donum. Chrisus factus est tibi iusticia, ut videlicet propter eum imputetur iusticia, et simul est tibi vivificator, vivificans cor voce Evangelii, et dans Spiritum sanctum.

Super haec habete dilectionem, quae est vinculum perfectionis etc.

Dilectio est vinculum perfectionis. Vocabulum Perfectionis hic non intelligatur privata perfectio unius personae seu perfecta impletio legis: sed intelligatur corporis Ecclesiae coagmentatio seu coniunctionis et concordiae conservatio. Dilectio est vinculum coagmentationis Ecclesiae, id est, donec retinent doctores dilectionem, etiamsi interdum accidit, ut aliud alteri videatur, tamen non mox dilaceratur Ecclesia, sed docti tolerant infirmiores et placide student sanare, et rursus infirmiores non gravatim audiunt alios doctiores, sicut modesti filii senes parentes, sicut dicitur: Ἀκέσται δὲ φρένες ἐσθλῶν, id est, sanabiles sunt animi bonorum.

Sermo Christi habitet in vobis opulenter cum omni sapientia etc.

Inter praecipuas sententias huius Epistolae et hanc meminisse oportet, cumque multas gravissimas admonitiones contineat, praesertim commendantes doctrinae studium, diligenter et saepe consideranda est. Primum hic legis mandatum divinum esse, ut doctrinam Christi recte discamus, et emphasis est insignis verbis: Habitet in vobis, et quidem opulenter. Familiarissime noti sunt qui nobiscum habitant. Scias etiam vere in illo pectore Deum ipsum habitare, in quo cogitatur doctrina de conversione ad Deum, et in consolatione et invocatione, sicut expresse Dominus inquit: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Placent igitur Deo lectio et cogitatio doctrinae, et per eam Deus est efficax et habitat in nobis. Addit autem, Cum omnia sapientia. Legunt Prophetarum et Apostolorum libros etiam haeretici et omnes praestigiatores, sed sine sapientia legunt, id est, fontes non recte discunt, qui sunt in ipsis libris propheticis et apostolicis, ut Papistae non discernunt Legem et Promissionem gratiae, cultus divinitus mandatos, et superstitiones ab hominibus excogitatas. Anabaptistae confundunt doctrinam de iusticia aeterna in corde et de vita politica, fingunt Evangelium barbariem esse, quae damnet ordinem politicum. Antinomi non discernunt peccata contra conscientiam ab aliis etc.

Addita est igitur hic admonitio, ut sapienter consideremus ordinem doctrinae et discrimina membrorum, sicuti alibi iubet sermonem divinum ὀρθοτομεῖν. Et Syracides inquit cap. 3.: Quae praecipit tibi Deus, haec cogita sancte, id est, retine nativam sententiam verbi Dei, nec affingito prophanas opiniones, sicut usitatum est

omnibus haereticis, omnibus idolorum cultoribus et omnibus praestigiatoribus. Item 2. Timoth. 1.: Formam retine sanorum sermonum. Ut autem iudicari et vitari corruptelae et praestigiae possint, necesse est recte doceri homines, commonefieri et emendari falsas opiniones, sicut et Proverb. 30. dicitur: Omne verbum Dei purgatum clipeus est sperantibus propter ipsum. Purgatum inquit, sicut metalla coquuntur, ut fiat segregatio argendi et scoriae. Sic discendo quaerenda est propria et nativa sententia, et removendae sunt sordes. Ideo Paulus addit: Docentes et emendantes vos mutuo.

Cum igitur audimus praecipi studium docendi et discendi, obediamus Deo, et hos labores docendi et discendi propter mandatum Dei amemus, et placere eos Deo sciamus. Sed simul adiuncta sit invocatio, sicut inquit Dominus: Orate ne intretis in tentationem. Item: Quando magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Sit etiam studium sine sophistica, sine curiositate quaerendi non necessaria, ut Syracides praecipit: Ne curiose quaeras in sermonibus tuis non necessaria.

Omne quodcunque facitis in verbo aut opere etc.

Regula vitae est: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Psal. 36.: Via significat vocationem et omnia officia vocationis, id est, laboris honesti, ad quem recte vocati sumus. Vocatio enim non est impii laboris. Docet igitur Psalmus omnes nostras actiones regi debere lege Dei et Evangelio. Lex ostendit, quae actiones Deo placeant, Evangelium ostendit quomodo placeant, videlicet, cum praelucet fides, agnoscens filium Dei, et accipiens remissionem peccatorum et reconciliationem, et invocans eum, ut nos adiuvet, sicut inquit: Sine me nihil potestis facere, Petite et accipietis, et statuens Deo placere hos labores, quanquam sumus valde infirmi et indigni, et multa impedimenta obiiciuntur, nec tamen fore irritos, et referens consilia ad hunc finem, ut Deus recte agnoscatur et celebretur, maneat Ecclesia, et non dilaceretur scandalis et dissidiis. Ideo in hoc dicto Psalmi additur promissio: Ipse faciet. Commenda Deo viam tuam, id est, in officiis vocationis, quae iuxta mandata Dei facis, recte invoca Deum fide et spe, nec deterrearis tua indignitate aut infirmitate, sed scias Deum tibi opitulaturum esse, ut labores sint felices, sicut alibi inquit Paulus: Labor vester non erit inanis in Domino. Iohan. 15.: Qui manet in me et ego in eo, hic feret fructum copiosum. Psalmo 1.: Et folium eius non defluet, et omnia quae faciet, erunt prospera.

Hanc totam regulam Psalmi complectitur Paulus inquiens: Omnia facite in nomine Domini Iesu, id est, in vera agnitione filii Dei, fide et invocatione, et referantur omnia ad gloriam filii Dei.

Ac saepe considerentur actionum bonarum causae efficientes et finales. Efficientes sunt mens intuens praecepta Dei, et cogitans Evangelium, videlicet promissionem gratiae et alias promissiones. Ibi filius in credente docet mentem, et lucem accendit, et simul movet voluntatem Spiritu sancto, ut obtemperet et sit firma, petat et speret auxilium Dei, petat bonos eventus, etiamsi magna pericula ostenduntur. Finales causae sunt, ut celebretur Deus, maneat Ecclesia, et vitentur poenae etc. Hae causae cum in Ioseph sint valde illustres, exemplum eius saepe cogitemus. Et has causas omnes efficientes et finales complectitur Paulus, cum iubet omnia facere in nomine Iesu, id est, in agnitione eius, fide et invocatione.

Caput quartum.

Domini, quod iustum est et aequale, servis praestate etc.

Iustum significat debitum seu ordinatum legibus divinis et positivis. Hic enim de iusticia legali dicitur, ut non est iustum servis eripere coniuges, aut sine iusta causa eos interficere, aut non dare victum. Ideo Augustus recte liberat servum, quem dominus voluit interficere, quod casu fregerat crystallum. Et quia demensum vetus fuit largum, apparet veteres sapienter considerasse, quid natura ferre posset, et fuisse iustos et beneficos. Uni enim dabatur quotidie panis valens tribus nummis Misnicis, item sextarius vini, certus modus carnium, ficorum aut aliorum obsoniorum. Haec obligatione civili erant debita, quae Paulus nominat Iusta. Etsi enim Iurisconsulti quaerunt, an coniugium sit servi et ancillae, tamen regula verissima est: Vincula divina et naturalia ligant servos et liberos. Caete-

rum aliqua civilia beneficia ad servos non pertinent.

Usus est autem Paulus hic duobus vocabulis, iubet praestare iusta, scilicet mandata legibus divinis et positivis, Seneca sic loquitur: Non licere in hominem quae ius naturae vetat. Addit autem Paulus: Praestate aequalitatem. Vult praeter illa, quae comprehenduntur obligatione civili dari beneficia, quae obligatione naturali debentur, ut benemeritis danda sunt singularia praemia, levandi sunt labores aegrotis et senibus. Seneca exemplum allegat de occultata domina a servis capta urbe. Illud etiam consideretur cum de aequalitate dicitur, considerandum esse, ubi aequalitas geometrica proportione locum habeat, ubi usus sit aequalitatis arithmetica proportione. Cum dicit Paulus: Praestate aequalitatem, non vult servos fieri aequales vel pares domino, sed vult servari aequalitatem geometrica proportione. Tota autem haec doctrina nunc quoque sequenda est, et in familiis et in gubernatione principum. Manent vincula legis divinae, quae pariter ligant et Principes et populum. Principes non sic sunt domini, ut liceat eis subditos sine iusta causa interficere, aut auferre facultates eorum sine iusta causa etc.

Sermo vester in gratia sale conditus sit etc.

Manifesta deformitas est vitiorum Scurrilitatis et Insulsitatis. Scurrilitas cum impudentia, vanitate, obscoenitate, aut etiam virulentia coniuncta est. Dicitur autem Scurra, a σκῶρ, id est, stercus, ut sit quasi stercora loquens, σκῶρ λέγων. Graece nominantur βωμόλοχοι, quasi ad aram cubantes, quia ad sacrificia multi mendici accurrebant, qui variis nugis pecuniam mendicabant, sicut et praestigiatores, qui pulvisculos sanctorum circumtulerunt. Insulsitas vero stupor est nimius et indignus homine. Inter haec vitia Philosophi collocant medium, quod est Lepos, qui est in sermone hilaritatis et asperitatis moderatio.

Est autem excellens in homine ornamentum, dicta et sermones tempestive proferre seu figurate seu simpliciter, qui aut moestis dolorem leniant, aut in iratis nimios motus arte frangant, aut superbos reprehendant. Concurrunt autem ingenii celeritas et cognitio multarum rerum. Ac haec cum accedit moderatio, totum hoc virtus esse dicitur, ut Menenii apologus revocavit cives a seditione. Pulcrum fuit et Demadis dictum, Alexandro mortuo exercitum eius similem esse Cyclopi effosso oculo: et illud: τάμιαι λάμιαι: et hoc Erasmi: Mens Christiana stomachus Lutheranus est. Et mea narratio de gentibus attemperantibus religiones ad suas naturas, et regis Gallorum Ludovici: non pertinent ad regem, quae antea contra ducem facta sunt. Et vetustas discernit salem candidum a nigro, et candidum dicit esse Mercurii, ut sunt dicta, quae benevolentiam augent, ut Alexandri: Regium est benefacientem ferre maledicta, aut illud Plauti: Bonis bene quod fit, id demum grave ac gratum est. Et de hoc genere petit Callimachus, ut Gratiae aluhant manus ambrosia in suo Carmine. Nigrum vero salem dixerunt esse Momo, ut sunt venenatae reprehensiones, ut Antiphontis ad Dionysium, optimos statuarios Athenis adducendos esse, qui fecissent statuas tyrannicidis.

Cum autem hic Paulus nominat gratiam in sermone, vult vitari scurrilitatem, obscoenitatem, insulsitatem, iactantiam, virulentiam et sycophantias. Postea cum salem nominat, non prorsus ut Philosophi de salibus loquitur, etsi his quoque locus est: sed generaliter intelligit salem iudicium recte et dextre accommodans verbum Dei, ut Marci 9. dicitur: Bonus est sal, habete in vobis salem, et pacem habete inter vos. Ubi sal significat verbum Dei recte intellectum, adhibito iudicio seu discrimine, ne transformetur in prophanas imaginationes, ut Servetus, Thammerus, qui dicunt λόγον non esse ὑφιστάμενον, sed esse vocem evanescentem. Item, ne deletis veris distinctionibus et necessariis, misceantur in unum chaos non miscenda, ut Anabaptistae non discernunt vindictam privatam a iudiciis divinitus ordinatis, et damnant iudicia et totum politicum ordinem. Item, ne nativa significatio verborum mutetur, sicut monachi fidem tantum intelligunt noticiam historiae, qualis est et in impiis. Item, ne addantur opiniones pugnantes cum fundamento, ut Papistae docent homines mortuos invocandos esse, docent opera hominum mereri remissionem peccatorum, fingunt Missam mereri remissionem peccatorum et quidem ex opere operato, adorant panem in circumgestatione. Haec absurda prorsus extra scripta prophetica et apostolica indocti addiderunt ethnica superstitione ad doctrinam Ecclesiae. In his exemplis manifesta est insulsitas.

Intelligantur autem haec dicta: Habete salem in vobis, id est, verbum Dei recte accommodatum. Item: Sermo sit sale conditus, non solum de doctrina, sed universaliter de reprehensione errorum et peccatorum, et de consolatione. Item, de consiliis dandis in variis negotiis, ut Pauli consilium non est insulsum de coniugio credentis et ethnicae. Item, consilium Christi de didrachmo, ne moveretur seditio contra ordinariam potestatem, et haud dubie Zacharias et similes fuerunt suasores, ne tunc moverentur bella adversus Romanos. Denique multa incidunt ubi recte instituti, timentes et invocantes Deum, aliter iudicant quam non recte instituti aut prophani et superstitiosi.

Salutat vos Aristarchus etc.

Salutationum exempla in Epistolis Pauli ostendunt, Ecclesiam non esse politiam, quae iisdem legibus civilibus regatur, et habeat proprios magistratus politicos, sed congregationem consentientem de vera doctrina, et invocatione, et coniunctam benevolentia, etiamsi sparsa est in diversa imperia politica, ethnica vel pia, sicut Apostolorum tempore erant Ecclesiae, aliae sub ethnicis Romanis, aliae sub Persis aut Parthis etc.

Haec de Ecclesia scire, et eam prudenter discernere necesse est, quia plurimi fanatici et seditiosi homines omnibus seculis praetextu Evangelii novas politias constituere conati sunt, ut nostro tempore Anabaptistae fecerunt. Sic et Romani Episcopi iniuste constituerunt sibi imperium, ac docuerunt, neminem esse membrum Ecclesiae Dei, nisi amplectentem traditiones humanas, sancitas a Romanis Episcopis de ipsorum primatu et ceremoniis. Haec falsa esse certum est ex dicto: Reges gentium dominantur, vos autem non sic. Item: *Πολίτευμα* nostrum in coelis. Tenenda est igitur regula: Date Deo, quae Dei sunt, Caesari, quae sunt Caesaris. Haec admonitio praecipue cogitanda est, cum has salutationes legimus.

Simul autem et haec consideretur. Etsi Ecclesia non est unum politicum imperium, tamen congregatio est multorum, qui ministerio Evangelii et Sacramentorum, et eadem vera confessione coniuncti sunt. In his qui norunt inter se benevolentia coniuncti sunt, sicut Dominus orat aeternum patrem: Fac ut unum sint in nobis. Haec signa benevolentiae conspiciuntur et in his salutationibus.

Postremo et hoc monendi sunt lectores, quod scribit Eutropius, Laodiceam et Colossas terrae motu submersas esse proximo anno post Pauli mortem, sicut Ierosolyma post Christi praedicationem deleta est. In talibus exemplis ostendit Deus se punire hostes Ecclesiae et ingratos, qui audita voce Evangelii non emendantur. Et tamen mirabiliter liberat suam Ecclesiam, sicut ante obsidionem Simeon ex Ierosolyma eduxit suos auditores trans Iordanem. Ita consentaneum est et ex illis urbibus pios ante eductos esse. Ac nunc quoque in tantis confusionibus et ruinis imperiorum precemur filium Dei, ut Ecclesiam et nos in ea servet, sicut inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Laus Deo.

ARGUMENTUM EPISTOLAE PAULI AD PHILIPPENSES.

Beatus *Strobelius* in libello: Von Melanthons Verdiensten um die heil. Schrift (Norimb. et Alt. 1773), commemoravit, *Georgium Maiorem*, Melanthonis discipulum enarrationi suae Epistolae ad Philipp. praeposuisse *Argumentum* Epistolae in schola Viteb. dictatum a Ph. Melanthone. Liber *Maioris* est inscriptus:

Enarratio Epist. Pauli scriptae ad Philippenses. Autore *Georgio Maiore.* Witeb. 1554. 8.

Illum librum videre mihi non contigit, sed est recusus in *Georgii Maioris* operibus, T. I. Witeb. 1569. Fol. ubi legitur pag. 731, unde illud argumentum descripsi. In operibus Maioris autem nihil legitur de eo, quod Melanthon argumentum dictaverit.

ARGUMENTUM EPISTOLAE (AD PHILIPPENSES).

Φίλιπποι oppidum fuit situm in extremis finibus inter Thraciam et Macedoniam, non procul a fluvio notissimo Strymone in littore sinus Strymonici, quod tamen Macedoniae attributum est. Veteri appellatione nominatum est *Κρηνίδης*, quasi dicas fontanae, ubi venae aureae adeo locupletes fuerunt, ut rex Macedoniae Philippus inde plus mille talentis, id est, plus sexcentis millibus coronatorum quotannis acceperit.

Olim aiunt a Thassiis id oppidum conditum et venas inquisitas esse; nam et Thassii in sua insula uberes venas auri et argenti habuerunt.

Cum autem Philippus, Alexandri pater, oppidum *Κρηνίδας* coepisset, vetus nomen abolevit, et deinceps nominavit Philippos, ubi et aurei Philippei facti sunt.

Haec de utraque appellatione recitantur a Diodoro Siculo et a Stephano, qui citat Archemidorum. Ac Ptolemaeus, Stephanus, Historia Bruti et Narratio in Actis Apostolicis recensent inter oppida Macedoniae, et quidem in Actis dicitur fuisse Romana Colonia. Ibi et Bruti exercitum profligarunt Antonius et Octavius.

Nunc quae sit appellatio non invenio, Pydnam vero vicinam nominant *Χύτραν*, ab ollis, ut opinor. Talis est rerum humanarum inconstantia ut in illis ipsis regionibus, quae fuerunt ornatissimae urbibus, hominum frequentia et civili disciplina et aliquandiu vera Dei agnitione, nunc rursus sint solitudines aut tantum barbarorum hominum tuguria et stabula, quia propter multa et magna hominum scelera gentes dolentur, et, ut vox divina dicit, terra feritur anathemate.

Ne igitur similis vastitas fiat in Germania, simus in vera doctrina firmi et in inovocatione et aliis piis officiis ardentiores.

Haec de nomine dixisse satis est.

De vocatione Pauli in Macedoniam, ut ibi Evangelium doceret.

Quomodo Paulus in Europam ex Troade traiecerit, et primum accesserit ad urbem Philippos, legitur in Actis cap. 16. Angelus noctu specie viri Macedonis conspectus vocavit Paulum in Macedoniam, ubi primum agnoscenda est immensa bonitas Dei, qui sua misericordia propter filium colligit aeternam Ecclesiam, non solum non ha-

bentem merita, sed etiam prorsus ignorantem et non optantem hoc tantum beneficium. Erant in illis locis prorsus tenebrae de Deo, nemo audierat vocem Evangelii, nemo optabat. Et tamen Deus per angelum accersit doctores et semina Evangelii, late per Macedoniam et Graeciam sparguntur, et ostendit Deus non dubia testimonia doctrinae illustribus miraculis. Hanc immensam misericordiam Dei agnoscamus, et Deo gratias agamus, quod misit Paulum et Evangelii voce Ecclesiam sibi inter nos colligit.

Sit etiam cura hoc tantum beneficium retinendi, quia scriptum est: habenti dabitur, et a non habenti id, quod habet, auferetur. Et illarum regionum solitudo, ubi quondam florentissimae Ecclesiae fuerunt, nos commonefaciat de ira Dei et de horrendis poenis, quae sequuntur contumaciam, qualis et in Iudaea fuit, de qua dicit Dominus: quoties volui te congregare, et noluisti.

Haec vetera exempla in toto orbe terrarum, in Asia, Syria, Aegypto, Africa, deinde et in Europa, in Thracia, Illyrico, Graecia considerans, non possum non expavescere, cogitans iustum et ingentem iram Dei, et metuens similes vastationes in reliqua Europa.

Deinde in eadem historia et hoc dignum est consideratione. Poterat Deus per illum ipsum angelum docere Evangelium in Macedonia, sed vocat Paulum, vult homines fungi hoc tanto ministerio, in quo Deus est efficax, et dat iusticiam et vitam aeternam audientibus et non repugnantibus. Per haec vasa firma et languida vult diaboli potentiam destruere.

Haec consideranda sunt, ut libenter audiamus vocem ministerii, etiamsi videtur absurdum, homines aerumnosos, de praesentia Dei, de aeterna salute et aliis maximis rebus loqui.

Tertio, quia magna frequentia fuit in illo oppido propter venas metallicas et propter ius Coloniae, consentaneum est, Paulum propter eam causam eo proficisci maluisse, et cum ipse civis Romanus esset, natus in Colonia Tarso, speravit, ubi se tutiorem fore. Sed his causis omissis, sciamus potiorem causam fuisse misericordiam Dei, qui ita rexit itinera Pauli, et voluit ibi statim sparsi Evangelii semina.

Addit igitur illustria testimonia novae doctrinae. Mulier Lydia cum tota familia amplectitur Evangelium, et eius domus fit hospitium Pauli et Ecclesiae. Eiicitur daemonium ex puella fatidica. Coniecti in carcerem Paulus et Silas singulari miraculo liberantur. Custos carceris cum sua familia recipit Evangelium. Haec sunt initia Ecclesiae in eo loco, quam scito crevisse, apparet ex epistola, quam postea ad eos scribit, in qua et fidem et liberalitatem eorum praedicat.

Et vult Deus extare tales historias propter multas causas. Vult Deus sciri, a sese Evangelium certis hominibus commendatum esse, et addit illustria testimonia; vult sciri, unde accepta sit haec doctrina, per quos et quo modo propagata sit, ut dicerni possit a superstitionibus, quae plerunque clam irrepserunt in mundum, et paulatim cumulatae sunt ita, ut vix sciantur initia, ut quomodo Bacchanalia aut Lupercalia primum orta sint, non satis sciri potest. In Ecclesia vero semper manifestis et illustribus testimoniis factae sunt patefactiones Dei, et revelationes promissionis, ut de praedicatione Nohae testimonium fuit liberatio in diluvio, in vocatione Abrahae generatio filii ex matre anu et sterili, de Mose eductio ex Aegypto, de Samuele, Davide, Elia, Eliseo, Esaia, Ieremia, Daniele testantur singulis temporibus sua miracula conspecta totis gentibus. Ita postea resuscitatio mortuorum et alia miracula fuerunt testimonia de doctrina filii Dei et Apostolorum. Ut igitur certo sciat Ecclesia, vocem Evangelii a Deo traditam esse talia testimonia exhibita sunt, et haec historia scripta est.

Haec historica recitavi quia gratior est dulcissima epistola scripta ad Ecclesiam, quae in Philippis, in primo Europae aditu, collecta est, consideranti et locum et mutuam benevolentiam inter Paulum et illam Ecclesiam. Quanta laus est, quod nominat eos cum gaudium et coronam suam, ubi auditores hoc tanto praeconio ornat Apostolus, existimari satis potest, Ecclesiam etiam fideliter conservasse doctrinae puritatem, et sine scandalis fuisse.

De argumento Epistolae.

Nunc argumentum epistolae recitabo. Videmus non longum scriptum esse nec perpetuam aliquam disputationem institutam esse, sed, ut ad amicos scriptam, brevem hortationem et admonitionem.

In *primo* capite, postquam initio eos bene precatus est, narrat, se Romae captivum retineri, et tamen interea variis occasionibus nomen Christi fieri magis notum, et propagari Evangelium, et crescere Ecclesiam. Tales narrationes usitatae sunt in epistolis, ut omnes norunt.

In *secundo* capite instituitur adhortatio ad tuendum consensum in doctrina et ad retinendam concordiam, quae ambitione saepius turbatur, quam aliis causis. Ideo opponit ambitioni exemplum filii Dei, qui sese propter nos abiecit et sustinuit non solum communes hominum aerumnas, sed etiam contumeliosam mortem. Hic inseritur doctrina de duabus naturis in Messia, nato ex virgine Maria, ut postea dicemus.

Deinde statim sequitur insignis sententia de efficacia Dei in membris Ecclesiae, continens amplissimam doctrinam et consolationem: Deus est qui efficit in vobis, ut velitis et ut perficiatis, ut aliqua ei grata fiant. Hic damnat Pharisaicas opiniones, quae fingebant legem impleri humanis operibus et disciplina illa tolli peccatum. Contra enim affirmat Deum efficacem esse in conversione et deinceps, et haec aeterna bona effici a Deo, tolli peccatum et mortem, non humana sapientia et disciplina, sed Deo nos regenerante, sicut Iohan. 3. dicitur, et sicut in Prophetis praedictum est de hac miranda liberatione a peccato, ut in Ioël dicitur: effundam de spiritu meo super omnem carnem, Item: effundam super domum David spiritum gratiae et precum.

Et sequitur consolatio. Mox ubi coepit Ecclesia colligi certamina ingentia moventur, cum idola damnantur, defensores idolorum saevire in Ecclesiam incipiunt, quae quia est exigua, frustra videtur se opponere summis imperiis. Ideo multi desperatione languefacti abiiciunt haec certamina. Sed Paulus consolationem addit, imo, inquit, non frustra clamatis, sed Deus vobis aderit et successus et bonos eventus dabit. Non delebit Ecclesiam potentia mundi. Hanc dulcissimam consolationem Paulus in hoc dicto proponit, quae in hac tanta infirmitate nostra in maximis periculis semper nobis in conspectu sit: cum Deus vocet nos ad Evangelium, et initia fidei in nobis accendat, non frustra haec inchoat, sed vult etiam inchoata beneficia perficere. Et causa finalis additur, ut aliqua grata Deo fiant, id est, Deus non vult universum genus humanum frustra conditum esse, sed vult semper aliquam esse partem generis humani, quae ipsi grata faciat, et cui postea in omni aeternitate suam bonitatem communicet, cum interea maxima pars generis humani furenter contra voluntatem Dei ruat. Multi sunt Epicuraei palam contumeliosi contra Deum, multi cultores idolorum fascinati a diabolis, qui immani rabie Evangelio repugnant, multi alii polluti libidinibus et aliis sceleribus. In tanta confusione generis humani, tamen Deus servat coetum aliquem, qui ipsum vere celebrat, et recta et salutaria facit, ut quanquam in regno Babylonico plurimi sunt principes et populi impii, tamen ibi Daniel et Ecclesia adiuncta Danieli, Darium et Cyrum et multos alios docent de vero Deo, et celebrant Deum confessione et aliis virtutum officiis, et multa in tota gubernatione regni Deus propter eos mitigat. Itaque fiunt aliqua grata Deo in illo imperio.

Haec est nativa sententiam dicti Paulini hoc loco. Ac removendae sunt horridae et falsae interpretationes, quae transformant dictum in Stoicam sententiam, quasi velit Paulus, bona et mala fieri necessitate fatali. Haec imaginatio non congruit ad Pauli dictum, quod est consolatio dulcissima iis, qui vocati ad agnitionem Dei, initia fidei et invocationis habent, et auxilium petunt. His hoc loco promittitur auxilium. Ac infra plura de intempestivis interpretationibus. Nunc tantum haec adieci invitandi lectoris causa, ut consideret praecipua Epistolae lumina.

In *tertio* capite monet Ecclesiam, ne decipiatur ab impostoribus, ubi statim intexitur insignis locus de discrimine iusticiae Legis et Evangelii. Hic, ut postea copiose dicemus necesse est, primum adpellationes intelligi, quid nominet iusticiam legis, et deinde quid nominet iusticiam fidei. Nec tantum nominat iusticiam legis obedientiam in ceremoniis, sed etiam obedientiam in operibus moralibus, quanta in hominibus in hac misera et depravata natura praestari potest. Hanc mutilam et inquinatam iusticiam conferens ad iusticiam fidei seu Evangelii, dicit eam se iudicare damna et σκύβαλα prae illa altera. Vocabulum σκύβαλα significat stercora, quasi κυσὶ βαλλόμενα, id est, obiecta canibus. Haec insignis extenuatio magnam consolationem piis et recte intelli-

gentibus eam adfert. Nam revera infinitum discrimen est inter iusticiam legis et fidei, etiamsi hae res etiam mandata Dei habent, et suo loco necessariae sunt disciplina et bona opera. Sed longe alia res est agnitio filii Dei et misericordiae Dei, et liberatio ex morte aeterna et donatio iusticiae et vitae aeternae.

Commoratur deinde in querelis de praestigiatoribus, qui doctrinam corrumpebant, et significat Iudaeos fascinatos persuasione de conservatione suae politiae vagari et tanta certamina de lege serere, propter quae decretum Hierosolymis factum fuerat, quod recitatur in Actis cap. 15. His opponit dictum: nostrum πολίτευμα in coelis est, id est, vox Evangelii non constituit politiam aut imperium in hac mortali vita, sicut Iudaei somniant, Messiam domitis gentibus regnaturum esse, et omnes provincias iusto et tranquillo imperio gubernaturum esse iuxta legem Moysi. Hoc totum somnium vult abiici, et sciri per Evangelium nequaquam constitui mundanum imperium, sed inchoari in nobis veram agnitionem Dei, iusticiam et vitam aeternam et post resuscitationem mortuorum Ecclesiam tanquam in una civitate in aeterna consuetudine mensuram esse apud Deum, ubi fruetur eius sapientia et bonitate sine fine. Hanc coelestem politiam, inquit, per filium Dei voce Evangelii et Spiritu sancto restitui. Hanc nos vult expectare vera fide, spe, confessione et tolerandis suppliciis in confessione, et veram Dei agnitionem et invocationem in hac vita propagare, non capere arma, ut nova imperia constituamus, sicut fecerunt Monetarius in Turingia et Schaplerus in Suevia et postea furiosi homines in urbe Monasteriensi et Westphalia. Horum exemplorum collatio illustrat dictum Pauli.

Quartum caput continet generales admonitiones ad constantiam in confessione doctrinae, ad invocationem et ad caeterarum virtutum officia, quarum praecipuas complexus est hac coacervatione: caeterum, fratres, quae sunt vera, gravitati convenientia, iusta, casta, amicabilia et laudabilia, virtutem et laudem cogitate sicut didicistis et haec facite. Nominat initio veritatem, quia necesse est ante caeteras virtutes omnes tenere verum doctrinae noticiam et fidem. Est igitur veritas firma assensio et confessio de vera et incorrupta doctrina et perspicua refutatio errorum, ut Athanasius est verax, quia perpetuo retinet adsensionem et professionem verae doctrinae, nec frangitur blandiciis, odiis, terroribus, exiliis et aliis adflictionibus, ut confessionem omittat. Contra vero Hosius, etsi non fuit hostis verae doctrinae, tamen cedit Arianis in Synodo Sirmiensi.

Secundo nominat gravitatem σεμνότητα, quae est virtus diligens in docendo et in omni actione necessaria et convenientia *) modestiae et constantiae et pugnat cum futilitate, vanitate, virulentia, scurrilitate, arrogantia, in gestu et sermonibus. Vult doctorem non esse futilem et de rebus non necessariis rixantem, ut faciunt aut fatui aut factiosi et ardentes odiis, ut sunt multae prorsus futiles quaestiones: an necesse sit in coena Domini uti pane fermentato; item, an necesse sit, administrare coenam Domini vespere, sicut primum administravit ipse Dominus, et aliae similes.

Scurrilitas est, quod Episcopi et Canonici ludunt, helluantur, conviciantur, ut levissimi homines in vulgo.

Iusticiam hoc loco intelligo particularem iusticiam, suum cuique tribuentem, cuius violatio est magnum peccatum, quod quidem et politici magistratus puniunt.

Castitas est virtus, quae omnes vagas libidines vetat, et servat ordinem divinitus institutum, vel virginitate pura, vel in coniugio legitimo.

Cum nominat *amicabilia*, postulat aequitatem, id est ἐπιείκειαν, aliquid remittentem de acerbitate summi iuris, et condonantem privatas offensiones publicae tranquillitati, ut David post seditionem rediens iurat, se neminem interfecturum esse, 2. Reg. 19. Intelligat bonus gubernator, quae res invitent benevolentiam hominum, ut beneficentia, ut in secundo libro Cyrus inquit apud Xenophontem: quos volumus esse socios, venandos esse benefaciendo et benedicendo.

Sexto nominat *laudabilia*, εὔφημα, id est, scandali vitandi causa modestiam praestare et non turbare communem congregationem et consociationem sine necessariis causis, ut abutentes libertate saepe alienant voluntates modestorum hominum, sicut illi fecerunt, qui praetextu Evan-

---

*) lege: *conveniens.*

gelicae libertatis plures uxores simul habuerunt, Item, novos titulos sibi tribuerunt, ut rex Monasteriensis, qui se nominabat regem in templo Dei, Item, qui Turcas induxerunt in Europam et postea in Pannoniam.

Vult Deus bonis exemplis invitare homines ad agnitionem Evangelii, non petulantia deterreri, sicut scriptum est: luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester coelestis, Item 1. Corinth. 10.: omnia ad gloriam Dei facite, et sine offensione aliis estote. Et contraria obiurgatio apud Ezechielem scripta est: propter vos male audit nomen Dei inter gentes. Nec difficile est iudicare mediocribus hominibus, quae actiones necessariae sint, quae sit petulantia non necessaria. Ut autem scandala pugnant cum secundo praecepto decalogi, quia vel falso praetexitur nomen Dei et doctrina privatis cupiditatibus, vel facta inhonesta alienant voluntates a doctrina: ita virtus, quam hic nominat, facere *εὔφημα*, opus est secundi praecepti, et est modestia, quae studet vitare scandala, de qua et alibi Paulus inquit: qui in his servit Christo, placet Deo et probatus est hominibus,

In omnibus actionibus hic finis prospiciendus est, an invitet homines ad celebrandum Deum et ad fovendam verae Ecclesiae consociationem, an vero turbet Ecclesiae societatem, et voluntates piorum recte iudicantium a doctrina alienet, sicut Paulus ait: omnia id gloriam Dei facite, et sine offensione aliis estote.

Si quis virtus.

In fine addit generalia nomina, in quibus et repetitio superiorum continetur, et significatur, ut intelligant comprehendi etiam virtutes caeteras, quae hic non expresse nominatae sunt, ut patientia, temperantia, frugalitas, liberalitas, tametsi adpellationibus illis, quae recitatae sunt, includi possunt. Sed rectissima et maxime perspicua et declaratio virtutum est, ordine distribuere opera decalogi, unde constitui haec definitio potest: Virtus est facere convenientia decalogo, id est, legibus moralibus, quae divinitus toti humano generi traditae sunt. Non vult Deus vivere homines sine certa norma actionum, et vagari quo trahunt caecae cupiditates, sed statim in creatione indidit humanis mentibus discrimen aeternum et immotum bonarum et malarum actionum. Id postea voce sua saepe repetivit. Ad hanc normam vult congruere actiones. Ideo rectissima et maxime perspicua definitio virtutis in Ecclesia haec est, Virtus est facere congruentia decalogo, iuxta enarrationem Evangelii, sicut e regione definitio peccati a Iohanne recitatur: *ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία,* id est, peccatum est non obedire legi Dei. Hanc descriptionem convenientissimam esse, docti facile intelligere possunt, Quia in definitionibus actionum oportet fieri collationem noticiae, ut videlicet normae divinae immotae ad actiones. Sunt igitur bonae actiones, id est, virtutes, quae congruunt cum norma, contra autem malae actiones sunt, quae aberrant ab illa norma, et cum ea pugnant.

Si qua laus.

Postea inquit Paulus: si qua laus. Dixi antea, in omnibus actionibus, hunc finem prospiciendum esse, ut homines invitentur ad doctrinam. Nec potest breviter comprehendi varietas exemplorum, alii aliis modis alienant voluntates hominum. Ideo iubet, ut nos ipsi prudenter consideremus, quid deceat, et quid prosit ad conservandam et fovendam Ecclesiam. Ne igitur aliquid omittat, iubet eos totam doctrinam recordari antea auditam, cum inquit: haec ergo cogitate, quae et accepistis et didicistis etc.

Haec enumeratio virtutum in hoc capite insignis est, et ut summa doctrinae de virtutibus familiariter omnibus nota esse debet. Postea, ut fit in epistolis, addit usitata de sua persona, agit gratias, quod Romam captivo sumptus miserunt, in qua narratione sapienter utrumque facit, nec petax seu avarus, nec ingratus perhiberi vult. Utrumque enim iniustum est. Nam iusticia est non velle onerare aut expilare alios. Est et iusticia gratum esse pro beneficio. Paulus utrumque praestat, narrat se non petivisse ab eis hoc beneficium, et insignibus verbis modestiam suam describit. Possum, inquit, contentus esse, possum etiam ferre humilem sortem seu abiectionem, rursus etiam possum res secundas ferre; sed postea addit: iuvante Christo. Usus est verbo graeco, in omnibus initiatus sum, *μεμύημαι.* Est enim *μυεῖσθαι* proprium verbum sacerdotum quod significabat ad certas ceremonias consecrari, unde nostrum vocabulum est: *weihen.*

Transtulit igitur Paulus verbum usitatum sacerdotibus ad aerumnas docentium, quos praecipue oportet paratos esse ad omnes casus, et scite utramque fortunam recte ferre, non insolescere in rebus secundis, nec propter adversas a Deo deficere. Hoc robur in docentibus postulant et Moysi dicta, in descriptionibus tribuum Deut. 33.: qui dixit patri suo et matri suae, nescio vos etc. Hi custodiunt eloquium tuum et pactum tuum etc. Ad talia praecepta congruit exemplum Pauli hoc loco propositum.

Posteaquam autem suspicionem avaritiae refutavit, deinde narrat, se grato animo accipere munus, et laudat veterem eorum liberalitatem, quia et antea expertus sit eorum benevolentiam, de qua tamen ita loquitur, ut significat, docentibus mercedem deberi, sicut et alibi inquit Rom. 15.: debitores ipsis sunt. Ita hic inquit: nulla Ecclesia mihi communicavit iuxta rationem Dati et Accepti, nisi vos soli. Significat igitur pro data doctrina vicissim dandas esse mercedes, sicut verissimum est. Cum autem venae auri in illo loco fuerint, consentaneum est, multos fuisse, qui et antea idolis multa dedicarunt, ita postea cum illuxisset eis vera de Deo et de Redemptore doctrina, contulisse aliquid ad iuvandum ministerium Evangelii.

Usus est Paulus hic verbo ἀπέχω, quod fuit usitatum in contractibus, ubi fatebatur is, qui debitum acceperat, se recepisse, ἀπέχω, id est, recepi persolutum debitum, unde est nomen ἀποχή pro testimonio accepti debiti.

Haec in argumenti recitatione dixi, ut postea insignes materiae diligentius observantur.

Θεῷ δόξα.

PHILIPPI MELANTHONIS
ENARRATIO EPIST. PRIORIS DA TIMOTHEUM.

Iam anno 1541 prodierat: „In epistolam Pauli ad Timotheum priorem Commentarius, dictatus in schola Witeberg. per D. *Casp. Crucigerum*. Argentor. 1541. 8." quem Mylius in chronologia scriptorum Melanthonis huic tanquam auctori vindicat. Postea vero, post Melanthonis obitum, eadem enarratio prodiit sic inscripta:

Enarratio Epist. 1. ad Timotheum et duorum capitum secundae, scripta et dictata in praelectione publica anno 1550 et 1551 a Phil. Mel. Witeb. 1561. 17. pl. 8.

(edidit *P. Crellius.*), quam enarrationem Peucerus inseruit operibus Melanthonis, Tom. IV, p. 366 seq. unde sic eam hausimus.

ARGUMENTUM EPISTOLAE PRIORIS AD TIMOTHEUM,
CUM COMMEMORATIONE BREVI PRAECIPUORUM ITINERUM PAULI.

Lystra oppidum est Lycaonicae infra Galatiam, quod recensetur et a Ptolemaeo, non procul ab Iconio et Therbe. Quia vero in Actis capite 16. scribitur, Timotheum in Lystris vixisse, ibi quoque natus existimatur. Fuit autem mater Eunice Iudaea, et fidelis, ut ibi in Actis scriptum est, et avia Iudaea Lois. Pater vero fuit Ethnicus. Ut autem a consuetudine Timothei minus abhorrerent Iudaei, et in illis primis initiis tenerae Ecclesiae, nondum abrogatione legis inculcata omnibus, facilius eum audirent, voluit eum Paulus circumcidi.

Itinera ex Actis sumimus: cum Paulus sedecimo anno a conversione venisset Lystram, Timotheum ibi sibi adiunxit. Deinde traiecit in Macedoniam: huius primae profectionis in Macedoniam et Graeciam comes fuit Timotheus. Postea ex Corintho navigavit Paulus Ephesum, ubi biennio commoratus est, inde cum discederet visurus Asiae Ecclesias, Timotheo Ecclesiam in Epheso commendavit, et in itinere in Phrygia priorem Epistolam ei Laodiceae scripsit, Argumentum est conveniens Apostolo, breviter autem de doctrina scribit ad discipulum eruditum, quem ipse et docuerat et saepe audierat. Sed tamen attingit praecipuas materias doctrinae, ut et tunc extarent testimonia Pauli contra adversarios Timothei, et postea in Ecclesia haec testimonia conservarentur. Quia Deus immensa misericordia vult nos de doctrina certos esse, vult sciri, quando, per quos, quibus testimoniis propagata sit. Ideo addit Apostolis magnos coetus comitum, et manifestis miraculis testatur eos circumferre vocem, divinam.

Catalogus annorum Pauli.

Anno Christi,	*Anno post conversionem.*	
35.	1.	Annus conversionis Pauli. Annus a natali Christi 35.
36.	2.	Ivit Paulus in Arabiam.
37.	3.	
38.	4.	
39.	5.	Ivit in Tarsum, Acto. 9.
40.	6.	
41.	7.	
42.	8.	Barnabas Paulum ex Tarso Antiochiam ducit, Acto. 11.
43.	9.	
44.	10.	Ivit in Cyprum, Acto. 13. comitante cum Barnaba. Et iubente Spiritu sancto. Ibique Sergius proconsul convertitur.
45.	11.	Profectus in Pergen Pamphiliae, Antiochiam Pisidiae, Iconium et vicinas urbes, Acto. 14.
46.	12.	
47.	13.	
48.	14.	Fames praedicta ab Agabo totum terrarum orbem affligit. Iosephus.
49.	15.	
50.	16.	

Anno Christi,	*Anno post converssionem.*	
51.	17.	Synodus Ierosolymae cui Paulus interfuit, Acto. 15.
52.	18.	Rediit in Iconium et Lystram, ubi Timotheum sibi adiunxit et traiecit in Macedoniam. Et fuit Corinthi, ubi scripsit Epistolam ad Romanos.
53.	19.	
54.	20.	
55.	21.	Rediit in Asiam, et cum fuisset biennio Ephesi, Timotheo Ecclesiam abiens commendavit.
56.	22.	Rediit in Phrygiam, ubi Laodiceae scripsit primam Epistolam ad Timotheum.
57.	23.	Rediit Paulus in Macedoniam prius peragrata Phrygia et finibus Galatarum, cumque venisset in Macedoniam, scripsit in Philippis utramque Epistolam ad Corinthios non longo intervallo. Postea rediit in Asiam, ac venit Mytilenen, item in Samum et Miletum, Acto. 20.
58.	24.	
59.	25.	
60.	26.	Postremum iter ad Ierosolymam, quo cum venit capitur, et biennio Cesareae captivus tenetur.
61.	27.	
62.	28.	Remissus Romam. Sed tunc liberatus est ore leonis, ut 2. Timoth. 4. narrat.
63.	29.	
64.	30.	
65.	31.	
66.	32.	
67.	33.	Fuit biennium in conducto.
68.	34.	
69.	35.	Interfectus Paulus a Nerone paulo ante eius mortem.
70.	36.	Decimus quartus Neronis, quo Nero sibi conscivit mortem.

Paulus Apostolus Iesu Christi.

Initio Paulus nomen praeponit, quia in Ecclesia oportet extare testimonia, et sciri per quos ea testimonia tradita sint: et fit mentio muneris apostolici, ut sciamus credendum esse ipsius doctrinae, tanquam voci Dei de coelo sonanti, sicut ipse inquit ad Galatas, se doctrinam non accepisse ab hominibus, et de sua vocatione multa dicit, ut autoritatem suae doctrinae confirmet. Et prodest commonefieri iuniores de discrimine Prophetarum, Apostolorum, et aliorum docentium.

Prophetae fuerunt, qui immediate a Deo vocati sunt ad docendum, et ad illustrandam promissionem de Messia, et ad aliqua consilia politica, et habent testimonia divina, quod non errent in doctrina, videlicet quaedam peculiaria miracula.

Apostoli fuerunt, qui immediate a Christo vocati sunt ad docendum Evangelium, non ad gubernationem politicam, et habent testimonia divina, quod non errent in doctrina, et possunt quolibet loco docere.

Episcopi et alii Doctores sunt mediate vocati a Deo electione humana, et sonare debent doctrinam ab Apostolis acceptam sine aliqua mutatione, cum vero mutant, errant, ut saepe fit, ideo earum doctrina iudicanda est ex testimoniis Apostolorum. Haec monere initio de titulo necesse est, ne quis putet nomen Apostoli otiose additum esse: ideo diserte addit Paulus, se esse Apostolum mandato divino missum. Sicut autem ipsi necessarium est docere, ita nobis necessario mandatum est audire hanc doctrinam.

Ne alia doceant, et ne attendant fabulis.

Necessaria est admonitio, est et prima in Ecclesia, ne omissa doctrina divinitus tradita proponantur aliae doctrinae. Item ne curiosae quaestiones agitentur omissis rebus necessariis, quia Ecclesia alligata est ad fundamentum, ut alibi dicitur: Fundamentum aliud ponere nemo potest, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Item: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Ac ut sapiens Doctor initio summam recitat, qua breviter complectitur omnia, quae in homine converso ad Deum esse necesse est, *Summa mandati est dilectio, ex corde puro et conscientia bona, et fide non ficta.*

Ex corde puro.

Primum quid nominat cor purum, aut quis est omnino in hac imbecillitate hominum, cuius cor sit purum? Respondeo iuxta dictum Apostolorum in Actis capite 15: Fide purificans corda eorum. Nominat igitur cor purum, fide purificatum, id est, non Epicureum, non Academicum, manens in dubitatione, non Sauliticum, id est, fugiens Deum, et irascens Deo, sed iam recte sentiens de Deo, et ad eum accedens in vera agnitione et fiducia filii Dei, et agnoscens vere nos quanquam immundos tamen recipi, et tegi nostras sordes quanquam multas et magnas, imputata nobis munditie et iusticia filii Dei. Sic et David inquit: Asperges me Domine hyssopo et mundabor. Et postea: Cor mundum crea in me Deus, id est, recte sentiens de Deo, conspersum sanguine filii. Et cum sic purificantur fide corda, accipiunt Spiritum sanctum, se Deo subiiciunt, iam incipiunt quaerere gloriam Dei, et obedire Deo, et habent vera initia dilectionis Dei et proximi. Comprehendit enim Paulus nomine dilectionis opera omnium praeceptorum Decalogi, sicut alibi inquit: Dilectio est impletio legis. Et 1. Iohannis 5.: Haec est dilectio Dei, mandata eius custodire.

Sit igitur haec definitio: Dilectio est virtus, qua postquam misericordiam Dei propter filium promissam fide apprehendimus, iam eum diligere et ei gratias agere incipimus, et nos ei subiicimus, et obedientiam iuxta omnia mandata incoamus, cum quodam sensu laetitiae in Deo. Ut autem antea dixi, prius fide purificari corda, ita et postea sciendum est, hanc incoatam obedientiam, etsi adhuc multae sordes in nobis sunt, tamen placere Deo propter mediatorem, nec incoari dilectio potest, nec placet, nisi praecedat fides. Ideo et Paulus mox addit ex fide non fucata.

Ex conscientia bona, et fide non simulata.

Universaliter hanc regulam de nostra obedientia seu de bonis operibus sciri necesse est. Quanquam nostra obedientia procul abest a perfectione, et haerent in nobis peccata, tamen oportet talem esse obedientiam in conversis, ut sint in nobis fides et bona conscientia, id est, propositum non peccandi. Hic gradus in conversis necessarius est, quod et hoc dicto Pauli confirmatur, et aliis, ut infra: Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Et 1. Petri 3.: Conscientiam bonam retinentes. Item ad Corinth.: Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae. Nec simul manent haec duo pugnantia, Actio qua violat homo legem Dei sciens et volens, et illa fides, quae est fiducia misericordiae accipiens remissionem, quia Iusiurandum dicit, Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Oratio copulativa est, id est, non fit vivificatio fide, donec nulla fit conversio, id est, donec aliquis habet propositum peccandi. Et talia delicta nominantur usitate peccata mortalia, cum effunduntur Spiritus sanctus et fiducia misericordiae, et sic lapsi, tunc sunt rei irae Dei et aeternae mortis, iuxta illa dicta, Propter hoc venit ira Dei super inobedientes. Nec recipiendae sunt fanaticae imaginationes eorum, qui fingunt semel renatos non posse rursus effundere Spiritum sanctum, cum manifeste dicatur 2. Petri 2.: Si rursus superantur ab inquinamentis quae effugerant, fiunt eis posteriora peiora prioribus. Item: Qui stat, videat ne cadat. Ideo simus vigilantes, ut iusticia bonae conscientiae retineatur, id es, bonum propositum.

Et fide non simulata.

Nec incoari dilectio Dei potest, nec placent opera Deo nisi praecedente fide. Ne autem fides intelligatur tantum de noticia, qualis est in diabolis, addit particulam, Ne sit simulata. Est igitur fides non simulata assensio, qua amplectimur omnia dicta Evangelii, et in his promissionem gratiae, et est fiducia acquiescens in mediatore iuxta eam promissionem. Haec fiducia, quae quidem, cum in veris doloribus consoletur et erigat corda, et quasi ex inferis retrahat, sentiri potest, discernit otiosam noticiam a non simulata fide. De hac fide dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Nec aliter intelligit Paulus vocabulum fidei hoc loco. Cumquae sciamus corruptelas doctrinae Pauli excogitatas esse, postquam vocabula falso intellecta sunt, simus diligentes in retinenda propria significatione, qua retenta, nec obscuritas nec ambiguitas est in Pauli oratione.

Ut autem haec brevis summa hoc loco intelligatur, mente intuenda est tota doctrina de Iustificatione, videlicet in vera poenitentia seu doloribus vocem Evangelii audiri et cogitari necesse est, quae propter filium Dei Gratis, non propter

ullam nostram dignitatem simul offert haec quatuor, remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, Spiritum sanctum et haereditatem vitae aeternae. Est autem mandatum Dei aeternum et immotum de *Filio:* Hunc audite. Necesse est igitur assentiri promissioni offerenti reconciliationem, videlicet illa bona, quae dixi. Hac fide homo vere accipit remissionem peccatorum, imputationem iusticiae et Spiritum sanctum, et fit haeres vitae aeternae propter filium Dei Gratis, non propter propriam dignitatem aut meritum. Et in hanc sententiam usitata est oratio in nostris Ecclesiis, Sola fide iustificamur. Significat enim iustificari accipere remissionem peccatorum et imputationem iusticiae, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti, et haereditas vitae aeternae.

Et manifestissimum est ideo de imputatione dici, quia nondum habemus illam totam novitatem, de cuius transfusione monachi dicunt, sed sumus iusti donata remissione peccatorum, et imputata nobis iusticia filii Dei, et quasi ea vestiti per imputationem, et tamen verissimum est, simul incoari in nobis novitatem, quae fit Spiritu sancto effuso in corda nostra, et accendente in nobis fidem, et alias virtutes, et copulante nos filio Dei, regnanti ad dexteram aeterni patris, sicut dicitur Actorum 2.: Dextera Dei exaltatus accepit promissionem Spiritus sancti, quem effudit in nos.

Prorsus etiam reiicienda est imaginatio, quae fingit hominem tantum initio praeparari fide, postea vero iustum esse propria dilectione, seu propriis virtutibus, ut cum dicimus: Motus calefacit, Motus praeparatio est, postea calore sumus calidi. Sed persona fide recepta deinceps etiam est iusta, id est, accepta Deo ad vitam aeternam, non propter proprias virtutes, quia multum adhuc manet in nobis sordium, sed propter mediatorem sola fide, qua et deinceps habemus remissionem peccatorum, et imputata iusticia mediatoris vestiti sumus. Placet autem nova obedientia in reconciliato, hac ipsa confessione praecedente, quod adhuc multae magnae sordes in nobis haereant, iuxta illud: Non iustificatur in conspectu tuo omnis vivens. Sed placet tamen et haec incoata obedientia propter mediatorem fide.

Haec saepe alibi copiosius recitantur, unde sumatur explicatio longior. Nunc tantum breviter haec recensui, ut iuniores admoniti sciant Paulum loqui de hac ipsa fide, de qua alibi inquit: Fide iustificati pacem habemus. Et hanc in quotidiana invocatione et in consolationibus exerceant.

Bona est Lex legitime utenti.

Recitata summa ingreditur in commemorationem de usu legis. Nam multi ex Iudaeis adhuc somniantes mansuram esse politiam Mosaicam, contendebant ritus Mosaicos necessarios esse, ut recens tunc fuerat agitata haec controversia in Synodo, quae recitatur in Actis capite 15. Itaque ut saepe alibi, ita hic quoque reprehendit illos errores propugnantes legem Moysi, et pauca addit de usu legis.

Est autem insignis propositio, Bona est Lex legitime utenti, ubi monet de usu legis multa consideranda esse, videlicet et ipsarum legum discrimina, et fines legis. Notum est autem unam legis partem, scilicet Moralem, quam nominamus Decalogum, sapientiam aeternam in mente divina esse, cuius noticia in homines transfusa est, ut vere agnosceretur Deus, et omnes vires nostrae congruerent cum mente et voluntate Dei. Etsi autem postea natura hominum aversa est a Deo, tamen in toto genere humano manent hae noticiae aliquo modo, quia Deus vult ab omnibus agnosci suum iudicium adversus peccatum, vult etiam homines quanquam non renatos frenare et coërcere locomotivam.

Aliae duae partes, videlicet Leges forenses, et Ceremoniae, erant nervi huius politiae Israël, interituri cum ipsa politia. Sed de omnium partium usu haec propositio vera est: Nulla opera legis, neque moralia, neque alia, merebantur remissionem peccatorum, nec erant illa res, qua David, Ieremias, Daniel, et similes erant iusti coram Deo, sed erant disciplina, qua non renati frenabantur, et exercitia, in quibus renati declarabant suam obedientiam et confessionem. Praeterea ritus erant signa discernentia hanc politiam ab aliis, quia voluit Deus notum esse populum, ex quo nasceretur redemtor, eamque ob causam voluit tunc certam esse Ecclesiae suae sedem. Hoc consilio politiam illam ita constitutam esse, et peculiaribus ritibus distinctam ab aliis gentibus, sciri necesse est.

Sed iam dicamus de Decalogo, id est, de naturali et perpetua lege, omissis caeteris legibus. Nam de hac ipsa parte, videlicet de lege morali, inquit Paulus: Lex est posita iniustis, id

est, urget et premit iustos. Et addit exempla pertinentia proprie ad legem moralem: ait esse positam periuris, homicidis et scortatoribus.

Hic primum sit infixa mentibus vera doctrina contra Antinomos, legem moralem non esse mutabilem aut otiosam, sicut lex Spartana de nummo ferreo, aut lex Thebana de collocandis in cophinum obaeratis non solventibus: sed esse aeternam et immutabilem sapientiam in mente divina, cuius noticia creaturae rationali tradita est, ut sciamus essē Deum, et qualis sit, et quod sit vindex, et quod semper nos obliget. Primum, ut obtemperemus.

Secundo, si non obtemperemus, ut horribiliter haec natura contumax destruatur. Quia Deus iam propter haec irascitur, sicut usitate dicitur: Omnis lex obligat vel ad obedientiam vel ad poenam. Et hanc obligationem legis valde perspicue intellexit Adam, cum post lapsum sensit iram Dei, et iudicavit se iusto iudicio Dei penitus delendum esse, nec argumentum hoc ulla creatura solvere poterat, sed intervenit filius Dei, qui et obedientiam praestitit, et poenam in sese derivavit, ne lex esset irrita, et tamen servarentur homines.

Haec saepissime cogitanda sunt, ut aliquo modo discamus res esse maximas, legem Dei, peccatum, iram Dei, ordinem certissimum iusticiae Dei irrogantis poenam. Ideoque exempla quotidiana in promptu sunt, mors, et aliae ingentes calamitates hominum, morbi, dolores, caedes, vastationes. Hae communes miseriae sunt effectus ordinati legis, et testimonia irae Dei adversus peccata, sicut dicitur Psalmo 38.: Propter iniquitates corripis hominem. Et valde dolendum est, homines securos ruere in varia scelera, quasi lex Dei sit inanis pictura.

Sciamus igitur veritatem Dei esse, et usum eius recte intelligamus. Sunt autem usus adversus non renatos duo universaliter, Coërcere et Punire. Docendi sunt igitur etiam non renati se inclusos esse carcere legis, et disciplinam praestandam esse propter haec quatuor.

Primum: Quia Deus eam praecipit, et omnes creaturae Deo obedientiam debent.

Secundo: Ut vitent poenas praesentes et aeternas, quia nequaquam dubium est atrocia scelera in hac vita atroces poenas comitari, iuxta illa dicta: Gen. 6., Matth. 26.: Qui acceperit gladium, gladio peribit. Item, Exod. 20.: Non habebit Deus insontem eum, etc. Item, Ebr. 13.: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Item, Proverb. 12.: Labium mendax abominabitur Dominus. Has regulas veras esse et ordinem divinum, quem Deus exequitur, quotidiana experientia ostendit.

Tertio: Vult Deus singulos et aliorum vitae parcere, non enim nobis tantum nati sumus, sed communis cognatio est in genere humano, et singuli communem societatem fovere debent, et execranda est illa vox Cain, Gen. 4.: Nunquid ego custos sum fratris mei? Frenandi sunt igitur impetus, in singulis, ut alii vivere possint, ne dissipetur societas, nec turbentur educatio et institutio. Hae tres causae facile intelligi possunt.

Quarta causa est, de qua Paulus loquitur ad Galatas 3. capite: Lex est paedagogus in Christo, id est, non possunt doceri homines, ubi nulla est disciplina, Item beneficia filii Dei non intelliguntur sine agnitione peccati, Item non accipiuntur, donec homines perseverant in sceleribus contra conscientiam.

Hae causae omnes ad diligentiam regendae disciplinae hortentur, quam quidem regere aliquo modo possibile est homini etiam non renato: quia Deus vult reliquam esse libertatem voluntatis in homine ad regendam locomotivam.

Est autem disciplina gubernatio locomotivae, etiamsi corda sunt immunda, ut quod Achilles admonitus a ratione retrahit manum, ne interficiat Agamemnonem, gubernatio est locomotivae, etiamsi cor ardet ingenti incendio.

Praeterea sciendum est, etiamsi disciplinam praecipit et flagitat Deus, et horribiliter violationem disciplinae punit, tamen disciplina nequaquam meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia coram Deo, qua homines iusti, id est, Deo accepti sint: sed tegit nos, sicut folio fici Adam et Eva suam immunditiem et horrendam contaminationem tegebant, id est, Est qualecunque frenum, quod vitae et societati necessarium est.

Memineris etiam hoc dicto: Lex est iniustis posita, approbari totum ordinem politicum, imperia, coniugium, distinctionem dominiorum, contractus, iudicia, poenas: quia nervi huius ordinis propriissime sunt praecepta Decalogi. Cum autem Decalogus verissime sit sapientia Dei, manifestum est et hunc ordinem politicum suo genere rem bonam esse.

Alter usus legis in non renatis est condemnare ad poenas praesentes et aeternas, suntque initium iudicii divini et destructionis poenae praesentes, ex quibus liberantur aliqui, videlicet hi qui ad Deum convertuntur, alii non liberantur, sed ruunt ex illis in aeternum exitium. Ut praesens calamitas Saulis initium est poenarum, quae in omni aeternitate ipsum opprimunt, est et Davidis calamitas initium iudicii et destructionis, sed hic liberatur, quia petit et accipit remissionem peccatorum fiducia redemtoris. De hoc usu legis, videlicet de condemnatione loquitur Paulus 1. Corinth. 15. inquiens: Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati lex est. Et Roma 7.: Per legem peccatum fit excellenter peccatum, id est, valde reum, id est, reatus, ira Dei, proiectio, sentiuntur lege nos accusante. De his doloribus inquit Ezechias, Esaiae sap. 38.: Sicut leo rugiens contrivit omnia ossa mea.

Dixi de usibus legis in non renatis, ac in secundo usu de condemnatione discernendi sunt hi qui convertuntur, ab aliis qui non convertuntur. Nam conversi liberantur a condemnatione, et tamen hi quoque sentiunt initia huius horrendi iudicii et multas poenas, sicut David, Ionathas et alii.

Priusquam autem dicimus de usu in renatis, prius declaranda est sententia: Iusto non est lex posita. Haec ut recte et simpliciter intelligatur, antithesis consideranda est consilii Pseudoapostolorum et consilii Paulini. Contendebant Pseudoapostoli legem servandam esse, ut his operibus homines fierent iusti, et magis magisque fierent iusti, sicut diceret materfamilias filiae, tot horis nihil gustes, et postea unico ferculo contenta esto, et bis bibas, et sic eris temperans, et hac assuefactione magis temperans eris. Hoc modo de disciplina recte dicitur, sed nequaquam facienda est confusio disciplinae et iusticiae coram Deo. Falso transferunt hoc exemplum Pseudoapostoli ad iusticiam coram Deo. Opponit igitur Paulus huic errori et confusioni hoc dictum: Iusto non est lex posita, scilicet quo ad iustificationem. Lex non est proponenda, ut homo fiat iustus lege vel operibus, vel magis iustus, sed prorsus alia res proposita est, qua homo fit iustus coram Deo, scilicet filius Dei, propter hunc es iustus fide, id est, habes remissionem peccatorum et imputatam ipsius iusticiam, et propter ipsum: et es donatus Spiritu sancto et haereditate vitae aeternae.

Haec est prima recta et simplex enarratio: Iusto non est lex posita, scilicet quo ad iustificationem, ut homo lege fiat iustus vel magis iustus coram Deo, iam habes hoc beneficium aliunde: ut si diceremus monachis, Stulti quid agitis, vultis instituere opera et condere leges, ut homines fiant iusti: Nequaquam alia re nobis credentibus in filium Dei opus est ad iusticiam, sed propter ipsum donantur remissio peccatorum, imputatio iusticiae, Spiritus sanctus et haereditas vitae aeternae.

Sequunter et aliae interpretationes, quae magis usitatae sunt, Iusto non est lex posita, scilicet quo ad coactionem, item quo ad condemnationem. Ac interpretatio de condemnatione continet utilem doctrinam, et congruit cum dictis, Roma. 5.: Iustificati fide pacem habemus. Item, Roma. 6.: Non estis sub lege, sed sub gratia. Item, Roma. 8.: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Sic dicitur: Iusto non est lex posita, id est, lex non condemnat fide iustum, etiamsi multum adhuc sordium et peccatorum in hac tanta infirmitate nostra circumferimus, sed loquitur dictum de Iusto, id est, de habente veram fidem, qui conversus ad Deum fiducia filii Dei receptus est. Hic agnoscit et deplorat reliquias peccati, sed tamen scit eas tegi per filium Dei, et repugnat malis opinionibus et vitiosis cupiditatibus, Haec interpretatio perspicua est, et consolationem piis mentibus affert. Et verbum κεῖται singularem habet emphasin, quasi dicat: Credentem lex non opprimit tanquam immota et sine ulla mitigatione.

Augustino familiarior est interpretatio de coactione, Renatus Spiritu sancto iam volens obtemperat, ut mater sponte amat et alit sobolem non coacta lege, etiamsi lex quoque id praecipit: sed quia magna infirmitas in hac vita manet reliqua, multi etiam renati disciplina frenandi sunt, ut de pueris manifestum est, ideo hanc interpretationem relinquo.

Quis est autem usus legis in renatis? Usitata nobis responsio est et satis concinna, si dextre accipiatur, Credentes liberi sunt a lege, quod ad condemnationem attinet, non quod ad obedientiam attinet, id est, sunt iam reconciliati, et placent Deo, quanquam legi non satisfaciant: sed inde non sequitur, licere eis ruere contra conscientiam: quia semper manet hic ordo, ut creatura rationalis Deo obediat, sed hoc est Evangelii

beneficium, quod obedientia imperfecta Deo placet. Nec enim concedit Evangelium contemtum Dei contra conscientiam, ideo dicitur, Matth. 5.: Nisi iusticia vestra excellet supra iusticiam Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum. Item: Non veni solvere legem, sed implere. Et implet ipse, ut simul in nobis restituat, ut Roma. 8. dicitur: De peccato damnavit peccatum, ut iusticia legis impleatur in nobis, non secundum carnem ambulantibus. Item, Roma. 3.: Legem stabilimus per fidem, id est, ideo recipimur et renovamur, ut iam fiat lex et placeat.

Haec sententia saepe repetita est aliis crassioribus formis loquendi, 1. Corinth. 6.: Ne erretis, scortatores, idolatrae, adulteri etc. non possidebunt regnum Dei. Et 1. Ioannis 3.: Nemo decipiat vos, qui facit peccatum, ex diabolo est. Et Roma 8.: Debitores sumus, ut non secundum carnem ambulemus. Nec debitum significat violentiam, sed immotum ordinem, quo creatura rationalis creatori subiecta est. Et hoc ipsum est debitum, ut obedientia sit spontanea. Et Zacha. 8. dicitur: Veritatem et iudicium pacis iudicate in portis vestris, et malum contra proximos non cogitate, et iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim haec sunt quae odi, dicit Dominus. Item, Psalm. 5.: Non Deus volens impietatem tu es.

Manet igitur illa voluntas in Deo aeterna et immota, quae discernit bona et mala, et vult bona, et vult obedientiam creaturae congruentem suae voluntati, et patefactam per filium, de quo dicitur, Matth. 17.: Hunc audite. Ideo et in iuramento dicitur, Ezech. 33.: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Utrumque enim complectitur Iusiurandum, mandatum de conversione, et promissionem reconciliationis. Ex his omnibus intelligi potest recte dici, obedientiam, quae incoatur fide, et subiicit nos voluntati Dei, quam lex ostendit, necessarium esse.

Secundo manet lex renatis, quod ad doctrinam attinet, quia oportet eos habere testimonium expressum, qui cultus Deo placeant, ideo dictum est ad Timotheum, 2. Timoth 3. capite: Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.

Tertio liberatio a lege clarius intelligitur, cum intuemur integram liberationem, qualis erit in nobis in vita aeterna, ubi in luce divina vivemus sine peccato, sine morte, sine aliis calamitatibus: sed in hac vita haerent in nobis reliquiae peccati, mors, et multae calamitates. Sicut igitur manent mors et aliae poenae, ita manet lex quo ad reliquias peccati: nam haec omnia simul nos accusant, lex, mors et aliae poenae. Pulso Davidi sua calamitas est vox legis, sed ita fit liber a lege et a morte, quia fide eluctatur. Sic igitur iusto, quatenus est iustus, id est, quatenus fide vincit, non est lex posita, non condemnat eum. Hanc doctrinam de liberatione a lege, et de usibus legis breviter hic recitatam, alibi copiosius expositam relegite.

Quia ingnorans feci.

Discernit persecutores, ut Roma. 10. et 11. aliqui convertuntur, aliqui non convertuntur. De hoc discrimine et Matthaei 12. dicitur: Qui dixerit sermonem contra filium hominis, remittetur ei, Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hac neque in futura vita. Hic multa disputantur de blasphemia seu de peccato irremissibili. Nos prius teneamus hanc regulam, Mandatum de conversione sine ulla dubitatione universale est, sic et sine ulla dubitatione promissio Gratiae universalis est, sicut Dominus inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis. Et horrenda contumelia est adversus filium Dei, cogitare regnum diaboli potentius esse Christo, cum quidem dictum sit Roma. 5.: Gratia exuberat supra peccatum. Et sancita sit promissio iureiurando, Vivo ego, nolo mortem peccatoris, etc. Confugiamus igitur ad filium Dei, et sustentemus nos promissione, et repugnemus dubitationi.

Haec sunt mandata divinitus, et tales sentient consolationem et recipientur. Ita iudicemus a posteriore, hos non habuisse peccatum irremissibile. Sic servatus est Paulus et alii multi persecutores: et quidem Paulus inquit, suam conversionem exemplum et testimonium esse regulae, quod Deus vere velit Gratis propter filium recipere peccatores confugientes ad filium. Sic servati sunt Aaron et Petrus, quanquam scientes lapsi sunt.

Contra vero multi persecutores pereunt horribili odio Dei, ut Iudas, de his a posteriori indicari potest, habuisse eos peccatum irremissibile: sed iidem scientes et volentes perseverarunt in illo horribili odio adversus Deum, nec confugerunt ad filium Dei. Nec subtilius quaeramus a

priori, quod sit peccatum irremissibile. Paulu aliquod discrimen indicat, cum ait: Quia igno rans feci.

Sed hic oriuntur quaestiones, Aaron, Petrus, Manasses, non peccaverunt ignorantia, et tamen recepti sunt, et esse aliquod discrimen exempla ostendunt. Aliter deliquit diabolus sciens et superbe despiciens Deum, aliter Adam, Aaron, scientes, sed superati infirmitate? Sed nos omittamus has quaestiones, et indicemus de voluntate Dei iuxta verbum ipsius: Hunc audite. Omnis qui credit in filium, habet vitam aeternam, Anteferamus filium Dei, et iusiurandum toti regno peccati. Sciamus etiam anteferendum esse filium Dei voci legis: etsi autem haec pugna difficilis et magna est, tamen hae regulae verae sunt, et non negligendae, iuxta illud Moysi capite 18.: Qui non audierit filium, ego ultor ero.

Hanc consolationem veram, ut dixi, teneamus, et nos ipsos exuscitemus, et alios omnes hortemur ad poenitentiam et ad fidem, sicut et Apostoli hos ipsos hortantur ad poenitentiam, quibus Acto. 4. dicunt: Hunc autem Iesum vos crucifixistis. Et multi ex his vere conversi sunt ad Deum. Et sint nobis in conspectu exempla Aaron, Pauli et multorum aliorum, qui cum fuissent persecutores, postea conversi sunt.

Si qui vero nolunt audire hanc consolationem, quid attinet de eis disputare, cum eo ipso horribiliter peccent, quod tunc negant vocem Evangelii, Gratia exuberat supra peccatum. Et ita ardent odio, ut potius malint fieri aeterni hostes Dei, quam confugere ad filium. Hoc modo pereunt multi omnibus aetatibus, ut Saul, Achitophel, Iudas, Arius, et nostro tempore Latomus Lovaniensis, Hoffmeister, et alii multi, quorum exemplorum cogitatione expavescamus, et petamus nos regi et confirmari Spiritu sancto. Sicut scriptum est Luc, 11.: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et pio studio discamus veritatem, et caveamus ne eam oppugnemus.

Caeterum sunt discrimina inter errata ignorantiae, et delicta contra conscientiam, quae etiam multiplicia sunt. Nam et affectata ignorantia delictum est contra conscientiam: et interdum fit affectata ignorantia blasphemia, ut in multis Pharisaeis, cum videlicet corda convicta testimoniis divinis, tamen ardent odio, et conantur delere vocem Dei: et aliis persuadere, esse eam diabolicam. Haec discrimina peccatorum indicari postea possunt, cum videmus aliquos indulgentes suis furoribus ad poenitentiam redire noluisse.

Certus est sermo.

Supra de Lege concionatus est, nunc inserit summam Evangelii, sed valde breviter, quia scribit ad auditorem, qui fuerat ipsius comes longo tempore, et bene cognoverat totam doctrinae vocem. Ac initio asseveratio posita est, Certus est sermo et firmissime amplectendus. Hac asseveratione in nobis quoque fidem confirmemus, ut ex dubitationibus eluctemur, et vere statuamus nos recipi et exaudiri

Hic autem repetat unusquisque apud sese integram doctrinam de Iustificatione, de qua semper eodem modo dicimus, et exordium doctrinae ex verbis Domini sumimus: Ite praedicantes poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo. Haec fieri oportet in conversione. Primum oportet argui peccatum, perterrefieri corda, sicut et Dominus inquit, Marc. 1. cap.: Agite poenitentiam. Et 2. Corinth. 7. dicitur: Tristitia secundum Deum poenitentiam efficit ad salutem. Et Esaiae ultimo: Ad quem respiciam? ad contritum et humiliatum, et trementem sermones meos. Et iusiurandum flagitat in nobis conversionem cum inquit, Ezech. 18. et 33.: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et Exempla congruunt, Adam, Eva, David, accusantur et horribiliter expavescunt.

Hos pavores et sensum irae Dei vocaverunt usitate contritionem, de qua recte docendi sunt homines, ne vel nobis ipsi blandiamur coeca securitate, vel ruamus in desperationem, vel laedatur gloria filii Dei, et deleatur Evangelium, sicut monachi tetros errores finxerunt, quibus Evangelium prorsus obscuratum est, et vera consolatio piis mentibus erepta est. Quanquam enim verum est, oportere in nobis esse aliquam contritionem, aliquos pavores, et dolores quod Deum offenderimus, tamen hi duo errores falsissimi sunt, quod oporteat sufficientem esse contritionem, et quod sufficiens contritio mereatur remissionem peccatorum. Primum enim nulla potest esse sufficiens contritio, et cum crescit dolor sine consolatione, mergitur homo in mortem et in aeternum exitium, iuxta illud Roma. 3.: Lex iram efficit. Item, 2. Corinth. 3.: Lex occidit. Deinde certissimum est remitti peccata Gratis

propter filium Dei, et nequaquam propter nostram contritionem vel dilectionem.

Sed perterrefactae mentes audiant vocem Evangelii, quam hic recitat Paulus. Certus est sermo et firmissime amplectendus, quod Christus venerit in hunc mundum salvos facere peccatores. Vult enim hoc dicere Paulus, vocem Evangelii de gratuita reconciliatione nequaquam notam esse iudicio naturali, nec esse vocem legis, sed singulare et mirandum decretum esse divinitatis de redemtione generis humani per filium. Ideo diserte inquit: Christus Iesus venit in mundum, quasi dicat: Iubeo te causam considerare, cur in mundum venerit filius Dei. Non est missus sicut Moyses aut alii Prophetae, sed fuit hic mediator antea, et nunc ideo ad nos venit, ut fieret victima: et sciri oportet quae beneficia attulerit, et quomodo nobis adplicentur. Adfert autem remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, donationem Spiritus sancti et vitae aeternae, et post hanc vitam resurrectionem et vitam aeternam. Accipiuntur autem in hac vita propter ipsum Gratis, non propter nostra merita, Sola Fide, remissio peccatorum, imputatio iusticiae, donatio Spiritus sancti et vitae aeternae. Haec est vox Evangelii propria, cuius intellectum nativum, ut retineamus, vocabula recte intelligenda sunt: nam ex depravatione vocabulorum aliae tenebrae ortae sunt.

De vocabulo Iusticiae.

Hebraica phrasis est in verbo Iustificari, ut si dicam, Scipio iustificatus est accusantibus tribunis plebis, id est, absolutus est, et, pronunciatum est eum esse iustum. Ita hic iustificari homines propter mediatorem, est accipere eos remissionem peccatorum, et pronunciari iustos, id est, reputari iustos seu acceptos propter ipsum, imputata nobis iusticia ipsius. Et cum hac acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti et vitae aeternae.

Et fit magis perspicuum vocabulum Iusticiae, cum significatio Paulina discernitur a modis philosophicis. Nam Iustus more philosophico significat habentem seu iusticiam universalem seu particularem. Sed quia non sumus iusti coram Deo impletione legis, ideo in Evangelio annunciatur alia iusticia, scilicet remissio peccatorum et reconciliatio propter filium Dei. Necesse est igitur significationem vocabuli discernere a philosophicis modis. Cum ait Paulus, Iustificati fide pacem habemus, id est, reconciliati seu accepti Deo propter Christum fide pacem habemus. Et conscientia in magnis consternationibus agnoscit te immundum esse, non circumspectat suas qualitates, sicut clamitat Propheta, Psalm. 143.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, scilicet propria munditie seu propriis qualitatibus. Sed de imputatione postea plura dicemus.

De vocabulo Fidei.

Certissimum est fide in hac doctrina non tantum significari noticiam, quam et diaboli tenent, sed significari simul noticiam historiae, et assensionem, qua promissionem tibi applicas, et fiduciam acquiescentem in mediatore et in Deo, iuxta promissionem: et sic loqui Hebraeos non dubium est, iuxta illud dictum, Matth. 15.: O mulier, magna est fides tua. Et complectitur haec fides totum symbolum, in quo et illum articulum profitetur, Credo remissionem peccatorum. Hic enim exprimuntur beneficia Dei et mediatoris, de quo articuli praecedentes loquuntur, et hunc articulum sic ad sese applicent singuli, Credo remissionem peccatorum non tantum aliis dari, sed mihi quoque. Haec fides recte amplectitur promissionem, qua tibi ipsi credis exhiberi remissionem et reconciliationem, ut Roma. 4. adfirmat Paulus se de ea fide loqui, quae promissionem accipit, videlicet, qua tibi ipsi promissionem applicas, cum inquit: Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio.

Etsi autem scriptores post Apostolos fuerunt negligentiores, tamen interdum quid senserint ostendunt. Estque dictum Bernardi tenendum, quia testimonium perspicuum est, et ad confirmandos aliquos prodest. Necesse est primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde, ut credas et hoc, quod per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus Gratis iustificari hominem per fidem. Haec verba extant in prima concione de annunciatione.

Sit igitur definitio fidei. Fides est assensus, quo amplectimur totam doctrinam a Deo nobis traditam, et in hac promissionem Gratiae quoque,

et est fiducia acquiescens in mediatore et in Deo iuxta promissionem, et clamans: Abba Pater.

In hac doctrina necesse est et recte intelligi vocabula Legis, Evangelii, Peccati, Gratiae, de quibus alibi dictum est, enarratis vocabulis, propositio fit perspicua: et eam accommodemus ad nos docendos et consolandos in doloribus, et quotidie in invocatione: non propter ulla merita nostra, sed propter filium Dei Gratis, certo accipimus remissionem peccatorum, et reputamur iusti, imputata nobis iusticia mediatoris, et donamur Spiritu sancto, et haereditate vitae aeternae, Fide, id est, fiducia mediatoris. Et mandatum Dei immotum et aeternum est, ut credamus vere nos sic recipi et placere propter filium, ut Iohannis 3. dicitur: Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Ac sint in conspectu testimonia caetera, Roma. 3. et 4. et alibi, non solum ut refutare adversarios possimus, sed multo magis ut nos ipsos consolemur et confirmemus. Meminerimus etiam simul haec quatuor comprehendi, Remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, donationem Spiritus sancti, et haereditatem vitae aeternae.

Antithesis etiam consideretur, in qua duo sunt praecipua membra. Primum monachi vociferantur, homines mereri remissionem, et esse iustos et mereri vitam aeternam propter propriam legis impletionem. Deinde, quia nemo scit, quando satis habeat meritorum, iubent homines semper manere in dubitatione. Hae duae imaginationes sunt ethnicae, ortae ex humana ratiocinatione, quae utcunque legem intuetur, et non novit Evangelium: sicut Socrates, Xenophon, et similes de voluntate Dei ambigentes disputarunt.

Contra vero opponantur his tenebris conciones Evangelii de gratuita reconciliatione propter filium, et de fide, et sciamus mandatum Dei esse, ut credamus nos sic recipi propter filium fide, et assidue repugnemus dubitationi. Haec antithesis iunioribus aliquid lucis adfert. Hi praemonendi sunt etiam de corruptelis.

Monachi sic corruperunt hanc propositionem, Fide iustificamur, scilicet formata dilectione, ac fidem intelligunt tantum noticiam, et somniant hominem iustum esse propter dilectionem, id est, legis impletionem. Haec depravatio expresse pugnat cum Paulo, quia dicunt: Non fide, sed propter dilectionem sumus iusti, cum Paulus clare dicat, Roma. 3., Galat. 2. et 3.: Impossibile est legi iustificare. Etsi autem alii alios fucos verborum quaesiverunt, tamen eodem tendunt omnes corruptelae: fingunt nos iustos esse nostra novitate, et removent hanc consolationem, nos propter filium Dei Gratis Deo placere fide. Refutari igitur omnes corruptelae possunt per haec dicta, Psalmo 143.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Daniel. 9. cap.: Non in iusticia nostra, sed per misericordiam tuam propter Dominum exaudias nos. Item, 1. Corinth. 4.: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iusificatus sum.

Corruptela apud Origenem similis est corruptelae apud monachos.

Recens depravatio est, fide scilicet praeparante iustificamur, ut deinde alia re simus iusti, ut si dicatur, Motus calefacit, postea vero corpus non calet motu, sed calore. Sic volunt isti postea hominem sua novitate iustum esse. Oppono rursus dictum illud, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item, Retineri necesse est hanc sententiam, quod imputatione propter mediatorem simus iusti. Ac tollere doctrinam de imputatione, et pro ea subiicere hunc errorem, quod homo sua novitate iam sit iustus, manifesta impietas est pugnans cum hoc dicto, Genes. 15. et Roma. 4: Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iusticiam.

Nec illa imaginatio congruit cum Evangelio, quod homo sit iustus propter commixtionem corporalem Christi cum anima vel corpore nostro, quia proprie de Spiritu sancto dictum est, quod effundatur in corda nostra, et sit immediata persona sanctificans, ut in Actis capite 2. dicitur: Dextra Dei exaltatus, accipiens promissionem Spiritus sancti a patre, effudit eum in nos. Et Galat. 4.: Misit Deus spiritum filii sui in corda nostra.

Difficile est indicare labyrinthos, qui tam varie struuntur contra veritatem, sed iuniores recte discant fundamenta propter gloriam Dei, et propter propriam salutem. Recte cognitis fundamentis, cum accedet aetas et usus, refutare contrarias imaginationes poterunt, Et quae diximus congruunt ad doctrinam de Regeneratione. Cum enim in veris pavoribus corda voce Evangelii sustentantur, Spiritus sanctus simul est efficax,

et accendit fidem et alios motus spirituales, sicut ad Galatas 3. dicitur: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Haec sunt initia regenerationis in conversis, de qua dicitur Roma. 8.: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Item: Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Nequaquam enim hoc docemus, hominem iustum esse, aut sanctificari, aut liberari a peccato et a morte aeterna propriis viribus, aut actionibus: sed haec sanctificatio et vivificatio opus est Dei, efficientis eam suo Spiritu sancto, et tunc renati vere sunt templum Dei. Etsi enim haec sanctificatio est proprietas attributa Spiritui sancto, tamen verum est, simul totam divinitatem esse, sicut inquit Dominus Ioh. 14.: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Hoc ingens bonum agnoscendum est, et Deo gratiae agendae, quod immensa misericordia ita se propter filium demittit, ut hanc miseram naturam et magnas sordes adhuc circumferentem tamen recipiat, et vere in ea adsit, eam regat, defendat contra diabolos, et luce et vita aeterna donet: et curemus hoc tantum bonum retinere, nec contristemus Spiritum sanctum falsis opinionibus, aut lapsibus contra conscientiam, propter quos deseritur homo et ruit in regnum diaboli, ut 2. Petri 2. dicitur.

Quanquam autem renatus est templum Dei, et in eo revera est divinitas, et crescere in eo novam lucem et sanctificationem accensam a Spiritu sancto oportet: tamen haec sententia manet vera, personam iustam esse, id est, placere Deo non propter novitatem, sed reputari iustam imputata ei iusticia Christi, et placere propter filium mediatorem sola fide. Ita utrumque sciamus, fieri renovationem per Spiritum sanctum, et tamen hanc consolationem de imputatione tenendam esse. Et hanc fidem caeteris virtutibus et invocationi semper praelucere, iuxta illud, Roma. 5.: Iustificati fide pacem habemus. Non enim accedi potest ad Deum sine hac consolatione.

Postquam autem de conversione hominis dictum est: deinde usitatum est addere doctrinam de bonis operibus, quam docendi causa in has quaestiones distribuo. Prima: Quae opera sint facienda. Secunda: Quomodo fieri possint. Tertia: Quomodo placeant, cum reliquum in nobis sit peccatum. Quarta: Propter quas causas facienda sint. Quinta: Quod sit discrimen peccatorum. De his quaestionibus alibi copiose et explicate dictum est.

Secundum praecedentes prophetias.

Id est: Sicut antea habuisti de te vel super te testimonia Spiritus sancti.

Habens fidem et bonam conscientiam.

In fine primi capitis redditio est congruens ad initium. Sicut hortatus sum, ut praecipias aliis, ut doceant salutaria, id mandatum nunc quoque tibi commendo. Rursus autem inserit breve dictum, quod velut summa est doctrinae in Ecclesia necessariae: *Milites bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.* His duobus titulis complectitur totam vitam Christianam: quare notissimum sit omnibus, et sit tanquam regula vitae. Cum autem vocabula supra enarrata sint in simili dicto, Finis mandati est dilectio etc., non addo hic longiorem enarrationem: tantum hoc addam, utrumque oportet regi, fidem et bonam conscientiam, non imaginationibus humanis, sed verbo Dei. Sicut dicitur Galat. primo capite: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Item, Psalm. 118.: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item, Ezechielis capite 20.: In praeceptis meis ambulate. Nec fingant sibi homines vel dogmata, vel cultus, vel conscientiam suis imaginationibus sine verbo Dei vel contra verbum Dei.

Caput secundum.

Supra de duobus praecipuis capitibus doctrinae dictum est, videlicet de Lege et Evangelio. Nunc doctrinam de bonis operibus addit, et orditur a summo opere quod est precatio, de quo et hic dicit. Primum omnium facite precationes, significans id opus esse primum et summum in credente, et proprium Ecclesiae Dei. Continet autem hic locus amplissimam doctrinam de multis rebus, de precatione, de imperiis, de finibus seu officiis imperiorum, de vocatione omnium hominum, item contra προσωποληψίαν, item de mediatore. Deinde praecepta et consolationes matribus traduntur.

Primum autem hic lector integram doctrinam de invocatione apud sese cogitet, qualem esse invocationem in Ecclesia oporteat. Primum

discernenda est invocatio vera ab ethnica, sicut Dominus inquit Ioan. 4.: Vos adoratis quod nescitis. Sciendum est quid alloquaris in invocatione, et deinde cur et quomodo exaudiat Deus. Ita regenda est invocatio verbo Dei et fide. Et Paulus infra, 1. Timoth. 2. nos de modo admonet, Orate sine ira et sine haesitatione: ubi mira brevitate, ut in Epistola, copiosissimam doctrinam complectitur. Cum ait, sine haesitatione, complectitur promissiones et fidem, Mens intueatur mediatorem, et vera fide statuas te recipi, et exaudiri tuos gemitus et tuam invocationem, iuxta illud Iohannis 16.: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Cum autem inquit, sine ira, scilicet adversus Deum, tradit doctrinam de patientia. Vult nos non irasci Deo, non fremere adversus eum, sed aliquo modo flecti corda ad obedientiam in poenis et calamitatibus, sicut Psalmus 4. inquit: Irascimini, nolite peccare. Item, 1. Petr. 5.: Humiliamini sub potenti manu Dei. In hac parte etiam cogitanda est integra doctrina de patientia Christiana.

Secundo iubet orari pro imperiis, sicut et Ieremias capite 29. praecipit: Quaerite pacem civitatis, in qua eritis hospites, et pro ea orate. Hic multa simul significantur, imperia res bonas esse, et magna eorum pericula esse: quia diaboli tumultus sine fine movent, et horribiliter dilacerant genus humanum, ut augeant impias opiniones, blasphemias et alios furores, et faciant vastitatem et aeterna mala. Horum maximorum periculorum et tristissimorum spectaculorum cogitatio, exuscitet maiorem intentionem in precando. Significatur etiam, Deum velle tueri hospitia nostra et imperia, cum nos iubeat hoc beneficium petere.

Fines seu officia imperiorum sumantur ex Decalogo: apte enim dicitur, Magistratus est custos legis, videlicet primae et secundae Tabulae, quod ad externam disciplinam attinet. Primum curet recte doceri homines de Deo, sicut et Psalmus secundus praecipit, Et nunc reges intelligite, Et deleat manifesta idola, puniat blasphemos et periuros. Etsi enim non potest corda mutare, tamen externa scelera prohibere et punire debet, iuxta dictum Levit 24.: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur. Sic in secunda Tabula prohibeat et puniat externa delicta. Haec cum facit, disciplinam et pacem tuetur.

De his officiis et hic Paulus loquitur, nominat quatuor gradus, Sit gubernatio talis, ut vivamus in vera pietate, ut recte doceantur homines de Deo, et Deum recte invocent. Deinde nominat honestatem, id est, mores populi sint honesti, id est, non concedatur licentia libidinibus, furtis, latrociniis, helluationibus, ut apud Ethnicos multa horrenda scelera non puniebantur. Tertio facit mentionem pacis. Quarto tranquillitatis. Nominat enim vitam quietam et tranquillam, Quies opponitur bellis, tumultibus, seditionibus, latrociniis, vastationibus, in quibus multos interfici et dissipari manifestum est, omnes vero impediuntur in educatione, in instituenda sobole, in quaerendo victu et aliis rebus vitae necessariis. Tranquillitas vero significat εὐταξίαν, ordinem et concinnam connexionem civium, videlicet mutuam reverentiam, et beneficentiam, et modestiam, ut, non satis est civitates habere pacem, sicut Tartaris non inferimus bella, sed vita eorum est sine ordine, non sunt gradus hominum, non reverentia, non mutua beneficentia, non distincta tempora actionum, non cultura artium, multum petulantiae, multum rixarum, famosi libelli, temerariae et confusaneae concursationes hominum, et factiones, quales Romae fuerunt in petitione Magistratuum, et postea in electione Episcoporum, in qua saepe propter diversa studia suffragatorum multae caedes fiebant. Et talibus exemplis utcunque intelligi potest, quid nominet Paulus tranquillitatem.

Pingit igitur sapientissime bonum statum civitatis brevibus verbis: Vult in ea lucere veram Dei invocationem. Deinde addi honestam disciplinam, pacem et εὐταξίαν. Ita revera complexus est omnia necessaria in bona gubernatione. Et sit haec imago in conspectu non solum gubernatoribus, qui ad hanc ideam sua consilia dirigere debebant, sed etiam singulis hominibus suo loco, ut talem statum adiuvemus, primum ardenti precatione, deinde nostris obsequiis et exemplis, Non violemus pacem iniuriis, non turbemus ordinem petulantia et barbaricis moribus.

Hic quoque integra doctrina, quae in Ecclesia traditur de rebus politicis cogitanda est, quae sumatur ex libris, ubi copiosius recitatur, praecipue vero nota sit regula: Necesse est obedire non solum propter iram, id est, propter poenam, sed etiam propter conscientiam. Haec regula est praecipuus nervus gubernationis politicae in toto

genere humano, et magis munit imperia quam ulla alia sapientia vel potentia. Et ad hanc regulam referendum est dictum Pauli hoc loco. Hoc honestum et acceptum est coram salvatore nostro Deo, dicit haec ipsa officia, precationem pro potestate, pietatem, tueri honestam disciplinam, pacem et *εὐταξίαν*, esse opera Deo placentia, videlicet in credente suo ordine, sicut alibi de bonis operibus dicitur.

Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad veritatis agnitionem pervenire, etc.

Augustini interpretatio haec est: Deus vult omnes homines, id est, omnium graduum et gentium aliquos salvos fieri. Deinde addunt labyrinthos de praedestinatione, quibus turbari mentes nequaquam utile est: et illae turbulentae disputationes inde oriuntur, quod non consideratur discrimen lgis et gratuitae promissionis, et abducuntur mentes a gratuita promissione.

Intueamur autem non homines otiosis mentibus disputantes, sed oppressos veris doloribus, ut eos qui iam ad supplicia ducuntur, his non sunt proponendae quaestiones de praedestinatione, sed tenenda est doctrina, de qua dicitur Ioan 1.: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Haec voluntas de gratia et immensa misericordia Dei expresso decreto patefacta est, et vult eam Deus ex hac sua promissione cognosci, et promissio est universalis, iuxta haec dicta, Matth. 11.: Venite ad me omnes qui laboratis etc. Et Acto. 10.: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Et saepe repetita est universalis particula, et unde certitudo esset, si promissio non esset universalis?

Ad hanc universalem promissionem et revelatam voluntatem accommodo et haec dicta Pauli: Deus vult omnes homines salvos fieri, voluntate revelata in promissione, qua et verissime efficax est in iis, qui verbo se sustentant. Item dicitur: Apud Deum non est acceptio personarum.

Ac manifestissimum est in veris pavoribus, non alia consolatione mentes erigi posse, nisi agnitione filii, et mandatum est universale ad totum genus humanum pertinens, sonans in toto genere humano de filio: Hunc audite. Ad hanc consolationem cum haec dicta Pauli accommodantur, fient dulcissima, et gratum est in Deo aequalitatem videre. Nam cogitatio inaequalitatis, quod Deus aliorum peccatis durius irascatur, aliorum tetros lapsus negligat, et aliquos excerpserit, quibus velit esse familiarior spretis caeteris, tribuit Deo *προσωποληψίαν*, quae est tyrannica, et excruciat mentes horribili dubitatione.

Retrahit autem nos vox divina ad patefactionem, quae affirmat sine ulla dubitatione Deum vere irasci peccatis in omnibus, tam in Davide quam in Saule. Rursus etiam sine dubitatione Deum recipere omnes confugientes ad filium: sic iudicare nos cogit expressa promissio, quae est universalis. Et sit modus aliquis disputationum, nec quaerantur cavillationes ad labefactandam promissionem. Hac simplici enarratione contenti simus: Deus vult omnes homines salvos fieri, quod ad suam voluntatem attinet, iuxta revelatam promissionem, qua sine ulla dubitatione efficax est in accipientibus verbum, et se sustentantibus verbo.

Causam addit, quare Deus velit omnes homines salvos facere: quia, inquit, pro omnibus filius persolvit pretium. Simul autem hic docet nos de agnitione veri Dei, de vera invocatione, et de modo salvationis. Ac primum discernit verum Deum a commentitiis numinibus: Unus est Deus, inquit, ille scilicet, qui misit mediatorem Iesum Christum. Semper enim oportet sic apprehendi Deum, ut hunc vere esse Deum statuamus, et fide intueamur et compellemus, qui se patefecit data promissione de mediatore, et additis testimoniis. Sicut in primo praecepto dicitur: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Aegypto. Item: Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac, Iacob, id est, qui dedit promissiones patribus nostris. Omnes autem aliae patefactiones referendae sunt ad hanc praecipuam, qua se Deus patefecit misso filio. Et cum ait, Unus est Deus, complectitur tres personas. Opponit enim hoc dictum omnibus commentitiis numinibus, ut in Deutero. 6. capite: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus unus est.

Postea de filio ut de mediatore loquitur, ubi diserte inquit: Homo Christus Iesus, ut significet se ideo nunc nominare Filium, non quod excludat eum a divinitate, sed quod iam de mediatore loquatur, in quo duae naturae sunt, divina et humana. Est autem inter omnia summa opera sapientiae Dei supremum et arcanissimum omnium

hoc consilium, copulatio naturae divinae et humanae in redemtore, et hanc sapientiam in omni aeternitate discemus: sed iam utrunque pie et reverenter considerandum est, et quid sit mediator, et quare voluerit Deus constituere mediatorem, et quare talis sit, Deus et homo.

De Mediatore.

Sunt autem proprietates mediatoris quatuor.

I. Ut sit persona inter Deum irascentem peccato, et genus humanum reum peccati et irae Dei constituta, ut iusticiae Dei satisfaciat, sustineat iram pro peccato et deprecetur pro nobis.

II. Ut sit revelatus hic mediator, et expresso testimonio Dei ad hoc ordinatus, ut sit propiciator, sicut de filio Dei expresse dictum est, Roma. 3.: Quem constituit propiciatorem. Et in Psalmo 110.: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Et eadem loca sunt promissiones, quae testantur exaudiri hunc mediatorem.

III. Ut merita mediatoris applicentur invocantibus, et valeant pro eis, sicut de filio dicitur: Per unius obedientiam iusti constituuntur multi, Roma. 5.

IV. Ut in invocatione nominetur, et fiducia huius mediatoris ad Deum accedamus, et ipse nostra vota ad Deum perferat, et videat omnium corda, discernat vere et non vere invocantes, et sit efficax in invocantibus, ut iam fiant unum cum Deo, sicut ad Ephesios et Colossenses dicitur: Quod filius redigat sub unum caput, et adiungat nos aeterno patri.

Quare autem voluit mediatorem?

Quia redemtionem ita fieri voluit, ut iusticiae divinae tamen satisfieret, ideo mediator constitutus est, in quem effunderetur vera et non simulata ira iusticiae divinae adversus nostra peccata, et ut talis mediator esset pretium pro genere humano.

Quare autem talis est, Deus et homo?

Quia cum genus humanum peccasset, ordo iusticiae erat, ut homo poenas sustineret, ideo Paulus hoc loco diserte inquit: Homo Christus Iesus, qui dedit se pretium pro omnibus hominibus. Et tamen idem ille mediator est Deus, ut sit aequivalens pretium, et ut possit sustinere iram aeterni patris, vincere mortem, reddere iusticiam et vitam, ingredi in arcanum consilium aeterni patris, intercedere pro nobis, videre et iudicare omnium corda, opitulari et sanctificare. Ideo alibi inquit Paulus: In eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id est, personaliter, Colos. 2. Item: Per eum condita sunt omnia, Ephes. 1., ubi expresse de divinitate locutus est.

Hic et collatio consideranda est. In Epistola ad Galatas capite 3. Paulus de Moyse inquit: Lex est data per manum mediatoris. Haec verba sumta sunt ex historia, quae recitatur Exodi 20. et 34., ubi populus consternatus audita voce Dei inquit: Loquere tu nobis et audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. In hac historia significatum est, humanam naturam non posse sustinere vocem Dei iudicantis, seu iudicium Dei. Sicut et Deut. 4. dicitur: Deus est ignis consumens. Est autem ibi Moyses mediator typicus: nam nec ipse audire Deum potuisset, nisi filius fuisset umbraculum. Sicut Exodi 33. dicitur: Non videbit me homo et vivet, sed addit: Protegam te dextra mea. Non sustinet Moyses iram Dei, nec est propiciator, nec potest transfundere radios iusticiae et vitae in alios, ideo velatus est, ut significetur Typum proponi, sed alius est verus mediator Dominus noster Iesus Christus, qui et sustinet iram Dei, et est propiciator, et transfundit radios suae iusticiae et vitae in eos, qui ipsum audiunt. Ideo Paulus hic inquit: Unus est mediator, quia non de typico, sed de vero mediatore, loquitur, quem Roman. 3. nominat Propiciatorem, sicut supra dictum est, Ad mediatoris officium pertinere, ut sustineat poenam pro nobis, et sit propiciator.

Observent autem lectores hic repetitam esse universalem, qui dedit se ἀντίλυτρον pro omnibus hominibus, et vim vocabuli considerent, quod significat compensationem et pretium. Vult enim intelligi Paulus talem mediatorem, seu talem propiciatorem, qui in sese derivavit poenam. Et hoc tam grande pretium intuentes, agnoscamus Deum vere et horribiliter irasci peccatis, quia mirabili et inenarrabili sapientia copulatae sunt iusticia et misericordia in redemtione. Nec receptum est genus humanum, nisi ita, ut simul iusticiae Dei satisfieret. Hanc iustam iram Deus vult conspici. Rursus etiam vult erigi fidem et agnosci misericordiam, cum consideramus hoc

pretium longe antecellere nostris peccatis. Hic fons est omnium consolationum in summis doloribus. Nec potest haec admiranda doctrina satis copiose verbis exponi, sed tamen initia hic utcunque cogitanda sunt, et in quotidiana invocatione repetenda est, et precandum, ut ipse filius Dei mediator radios suae sapientiae et iusticiae in nos transfundat.

Levantes puras manus.

Semper in conspectu sit integra doctrina de precatione, et accendat nos ad invocationem et ad fidem consideratio voluntatis Dei, quae eo ipso fit illustrior, quia tam saepe repetitum est praeceptum de invocatione, sicut Taulerus dulcissime inquit: Nunquam pectus hominis tam avidum est ad accipiendum, quam avida est voluntas Dei ad dandam gratiam et salutem propter filium.

Quae res autem concurrere in precatione debeant, saepe alias dictum est. In his comprehenduntur et hae circumstantiae, quarum Paulus hoc loco mentionem facit. Levate puras manus, id est, non pollutas malo proposito, iuxta illud, Iohan. 9.: Peccatores Deus non exaudit.

Sine ira.

Id est, sine indignatione et fremitu adversus Deum, sed flectantur corda aliquo modo ad patientiam, iuxta illud 1. Petr. 5.: Humiliamini sub potenti manu Dei. Non deficiant corda superata indignatione, ut ruant vel in Epicureum contemtum Dei, vel in blasphemias, ut Saul, Iudas et similes. Oportet enim in nobis esse initia novae obedientiae.

Sine haesitatione.

Id est, adsit fides victrix dubitationum. Ac vere statuamus, nos propter filium recipi a Deo, curae esse Deo, et nostros gemitus non esse irritos propter filium. Haec alibi copiosius declarantur. Exuscitet autem nos et haec ipsa sententia ad precationem et ad fidem: quia et praecipit fieri invocationem, et vult vinci haesitationes.

Salvatur mulier per filiorum generationem.

Non dubium est Spiritum sanctum hanc dulcissimam concionem de officiis sexus muliebris opposuisse multiplici superstitioni. Et laudatio insignis coniugii est observanda ad refutandos omnes fanaticos spiritus, qui coniugium et oeconomica officia damnaverunt, ut semper tales multi fuerunt, ut Marcion, Tatianus, Hierax, ἐγκρατῆται, Papae, Monachi. His omnibus opponatur haec vox Pauli: Salvatur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide.

Primum autem de Grammatica iuniores admonendi sunt, si manserint, dixit plurali numero, quia de sexu loquitur, ut dicimus: Turba ruunt. Explodenda est igitur multorum insulsa interpretatio, qui verbum manserint de filiis enarrant, Cum manifeste falsum sit, matres non fieri salvas, nisi filii fiant salvi. Roman. 14.: Unusquisque nostrum de seipso rationem reddet Deo.

Secundo, Respondendum est ad argumetum:
Sola fide salvamur,
Ergo non officiis oeconomicis.

Respondeo. Antecedens verum est, propter solius filii Dei meritum dantur, reconciliatio, iustificatio, et haereditas vitae aeternae, et haec fide accipi oportet: Quam fidem nova obedientia necessario sequitur. Ut enim ipsa aeterna vita in consummatione formaliter erit lux et virtutum incendium, quae erunt in nobis perfusis luce divina, sicut scriptum est: Deus erit omnia in omnibus, 1. Corinth. 15.: Ita nunc incoatio virtutum, quas filius Dei per Spiritum sanctum in nobis accendit, sicut alibi inquit Paulus, 2. Corinth. 5.: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Vide igitur Pauli prudentiam, cum laudasset opus, mox et fidei mentionem facit, cui caeteras virtutes addit, quia non iam de meritis disputat, sed comprehendit virtutes, quae cum fide necessario simul accenduntur. Quotiescunque autem de obedientia dicitur, initio facienda est mentio vocationis, ita cum mulier praecipue condita sit, ut pariat et imbecillem foetum foveat ac alat. Hoc primum opus complectitur Paulus inter virtutes mulieris.

Simul autem vera sunt hae propositiones: Iustus fide Gratis propter filium Dei, et per eum est haeres vitae aeternae. Et altera: In hoc iusto necessaria est nova obedientia, quia ita fit consolatio et vivificatio per fidem, ut simul a Spiritu sancto nova lux et nova obedientia accendantur, iuxta illud Ieremiae capite tricesimo tertio: Dabo legem meam in corda eorum. Ideo inquit Paulus 1. Corinth. 9.: Vae mihi, si non evangelizem.

Item 2. Corinth. 5.: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Item, Matth. 5.: Nisi abundaverit iusticia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis regnum coelorum. Nec pugnant haec, Nova obedientia in iustificato necessaria est, et tamen non est meritum vel pretium vitae aeternae, quia nunquam in hac vita legi Dei satisfacimus, et nunquam sumus sine peccato, iuxta illud 1. Iohann. 1.: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, mendaces sumus. Fides igitur intuens filium Dei, habet certam consolationem, et scit te haeredem esse vitae aeternae propter meritum filii Dei, et per ipsum, non propter tuum meritum.

Ita Paulus hic novam obedientiam necessariam esse significat, non vult esse meritum. Et inter virtutes novae obedientiae recenset officia oeconomica, iusticiam et patientiam in communibus aerumnis matris, quae multae et magnae sunt. Nominat autem has virtutes, labores partus et educationis, fidem, dilectionem, sanctificationem et modestiam. Fidem necessariam esse in omnibus manifestum est, et hic cogitetur integra doctrina de fide, quae est fiducia acquiescens in filio Dei, et accipiens propter eum gratis remissionem peccatorum, imputationem iusticiae, veram consolationem et vivificationem, qua incoatur in nobis renovatio propter filium Dei, et per eum. Haec autem fides assidue in omni invocatione, in omnibus periculis exercenda est, et cum ea comprehendi intelligimus Spem et Tolerantiam, ut supra de precatione dictum est. Harum virtutum exercitia sunt praecipuae consolationes in tota hac vita, de quibus dicitur Philip. 4.: Pax Dei gubernet corda vestra. Item Psalmo 124.: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non movebuntur in aeternum.

Dilectio sicut alibi significat dilectionem Dei et proximi, et comprehendit timorem et obedientiam erga Deum. Deinde in dilectione proximi, in matrefamilias prima virtus est dilectio mariti et sobolis, lenitas animi, ne iracundia et rabie ipsius fiat triste coniugium, Nec abalienetur viri animus. Item, Patientia, ne maritum in adversa fortuna deserat. Item sit iusta in contractibus, non sit defraudatrix. Item sit benefica erga pauperes. Hae virtutes omnes dilectione comprehenduntur, et discerni possunt inspecto Decalogo. Fiunt autem magis conspicuae, cum exempla intuemur, ut Sarae, Abigail, viduae Sareptanae, Elizabeth matris Baptistae, Elisabeth Thuringicae. Item, Elizabeth sororis Caroli, quae fuit nupta regi Danico, et comes exiliorum et magnarum aerumnarum socia, nec voluit regnum recipere oblatum sine marito.

Sanctificatio phrasi hebraea saepe castitatem significat, ut primae Thessalonicenses 4.: Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis a scortatione, et possideat quisque vas suum in sanctificatione et honore. Cum autem supra dixerit, mulieres pariendo salvas fieri, constat non prohiberi consuetudinem coniugalem, sed adulteria prohiberi. Iam hic cogitent bonae mentes, et necessariam et pulcram virtutem esse castitatem, quae est vel in coniugio vel in vita coelibe vitare omnes prohibitas commixtiones, et seminis profusiones. Ac de necessitate expresse dictum est, 1. Corinth. 6.: Ne erretis, scortatores et adulteri non possidebunt regnum Dei. Item, Galat. 5.: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Item, ad Hebr. 12.: Sine sanctificatione, id est, castitate nemo Deum videbit.

Nec tantum aeternae poenae comitantur libidines in his, qui non convertuntur, sed etiam praesentes poenae in hac vita et conversos et non conversos opprimunt, quanquam conversis mitigantur, ut ostendit exemplum Davidis. Et expresse dictum est Hebr. 13.: Scortatores et adulteros iudicabit Deus, scilicet et in hac vita et post hanc vitam, si non fuerint conversi. Iudicat autem Deus aliquando immediate, sicut delet Sodoma, in quo exemplo diligentissime considerandum est, illam horrendam executionem poenae ab ipso filio Dei fieri, qui in eo itinere hospes est Abrahae, ubi postea textus inquit: Pluit Dominus ignem et sulphur a Domino super Sodoma, Gene. 19. Aliquando punit mediate per imperia et alias calamitates, ut Antonius punitur ab Augusto. Sunt autem et magistratuum legitimae poenae iudicii divini, nec dubium est vagas libidines multorum ingentium bellorum et magnarum vastationum causas esse, ut ostendunt historiae: nam et inter diluvii causas fit mentio libidinum. Postea narrantur exitia Sodomae, Cananaeorum, et fere totius tribus Beniamin, Principes suspenduntur in deserto, adulterium Davidis secuta est seditio, Graecae historiae plenae sunt exemplorum, Sibaris, Thebae, Spartae: et nunc Africa, Asia, Aegyptus, Syria, Graecia, sunt aut solitudines, aut tetra Barbarorum stabula sine Ecclesiis, sine le-

gibus, sine disciplina, sine doctrina, propter idola, haereses et libidines.

Horum tristissimorum exemplorum cogitatione nos exuscitemus, ut simus vigilantiores in tuenda vera doctrina, in vera invocatione, et vitandis inquinamentis libidinum. Circumspiciamus etiam quotidianas poenas: multae magnae et parvae familiae quotidie evertuntur propter libidinum confusiones. Quare castitatem pie tueri studeamus, tum in coniugio, tum in vita coelibe. Est etiam quaedam aetatis teneritas, quae adhuc facile potest retinere puritatem, si vitet mala sodalitia et helluationes, et ad sobrietatem ac ad labores honestos adiungat cogitationem de iudicio Dei, et de poenis, et precationem.

Dixi autem iam de poenis corporalibus. Apud Paulum Ephes. 4. fit mentio multo graviorum poenarum, videlicet coecitatis et indolentiae, ut cum Ptolomaei polluunt se variis modis, postea ruunt coeci in domestica latrocinia, et sibi ipsis exitia accersunt: et sunt in conspectu exempla pontificum, sacrificulorum et monachorum, ibi dominantur haec duo mala, Coecitas et Indolentia. Plurimi sunt palam Epicurei. Alii pauci superstitiosi et fascinati falsis persuasionibus delere veritatem conantur, deinde securi, sine ullo poenitentiae gemitu in magnis sceleribus vivunt, et Sibaritico more omnia voluptatum genera quaerunt, donec ruunt in aeternum exitium.

Has maximas poenas, coecitatem et indolentiam, formidantes, maiore cura tueamur castitatem, et filium Dei oremus, ut cum ipse maxime castitatem amet propter suam gloriam, nos adiuvet, ne contaminemur, ac ne diabolo voluptatem nostri lapsus praebeant, qui multiplices triumphos agit, cum hoc modo aliquos evertit, et laetatur odio Dei, quod fiant opera, quae valde displiceant Deo. Item, quod deformet creaturam Dei, et turbet ordinem divinitus institutum, quod avellit hominem a Deo, et contristat Spiritum sanctum, quod praebet occasionem aliis multis malis secuturis: nam diabolus longam telam texit. Postremo, quid est tristius quam ita vivere, ut certo scias Deum tibi irasci, nec possis ad eum accedere invocatione, aut petere ab eo auxilium, aut defensionem ulla in re. Hae tantae miseriae saepe multumque cogitandae sunt, et exempla nostra, et aliena intuenda, ut nos ad poenitentiam et ad precationem exuscitemus, et vitemus occasiones lapsuum, et coërceamus nostra membra, sicut Paulus inquit Ephes. 5.: Ambulate accurate, non ut fatui.

Utile est recte intelligere appellationes virtutum, et de earum fontibus, officiis et dignitate saepe cogitare. In hac imbecillitate naturae non videmus, quantae res sint sapientia, veritas, virtus. Nec econtra satis cernimus, quam horrenda mala sint mendacium, cultus idolorum, iniusticia, pollui libidinibus. Praeterea aut frigide cogitamus de Lege, aut indignamur nos quasi iniuste in hunc carcerem inclusos esse, sicut Gorgias dixit, Legem tyrannum esse. Hanc in nostra natura caliginem et contumaciam sciamus esse magna et tristia vulnera et horrenda peccata, de quibus dicitur, Rom. 8.: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Ideo morbos nostros aliquo modo agnoscamus et deploremus, et confugiamus ad mediatorem filium Dei, ad Samaritanum nostrum, et ab eo petamus auxilium. Et cum de virtutibus cogitamus, Deum ipsum intueamur, et sciamus talem esse, fulgentem vera et immensa luce, sapientia, bonitate, beneficentia, veritate, rectitudine et puritate, et velle nos sibi similes esse: ita melius considerari natura et pulcritudo virtutum potest, cum quasi in ipso Deo eas aspicimus.

Etsi enim lex est doctrina, quae narrat qualis sit Deus, tamen de virtutibus angustius cogitamus intuentes legem, a qua velut a carcere abhorremus. Ames iusticiam in non laedendis aliis, quia Deus talis est, videlicet beneficus et aequalis, et vult nos sibi similes esse, et cogita hanc virtutem ideo rem esse pulcerrimam, quia Deus talis est. Ita ames veritatem, quia Deus talis est, et vult nos sibi similes esse. Hanc cogitationem et ad caeteras virtutes transferas, et vocabula recte enarrentur. Sumantur autem enumerationes et descriptiones ex Decalogo, ut saepe dicimus.

Vocabulum σωφροσύνη hoc loco ut saepe alias significat et temperantiam et modestiam. Proprie autem temperantia nominatur convenientia in cibo et potu. Haec virtus per sese necessaria est, quia vitia contraria corpori exitiosa esse per sese manifestum est, ut dicitur, Plures intemperantia quam gladio perire: Et nutrix est multarum aliarum virtutum, invocationis, intentionis, deliberationis, diligentiae, circumspectionis, castitatis, cum intemperantia impediat sensum timoris Dei, poenitentiam, meditationem, invo-

cationem, et confirmat securitatem, et multa incendia cupiditatum augeat. De invocatione dicitur, Marci 9.: Hoc genus daemoniorum non eiicitur, nisi ieiunio et oratione. Et Petrus inquit, 1. Petr. 5.: *σωφρονήσατε* et sobrii estote ad precationem. De castitate, Et Venus in vinis, ignis in igne furit. Et Iuvenalis, Quid enim Venus ebria curat? Et semper sit in conspectu dictum Senecae, Consuetudine insaniae durata vitia vino concepta, etiam sine vino valent.

Nec dubium est augeri publicas et privatas calamitates, propterea quia Deus intemperantiam punit, quam quidem plerunque et alia multa vitia comitantur, iuxta illud Epigramma: *ἦλις καὶ μεθύει καὶ ψεύδεται, οἷος ἕκαστος οἶκος, τοίη ἡ καὶ ξυναπᾶσα πόλις.* Heliaca urbs simul est mendax ac ebria, talis tota urbs est, domus ut quaelibet esse solet, id est, publicus malus status inde oritur, quia singuli nolunt sese emendare, sed quilibet aliis vult leges ferre, non sese et suos regere, cum dictum sit: Iustus primum accusator est sui.

Modestia vero est virtus in opinione, sermone gestu, actione negotiorum, servans convenientiam, id est, retrahens nos intra metas personae convenientes.

Ex hac definitione intelligi potest, Modestiam tanquam totum complecti multas partes seu species, quarum aliquae appellationibus discernuntur, et fiunt discrimina illustria, cum conferuntur opposita vitia: cum Modestia pugnant superbia, Thrasonica vanitas, seu iactantia. Item garrulitas, futilitas, scurrilitas, petulantia, obscoenitas: Item luxus, et ineptiae in vestitu, et multo maxime pugnat cum modestia curiositas, seu *πολυπραγμοσύνη* ingerens se in aliena negotia.

Etsi autem vitia omnia, quae pugnant cum temperantia et modestia in omnibus hominibus, viris et foeminis perniciosa et deformia sunt, tamen in mulieribus magis conspicua est deformitas, quia hic sexus propter infirmitatem latere debet. Itaque valde turpe spectaculum est in coetu mulier ebria, et facilius tunc ruit in alia dedecora: sic deformitas magis conspicua est in muliere garrula, curiosa, admiscente se negotiis gubernationis, ut Liviam matrem Tyberius nominabat Ulyssem stolatum, propterea quia in republica multa negotia astute movebat. Itaque multa praecepta traduntur, quae iubent mulieres oeconomica domi curare, et omittere negotia quae a viris gubernanda sunt. Ideo saepe citatur dictum Sophoclis ex Aiace: *γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει,* Mulieribus silentium decus est.

Etsi autem brevis est haec apud Paulum enumeratio virtutum, tamen lector attentus videbit formam totius vitae matronalis hic sapienter comprehensam esse. Nec ero prolixior, quia oportet Decalogum omnibus notissimum esse, qui est fons doctrinae de omnibus virtutibus.

Rursus autem admoneo lectorem, ut testimonium de laude coniugii hic consideret, et causas cogitet, Deus immensa sapientia sic condidit genus humanum et certo modo coniunxit, vult intelligi et praestari castitatem, vel in coniugio, vel in vita coelibe eorum, qui sunt idonei ad vitam coelibem, vult vitari huius ordinis conturbationem, et horribiliter punit vagas libidines privatis et publicis calamitatibus, et deinde poenis aeternis, nisi fiat conversio. Propter has causas laudata est vita coniugalis.

Cum autem oporteat regi nos verbo Dei, et nulli cultus Deo placeant sine verbo Dei, manifestum est monachorum vota non esse cultus Dei, et cumulaverunt monachi et sacrificuli multos alios errores, et cultus idolorum, quibus adiuncta est prohibitio coniugii, quam infra Paulus expresse nominat doctrinam daemoniorum. Significat autem hic titulus multa magna mala, ardet diabolus odio Dei, et ut Deum contumelia afficiat, primum falsos cultus et mendacia in genere humano serit. Deinde opus Dei, scilicet genus humanum, horribiliter deformare et perdere conatur, accendit discordias et bella, multos impellit, ut teterrimis libidinibus contaminentur, quia scit Deum valde irasci confusionibus libidinum. Et haec facit omnia, ut quam plurimos homines pertrahat in aeternum exitium, et ad aeternas blasphemias Dei. Eodem consilio impulit hypocritas ad legem de coelibatu imponendam sacerdotibus, et ad excogitanda impia vincula votorum, quae multipliciter offendunt Deum, quia et nervi sunt falsorum cultuum, et sunt causae horribilium contaminationum, propter quae peccata ingentia hominum agmina ruunt in aeternas poenas.

Haec mala et eorum fontes intelligi necesse est, et impia lex de coelibatu damnanda est, ac

iis qui discedunt a defensoribus idolorum et legis de coelibatu, magna consolatio est, quod Paulus expresse nominat illam legem doctrinam daemoniorum, ut certissime sciamus eam displicere Deo, et conscientiae sciant fugiendam esse societatem eius defensionis, iuxta illud: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Sic autem ab illis discedamus, non ut priores sordes retineamus, sed efficiamur membra filii Dei vera invocatione, castitate, et aliis veris cultibus.

Caput III.

Si quis Episcopi munus desiderat, honestum opus desiderat.

Admonitiones breves antea de doctrina fidei et operum tradidit, nunc addit admonitionem de ministris Evangelii, quasi Ecclesiae politiam constituens. Hic igitur de vocatione et ordinatione dicendum est. Primum autem sciendum est, duplicem esse vocationem: Alteram quae fit immediate a Deo. Alteram quae fit mediate per homines iusto modo. Immediata prior est, quia Deus immensa bonitate propter filium et per filium sibi vult aeternam Ecclesiam colligere, ideo primum constituit summum sacerdotem filium, hic primus ex sinu aeterni patris profert Evangelium, hic ordinatus et unctus est plenitudine Spiritus sancti, ut Esaiae 61. dicitur: Spiritus Domini super me, eo quod unxit me. Et Psalmo quadragesimo quarto: Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae propter consortes tuos. Hic filius deinde, ut incoët et subinde instauret Ecclesiam, Patres, Prophetas et Apostolos immediate sua voce vocat et mittit, ungit eos donis Spiritus sancti, et est efficax per ministerium eorum, ut Ephes. 4. dicitur: Dona dat hominibus, alios quidem Prophetas, alios Apostolos, Pastores.

Quanquam autem haec vocatio et missio fit autoritate divina, tamen ipse Deus addit testimonia, ut Ecclesia et ipsi vocati sciant hanc missionem esse divinam: nec vult fieri res tantas in Ecclesia sine testimoniis. Ac ipsis vocatis valde opus est etiam propter suam conscientiam habere testimonium vocationis, quia valde anguntur conscientiae, cum illa voce feriuntur: Currebant et non mittebam eos, Ieremiae vicesimo tertio. Itaque ut et Ecclesia et conscientia vocati sint sine dubitatione, an hoc ministerium sit a Deo, adduntur divina testimonia, ut Abel, Noae, Ioseph, Moysi, Eliae, Helisaeo et caeteris Prophetis et Apostolis tribuuntur manifesta testimonia.

Interdum et patefacit Deus missionem certis hominibus, ut Moyses scit constitui ducem Iosue, et ei manus imponit, ut scriptum est Deuteronomii ultimo. Eli scit vocari Samuelem, et de Paulo in Actis dicitur, capite 13.: Segregate mihi Paulum et Barnabam ad opus ad quod vocavi eos. Et in talibus ipsa missio divina est ordinatio, in qua filius Dei simul et ungit eos, et manus imponit eis, id est, benedicit eis, et est efficax in ministerio eorum, sicut ad Moysen dicit, Exod. 4.: Ego ero in ore tuo et in ore illius. Et Ieremiae 10.: Ecce do verba mea in ore tuo. Et Esaiae 55.: Verbum quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum. Haec de vocatione immediata primum observanda sunt.

Altera est vocatio mediata, quae fit per homines iusto modo. Quia Deus ad illud alterum beneficium hoc quoque adiungit, vult Ecclesiam ipsam vocare ministros, et affirmat se horum ministerio etiam efficacem esse. Hoc ingens bonum agnoscendum est, et Deo gratiae agendae sunt: ac tenenda consolatio, quod hoc modo Deus continua serie sibi colligit Ecclesiam, et ministerio recte docentium adest.

Expresse scriptum est ad Titum: Constituas presbyteros per civitates, sicut iussi. Item 2. Timoth. 2.: Quae audivisti a me multis testibus, haec commenda fidelibus hominibus, qui sint idonei ad docendos alios. Item, 1. Timoth. 5.: Nemini cito manus imponito.

Haec dicta manifeste ostendunt Ecclesiae praecipi, ut ministros eligat. Ideoque Paulus dat praecepta quales sint eligendi, quia vult electionem, quae fit voce Ecclesiae, ratam esse.

Iam huc addantur testimonia de ministerio, quae affirmant Deum esse efficacem per ministerium Evangelii, id est, per vocem Evangelii, quam sonant eandem Paulus, Titus, et Titi auditor retinens doctrinam incorruptam. Roman. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. 2. Corinth. 3.: Fecit nos ministros novi testamenti, non literae, sed spiritus. Ephes. 4.: Ascendit, dedit dona hominibus, Pastores et

Doctores. Scilicet vel immediate vel mediate vocatos. Lucae 10.: Qui vos audit, me audit. Iohann. 15.: Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me et ego in eo, feret fructum copiosum. Iohannis capite 18.: Rogo non pro eis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum.

Haec sciri necesse est propter multas causas. Primum, ne contemnatur et omittatur haec mediata vocatio ministrorum, sicut meminimus errones Anabaptistas contemnere totam hanc vocationem, et dicere expectandos esse ministros, quos Deus immediate mitteret. Adversus haec fanatica deliria muniti simus.

Deinde et haec doctrina hinc sumitur, ubi non est vocatio prophetica et apostolica, sciamus sine vocatione mediata nequaquam invadendum esse ministerium Evangelii, quia Petrus inquit 1. Petri 4.: Nemo sit *ἀλλοτριοεπίσκοπος*. Et generaliter praeceptum est ad Thessalonicenses 1. Thess. 4.: Propria facite. Et tristis reprehensio est Ierem. 23.: Currebant et non mittebam eos. Et Deus perdit Chore et Dathan, qui sine vocatione invadunt ministerium.

Olim autem fiebat haec vocatio seu electio per suffragia Ecclesiae, adhibito Episcopo aliquo, vel Pastore, propter explorationem doctrinae, ut expresse Synodus Nicena inquit, in tripartita historia, libro 2. pag. 325.: *ὁ λάος αἵρειτο συνεπιψηφίζοντος καὶ συνεπισφραγίζοντος ἐπισκόπου*, id est, Populus eligat simul comprobante et confirmante Episcopo. Et lib. 9. Tripart. hist. pag. 558. in Epistola ad Damasum scribunt Episcopi Orientis, se praesente Theodosio imperatore ordinasse Episcopum, electum suffragiis totius cleri, et totius civitatis. Et ibidem de alio loco: *κοινονικῶς ἐχειροτόνησαν πάσης συμψήφου τῆς ἐκκλησίας*, Canonice elegerunt per suffragia comprobante tota Ecclesia.

Nunc fit vocatio per praecipua membra Ecclesiae, ut in urbibus per Senatum, adhibitis aliquibus ex collegio ministrorum Evangelii, quia tunc cum fiebat electio suffragiis universae multitudinis, saepe tumultus orti sunt et factae caedes, ideo restrictio ad pauciores facta est.

Oportet autem adhiberi pios Doctores ex collegio ministrorum Evangelii, propter explorationem doctrinae, de qua ad Timotheum manifeste praecipitur 2. Timoth. 2.: Commenda doctrinam hominibus fidelibus, qui sunt ad docendum idonei.

Postea etiam indicari Ecclesiis electum seu vocatum oportet, quia si sciret Ecclesia eum non recte sentire, reiicere vocatum posset, sed cum recte sentientem recipit, confirmat vocationem. Postea addit precationem: et fuit antiquus ritus imponere manus electis. Hoc signum ostendebat vocationem et vocationis confirmationem: interea sine ulla dubitatione filius Dei efficit, ut ministerium huius sit efficax, sic ipse manus imponit et ungit eum.

In hac antiqua consuetudine videndum est, quae membra sint necessaria et iuris divini, qui ritus sint mutabiles, et quomodo facta sit depravatio per Papam et Episcopos ipsi addictos.

Sunt autem multae depravationes. Non instituunt vocationem ad ministerium, sed dicunt se ordinare Sacerdotes ad sacrificandum, et fingunt oportere certam turbam esse Sacrificulorum, qui offerant pro vivis et mortuis, et neminem habere potestatem consecrandi panem et calicem nisi tales, qui potestatem acceperint ab Episcopo confirmato a Romano pontifice. In his opinionibus magnum chaos est errorum.

Postea addunt iniusta vincula Canonum, de coelibatu et aliis traditionibus, item ungunt oleo, quod magicis blasphemiis consecratum est.

Hoc tempore addunt novas blasphemias, ut primum ordinandus iuret, se nolle amplecti doctrinam taxantem ipsorum errores et idola.

Ubi hae tantae depravationes retinentur, nequaquam a talibus Episcopis ordinatio petenda est: nec moveamur clamoribus indoctorum, qui vociferantur, non valere ordinationem factam in Ecclesiis nostris, quia non sint apud nos Episcopi, hoc titulo confirmati a Romano pontifice. Sed opponenda est regula firmissima: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Nihil potest dici expressius, cum manifestum sit eos, qui pertinaciter defendunt manifestos errores, et manifesta idola, fugiendos esse, et constet tales esse Papam et Episcopos ipsi addictos, Sumus certissimi eos non esse membra verae Ecclesiae Dei.

Quaeramus autem quae et ubi sit vera Ecclesia Dei, et nos ad eam adiungamus, iuxta dictum Psalmi 26.: Unum hoc requiro a Domino, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Item, Psal. 25.: Lavabo inter innocentes manus meas, et altare tuum circumdabo Domine. Esse autem verum ministerium Evangelii in vera Ecclesia certissimum est ex dicto: Ascendit in altum, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores et Doctores etc. Ephesios 4. Quare apud hanc manet ius vocationis, quia verae Ecclesiae dictum est: Constitue presbyteros.

Necessaria autem membra ordinationis haec sunt. Vocatio ad ministerium, exploratio doctrinae, indicare vocatos Ecclesiae, approbare vocationem, et precatio. Ideo certissimum est ordinationem pertinere ad veram Ecclesiam, non ad hostes Ecclesiae.

Fuerunt autem in externo ritu ordinationis statim in veteri Ecclesia ceremoniae, impositio manuum et collocatio libri supra caput etc. Talia signa dico mutabilia esse, sed tamen cum in Ecclesia deceat omnia fieri ordine, esse aliquem publicum ritum ordinationis sine superstitione, utile est; 1. Ad hoc, ut magis illustria sint testimonia vocationis et approbationis vocati. 2. Et ut conspiciatur cuius Ecclesiae doctrinam vocatus amplectatur. 3. Et ut ibi publica precatio fiat. 4. Prodest etiam hic ipse ritus ad multorum confirmationem, ut sciant ius ordinationis pertinere ad veram Ecclesiam. 5. Et cogitent qui sint errores adversariorum. 6. Et cuius Ecclesiae velint esse cives. 7. Denique multae sunt utilitates, cum sine calumnia et sine superstitione iudicatur.

Haec de vocatione et ordinatione ad iuniores commonefaciendos dicta sunt.

Disputatur hic et de ambitione, an peccet petens officium pastoris? Respondeo: Duplex est petitio. Altera est pia, quae ita fit, ut offeras tuos labores, et habeas προαίρεσιν recte faciendi officium, et iudicium de te permittas iis qui adhibentur, nec pugnes illicitis modis. Haec petitio laudata est a Paulo in hoc dicto: Si quis Episcopi functionem expetit, honestum opus expetit. Laudat voluntatem petentis, et commonefacit, ut operis magnitudinem consideret: sicut manifestum est, res difficilimas esse explicationem doctrinae, gubernationem, circumspectionem necessariam ad vitanda scandala.

Nec iniustum est appetere mercedem suo ordine. Ac talis petitio non impedit vocationem, sed potius gratia debetur petenti, quod se indicat, quia hi qui praesunt non norunt tam multos, quam multis opus est ad ministerium. Tunc autem dicitur vocatio facta esse, cum accessit iudicium et approbatio vocantis.

Alia petitio ambitiosa est, quae ita fit, ut iudicium impediat, et pugnet illicitis modis. Haec ambitio pugnat cum vocatione, quia conatur impedire iudicium, quod ad vocationem necessarium est: et concurrunt multa vitia, non quaeruntur labores, sed reditus aut splendor. Sunt autem perniciosissimi fures, qui omisso labore devorant reditus, et de superbia dictum est, Proverb. 16.: Abominatio est coram Deo omnis superbus corde.

Hic et argumenti explicatio nota sit, Nemo petat vel recipiat onus, quod superat vires. Administratio in Ecclesia et in politiis sine ulla dubitatione superat vires humanas, Ergo non est petenda vel recipienda? Respondeo ad maiorem: Nemo petat vel recipiat, cum non accedit vocatio. Item: Nemo petat vel recipiat fiducia sui, sed cum accessit vocatio, iam administratio fit opus obedientiae Deo debitae, et id faciendum est fiducia auxilii divini, et in agnitione et invocatione Dei.

Deinde ad minorem respondeo: Administratio superat vires humanas, id verum est, sed fit possibilis et efficax Deo iuvante. Ac vult Deus hoc modo colligere Ecclesiam voce ministrorum, sicut inquit Paulus 1. Corint. 3.: Dei cooperatores sumus, Dei agricultura estis, Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit. Nec requiritur, ut nos ipsi sufficientes simus, sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. Corinth. 3. Sed hoc requiritur, fideles ut simus, 1. Corinth. 4. Fidelitas autem complectitur bonam voluntatem et non ignavam, sed bona conscientia quaerentem res necessarias administrationem, scilicet mediocrem cognitionem doctrinae, diligentiam, constantiam in confessione et similes virtutes, quarum catalogum hoc in loco Paulus recenset.

Quod placeat Deo vocatio seu electio per homines facta, et quod ministerium per tales sit efficax, hinc manifestum est, quia Paulus iubet eligi ministros, et narrat quales sint eligendi, iam si nulla per homines facienda esset electio, quorsum opus esset tradere formam, quales sint eligendi.

Caeterum de forma hac sciamus oportere singulos homines scire summam doctrinae, quae sit

rectrix fidei et morum. Et una communis est omnium summa quam supra recitavit: Milita bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam.

Ut autem conscientia normam habeat, intueamur Decalogum, et eum recte intelligamus. Sciamus opera pugnantia cum Decalogo esse opera polluentia conscientiam, et offendentia Deum, et conscientia iudicium est in nobis approbans facta secundum verbum Dei, vel iuxta legem naturae, et condemnans contraria, quam condemnationem certo ordine in natura rationali sequuntur horrendi cruciatus, qui sunt testes et opus iudicii Dei, iuxta illud: Deus ignis consumens est.

Considerata generali summa doctrinae, postea videat quisque, quae sint suae vocationis propria: haec pars etiam pertinet ad Decalogum, Minister Evangelii sciat se debere sonare doctrinam. Non sit igitur ignarus doctrinae, et sit aliquo modo ad docendum idoneus. Deinde huic quoque norma morum sit Decalogus recte intellectus: Hanc summam Paulus et hic proponit.

Initio autem ponit genus seu summam convenientem eligentibus, Episcopum oportet irreprehensibilem esse, Graece *ἀνεπίληπτον*. Et ad Titum cap. 1. dicitur *ἀνέγκλητον*, id est, non reum alicuius criminis, quod indicio humano vere accusari potest. Nam *ἐπιλαμβάνομαι* significat reprehendo, corripio, ut apud Platonem in Gorgia, Si quid non recte dicere videor, *ἐπιλάμβανε*, id est, reprehendito. Et *ἐγκαλεῖν* significat accusare seu in iudicium vocare, quia Paulus hic loquitur de electione, certum est dici de accusatione coram iudicio humano, vult Episcopum non esse infamem. Et sint nota scelera, propter quae aut iudicia civilia homines notant infamia, aut Ecclesia interdicit communionem.

Sic ordinavit Deus vitam aeternam, ut velit propter manifesta scelera homines vel interfici a potestate politica, vel alioqui eiici ex reliqua societate. Ut propter blasphemias, periuria, magiam, manifestum cultum idolorum, seditiones, homicidia, vagas et incestas libidines, adulteria, furta, calumnias, crimen falsi.

Interpretatio insulsissima est, quam aliqui finxerunt, Oportet Episcopum esse sine peccato: haec interpretatio falsa est, cum intelligitur de peccato coram Deo, iuxta illud Iohannis, 1. Iohan. 1.: Si dicimus, quod peccatum non habemus, mendaces sumus. Manent in hac misera natura etiam in sanctis in hac vita multae magnae sordes et peccata, sicut inquit Ieremias cap. 17.: Cor hominis perversum est et aerumnosum. Ac in quotidianis exercitiis poenitentiae haec interiora peccata coram Deo agnoscenda et deploranda sunt. De his autem Paulus hic non loquitur, ad Titum vertit interpres, sine crimine.

Discant igitur iuniores phrasin, aliud est dicere sine peccato, aliud sine crimine, id est, sine tali scelere, quod in iudiciis Ecclesiae, seu politicis damnatur.

Sed hic nobis ipsi multa obiicimus. Primum nemo est tam firmus, qui non etiam aliquando turpiter labatur, ut inquit Salomo Eccles. 7. cap.: Non est iustus in terra qui non peccet. Item, Proverb. 24.: Iustus cadet in die septies. Item notum est illud Simonidis: Impossibile est esse tetragonum, id est, perfectum. Et manifestum est in omni gubernatione multa esse errata omissionis et ignorantiae.

Secundo, nemo potest vitare obtrectationes et calumnias. Est enim dulce et usitatum malum maledicentia, ut Pindarus inquit: *ὄψον πολίταις αἱ κακηγορίαι.*

De priore quaestione respondeo: Regula teneatur in omnibus officiis, ut fideles simus, ut dicitur 1. Corinth. 4., id est, sit bonum propositum, et studeamus recte facere, et plerunque recte faciamus, lapsi vero sanari nos patiamur. Praeterea cum omnes sciamus facilime posse labi et errare omnes homines: et assidue sint insidiae diaboli horrendae, Simus in invocatione filii Dei ardentiores, nec obliviscamur dicti, Iohan. 15.: Sine me nihil potestis facere. Item: Sine tuo numine nihil est in homine.

De secunda quaestione respondeo, utrunque praestandum est: Primum, ut sit conscientia sine labe. Secundo, ut fama sit integra apud honestiores recte iudicantes, sicut dicitur Psalmo 149.: Laus eius in Ecclesia sanctorum. Et nota est sententia: Bona conscientia mihi opus est propter Deum, bona fama propter proximum. Et in Ecclesiastico cap. 39.: Laudem eorum nunciat Ecclesia.

Quod autem interea multi sunt maledici, non est culpa eorum, qui fideliter serviunt, ut dicitur: Non est remedium adversus sycophantae morsum, Et multa sunt ingenia plena arrogantiae

et veneni, inquieta et sophistica, quae saepe etiam plausibiliter instruere calumnias possunt. De his dicitur Proverb. 17.: Semper iurgia quaerit malus, et nuncius crudelis mittetur contra eum. Tenenda est autem regula, Matth. 5.: Beati estis cum maledicent vobis mentientes. Item, Psalmo 18.: Illi maledicent et tu benedices.

Et necessaria virtus est in vita sapienter ferre tales iniurias, ut David, Fabius, non respondent calumniatoribus.

Hic et quaestio de Donatistis agitatur. Etsi non sunt eligendi infames, et removendi erant ii, qui postea cum sunt in ministerio fiunt infames, tamen error Donatistarum explodendus est, qui contendebant non valere ministerium, cum eo fungerentur homines polluti contra conscientiam, contra hos opponenda est doctrina, quod efficacia ministerii non pendeat ex ministri dignitate, sed vere sit opus Dei, sicut Iohannes inquit, Lucae 3.: Ego baptizo vos aqua, alius autem baptizabit vos igni et Spiritu sancto. Matth. 13. confertur Ecclesia sagenae, in qua boni et mali pisces sunt: ita et in tota Ecclesia et in ministerio sunt boni et mali, sed tamen de doctrina consentientes. His admonitionibus hoc loco contenti simus.

Unius uxoris virum.

Vult ministrum Evangelii castum esse, sive maritum, sive coelibem. Et quia pauci sunt ad vitam coelibem idonei, posuit alteram partem, iubet eligi maritum honestum: ac mentionem coniugii facit etiam hanc ipsam ob causam, ut ostendat concedi coniugium omnibus Evangelii ministris. Omitto autem disputationes de digamia. Vetustas digamos nominabat eos, qui eodem tempore plures coniuges habebant, ut pater Samuelis fuit digamus, sed postea multae fatuae opiniones natae sunt, quas non libet recitare.

Tenenda est autem in Ecclesia doctrina, quod coniugium sit legitima et inseparabilis coniunctio, tantum unius maris et unius foeminae, iuxta primam institutionem: et Dominus revocat Ecclesiam ad primam institutionem. Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas et una foemina inseparabiliter iuncti. Cum autem moritur aut maritus aut uxor, concessum est aliud legitimum coniugium contrahere, ut infra de viduis dicetur.

Sobrium καὶ σώφρονα.

Vocabulum σωφρων supra enarratum significat modestum in genere: interdum et pro temperantia et pro continentia usurpatur nomen σωφρωσύνη. Nomen modestiae generalius est: significat enim virtutem, quae etiam in opinionibus, sermone et gestu convenientiam servat, ut Roman. 12. opponit superbis, arrogantibus, iactabundis, Thrasonibus, Ardelionibus.

Κόσμιον.

Vicinum est σωφρωσύνῃ, sed proprie significat a levitate seu scurrilitate alienum. Non deditum indignis ludis aut ineptiis, in vestitu et gestu, sicut Cardinales Gallici reversi ex electione Pauli pontificis, Venetiis invitarunt meretrices, et apud eas saltarunt saltationes Gallicas.

Hospitalem.

Haec species beneficentiae saepe laudatur in concionibus divinis, et inprimis necessaria est in Ecclesia, propter crebra exilia piorum. Vult autem Deus nos cogitare cur in mundo exulet Ecclesia, videlicet, vult nos recordari primum exilium, in quo patriam coelestem amisimus. Deinde vult nos recordari exilium filii, qui propter nos factus est exul, ut nos reducat in patriam. Saepe ingens multitudo simul ex urbibus expulsa est, et turmae equitum immissae, quae senes, pueros, mulieres conculcarunt. Interdum Deus in conspectu aliorum aliquos in coelum abduxit, ut legitur de sene Chaeremone et eius coniuge anu, qui cum ex urbe Aegypti Nilopoli expellerentur, et propter senectae imbecillitatem non possent procedere, cum reliqua multitudine in coelum translati sunt.

Διδακτικὸν idoneum ad docendum.

Postulat non solum ut teneant ministri doctrinam Ecclesiae, sed etiam ut sint idonei ad docendum, sicut et infra inquit 2. Timoth. 2.: Commenda doctrinam hominibus fidelibus, qui ad docendum idonei sint. Et ad Titum cap. 1. inquit: Sit potens ad docendum, et ad refutandos contradicentes. Et studium praecipit 1. Timoth. 4.: Sis assiduus et attentus in lectione, doctrina et consolatione.

Haec dicta familiarissime nota sint omnibus, ut nos ad discendum excitemus. Sciamus igitur

hunc laborem discendi placere Deo, et Deo curae esse defensionem docentium et discentium, sicut de Sacerdotio inquit Deut. 18.: Dominus est haereditas vestra. Item Isa. 58.: Posui in ore tuo verbum meum, et dextera mea protegam te, ut plantes coelos.

Severissime etiam puniri negligentiam in discendo certum est, ut Oseae 4. dicitur: Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Hae commonefactiones excitent diligentiam, sciant iuniores rem difficilem esse recte complecti totum doctrinae corpus, multo autem difficilius esse recte et perspicue exponere, et se ad haec tanta opera propter gloriam Dei, propriam salutem et utilitatem Ecclesiae praeparent. Ac simul petant, ut Deus regat mentes, sicut petit Propheta Psalmo 118.: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me. Hi labores Deo placent et ornantur praemiis, iuxta illud Lucae 19.: Habenti dabitur.

Sequitur enumeratio multarum virtutum in viris et mulieribus, quarum ut ordo et summa comprehendi possit: sciant iuniores omnium virtutum doctrinam in Decalogum distribuendam esse, inde et explicatio earum longior sumi potest, et in Ethicis traditur.

Ac satis apparet Paulum non solum Evangelii praeconem excellentem esse, sed etiam politicum monitorem. Nominat enim virtutes non tantum privatas, ut temperantiam, sed etiam politicas in gubernatione necessarias, ut ne Episcopus sit percussor. Hic discernit ministerium Evangelii a magistratu politico, qui mandatum habet suo ordine puniendi vi corporali, ut alibi saepe dictum est.

Iubet item, ne sit rixator, id est, ne certamina moveat non necessaria, imo videat etiam ubi asperitas lenienda sit ἐπιεικείᾳ, toleret in infirmis et sanabilibus aliqua incommoda: sapienter ferat aliquas iniurias, ne crescant dissidia inflammata mutuis certaminibus. Hac de re sapientissime praeceptum est, multos magnos morbos curari abstinentia et quiete.

Haec politica praecepta nondum intelligit aetas minor, sed tamen harum virtutum nomina utcunque agnoscere et flectere se ad moderationem discant. Alii grandiores sciant hanc considerationem ad se pertinere, ut videant ubi necesse sit pugnare, ubi non necesse sit.

Ecclesia Dei viventis columna et sedes veritatis.

Hic inserit Ecclesiae descriptionem et magno animi motu in hac ipsa commemoratione accenditur, ac celebrat magnitudinem bonitatis Dei, qui mirando consilio misit filium, et colligit aeternam Ecclesiam voce Evangelii, et in genere humano inter diabolorum furores, inter regum et impiorum tumultus inter impiorum ruinas semper Ecclesiae reliquias servat. Haec perpetuitas Ecclesiae est illustre testimonium praesentiae Dei et veritatis doctrinae.

Primum autem nota sit definitio Ecclesiae, quam recte constitutam tenere propter multas causas necessarium est. Multi enim nominant Ecclesiam simpliciter regnum pontificium, ut Caiphas nominabat Ecclesiam agmen cum ipso coniunctum, erroribus, sacrificiis, officiis et traditionibus. Alii omnino removentes externam speciem, loquuntur de Ecclesia invisibili tanquam de idea Platonica, quae nusquam cernitur aut exauditur. Et propterea vagantur, et nullius congregationis cives esse volunt: haec imaginatio etiam reprehendenda est. Etsi enim plerunque regna pontificia magna sunt, et obscurant veram Ecclesiam, et valde exiguus numerus est recte invocantium, ut tempore Zachariae magnum erat regnum Pharisaeorum et Saducaeorum: tamen semper aliquis visibilis coetus est alias maior, alias minor, qui est custos fundamenti, hic coetus quaerendus est, et ad hunc pii ubicunque sunt adiungere se debent sua confessione et simili invocatione. Sic igitur haec definitio.

Ecclesia in hac vita est coetus visibilis, amplectentium Evangelium, et recte utentium sacramentis, in quo coetu Deus est efficax per ministerium et multos ad vitam aeternam sanctificat, multi tamen in eodem coetu sunt, qui non sunt sancti, sed tamen de vera doctrina in externa professione cum sanctis consentiunt. Ut Mariae tempore erant Ecclesia visibilis, Zacharias, Simeon, Ioseph, Maria, Elizabeth, Anna, et alii multi, horum doctrinam audientes et cum eis sentientes, et eadem invocatione Deum colentes, quorum alii plus, alii minus lucis habebant.

Talis coetus etsi non tenet regnum, sed passim multi sparsi sunt, tamen conspicitur et audi-

tur. Vult enim Deus in genere humano agnosci filium, sicut inquit ad omnes gentes, Psalmo 2.: Osculamini filium. Ideo vult Ecclesiam et conspici et exaudiri sonantem Evangelium de filio, sicut scriptum est Psalmo 18.: In omnem terram exivit sonus eorum.

Saepe autem horribiliter oppressa et obscurata est regnis idolatricis, ut Esaiae 1. dicitur: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus. Et Matth. 24.: Nisi abbreviati essent hi dies, omnis caro periisset. Et tamen reliquiae supersunt et subinde instauratur Ecclesia, ut Esaiae 46. dicitur: Etiam in senecta gestabo te etc. Et Esaiae 59.: Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus, qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, et ab ore seminis tui in sempiternum. Item, Matth. 28.: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Et in symbolo quotidie hoc profitemur: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, Credo igitur promissiones Ecclesiae traditas firmas esse, Credo me exaudiri et recipi iuxta illas promissiones.

Ac magna consolatio est, quod semper in tali coetu vocatorum sunt aliqui electi, quia cum semper sit aliquis numerus electorum, et non sit nisi inter vocatos, ut Paulus inquit Roman. 8.: Quos elegit hos et vocavit. Sciamus non alibi quaerendos esse electos extra coetum vocatorum, et libenter nos ad hunc coetum aggregemus: ideo dictum est, In hoc coetu Deum efficacem esse per ministerium, ibi enim convertuntur electi.

Sed in hac vita manet haec dissimilitudo, quod mixti sunt electis in externa societate aliqui non electi et hypocritae, qui non sanctificantur, ut Matth. 13. de bonis et malis piscibus dicitur. Removenda sunt igitur Anabaptistarum somnia, qui Ecclesiam constituere volebant, in qua tantum sancti essent.

Et quia de visibili coetu loquimur, externa signa consideranda sunt, videlicet puritas doctrinae, et legitimus usus Sacramentorum. Interdum autem et externa miracula Deus addit.

Etsi autem loquimur de visibili Ecclesia, tamen removenda est imaginatio et κακοζηλία, quae transformat Ecclesiam in regnum politicum seu mundanum, cuius propria haec sunt: Leges de forma gubernationis in moribus, iudiciis, et certis ritibus, ordine personarum, locorum, Rex visibilis, et praesidia necessaria ad defensionem regis, legum, iudiciorum et populi, et rex habet potestatem legis aliquas condendi, et ambiguas interpretandi. Et valet interpretatio propter regiam autoritatem.

Ut in regno Gallico sunt leges in aliquibus circumstantiis dissimiles ab aliarum politiarum legibus, et iudicia constituta sunt certis personis et locis: nec licet Gallicas controversias referre ad iudicia aliorum regnorum. Est et rex visibilis, et hic munitus est necessariis praesidiis, et habet potestatem interpretandi leges, et condendi aliquas novas. Tale est regnum pontificis Romani. Tale fuit et regnum impiorum pontificum in Israël. Talia regna in Ecclesia multi omnibus temporibus somniarunt.

Sed discamus fugiendas esse has imaginationes, et Ecclesiam etsi visibilis est, tamen dissimilem esse imperiis politicis. Et regna illa pontificia significata sunt, quando filius Dei indutus est purpura, et laceratus corona spinea, sic contumelia afficiunt filium Dei pontifices, et scriptores, qui Ecclesiam in tale regnum transformant, ubi sine mandato Dei et leges et cultus instituuntur, de privatis Missis, de coelibatu, et aliis superstitionibus: et expresse damnantur alii homines, qui hos ritus non servant, et praeficitur Romanus Episcopus tanquam rex armatus potestate condendi novas leges, et novos cultus, et potestate interpretationis, et munitus suis et regum exercitibus.

Sciamus igitur externam speciem Ecclesiae dissimilem esse imperiis politicis. Etsi aliquo modo similis est piae scholae, et tamen verum est, Monarchiam seu regnum in hoc visibili coetu esse invisibiliter, ita scilicet, quia filius Dei in hoc coetu verissime adest, et vere est rex et caput credentium, quos regit suo verbo et Spiritu sancto, et adiungit aeterno patri, sicut Ephes. 1. scriptum est: Omnia subiecit sub pedes eius, et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus eius, congregatio integra perficientis omnia in omnibus. Sic dicit ipse Matth. 18.: Ego in medio eorum sum. Item, Iohan. 17.: Ego in eis. Psalm. 2.: Ego autem constituo regem meum super montem Zion.

Externa vero species ministrorum Evangelii et auditorum est aliquo modo similis Aristocratiae, sed alligata Evangelio, et sine potestate po-

litica et sine praesidiis corporalibus, ut Oseae 1.: Non in arcu et gladio, sed in Domino Deo suo salvabo eos, etc. Item in Zacharia capite 4.: Non in exercitu, non in robore, sed in spiritu meo etc. Nec imaginandum est, inclusam esse Ecclesiam in unius regni politiam, sicut scriptum est Matthaei 24.: Ecce hic est, ecce illic est. Sed membra verae Ecclesiae in diversa loca sparsa sunt, et alicubi Deus praebet hospitia publicae congregationi et verae doctrinae studiis, alias magis alias minus commoda.

Valde autem offendit oculos sapientum haec deformis species, quae videtur esse ἀναρχία et dissipatio, nec videtur divinitus consociari et custodiri, quod tam varie laceratum est, sine visibili capite, sine certa sede, sine ordine. Cum igitur sapientes ab hac specie abhorreant, concurrunt ad defensionem ordinariae potestatis, ut nominant. Et magna certamina ex hac iudicii dissimilitudine oriuntur.

Haec de specie externa Ecclesiae considerare necesse est, ne deformitate dissipationis deterreamur a veritate, sed regulam teneamus: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Postquam diximus, quae et ubi sit vera Ecclesia, et qualis sit eius species, sequuntur iam hae quaestiones.

Prima: An in ea sit veritas semper sine erroribus.

Secunda: Qualis sit potestas ministrorum.

Tertia: Quae sit autoritas in iudicando, et in interpretatione.

De prima Quaestione.

An semper sit in Ecclesia veritas sine erroribus.

Respondeo: Hae propositiones, Ecclesia errat, item Ecclesia est columna et sedes veritatis, sunt synecdochae, et alia de aliis congregationibus intelligitur, et loquuntur de diversis generibus errorum.

Saepe est magna multitudo, quae titulum habet Ecclesiae, quae tamen non est vera Ecclesia, sed coetus hostilis bellum gerens cum electis. Sicut erant Pontifices, Pharisaei, Sadducaei, tempore Zachariae. Hi nec fundamentum retinebant, quod ita nominat Paulus 1. Corinth. 3.: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Defendebant enim Pharisaei et Sadducaei multos errores contra articulos fidei.

Talis multitudo etiamsi titulum sibi arrogat, et dominatur in Ecclesia, tamen nequaquam est vera Ecclesia seu pars verae Ecclesiae. Ideo scriptum est Iohan. 8.: Vos ex patre diabolo estis, Et talem fuisse multitudinem in Israël manifestum est, fore etiam talem post Apostolos praedictum est, et res ostendit, Matth. 24.: Multi Pseudoprophetae surgent et seducent multos. Et 1. Timoth. 4.: Spiritus certo dicit postremis temporibus multos a fide discessuros esse, et credituros spiritibus impostoribus.

Et horrenda est descriptio Antichristi 2. Thessal. 2.: Dominantis in templo Dei, horribili furore stabilientis idola et mendacia, quae pugnant cum articulis fidei. Haec tristissima descriptio loquitur de late dominantibus, et de magna multitudine, et de horrendis idolis et mendaciis. Hinc satis perspicuum est, multos, qui titulum habent Ecclesiae, errare: ac necesse est haec testimonia meminisse, ut opponantur allegantibus nomen Ecclesiae de impia congregatione.

Sed de altera parte quae est vera Ecclesia dicamus. Etsi in hac quoque multi sunt infirmi, et alias plus, alias minus est caliginis, tamen in hac retinetur fundamentum, alioqui prorsus nulla esset Ecclesia. Semper autem aliquos esse electos ostendit Dominus, cum inquit Matthaei 24.: Breviabuntur hi dies propter electos. Item, semper verus est articulus fidei: Credo esse sanctam Ecclesiam catholicam. Item: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item, Esaiae 59.: Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo et ab ore seminis tui, deinceps et in sempiternum. Matth. 24.: In adventu filii hominis duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur.

Etsi autem et haec vera Ecclesia edit confessionem, exauditur et conspicitur, tamen eam illa dominatrix Synagoga longe superat multitudine et splendore, ut tempore passionis Christi magna erat paucitas. Et Esaias inquit cap. 1.: Nisi Dominus reliquisset nobis semen. Et hic consideretur immensa bonitas Dei: sicut enim in Paradiso diabolus totum genus humanum perdere conatus est, ita perpetuo grassatur et perdit plurimos. Sed tamen reprimit eum filius Dei, ne universum

genus humanum pereat, eripit et servat multos, et subinde instaurat Ecclesiam, ideo de hoc parvo coetu invocantium dicitur Danielis 11.: Et docti in populo docebunt multos, et ruent in gladio et flamma.

Manent autem in hac vita, et in hac vera Ecclesia multae infirmitates, et quidem seniores magis agnoscunt et deplorant suam caliginem, et alienam, et suas sordes. Ideo inquit Paulus 1. Corinth. 3.: Alii super fundamentum extruunt aurum, alii argentum, alii stipulas. Extruunt aurum et argentum, cum refutant haereses et illustrant articulos fidei, Stipulas nominat contagia opinionum, in quibus aliquid erroris est, ut de Ceremoniis, ut multum stipularum Augustinus et alii sancti super fundamentum extruxerunt.

Cum igitur Paulus inquit, Ecclesiam esse columnam et sedem veritatis, sciamus eum loqui de vera Ecclesia retinente fundamentum, et non propugnante pertinaciter idola et mendacia pugnantia cum articulis fidei: quia Deus semper in aliqua parte generis humani vult agnosci, etiamsi est exigua. Huc pertinet et dictum ad Ephes. 5. Ut sistat sibi Ecclesiam non habentem maculam, et ut sit sancta et inculpata, scilicet in vera doctrina, et vera fide Deum invocans, et iusta propter filium Dei, imputatione et incoatione.

De secunda Quaestione.

De potestate ministrorum.

Expressum mandatum est Marci ultimo: Praedicate Evangelium omni creaturae. Et 2. Corinth. 3.: Sumus ministri novi testamenti, non literae, sed spiritus. Et Iohan. ultimo: Sicut misit me pater, sic ego mitto vos. Hoc mandatum complectitur ea, quae ad substantiam ministerii evangelici pertinent, videlicet praedicationem Evangelii, administrationem Sacramentorum, excommunicationem contumacium, Absolutionem agentium poenitentiam, iudicia de vocatis ad ministerium evangelicum. Recte etiam addi possunt iudicia de doctrina, quia haec pars necessaria est in praedicatione Evangelii.

Nequaquam vero ulla creatura potestatem habet nova dogmata condendi de essentia aut voluntate Dei, aut novos cultus instituendi, Sed filius qui in sinu patris est, enarravit nobis. De hoc dictum est Matth. 17.: Hunc audite. Item ipse inquit Iohan. 17.: Pater sanctifica eos in veritate, Sermo tuus est veritas. Item Matth. 15.: Frustra colunt me mandatis hominum. Ideo falsa et impia est imaginatio Episcoporum, et similium qui tribuunt Episcopis aut aliis potestatem constituendi novos cultus.

Est autem debita obedientia in illis, quae proprie ad miniserium pertinent, sancita in hoc dicto, Lucae 10.: Qui vos audit, me audit, Qui vos spernit, me spernit. In his dictis deducit nos Dominus ad ipsam Evangelii vocem, se vult audiri in praedicatione ministrorum, nec constituit haec sententia regnum aliquod extra ministerium, sicut Episcopi postulant obedientiam traditionibus praestari, quae sunt extra vocem Evangelii. Praeterea nec habent ministri Evangelii potestatem gladio aut vi corporali coërcendi. De qua re alias saepae dicitur.

De tertia Quaestione.

Manifestum est oriri controversias etiam in vera Ecclesia, ut Actorum 15. apparet, ideo de iudiciis quaeritur: Qui sint iudices, et quae sit norma iuxta quam iudicari oportet, Et quae sit autoritas iudicum, et quomodo necesse sit obtemperare iudicato.

Hic primum considerentur iudicia politica, ibi iudex est ipse rex aut praetor cum maiore parte consilii. Norma est in quolibet regno propriae leges, quibus obtemperare et iudicem, et litigantes necesse est. Autoritas iudicum talis est, ut cum in lege est ambiguitas, possint addere certam declarationem, et haec additio postea habet vim legis propter gradum magistratus, et debetur ei obedientia, etiamsi alicui litiganti secus videtur.

Ita dicitur iudicatum valere autoritate regia vel praetoria, quia Deus armavit magistratum politicum hac potestate, et negotia sunt subiecta rationi. Potest sapiens magistratus probabilem rationem videre, cur ita pronunciandum sit. Debetur autem ei obedientia propter gradum, ut sit pax et finis litium, et cum non obediunt condemnati, iustum est eos cogere. Talem esse ordinem et autoritatem iudiciorum politicorum sciamus.

Postea consideretur, quatenus congruat haec imago ad iudicia Ecclesiae, quae aliquo modo dissimilia sunt iudicis politicis.

Primum recte hoc dici potest, Ministros Evangelii debere praeesse iudiciis, et habere mandatum convocandi Ecclesiam ad cognitionem, ut in Actis cap. 15. Apostoli praesunt cognitioni, et adhibent alios ex coetu seniorum. Norma vero est verbum Dei, et symbola, quae certe sunt breves articuli, sumti tantum ex verbo Dei, iuxta hanc normam nunc quidem post Apostolos iudicare necesse est, iuxta hoc dictum, Gal. 1. cap.: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Sed quid si sit ambiguitas? Hic primum respondeo: Non est ambiguitas in fundamento, id est, in partibus doctrinae necessariis, in libris propheticis, apostolicis et symbolis, dextre consideratis sententiis sine sophistica, et collato integro doctrinae corpore, Ut, etiamsi Samosatenus contendit esse ambiguitatam in dicto: In principio erat Verbum, tamen circumstantia textus eum convincit, quae ostendit, Verbum ibi intelligi oportere personam, quia textus inquit: Omnia per ipsum facta sunt. Item: Et Verbum caro factum est. Item Ioh. 8.: Antequam Abraham natus est, ego sum. Et: Abraham vidit diem meum.

Praeterea etiamsi quis sophistice contendit esse ambiguitatem, ut Anabaptistae de infantum Baptismo vociferantur, tamen cum semper sit vera Ecclesia, semper in aliquibus seu multis seu paucis manet vera lux. Hi in iudicando pronunciant, ostendunt suam confessionem, Narrant quid intelligant, et sunt certi ex ipso sermone prophetico et apostolico, et testimoniis Spiritus sancti in ipsis, iuxta illud Ephes. 1.: Obsignati estis Spiritu sancto.

Et sententia horum seu multorum seu paucorum confessio est, Ac possunt hi adiuvari confessione sanctorum, qui antea fuerunt, sicut nos de tribus personis adiuvamur a Gregorio Neocaesariensi, ab Irenaeo, a confessione Nicenae Synodi, item de baptismo infantum adiuvamur sinceris testimoniis antiquae Ecclesiae, sicut scriptum est Lucae 22.: Et tu conversus confirma fratres tuos.

Iam qui agnoscit se convinci verbo Dei, obtemperat iudicato propter verbum Dei, non propter gradum iudicum: et quanquam commonefit auditor iudicum voce, tamen fides nititur testimonio divino, ut in hoc dicto: In principio erat Verbum. Multi autem quia non volunt convinci verbo Dei, postea quoque contradicunt, sicut Ariani postea quoque Nicenae Synodo contradicebant: nec valet declaratio propter iudicum gradum aut numerum, sicut in iudicio politico.

Sed dicat hic aliquis: Nunquam igitur finis erit dissensionum in Ecclesia? Respondeo: Non est finis ut in imperiis, sed tandem Deus tollit blasphemos, sicut delevit Synagogam Iudaicam, Manichaeos, Arianos et alios. Etiam post Apostolorum decretum de lege, tamen manserunt multi, qui circumcisionem et alias ceremonias Mosaicas retinuerunt.

Alia dissimilitudo.

In iudiciis politicis utraque pars obligari potest ante sententiam, ut promittat se obtemperaturam esse iudicato. Sed in iudiciis doctrinae in Ecclesia homines pii nequaquam se obligent ante sententiam, quia homines errare possunt, et saepe maior pars in Synodis est fascinata malis opinionibus, ut in Synodo Syrmiensi, quanquam speciosa erat, et magni viri ex Graeca et Latina Ecclesia convenerant, tamen insigne erratum accidit, sustulerunt ex Symbolo vocabulum ὁμοούσιος, et pro eo inseri voluerunt ὅμοιος, id est, similis, ut hic cothurnus tolleret dissensionem, sed quia ambiguitas obscurabat veritatem et confirmabat Arianos, post Synodum Ecclesiae recte sentientes hanc corruptelam admittere noluerunt.

Non est enim alligata veritas ad maiorem numerum, nec ad Romanum Episcopum, aut ad titulum Episcoporum, quia scriptum est Roma 2.: Deus personam hominis non accipit. Et Iohan. 1. scriptum est, veram Ecclesiam non esse coetum propagatione naturali ortum, aut humanis collegiis et ordinationibus collectum, ut sunt Episcoporum collegia: sed ex Deo natum, iuxta haec verba: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Et multae fuerunt Synodi impiae, quibus tamen viri magni interfuerunt, ut illa Syrmiensis et Seleuciensis sub Constantio, qui cum vocasset Episcopos Niceam, facturos contrarium decretum priori Synodo Nicenae, terraemotu dissipati sunt. Postea vero convenerunt in Seleucia, ubi maximis contentionibus impia decreta facta sunt contra ὁμοούσιον.

Talia exempla vetera multa sunt. Utile est et recentium Synodorum errata considerare. In Concilio Lateranensi, quod valde celebratur tan-

quam οἰκουμενικὸν, decreta facta sunt de transsubstantiatione, et de enumeratione in confessione, et recens Tridentina Synodus decretum fecit, semper dubitandum esse, an simus in gratia. Et falso detorsit ad hunc errorem dictum Salomonis Eccles. 9.: Nescit homo an amore vel odio dignus sit. Cum igitur non dubium sit, in Synodis maiorem partem errare posse, nemo se obliget ante sententiam ad obtemperandum iudicato, sed postea consideret, quid sit pronunciatum, et regulam sequatur: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit, Galat. 1.

Considerent etiam pii, quid multi veterum de plerisque congressibus iudicarint, Qualis est illa Nazianzeni Epistola ad Procopium praefectum, quam propter iuniores huc adscripsi.

Gregorius Procopio.

Sic affectus sum, si verum scribendum est, ut malim omnes Episcoporum conventus vitare, quia nullius Synodi finem vidi bonum, aut qui magis tolleret mala quam augeret. Nam cupiditas contentionis ac principatus, et aemulatio, (ne tamen me durum esse censeas sic scribentem) vincunt rationem, et citius aliquis iudicans de novo crimine ipse accusetur, quam alios corrigat. Propterea me reprimo, et hanc quietem amo, in qua non impeditur invocatio. Nunc vero et morbum habeo excusantem me in hac excusatione, subinde tanquam extremum halitum ducens, et languefactus toto corpore. Ignosces igitur mihi, et persuadebis pio imperatori, ne tribuat ignaviae, sed veniam det aegritudini, propter quam scit se mihi precanti tribuisse potestatem, ut me in hunc secessum abderem, cum alia splendida officia offerret etc.

Hic dicat aliquis: Quid prosunt iudicia Ecclesiae, si non finiunt discordias? Respondeo: Vera iudicia in vera Ecclesia multum prosunt, quia vult Deus semper extare aliquorum veram confessionem, iuxta illud dictum Psalmo 149.: Laus eius Ecclesia sanctorum, Et vult horum voce et testimoniis erudiri praesentes et posteros, et multos infirmos confirmari, postea vero Deus suo tempore compescet contradicentes, ut compescuit Synagogam Iudaicam.

Considerandum est etiam, quales coetus ad iudicandum conveniant, an tantum Synagoga impia conveniant, ut ad Stephani condemnationem. Si talis coetus est, manifestum est oportere decretis impiis contradici.

Et manifeste magnum est Sacramentum etc.

In Graecis codicibus sic legitur: Deus manifestatum est in carne. Cum autem antea Paulus dixisset, in Ecclesia veritatem esse, addit, quae sit haec veritas, scilicet quod Deus manifestatus sit in carne, et iustificatus per spiritum, quasi dicat: In aliis congregationibus non est veritas Dei, nec ibi verus Deus agnoscitur, nec vera invocatione ibi colitur, sed tantum in hac congregatione, quae nominatur Ecclesia filii Dei, de Deo vera noticia, et veri Dei invocatio est, ubi agnoscitur Deus, qui se in carne patefecit, sicut ipse filius dicit Iohan. 14.: Qui videt me, videt et patrem. Item: Nemo venit ad patrem nisi per filium.

Iam hic tota doctrina complectenda est, quam filius tradidit Ecclesiae, iuxta illud Ioh. 1.: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Sciamus igitur sic agnoscendum et invocandum esse Deum, sicut se patefecit per hunc ipsum filium, quem inenarrabili sapientia et bonitate misit, ut assumta humana natura fieret victima pro nobis, et esset propiciator, redemtor, et summus sacerdos, ac restitutor iusticiae et vitae aeternae.

Ita verus Deus agnoscitur et invocatur, cum hunc filium vera fide agnoscimus, et verum Deum, qui se hoc filio misso, crucifixo, et resuscitato patefecit, invocamus, sicut alias saepe diximus, in invocatione cogitandum esse, quid alloquamur, et discernendum esse verum Deum ab omnibus commentitiis numinibus.

Invoco te omnipotens et vere Deus, aeterne et unice pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et dixisti de filio, Hunc audite, conditor coeli et terrae, angelorum et hominum, et conservator, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, verax, iuste, iudex, caste, misericors, liberrime, custos Ecclesiae tuae, quem invocaverunt patres nostri, Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, David, Baptista, Paulus, miserere mei, et remitte mihi peccata mea, et iustifica me per et propter Iesum Christum filium tuum unigenitum Dominum nostrum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam,

καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, mirabili et inenarrabili consilio et immensa bonitate, sanctifica cor et animam meam Spiritu sancto tuo, rege et doce me, serva Ecclesiam etc.

In tali forma invocationis commonefactio est de veri Dei invocatione, de segreganda invocatione Ecclesiae ab ethnica.

Iustificatus per spiritum.

Id est, Christus declaratus dato Spiritu sancto, et factis miraculis per Spiritum sanctum, ac ita declaratus est, ut constet veracem et iustum esse et Evangelium non esse fabulosum. Nam Spiritus sanctus et publice testimonium dedit per miracula, sicut inquit Dominus Iohan. 16.: Spiritus me glorificabit. Et privatim confirmat corda credentium, cum erigit ea in media morte, et liberat nos a peccato, et ex doloribus inferorum vera consolatione, quae sentitur in cordibus, et initium est vitae aeternae, ut Roman. 8. dicitur: Accepistis spiritum, quo clamamus Abba pater, ipse spiritus testimonium praebet spiritui nostro, quod simus filii Dei.

Diligenter autem observent iuniores phrasin in verbo Iustificatus est, et considerent, quomodo quolibet loco usurpetur.

Conspectus Angelis.

Existimo rem arcanam et magnam significari, cum ait, conspectum esse Christum ab angelis bonis et malis. Vident boni angeli causas omnium operum Dei, et quare sic redimi voluerit genus humanum, et qualis sit copulatio divinae et humanae naturae, et serviunt huic Domino, ut Gabriel est nuncius ad Mariam Lucae 1. Venit angelus ad Dominum in agone ad eum confirmandum Lucae 22. Serviunt ei et in defensione Ecclesiae Psalmo 34., Ebrae. 1. In his rebus omnibus laetantur sapientia et bonitate Dei, et Deum grati celebrant ingenti et inenarrabili laetitia, et gaudent esse socii ministerii pro salute hominum, quia volunt Deum honore a plurimis affici, et nos vere diligunt, et dolent multos homines perire.

De hac angelorum sapientia et laetitia dicit Petrus 1. Petri 1.: Quae angeli intuentes laetantur. Contra vero cum malis spiritibus magna certamina fuerunt, sunt et erunt, Matthaei 4.: Accessit ad eum tentator. Et Iohannis 14.: Venit Princeps mundi, et non habet in me quidquam.

Sunt et haec illustria testimonia praesentiae et bonitatis Dei, et simul ingentia miracula, quod gentes ad societatem Evangelii vocatae sunt, quod multi vere conversi sunt, et confessionem inter tantas persecutiones ostenderunt.

Maxime vero illustre testimonium est resurrectio Christi, et ascensio in coelum conspecta magnae multitudinis oculis.

De his patefactionibus Dei et testimoniis inquit, in Ecclesia veritatem esse, ut firmissime statuamus tantum in hoc coetu, in quo retinetur fundamentum, id est, articuli fidei incorrupti, veram agnitionem et invocationem Dei esse, sicut saepe alias dicitur: Qui non credit in filium, manet ira Dei super eum, Ioh. 3.

Caput quartum.

In primo capite breviter summam doctrinae complectitur, ubi de discrimine Legis et Evangelii dicit. Item cum ait: Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. In secundo capite dicit de exercitiis fidei, de invocatione et de aliis bonis operibus. In tertio capite de ministerio et de Ecclesia.

Nunc in quarto capite addit admonitiones gravissimas, ut caveat Ecclesia, nec decipiatur falsis dogmatibus: ut enim medicus monstrat salubria, et iubet vitare res nocituras valetudini, ita in docendo fieri utrunque necesse est. Proponenda est vera doctrina, et ostendendum, quae falsae opiniones vitandae et explodendae sint.

Tria autem praecipue hic considerentur. Primum nominatim inquit, Diabolum autorem esse impiarum opinionum, et vitiosarum traditionum, sicut de Iuda dicitur Lucae 22.: Satanas intravit in cor eius. Ideo cum legimus vel audimus furores Marcionis, Manichaeorum et similium, et Anabaptisticos, qui videntur non cadere in homines, expavescamus et sciamus tales homines habitacula esse diabolorum, et regi non naturae viribus, sed impelli a diabolis. Sit igitur precatio ardentior, sicut Dominus inquit Lucae 22.: Orate, ne intretis in tentationem. Et Propheta inquit Psalm 118.: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

Secundo affirmat Paulus, certo multos in Ecclesia sparsuros et defensuros esse mala dogmata, non igitur securi nobis blandiamur propter titulum, ut cogitemus nullos errores in hac multitudine haerere, quae nominatur Ecclesia.

Tertio diserte inquit, et in specie ponit quaedam exempla traditionum, ut agnosci possit, qui Episcopi et Doctores vitandi sint, et quae sint impiae traditiones. Ubicunque igitur hae notae inveniuntur, certum est defensores talium errorum non esse membra verae Ecclesiae, sed organa diaboli.

Haec admonitio valde confirmat pios et modestos homines contra terribiles clamores adversariorum, qui opponunt nobis tanquam Gorgonem venerandum nomen Ecclesiae, et vociferantur Ecclesiae praecipuam partem esse Episcopos et Sacrificulos. His rursus constanter opponenda sunt haec dicta, in quibus vox divina affirmat diabolos autores esse talium traditionum, ac nominatim prohibitionis coniugii, et discriminis ciborum.

De novissimis temporibus.

Etsi omnia secula inde usque ab initio generis humani multas magnas confusiones religionum, bella et vastationes habuerunt: tamen vox divina saepe testatur, in ultima senecta mundi maiores futuras esse confusiones, quam fuerunt antea. Et crescunt mala propter tres causas: Prima, Quia cumulatis peccatis sequuntur maiores poenae. Secunda, In his ipsis peccatis et poenis natura fit languidior et disciplina dissolutior. Tertia, Quia rabies diabolorum crescit, qui iam scientes instare diem iudicii, in quo eorum malitia omnibus angelis et hominibus palam ostendetur, odio filii Dei magis saeviunt in Ecclesiam.

Haec magna pericula nostrae aetatis aliquo modo consideremus, et expavescentes simus vigilantiores in discendo, et modestiores in omnibus negotiis, et ardentiores in petendo auxilio. Intueamur etiam promissiones nominatim factas ultimae aetati, ut Esaiae 46.: Etiam in senecta et canicie vos gestabo. Et Psalmo 71.: Non proiicias me tempore senectae, cum deficiet virtus mea. Item: Etiam in senecta non relinquas me. His cogitationibus exuscitemus nos ad vigilantiam et ad precationem.

Prodest haec admonitio ad hoc quoque, ne scandalis turbati existimemus nullam esse Dei Ecclesiae, sed sciamus inter has ipsas confusiones tamen aliquam esse veram Ecclesiam, et discamus ubi quaerenda sit, et nos ei adiungamus, et in ea verum Deum in vera agnitione Domini nostri Iesu Christi firma fide et spe invocemus, et statuamus promissiones nobis ratas esse, et semper nos consolemur hoc articulo: Credo Ecclesiam sanctam catholicam. Item, Matth. 28.: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item, 1. Cor. 11.: Hoc facite donec veniat.

Multi deficient a fide.

Necessaria diligentia est considerare discrimina professionum in genere humano. Ethnici, Iudaei, Mahometistae palam profitentur, se esse hostes Christi et Evangelii, et palam reiiciunt symbola. Hi facile agnosci possunt. Sint autem primum adversus hos munita pectora, sicut adversus Ethnicos vetustas collegit multas refutationes, quas cogitare utile est.

Prima autem et maxime illustris confirmatio est Ecclesiae miracula inimitabilia creaturis, quae testantur hanc doctrinam a Deo traditam esse, ut resuscitatio mortuorum, repressio cursus solis, partus in effoeta aetate, eductio ex Aegypto. Haec testimonia vult nos Deus intueri, quia ideo facta et scripta sunt, ut sint testimonia, item ut agnoscamus hunc vere esse Deum, qui se his testimoniis patefecit, et discernamus eum ab omnibus commentitiis numinibus, sicut in primo praecepto allegat patefactionem: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Aegypto.

Etsi autem non fiunt similia quotidie, tamen facta illa multis nota fuerunt, et a fide dignis recitantur. Praeterea nunquam Ecclesia caret miraculis, etiamsi non pariter incurrunt in oculos: et perpetuum miraculum est, conservatio et instauratio Ecclesiae et ministerii evangelici, quod toties delere conati sunt immani rabie plurimi reges et mali doctores. Caeterae sectae etiamsi aliquandiu duraverunt, tamen oppressae non instaurantur.

Secunda confirmatio est, Antiquitas nostrae doctrinae. Cum enim consentaneum sit, Deum se patefecisse generi humano, et nulla extet doctrina de patefactione antiquior, imo ne quidem sciri possit unde, per quos, quo tempore, ethnicae religiones traditae sint: fatendum est hanc anti-

quissimam prae caeteris amplectendam esse. Ac utile est conferre historias, et signa antiquitatis observare.

Tertia confirmatio firma est, Vaticinia de regnis, quae cum eventus ostenderit vera esse, manifestum est utrunque, et a Deo regi genus humanum, et hanc doctrinam a Deo esse.

Quarta, Collatio doctrinarum. Ethnici tantum docent legem, et quidem corrumpunt, quia multa portentosa et abominanda fingunt de idolis, et tetras libidines permittunt. Postea Ethnici de remissione peccatorum, de causis calamitatum in genere humano nihil certi dicitur. Manifestum est igitur, eorum doctrinam insufficientem esse, et non ostendere liberationem a malis. Hanc collationem cogitare utile est, quia ostendit genera doctrinarum, discrimen legis et Evangelii.

Quinta, Spiritus sanctus in vera consolatione vivificans corda, ostendit Evangelii veritatem et efficaciam, sicut Dominus inquit Iohan. 16.: Cum veniet spiritus veritatis, ducet nos in omnem veritatem. Et Rom. 8.: Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei. Ita Adam habuit testimonia externa et interiora: foris audiebat vocem divinam, intus sentiebat se ex morte liberari et vivificari.

Hae causae de discrimine Ethnicorum et Ecclesiae saepe et attente considerandae sunt.

Facilius est refutare Iudaeos pugnantes cum Ecclesia, qui profitentur se assentiri Prophetis: ex his enim convinci possunt, Apostolorum doctrinam cum prophetica congruere. Dissentiunt autem Iudaei a nobis de Messia, quem negant esse filium Dei coaeternum, negant Passionem, negant eum dare iusticiam et vitam aeternam, contendunt regnum politicum habiturum esse etc. Hi praecipui errores refutari ex Prophetarum testimoniis perspicue possunt.

Mahometistae parum differunt ab impiis Iudaeis, neque tamen recipiunt Prophetas, sed refutari possunt a circumstantia temporis. Cum enim Ecclesia fuerit initio, dogma autem Mahometi recens sit natum post Apostolos, circiter annum sexcentesimum, et pugnet cum Prophetis et Apostolis: impossibile est Mahometistas esse Ecclesiam Dei. Nihil autem continet doctrina Mahometi, nisi particulam legis de operibus, deinde addit blasphemias contra filium Dei, et contra Spiritum sanctum, et superstitiosos quosdam ritus et stultas satisfactiones pro delictis: ita totum Evangelium reiiciunt Mahometistae, et corrumpunt legem.

Dixi de Ethnicis, Iudaeis et Mahometistis, ubi de singulis considerandum est, unde sumantur refutationes. Iam dicam de his, quos Paulus nominat deficientes a fide. Horum duo genera sunt. Alii aperte negant articulum aliquem symboli, ut Manichaei posuerunt duo principia coaeterna, Bonum et Malum. Arius negavit filium Dei esse ὁμοούσιον aeterno patri, Macedonius contendit Spiritum sanctum tantum esse motum creatum in angelis et in hominum cordibus. Aliqui negaverunt corpora hominum resurrectura esse. Tales palam delentes articulum aliquem symboli facile agnosci possunt, et refutandi sunt ex testimoniis propheticis et apostolicis, cum adhuc videri velint assentiri Prophetis et Apostolis.

Alii non ita palam delent articulos fidei, sed occulte eos corrumpunt interpretationibus, quae dissentiunt ab ipsis articulis symboli, ut Papa et monachi retinent verba symboli, et tamen quibusdam articulis addunt falsas interpretationes cum Evangelio pugnantes, ut nominatim his duobis articulis, Credo remissionem peccatorum. Item: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam. Corrumpunt enim articulum, Credo remissionem peccatorum, quia addunt interpretationem, Credo remissionem aliis dari, non mihi. Item: Non credo remissionem, sed dubito. Non credo gratis dari propter filium Dei, sed dari propter merita sufficientia, propter sufficientem contritionem et alia opera. Item, propter satisfactiones. Hae additiones pugnant cum Evangelio enarrante totum articulum, Credo remissionem peccatorum.

Alterius articuli de Ecclesia corruptelae etiam perniciosae sunt, quia fingunt Ecclesiam esse regnum politicum, in quo dominari oporteat Episcopos, et condere dogmata et cultus, et horum decretorum observationem esse iusticiam coram Deo. Hac hypothesi posita procedunt Episcopi longius, constituunt idola, et ferunt leges suae potentiae, suis opibus accommodatas, ut legem de coniugio. Postea vi corporali cogunt homines, ut obtemperent, sicut Nabuchodonosor coëgit suas gentes, ut statuam colerent.

Ita utriusque articuli corruptelae abducunt mentes ab agnitione mediaoris, et extinguunt lucem Evangelii de remissione peccatorum, de

fide, de interiore cultu, de vera invocatione, et abstrahunt homines ad idola. Manifestum est igitur, eos qui amplectuntur tales corruptelas, deficere a fide. Haec fiunt illustria consideratis exemplis omnium temporum.

Semper cum discessum est a verbo Dei initiis errorum, quae primum exigua videbantur, paulatim accesserunt tetra idola: ut in Israël processit impietas ad humanas hostias et ad obscoena idola, in Papatu manifesta idola sunt invocationes mortuorum, concursus ad statuas, circumgestatio panis, et multae prophanationes in coena Domini. Et manifesta turpitudo est in lege coelibatus.

De his furoribus praemonet Ecclesiam Paulus, et duo signa expresse ponit, prohibitionem coniugii, et discrimina ciborum. Sciamus igitur non esse Ecclesiam Dei defensores talium errorum. Et hoc Pauli testimonio confirmemus nos, ut sciamus recte taxari errores illos, et Ecclesiam Dei esse coetum, qui vocem Evangelii incorruptam amplectitur, et improbat illos errores. Caeterum de traditionibus et de coniugio alibi doctrina integre tradita est.

Omnis creatura Dei bona est.

Opponit regulam fanaticis spiritibus, qui damnant coniugium, cibos, ordinem politicum, distinctionem dominiorum, iudicia. Semper enim multi fuerunt, sunt et erunt tales hypocritae, ut olim Marcion, Tatianus, Manichaei, Papa, Monachi, et nunc Anabaptistae, qui de distinctione dominiorum sic argumentantur: Nemini licet appetere alienum. Omnes res extra spiritum sunt alienae, ergo non licet appetere ullas tales res, ut facultates.

Respondeo: Maior vera est de alieno, quod politica distinctione dominiorum pertinet ad alterius dominium, iuxta illud: Non concupiscas alterius uxorem, neque res alterius. Minor est falsa, ut manifestum est: propria uxor est res extra spiritum: non dicitur isto modo res aliena, cibi sunt res extra spiritum, et tamen appetendi sunt.

Sic Tatianus argumentabatur. Scriptum est in Evangelio secundum Aegyptios dixisse Christum ad Salomonem, Veni ut solvam opera mulieris, Parere est opus mulieris, Ergo Christus abolet coniugium.

Nego minorem, quia parere opus est, quod Deus et condidit et iuvat. Sed lapsus Evae est proprium opus mulieris, de hoc lapsu Christus loquebatur.

Haec exempla recitavi, ut iuniores considerent ludos sophismatum, et diabolicas praestigias, et se vera doctrina praemuniant: nam recte cognitis fontibus refutatio facilis est.

Quod autem dixit Paulus, creaturas esse res bonas, intellige quatenus sunt a Deo, et sicut usus ordinatus est: abusus autem vitium est in voluntate abutentium. Ideo mox addit Paulus sententiam plenam eruditionis, Sanctificetur per verbum et precationem, id est, usus coniugii, cibi, imperii, dominii, fit sanctus, concessus a Deo, et Deo placens per verbum et precationem, id est, cum utens sequitur verbum Dei, quod regit usum, et habet noticiam Evangelii, Ac scit has res externas non esse iusticiam aeternam, sed Deum sibi in hac vita mortali colligere aeternam Ecclesiam, ac tantisper velle, ut vita foveatur cibis, et maneat propagatio ordinata verbo Dei, et conservetur communis societas. Quanquam autem hae res non sunt iusticia aeterna, tamen lucent in eis bonitas et sapientia Dei, et vult Deus nos in earum usu exercere et ostendere obedientiam.

Ac omnino amplissimam sapientiam significat Paulus, cum inquit, usum fieri sanctum per verbum Dei, id est, agnitione totius doctrinae Dei de iusticia aeterna, et de vita corporali, in qua vult incoari aeternam Ecclesiam.

Iubet autem Paulus et precationem addi, id est, petitionem auxilii, confessionem et gratiarum actionem: quia et hanc corporalem vitam vult Deus esse occasionem exercendae et ostendendae obedientiae, quare de coniugio, de castitate, de educatione et institutione sobolis, de communi societate, de toto ordine politico, de vitandis homicidiis et furtis, tradidit nobis verbum, et in hoc pulcherrimo ordine, in quo lucent ipsius sapientia et bonitas, vult exerceri timorem, fidem, spem, invocationem, dilectionem, castitatem, beneficentiam, et alias virtutes.

Necessaria sapientia est in Ecclesia, recte intelligere discrimen legis et Evangelii, et iusticiae aeternae in cordibus, et usus rerum corporalium, quem Deus suo verbo certo modo ordinavit: quia in hac mortali vita Ecclesiam vult col-

ligi, et in harum ipsarum rerum usu lucere fidem, invocationem, et alias virtutes.

Sed manichaea et anabaptistica colluvies fascinata a diabolo ostentat novam sanctitatem, quasi reliquerint terram, et volitent in coelo extra hanc vitae societatem, et iactat interea se habere mirandos afflatus. Et quia haec hypocrisis mendacium est, nec carent rebus in hac vita, faciunt postea confusiones libidinum, et movent seditiones, et volunt novam Ierosolymam constituere, sicut saepe accidit. Nam et olim similis Tragoedia Monasteriensi accidit in Phrygia in oppido Pepuza, quam nominabant novam Ierosolymam, et habebant ibi fanaticos vates.

Haec admonitio contra Anabaptistas et similes spiritus fanaticos, diligenter consideranda est. Ac Paulus ideo inquit: Sanctificatur cibus per verbum Dei, ut doceat utentes quomodo bona conscientia rebus uti possint, sicut alibi inquit: Quicquid non est ex fide, peccatum est, Roma. 14. Eius dicti sententia nativa recte tenenda est. Non tantum est legale dictum, sicut multi interpretantur hoc modo: Quicquid prohibitum est mandatis divinis ad nos pertinentibus peccatum est.

Quanquam autem hic legalis intellectus verus est, tamen nondum reddit totam sententiam, dicti Paulini: sed quia fit mentio fidei, oportet complecti Evangelium. Nec tantum intelligatur fides de noticia historiae, sicut dicunt: Honesta opera hominis ethnici non placent Deo, quia non est in professione Christiana: sed intelligi oportet veram fidem, quae accedit ad Deum fiducia mediatoris, et invocat eum. Ubi talis fides non est, sed cor agit contra conscientiam, aut manet in dubitatione, ut suspendens furem, et tamen existimans se contra Deum facere, non potest invocare Deum, et agit cum contemtu Dei.

Sit igitur nota haec regula Pauli, et recte intelligatur et praeluceat omnibus actionibus, et ne quid faciamus contra conscientiam, et ut conscientia regatur verbo Dei, ac possit accedere invocatio, videlicet omne quod non est ex fide, peccatum est.

Corporalis exercitatio ad modicum est utilis, pietas ad omnia, etc.

Utilis distinctio est inter necessaria et non necessaria opera, electa exercitii nostri causa, ut sunt ieiunia, vel alii labores suscepti ad frenandum corpus. Ac semper in Ecclesia externae observationes multum disputationum pepererant, quia vel propter ordinem, vel propter exercitia, externae aliquae observationes humano consilio instituuntur aut suscipiuntur, quae postea superstitione depravantur, cum affingitur opinio meriti, cultus aut necessitatis. Ideo etiam vetustas taxavit superstitionem, iuxta dictum memorabile Athanasii: καλὸν ἡ ἄσκησις μετὰ ἀληθοῦς γνώσεως, καὶ συμμετρίας.

Ut autem recte iudicetur de ritibus humanis, totum corpus doctrinae tenendum est, sicut hic quoque Paulus facit antithesin necessariorum et non necessariorum. Pietas utilis est ad omnia. Nominat autem pietatem simul fidem et omnes necessarias virtutes, seu omnia opera nobis mandata divinitus. Et valde insignis sententia est, quod ait promissiones praesentis et futurae vitae pietati propositas esse, et addit expressam asseverationem: Certus est sermo et firma assensione amplectendus.

Hanc dulcissimam et maxime necessariam doctrinam, de duobus generibus promissionum oportet familiarissime notam esse. Ac primum quod ad Evangelium attinet, continet promissionem remissionis peccatorum, et restitutionem vitae aeternae per filium Dei, et propter eum, quod manifestissimum est. Constat enim hanc esse principalem vocem Evangelii, missum esse filium Dei, ut aboleat peccatum et mortem, et restituat vitam aeternam.

Sed cur dicit, Evangelium habere praesentis vitae promissionem, cum Ecclesia sit subiecta cruci? Item cum dicit Dominus Matth. 24.: Interficient vos et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et Lucae 9.: Filius hominis non habet ubi reclinet caput? Haec sunt praedictiones mortis, non vitae praesentis? Sed respondeo: Utraque propositio verissima est, et subiecta est Ecclesia cruci, et tamen habet promissionem bonorum corporalium, sicut coniungit haec Dominus Marc. 10.: Recipiet centuplum, sed cum tribulatione. Et Esaiae 30.: Audiet clamorem tuum, et dabit vobis panem et aquam in angustia et dolore.

Cum enim Deus velit in hac mortali vita ita incoari et colligi Ecclesiam, servat eam, praebet ei hospitia, fruges, oeconomias, politias, facultatem propagandi sobolem, et Ecclesiam, sicut ipse Dominus inquit Matth. 6.: Scit pater vester

coelestis his omnibus vobis opus esse, Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item, Psalmo 32.: Enutriet et alet eos in fame: imo propter Ecclesiam Deus et caeteras gentes et bona corporalia conservat. Postquam autem universa Ecclesia collecta fuerit, nec fuerint plures electi in genere humano, mox cessabit haec mortalis vita, et fiet extremum iudicium.

Est autem promissio bonorum corporalium generalis, non alligata certo loco, ut Israëlitis alligata erat ad certum locum, et semper in hac vita rata est universo coetui. Ideo semper in hac vita servat Deus aliquam suam Ecclesiam, etiamsi multa membra interficiuntur, ut si victoria promissa esset exercitui, rata et vera est promissio, etiamsi aliqui milites interficiuntur.

Secundo, promissio corporalis semper intelligatur cum exceptione castigationis et crucis. Vult Deus utrumque exerceri in petentis bonis corporalibus, fidem et obedientiam. Vult Abrahae vitam et familiam custodire, sed ita, ut regatur Abraham non solum humanis consiliis, sed fide, invocatione Dei, et a Deo petat et expectet auxilium, iuxta dicta Ierem. 17.: Maledictus qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum. Item, Zachar. 4.: Non in robore, non in exercitu, sed in spiritu meo, dicit Dominus.

Vult etiam hoc scire homines, se vere irasci peccatis, et horribiliter punire lapsus, ut simus diligentiores in nobis frenandis: sicut tristissimae poenae secutae sunt lapsus Davidis, Salomonis etc. Et tamen inter has poenas aliquod semen Ecclesiae semper servatum est, ut in exilio Babylonico.

Ita videmus promissionem corporalem similiter ratam esse propter gloriam Dei, ne extinguatur agnitio Dei in genere humano, et in petitione hunc finem intueamur, Psalm. 114.: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Item: Non mortui laudabunt te Domine. Exerceamus igitur et fidem et obedientiam in petitione, et expectatione corporalium bonorum, sicut Dominus iubet petere panem quotidianum, et illas stultas superstitiones eorum execremur, qui hanc petitionem nolunt interpretari de rebus corporalibus.

Semper autem in conspectu sint hae quatuor causae, propter quas Deus et tradidit promissiones corporales, et vult ea bona peti. Prima est, Quia vult intelligi haec bona non spargi casu sine consilio et voluntate Dei, sed Deum suo consilio vel fovere naturae vires, vel deserere, vel dare facultates, vel non dare.

Primum igitur sit in nobis haec fides de providentia, quod non casu spargantur haec bona sine consilio Dei. Nam haec fides est fundamentum petitionis et gratiarum actionis. Et sint nota aliqua testimonia Deut. 8.: Non in solo pane vivet homo, sed ex omni verbo, quod procedit ex ore divino. Deut. 30.: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Acto. 17.: In ipso vivimus, movemur et sumus. Matth. 10.: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Proverb. 10.: Benedictio Domini divites facit. Proverb. 3.: Egestas a Domino in domo impii. Iere. in Threnis cap. 3.: Quis est iste, qui dicit fieri haec non iubente Domino, Ex ore Domini nec bona nec mala egredientur?

Sequitur ergo deinde altera causa. Cum certissimum sit haec bona divinitus dari, utroque modo vult Deus exerceri fidem, petitione et gratiarum actione, vult se agnosci creatorem esse et datorem vitae et victus, vult hoc celebrari in petitione et gratiarum actione. Sicut dicit Psalm. 50.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me.

Tertia causa est, Hae promissiones sunt testimonia de conservatione Ecclesiae in hac mortali vita, ideo enim dantur, ne intereat Ecclesia, iuxta illud Psalmi 114.: Non mortui laudabunt te Domine. Item Matth. 6.: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

Quarta, Omnes promissiones corporales sunt commonefactiones de spirituali, videlicet, de filio Dei, quia nec invocare Deum possumus, nisi prius sciamus nos recipi et exaudiri propter mediatorem. Haec fides in omni petitione etiam corporalium bonorum praeluceat: ita perspicuum est, cum fides petit corporalia, simul oportere exerceri petitionem spiritualem.

Haec tota doctrina de promissionibus spiritualibus et corporalibus notissima sit omnibus, et quotidie in invocatione exerceatur, in qua publica et privata bona petenda sunt, salutaria regimina, pax, victus, bona valetudo et alia bona. In his exercitiis fiet doctrina magis perspicua, et crescet fides, quae experietur hanc invocationem non esse irritam. Sciamus etiam Deum haec exercitia postulare, et hanc invocationem esse cultum Deo placentem in credentibus. Sicut inquit

Psalmo 50.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te.

Esto typus fidelium in sermone, etc.

Quanquam exempla in gubernantibus magis conspicua sunt, tamen haec sententia Pauli communis regula est, quam singuli intueantur in totius vitae gubernatione. Nominat autem ordine haec membra. *Esto typus in sermone*, id est, in doctrina, recte doceas, recte et non sophistice loquaris de doctrina, et moneto alios, ut vitent curiosas quaestiones, falsa, improprie et perplexe dicta. Denique sit doctrina perspicua, necessaria ad exercitia fidei, et ad invocationem, et ad bonos mores, ut supra dictum est, Doctrina prosit ad aedificationem.

Secundo inquit, *in conversatione*. Hic significat iusticiam universalem, id est, honestas actiones iuxta omnia praecepta Dei, non sis infamis ex ulla causa.

In dilectione. Addit aliquid priori membro: non solum vult externam conversationem honestam esse, et non famosam, sed vult etiam in corde erga Deum et erga homines dilectionem esse, vult de esse amantem communis consociationis vero corde, placitum et beneficum. Fur est infamis, sed vult Paulus non solum vitari furta, sed insuper etiam te beneficum esse vero corde.

In spiritu, id est, Zelo, vult ita te placidum esse, ut tamen non conniveas ad scelera, et ad perniciosa dogmata. Sed legitimo modo reprehendas digna reprehensione.

In fide, id est, in consolatione, in omnibus periculis, videant alii te fide praestare patientiam et constantiam in persecutione et aliis doloribus, non quaerere iniusta auxilia, sed expectare auxilium Dei, et tua consolatione alii erudiantur et confirmentur, sicut Ieremias regit et consolatur sua fide Ecclesiam sui temporis.

Nominatim et castitatem addit, quae est vitare omnes prohibitas commixtiones, et necessaria virtus est, iuxta hoc dictum, 1. Corinth. 6.: Nolite errare, scortatores et adulteri non possidebunt regnum Dei, et fiunt domicilia diabolorum, qui se polluunt prohibitis commixtionibus.

Sis assiduus in lectione, consolatione et doctrina.

Propter multas causas hoc dictum familiarissime notum sit omnibus. Primum, quia studia literarum approbat, cum ait, Sis assiduus in lectione: quam ad rem opus est multiplici cognitione linguarum et artium. Cum igitur scis praeceptum esse, ut legas sacros libros, intelligis Deo placere hos labores docendi et discendi, et potes ab eo petere et sperare auxilium, et in omnibus periculis et adversitatibus habes praecipuam consolationem, iuxta illa dicta, Psalmo 36.: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Item, 1. Corinth. 15.: Labor vester non erit inanis in Domino.

Universaliter enim regula tenenda est. Primum sciri oportere, an labor aut genus vitae placeat Deo, iuxta illud Roma. 14.: Quidquid non est ex fide, peccatum est. Deinde, nemo potest invocare Deum, petere aut expectare auxilium in negotio quod Deus improbat, iuxta illud Psalmo 5.: Non Deus volens impietatem tu es. Est igitur sententia, Commenda Deo viam tuam, id est, vocationem, militiam, laborem, vitae genus ab ipso approbatum.

Monet etiam Paulus hic Ecclesiam alligatam esse ad certos libros, sicut saepe alias praecipitur de doctrina prophetica et apostolica, ut Esaias inquit, cap. 8.: Ad legem et ad testimonia. Necesse est igitur reiici doctrinas et illuminationes pugnantes cum his libris. Item opiniones et cultus extra hos libros.

Tertio mandat privatam et publicam lectionem, et ostendit morem in Ecclesiis fuisse, ordine propheticos libros legere, sicut et in Synagogis fuit usitatum, et Moyses praecipit Levitis, Deut. 31. lectionem integrae legis. Ideo Malach. 2. dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requiram ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Et Oseae 4. denunciatur poena negligentibus: Quia repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Haec dicta et similia sint infixa pectoribus, ut nos ad diligentiam in discendo, docendo, et legendo exuscitent. Accedat autem precatio, ut Deus mentes nostras regat, ut dicta divina proprie accipiamus, sicut Propheta orat, Psal. 118.: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me. Et Esaias orat, ut retineatur in aliquibus auditoribus veritas, Isaiae 8.: Obsigna legem in discipulis meis.

Est et collatio cum aliis necessaria, sicut scriptum est, Luc. 22.: Et tu conversus confirma

fratres tuos. Et Samson inquit Iudic. 14.: Nisi arassetis mea vitula, non invenissetis, id est, nisi essetis adiuti labore Ecclesiae. Audiamus igitur Apostolos et custodes doctrinae apostolicae.

Consideremus etiam, qui a doctrina apostolica quomodo discesserint. In aliis prorsus diabolica audacia totam Ecclesiae doctrinam mutavit, et horrendos furores sparsit, ut in Marcione, Manichaeis et similibus. In aliis superstitio inflexit animos ad novos cultus.

Haec tota consideratio ad lectionem pertinet, in qua universae Ecclesiae series, et omnium temporum historiae cognoscendae sunt.

Observanda est autem brevis distributio horum generum, lectionis, doctrinae et consolationis. Cur a lectione orditur? Quia magna dissimilitudo est philosophiae et Evangelii. Arithmeticam non incipimus a lectione, sed afferimus multas noticias, quae sunt via ad artem, Deus autem sua voce edidit arcanam doctrinam de filio, et de redemtione, et tota restitutione generis humani, iuxta hanc suam revelationem vult agnosci, et hanc scribi voluit per Prophetas et Apostolos. Ideo ad horum librorum lectionem alligata est Ecclesia, et hi libri sunt fundamentum et norma universae doctrinae in Ecclesia, iuxta illud 1. Corinth. 3.: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Necesse est igitur assidue legi haec scripta privatim et publice.

Lectionem sequatur doctrina, ut in medicatione corporis finis est sanatio. Et ars medica continet duas partes, doctrinam et modum curandi. Doctrina vero ostendit naturam corporis humani, qualitates, temperamenta, causas morborum, remedia. Postea modus curandi applicat remedia. Ac medici sapientia est intelligere, quae ad suam artem pertinent, et consilia dirigere ad sanationem tanquam ad ultimum et principalem finem. Ita sciat concionator se medici similem esse, et finem ministerii evangelici ultimum esse sanationem, qua per filium Dei voce Evangelii liberentur homines ex morte aeterna. Non enim tantum regit mores, ut magistratus politicus.

Sunt igitur et hic duo membra, doctrina et consolatio. Doctrina loquitur de articulis fidei, discernit Legem et Evangelium, recitat descriptionem peccati, usum sacramentorum, discrimen iusticiae aeternae et vitae politicae. Sed necesse est accedere consolationem tanquam sanationem, ne homo relinquatur in peccato et morte aeterna.

Estque doctrina hoc ipsum, quod usitate nominamus Catechesin, id est, summa dogmatum recitans articulos fidei, descriptionem peccati, discrimen Legis et Evangelii, usum sacramentorum, discrimen iusticiae aeternae et vitae politicae, sumta ex ipsa voce divina, quae prius legitur, et haec ipsa Catechesis est interpretatio lectionis seu longa seu brevis. Cum enim in discendo necesse sit integrum corpus doctrinae mente complecti, rudioribus tradendae sunt ordine breves summae principalium locorum, et postea in ipsa lectione monstranda sunt firma testimonia, ut fides nitatur voce divina.

Hoc consilio primum condita sunt symbola, et scripti Catechismi. Quanquam enim prorsus eadem sonat lectio, et ipsi libri prophetici et apostolica fons sunt doctrinae, tamen ideo non tantum praeleguntur libri in Ecclesia a pueris, sed etiam accedit vox interpretis, ut rudioribus enarrent genus sermonis, ostendant capita rerum, de quibus dicitur, illustrent ea definitionibus et distinctionibus, sicut in docendo fieri necesse est. Et fiant haec sine sophistica, sed recte iuxta artium vias, Nec misceantur peregrinae materiae.

Cum igitur opus sit forma aliqua in docendo, iubet Paulus eligi Episcopum idoneum ad docendum. Hanc formam hic doctrinam nominat, quae est Catechesis seu brevis seu longa, quae quidem et ipsa librorum sacrorum interpretatio est: quia inde sumenda est Catechesis, et testimonia ibi monstranda sunt.

Tertium membrum consolatio est: quia non satis est recitare capita doctrinae, nisi ostendatur applicatio. Intelligat concionator officii sui gradus, legat populo ordine libros propheticos et apostolicos, subinde et corpus verae doctrinae proponat, ut auditores summam recte complecti possint, sicut in Catechesi traditur: nec sit concio sine affectibus, sed commemoratio de ira Dei, exuscitet timorem, nec tamen relinquantur mentes in pavore et dubitatione, ut poëtarum tragoediae tantum poenas ostendunt, sed accedat consolatio ex voce Evangelii, commonefiant auditores, ut sibi fide applicent promissiones aeternas et praesentium bonorum, et exerceant fidem, spem, invocationem, gratiarum actionem, et caeteras virtutes.

Ita tertius hic gradus proprie de applicatione Evangelii loquitur, qua fit liberatio a peccato et a morte aeterna, et leniuntur dolores in hac vita, agnitione bonitatis Dei, fide, et spe auxilii divini. Cum igitur distributio Paulina sapientissime ostendat partes officii concionatoris, fidelis concionator hanc normam sequatur, sit lector fidelis sacrorum librorum, et meminerit omnes pugnantes opiniones cum sacris libris reiiciendas esse. Deinde integrum corpus doctrinae ordine proponat, et addat testimonia sine sophistica. Postremo et applicationem ostendat, ut crescant timor Dei, poenitentia, fides, invocatio, spes et aliae virtutes, et fiat incoatio vitae aeternae.

Caput V.

Hactenus plurima de doctrina dicta sunt, hic addit admonitiones particulares aliquot de negotiis forensibus et oeconomicis, et insigne testimonium est, quod Deo placeant officia debita cognatis. *Discant, inquit, propriam domum amanter tractare, et reddere vicem maioribus, hoc enim honestum et Deo acceptum est.* Eandem sententiam exaggerat postea, dicens: *Si quis suos et maxime domesticos non curat, fidem abnegavit, et est infideli deterior.* Haec amplificatio diligenter consideranda est. Significat autem *στοργὰς* esse virtutes a Deo conditas in natura, quae ut caeterae virtutes in renatis necessariae sunt, et Deo placent. Si quis igitur contra has virtutes facit, ut si quis odit aut petulanter laedit parentes aut coniugem, aut natos, aut fratres, aut benefactores, is effundit Spiritum sanctum, iuxta illa dicta 1. Iohann. 3.: Qui non diligit fratrem, manet in morte. Item ibidem: Qui facit peccatum, ex diabolo est. Item 1. Timoth. 1.: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam. Habent autem hi cuculi, videlicet *ἄστοργοι*, magna vulnera conscientiae.

Haec breviter hoc loco monuimus, ut considerent studiosi totam doctrinam de naturali *στοργῇ*, quae quidem et commonefactrix est de amore aeterni patris erga filium, et erga nos, et de amore filii erga naturam humanam, quam assumsit, et erga nos fratres. Haec arcana et miranda opera Dei nunc procul aspicimus, sed in vita aeterna propius cognoscemus.

Vidua eligatur, etc.

Apud templum Ierosolymae fuerunt mulieres, quae serviebant coquendo, lavando, sarciendis vestibus, medicatione Levitis et pauperibus. Hunc morem Apostoli imitati transtulerunt et ad Ecclesiam, iusserunt eligi grandes natu matronas, quae aegrotis aut peregrinis servirent, et hae mercedes habebant ex eleemosynis, quas Ecclesia tunc liberaliter conferebat. De hoc more loquitur Paulus, non de votis monasticis, ac caetera perspicua sunt.

Sed de votis monasticis hoc loco valde vociferantur adversarii, quia Paulus videatur damnare contrahentes coniugia post votum, cum ait, *Damnationem habentes, quia primam fidem irritam fecerunt.* Etsi autem multae firmae responsiones sunt, tamen hanc praecipue teneamus. Etiamsi tunc consuetudo fuisset faciendi vota, quod non dicit Paulus, tamen ea vota dissimilima fuissent votis monasticis, quae sine ulla dubitatione sunt idolatrica.

Tenenda est igitur regula vera et immota: Vota quae obligant ad cultus idolorum aut ad alia peccata facienda, certissimum est irrita esse, ut si quis obligasset se sacrificaturum Iunoni ad impetrandas divitias, quia manifesta est vox primi mandati, Exod. 20.: Non habebis deos alienos. Item 1. Corinth. 11.: Fugite idola.

Talia sunt autem vota monastica iam multis seculis. Primum opiniones impiae sunt, ac furores potius, fingere ritus monasticos mereri remissionem peccatorum, esse iusticiam, esse cultus Dei, esse perfectionem evangelicam. Secundo manifesta idola sunt oblatio pro vivis et mortuis in Missa, item invocatio hominum mortuorum, et aliae multae superstitiones, quae usitatae sunt in monasteriis.

Nequaquam igitur detorquendum est Pauli dictum ad vota monastica horum recentium temporum, in quibus multa manifesta idola sunt.

Nec prima fides significat votum coelibatus, sed aut fidem, qua promiserant fidelitatem in serviendo, aut fidem Christianam, qua omnes articulos fidei amplectebantur. Nam hanc quoque aliquae curiosae et salaces mulieres abiiciebant, quae nactae talia officia magis vagabantur. Et cum multis veniebant in colloquia, et quia habebant mercedes aliunde, victitabant largius et indulgebant voluptatibus.

Non igitur damnat Paulus nuptias, sed damnat vel ipsam fidei desertionem, vel alia peccata, quae salacitatem et curiositatem sequebantur. Usus est Paulus verbis significantibus: *σπαταλῶσα*, id est, deliciis affluens et lasciviae indulgens, haec inquit, vivens mortua est, scilicet propter lasciviam. *Σπατάω* apud Aristophanem significat prodigaliter profundo, inde *σπατάλαι* profusiones et deliciae, ut Suidas citat dictum: Nunc saltant mures fruentes deliciis carne felium.

Sunt autem virtutes vicinae frugalitas, temperantia et continentia, ut in apibus simul hae tres virtutes inprimis conspicuae sunt. Sunt autem et per sese res bonae, et Deo gratae, et sunt nutrices aliarum maiorum virtutum, sapientiae, iustitiae, fortitudinis. Sunt et vitia vicina prodigalitas intemperantia et incontinentia, et in mulieribus haec deformitas conspectior est, quia mulieris officium est in oeconomia res partas fideliter custodire, et ad necessarios usus arte electas parce promere. De intemperantia dicitur: Quid enim Venus ebria curat?

Existimo autem Paulum ad descriptiones aliquas tunc notas allusisse, quia verba illustria Comoediarum sumit. Nam et sequens verbum insigne est: *Cum saginatae sunt ex ipsis eleemosynis contra Christum.* Verbum *στρηνιᾶν* est helluari, ingluvie onerari, ut apud Athenaeum: Helluatus sum absumto cibo quatuor elephantorum. Et in Apocalypsi capite 18.: Reges qui cum ea scortati et helluati sunt.

Sunt et alia verba hic insignia, quorum pondera lector si observabit, intelliget Paulum sapienter significare, quae sint propriae matronarum virtutes, et quae sint contraria vitia. Haec considerare utile est, et fugienda sophistica, quae malitiose et stulte detorquet Paulum ad stabiliendas impias et fatuas superstitiones monasteriorum. Expresse inquit Paulus: *Volo iuniores nubere, esse matres et nutrices familiarum.* Hic apte recenset praecipua officia sexus muliebris, de quibus et supra dictum est in sententia: Salvabitur mulier per filiorum generatioem. Nec addo longiorem enarrationem: extant enim multa oeconomica scripta, quae et nosse et sequi multos oportebat.

Duplici honore digni ducantur.

It est, victu et reverentia. Haec cur discernat considerandum est, ac primum deberi victum docentibus manifestum est, iuxta praeceptum Domini, Lucae 10.: Dignus est operarius mercede. Et hic Paulus accommodat dictum in lege, Deut. 25.: *Non ligabis os bovi trituranti*, qui ritus imago fuit significans, ut mercedes debitae laborantibus solvantur, sicut expresse praecipit lex Levit. 19.: Non retineas mercedem operarii apud te in crastinum.

Ac pertinet haec cura ad gubernatores, ut Pastoribus Ecclesiarum, et caeteris, qui serviunt studiis Ecclesiae docendo et discendo, de publico auxilium feratur, sicut in Esaia capite 49 et 60. dicitur: Reges erunt nutritores tui, et reginae nutrices.

Altera pars est reverentia, cuius multi sunt gradus. Primus et maxime necessarius est obedientia in his, quae ad ministerium Evangelii pertinent, iuxta haec dicta, Lucae 10: Qui vos audit, me andit, Qui vos spernit, me spernit. Item ad Hebraeos capite 13.: Obedite et subditi estote praepositis vestris.

Etsi enim haec dicta non constituunt regna Pastoribus extra Evangelium, tamen affirmant deberi Pastoribus obedientiam in his, quae sunt propria ministerii evangelici, nec spernenda sunt haec severissima praecepta.

Deinde accedant ad externam obedientiam et alii gradus in mente, Bona opinio de toto ministerio et de ipsis Pastoribus, et benevolentia erga eos: quia sine his interioribus virtutibus externa obedientia est hypocrisis, non sit contemtus in animis, non sit odium, sicut Paulus inquit, 1. Corinth. 4., Apostolos in odio esse tanquam *καθάρματα.*

Etsi autem semper multi fuerunt, sunt et erunt de ministerio irreverenter sentientes: tamen saniores intelligant eius dignitatem. Est autem dignitas ipsa rei bonitas, quae in causa efficiente et finali conspicitur. Causa efficiens et conservans ministerii evangelici, est ipse Deus immensa bonitate voce Evangelii colligens aeternam Ecclesiam, et genus humanum avulsum ab ipso rursus sibi copulans. Qui quidem praecipit audiri ac venerari ministerium, ut supra dictum est.

Causa finalis est, quod hac voce Deus verissime est efficax, remittit peccata credentibus, dat eis Spiritum sanctum, et facit haeredes vitae aeternae. Haec summa beneficia impertit per vocem Evangelii sonantem etiam per miserrimos homi-

nes, sicut inquit Dominus Ioann. 20.: Sicut pater meus misit me, sic ego mitto vos, id est, certissimum est me efficacem fore per vos, sicut pater per me fuit efficax, ut resuscitatio ex morte ostendit, ita et Paulus inquit Roma. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item, 2. Corinth. 3.: Evangelium est ministerium spiritus.

Haec dicta erunt magis perspicua cum in veris consolationibus discemus vera exercitia fidei, et sustentabimus nos cogitatione promissionum. Hunc usum ministerii abiiciunt enthusiastae, quales sunt Anabaptistae, Stenckfeldius, et similes, qui quaerunt illuminationes et raptus extra Evangelium. Sed in veris doloribus et vera consolatione discimus Deum efficacem esse cogitatione Evangelii, ut Paulus inquit Roma. 10.: Fides ex auditu est. Item, Roma. 5.: Iustificati fide pacem habemus.

Simul igitur Deo gratias agamus pro edita promissione, pro efficacia per Evangelium, pro constitutione, conservatione, et instaurationibus ministerii evangelici, pro collectione Ecclesiae per Evangelium et Spiritum sanctum, pro donatione iusticiae et vitae aeternae, pro mitigatione poenarum praesentium, pro remissione poenae aeternae. Haec tanta bona agnoscamus, et celebremus, praestemus etiam benevolentiam debitam iis, quorum labor in hoc ministerio pio servit Ecclesiae.

Sine praeiudicio, etc.

Ordinat forensia quaedam, quae cum et natura nota et in lege Dei expressa sunt, et in iure usitato repetuntur, non sunt obscura. Iuniores vocabula discant intelligere.

Praeiudicium significat statuere re nondum ordine cognita, sive id fiat affectu, sive persuasione propriae sapientiae. Ita Deut. 16. expresse mandatum est: Audite illos, et quod iustum est iudicate. Et nota sunt dicta: *μήδε δίκην δικάσεις πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Item: *δεῖ ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι.*

Et quia saepe corrumpuntur iudicia affectibus, ideo addit: Nihil facias secundum inclinationem, id est, non discedas a regula iusticiae ullo privato affectu. Sic potest accidere vel superbia, cum non vult quispiam cedere alienae sententiae, etiamsi voluntas erga partes aequalis est, vel cum voluntas non aequalis est erga partes, id nominatur *προσωποληψία.* Species igitur plures coniunguntur Deut. 16.: Non declines in alteram partem, non accipias personam, et ex eo sumsit Paulus verbum inclinationem, quo hic et *προσωποληψίαν* comprehendit, quae est esse inaequalem erga aequales, et aequalem erga inaequales.

Vult enim Deus intelligi, iusticiam esse aequalitatem erga aequales, quae quidem habet normam mentem divinam, quae diligit similia suae voluntati, et reiicit dissimilia suae voluntati. Ita iustus rex servat omnes iustos, et punit omnes iniustos. Dicitur autem acceptio personae, cum aliqua species seu umbra extra causam antefertur regulae iusticiae, ut cum parcit iudex adultero, quia est nobilis, iuxta illud:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Est igitur acceptio personarum iniusta, quia discedit a regula iusticiae, et efficit inaequalitatem.

Haec tota commonefactio diligenter consideranda est, ut vocabulum expendatur, et haec dulcissima consolatio saepe repetita in scripturis familiariter nota sit, quae dicit, apud Deum non esse *προσωποληψίαν*, ut Roman. 2. cap. Acto. 10. Et Esaiae 42. de Messia dicitur: Non accipiet personam, id est, non erit iniustus, non erit inaequalis, Deus vere aequalis est aequalibus. Damnat peccata in omnibus, et recipit omnes confugientes ad filium, etc.

Nemini cito manus imponito, etc.

Complectitur utilem doctrinam. Primum confirmat vocationem et ordinationem, quae fit per homines in Ecclesia, quia approbat ordinationem, quam Timotheus faciebat imponens manus iis, quos Ecclesia vel ipse elegerat. Est autem ingens beneficium Dei, quod vult ab Ecclesia vocari vel eligi ministros, et per nos vere vult esse efficax, sicut inquit Dominus Ioann. 20.: Sicut pater meus misit me, ita ego mitto vos. Et postea praecipit Tito Paulus capite 1.: Constitue presbyteros.

Hoc ingens beneficium grati agnoscere debemus, et hac fide exercere ministerium, et uti ministerio, ac statuere, quod Deus vere efficax sit voce horum ministrorum. Ac supra copiosius dictum est de duplici vocatione ministrorum.

Altera admonitio hic comprehensa haec est, Quod vult fieri explorationem doctrinae et morum, nec admitti ad ministerium inexploratos, sicut et infra praecipit 2. Timoth. 2.: Commenda ministerium hominibus fidelibus, qui sunt idonei ad docendum. Vult ergo inspici doctrinam et mores, et nullos admitti ad ministerium, qui non sunt mediocriter idonei.

Hic quaeret aliquis: Quis gradus observandus est? Respondeo: Utraque propositio tenenda est. Prima, Nullius eruditionem, sapientiam, et diligentiam parem esse tanto ministerio, sicut 2. Corinth. 3. expresse dicitur: Non sumus sufficientes, Agnoscenda est igitur nostra infirmitas, et frenanda audacia, ne fiducia nostrae sapientiae doctrinam recte traditam turbemus, nec nova dogmata, nec novos cultus fingamus. Altera propositio addenda est, Necesse est obedire mandato, quod iubet servire Ecclesiae vocatos, ibi requiritur ut fideles simus, ut dicitur 1. Corinth. 4.

Fidelitas autem opponitur duobus vitiis, Affectatae ignorantiae, et affectatae negligentiae in iis, quae necessario facienda erant. Comprehendit igitur fidelitas mediocrem eruditionem, et mediocrem diligentiam in faciendis iis, quae necessaria sunt. Hic autem mediocris eruditio ea existimetur esse, quae tamen fundamentum integre complectitur, id est, omnes articulos symboli, Decalogum, discrimen *Legis et Evangelii*, intellectum doctrinae de iustificatione, de usu sacramentorum, de veris cultibus et ficticiis.

Etsi autem nemo satis intelligit hanc divinam sapientiam, tamen de his materiis omnibus utcunque oportet quemlibet Pastorem scire formam docendi, quae in Ecclesiis emendate extat, comprehensa in Catechismis.

Nam distinctionem de insufficientia et fidelitate, in qualibet vocatione nosse necessarium est, ut sciamus cur necesse sit servire, et quas res nos afferre oporteat, et unde petendum et expectandum sit auxilium: et ut agnita infirmitate nostra nihil extra vocationem tentemus, sicut multi summi viri lapsi sunt fiducia suae potentiae, vel iusticiae, vel sapientiae, vel autoritatis, ut Gedeon, Nabogdonosor, Pompeius et alii innumerabiles.

Addit autem hic Paulus regulam: Non communices alienis peccatis. Quae congruit cum usitato dicto: Faciens et consentiens similiter puniendus est.

Deinde congerit alia praecepta, de castitate, item de tuenda valetudine, et alia.

Saepe autem repetitur doctrina de castitate, quam certissimum est virtutem esse necessariam, iuxta dictum 1. Corinth. 6.: Scortatores et adulteri non possidebunt regnum Dei. Item, Hebrae. 13.: Scortatores et adulteros iudicabit Deus.

De tuenda valetudine. Pertinet haec insticia ad praeceptum: Non occides. Semper autem valde multi homines se interfecerunt, et interficiunt intemperantia, aliqui etiam immoderata abstinentia laeserunt corpora. Paulus ad Colossens. capite duodecimo insigni verbo usus est, iubet honorem haberi corpori. Cum enim sit hospitium et organum Spiritus sancti, tale quiddam est, quod non solum fovendum est, sicut foves arborem aut pecus, sed etiam ita magnifaciendum est, ut accedat opinio, quod corpus sit domicilium et organum actionum divinarum in omni aeternitate. Et propter haec bona ne Deus impediatur, reverenter tenendum est, et ars ipsa fabricationis magis admiranda est, quam in aliis corporibus, quia multo plura testimonia de Deo nobis impressa sunt, videlicet radii sapientiae divinae, noticia numerorum et ordinis, discrimen honestorum et turpium. Haec casu semper talia esse impossibile est. Sed fatendum est mentem architectatricem esse. Postremo ideo quoque debetur honos corpori, quia Deus praecipit, ne laedatur. Haec consideratio nos ad diligentiam invitet in tuendo et regendo corpore.

Quorundam peccata praecedunt iudicium etc.

Non loquitur de extremo iudicio, sed cum antea dixerit de electione et de censura morum, nunc eadem de re admonitionem addit, et loquitur de iudicio humano in gubernatione, non diu latent inquit mores, seu boni seu mali, sed aut cito deprehenduntur ante gubernationem, aut si qua fuit simulatio, tamen in gubernatione non potest esse diuturna, sicut dicitur: ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι. Haec regula observetur, quia in vita necesse est cavere, ne implices te malorum hominum familiaritatibus, ut Syrach capite undecimo inquit: Non quemlibet inducas in domum tuam, quia multae sunt insidiae dolosae. Signa igitur voluntatum et morum consideranda sunt, quae

multa animadverti possunt, ut mendacia, ostentatio, obtrectatio, familiaritates malorum, non solvere debita, genus studii et laborum, helluationes. De talibus iudiciis humanis hic loquitur Paulus, et vult nos vigilantes et intentos esse in diiucandis sensibus et naturis eorum, quos nobis adiungimus.

Caput VI.

In sexto capite initio servis praeceptum dat, ubi meminerint iuniores communem regulam confirmari, quae saepe repetitur, Evangelium non abolet oeconomias et politias, sed concionatur de aliis rebus, videlicet de aeternis bonis, de aeterna iusticia et vita, quam Deus efficit in cordibus hominum, quos tamen vult in hac vita mortali subiectos esse huic ordini, qui iuxta voluntatem Dei convenit vitae corporali. Vult nos cibo et potu sustentari, vult esse legitima coniugia, et propagationem, vult esse consociationem ordinariam generis humani, distinctionem dominiorum, defensionem per imperia, contractus, leges, iudicia, poenas. Ita hic videmus approbari servitutem, qualis tunc in legibus descripta fuit. Prodest autem et conscientiis, et ad pacem intelligere hanc doctrinam approbatione ordinis politici.

Si quis aliter docet etc.

Praeceptum de custodienda puritate doctrinae saepissime repetitum est in omnibus scriptis Prophetarum et Apostolorum, iuxta illud Gal. 1.: Si quis aliud Evangelium docet etc. Id hic quoque longa commemoratione repetitum est, quae monet et quales sint qui doctrinae corruptelas spargunt, et quales sint materiae, et quanta mala ex inutilibus quaestionibus oriantur.

Postea infert dictum: *Putant pietatem quaestum esse*, id est, putant doctrinam et nomen religionis esse aucupium quaestus, et ita circumferunt, ut quaestus causa exerceant aliqui artes prorsus inutiles, circulatoriam, funambulatoriam, et similia.

Utitur autem verbo *τετύφωται*, quod significat, attonitus est, seu fulmine stupefactus, ut iudicium et delectus amissus sit. Demosthenes et alii hoc verbo usi sunt, pro amens sum. Est enim a *τυφών*, quod significat turbinem, et vetustas pro specie fulminum usurpavit.

Significat ergo tales esse alucinatores, qui corruptelas verae doctrinae fingunt, ut iudicio errent, et velut coeci vicina apprehendant, non ea quae petunt. Deinde et hyperbolas addunt, quales nostra aetate multos vidimus: ut cum Paulus inquit, *πολίτευμα* nostrum in coelis est, significans Evangelium non constituere politiam mundanam. Anabaptistae simpliciter damnant omnia politica officia, distinctionem dominiorum, magistratus, iudicia, iuramenta.

Cum vetustas dixisset, iusticia est communicatio Dei cum aequalitate, scilicet ordinata, haeretici addebant hyperbolen, cum aequalitate, scilicet universali, ita ut aequaliter ad alienas uxores singuli accederent. Talia exempla ostendunt, quid nominet attonitos seu stupefactos, ita ut amentia sequatur.

Initia autem huius amentiae haec sunt, quando homo non recte didicit fundamentum, et sine timore Dei et sine precatione iudicat, et admiratione suae sapientiae fascinatus amat suas imaginationes, accedit diabolus et magis impedit iudicium, sicut scriptum est Lucae 22.: Intravit in eum Satanas. Item, Tenentur captivi laqueis diaboli, inquit Paulus 2. Timoth. 2. Cum igitur et magna sit infirmitas nostra, et diabolus tanquam leo rugiens quaerat quem devoret, studiose discamus fundamentum, et assidua precatione petamus, sicut Propheta sonans vocem omnium sanctorum, Psalmo 118.: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

Dicat autem aliquis: Unde discernam quaestiones utiles ab inutilibus? Respondeo: Norma sit fundamentum, ut Paulus inquit 1. Corinth. 3.: Fundamentum aliud poni non potest, nisi id quod positum est, quod est Christus Iesus. Complectitur autem fundamentum scripta prophetica et apostolica, et symbola, et illustre discrimen est Legis et Evangelii. Item iusticiae fidei et operum. Item veri cultus a Deo instituti, et falsi cultus ab hominibus instituti etc. Intra has metas coërcendae sunt cogitationes, et frenanda est curiositas, ut Ecclesiastae 5. dicitur: Non sis velox ad loquendum coram Deo. Et paulo ante capite 4.: Accede ad templum, ut audias. Roman. 12.: Sapite modeste secundum mensuram unicuique datam etc.

Et prorsus fugiendae sunt illae pestes, Ostentatio argutiarum, Sophistomania, et amor con-

tentionis, quae damnantur omnibus dictis, quae praecipiunt veritatem, et prohibent mendacium, iuxta illud: Non dicas falsum testimonium. Ephe. 4.: Deponentes mendacium, loquimini veritatem. Et regulas etiam sequamur: Fugienda consuetudo falsa docentium, iuxta dictum 1. Corinth. 15.: Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Item Lucae duodecimo: Cavete fermentum Pharisaeorum.

Magnum lucrum est pietas cum αὐταρκείᾳ.

Bis usus est vocabulo Quaestus, primum de aucupio loquens, et taxans impios homines, qui religionem quaestui habent, quod semper in mundo usitatum est. Postea opponit aliam significationem vocabuli, inquiens, religionem revera esse magnum lucrum, quod eo dicitur, non quod velit esse venalem, sed quia vult intelligi, recte habenti eam per sese bonum aeternum esse, cui Deus etiam addit bona corporalia, iuxta illud Matthaei 6.: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item, 1 Timoth. 4.: Pietas habet promissiones praesentis et futurae vitae.

Addit autem, sic esse lucrum, ut tum etiam oporteat nos parvo contentos esse, et quidem si ordine viveremus, natura parvo contenta esse posset. Sed augentur sumtus multis stultissimis causis, quae et facultatibus, et moribus, et animae, et Rebuspublicis nocent. Ac Paulus taxat haec vitia, profusiones, rapacitates, avaritiam. Praeterea cum nominat *αὐτάρκειαν*, vult nos obedire in cruce, ac meminisse doctrinam de promissionum corporalium intellectu, quod videlicet intelligendae sint cum exceptione castigationis et crucis. Tunc quoque animus contentus sit, iuxta illud 1. Petri 5.: Humiliamini sub potenti manu Dei, et petat mitigationem a Deo.

Praecipio tibi etc.

Tandem repetit praeceptum de tuenda puritate doctrina, et miscet dictum: *Coram Deo qui vivificat omnia.* Haec particula pertinet ad doctrinam, quae traditur in enarratione symboli de creatione, quod videlicet Deus non discesserit a rebus conditis, sicut discedit faber a navi constructa, sed semper sustentet res, donec sunt: et quidem sustentet liberrime. Ita dicitur in Actis capite. 17.: In ipso sumus, vivimus et movemur. Item, Lucae 12.: Duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadit super terram sine patre vestro. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Item, Psalmo 144.: Qui dat escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.

Hanc liberam praesentiam et voluntatem Dei cogitare necesse est in omni invocatione, quia qui retinent imaginationes, quae fingunt naturam sic ferri sine Deo, aut Deum ad causas secundas alligatum esse, non invocant Deum, sed contumelia eum adficiunt, ut Epicurei aut Stoici. His impiis cogitationibus fides magno labore repugnet. Et haec pugna in quotidiana invocatione discenda est. Ad eandem doctrinam pertinet dictum infra positum 1. Timoth. 6.: Sperent in Deo vivente, et praebente nobis omnia ad fruendum, ubi etiam testatur victum nobis a Deo dari, sed dari ad fruendum, id est, ad usum convenientem naturae, non ad profusiones Antonianas etc.

Finis primae Epistolae.

IN ALTERAM AD TIMOTHEUM ENARRATIO
DOMINI PHILIPPI MELANTHONIS.

Secundam Epistolam ad Timotheum scripsit Paulus Romae captivus, cum eum ad se ex Epheso vocaret. Confirmat et consolatur eum, praecipit, ut doctrinae puritatem custodiat, et eligat idoneos doctores. Miscet admonitiones de summa doctrinae, de lectione propheticorum librorum, de cruce, de venturis dissidiis. Et multa illustria verba sparsa sunt in hanc brevem Epistolam, ut, iubet *ἀναζωπυρεῖν*, id est, excitare velut ignem dona Dei in nobis. Iubet *ὀρθοτομεῖν,* id est, recte secare verbum Dei. Sermo haereticorum serpit ut Gangraena morbus. Erunt homines *ἄστοργοι, ἄσπονδοι, τετυφωμένοι*, et alia multa digna singulari consideratione.

Initio autem fit mentio aviae et matris Timothei. Sciant iuniores ibi ea quae de patria et parentibus Timothei scripta sunt in Actis cap. 16. Natus est Timotheus in oppido Lystris, quod in Lycaonia situm est, sub Galatia, non procul ab Iconio, quae urbs non procul abest a Tauro monte, et saepe celebratur in historiis, et propter nomen *εἰκών* multae fabulae de ea traditae sunt: sed existimo propter insigne idolum sic appellatum esse. Pater Timothei Ethnicus fuit, mater et avia fuerunt mulieres Iudaicae, quibus quidem tribuit Paulus testimonium verae invocationis. Sic olim inter gentes propagata est agnitio veri *Dei.*

Initio autem iubet eum excitare dona Spiritus sancti, et illustri verbo usus est *ἀναζωπυρεῖν,* quod significat ignem pene extinctum rursus excitare, et saepe usurpatur pro eo quod dicimus, rursus accendere calorem in corpore pene extinctum. Ideo autem pleniore verbo usus est, ut taxet ignaviam et hypocrisin, vult nos nec otiosos esse, nec laxare frenum cupiditatibus. Deinde ubi est diligentia, non sit hypocritica, ut sunt superstitiosa exercitia monachorum, sed sint opera utilia. Et sint in mente vera noticia filii Dei, poenitentia, timor, fides, vera invocatio.

Sed dicat aliquis: Quomodo exuscitantur dona? Respondeo: Homo renatus non est ut statua, sed ideo datur Spiritus sanctus, ut incoëtur in nobis libertas, et possumus iam incoare obedientiam, nec Spiritus sanctus est otium, sed est flamma et agitatio divina repugnans diabolo et infirmitati carnis, et accedens motus tales, qualis ipse Spiritus sanctus est. Ideo dictum est ad Romanos octavo capite: Spiritus opitulatur infirmitati nostrae. Item, Ephes. 5.: Ambulate accurate, non ut fatui. Item, 1. Corinth. 6.: Adhortamur vos, ne frustra gratiam accipiatis. Item, Lucae 16.: Quanto magis dabit pater vester coelestis Spiritum sanctum petentibus. Item, 1. Petri 5.: Sitis sobrii ad precationem. Excitantur igitur dona primum omnium cogitatione doctrinae: deinde invocatione, exercitiis poenitentiae, consideratione nostrae infirmitatis, repugnando subitis incendiis affectuum, sustinendo certamina et pericula in confessione. In talibus actionibus vult Paulus crescere dona, sicut dicitur Lucae 19.: Habenti dabitur. Et huc pertinet tota parabola de negociantibus.

Non Spiritum timoris etc.

Retineamus usitatam distinctionem: Alius est timor servilis, videlicet pavor sine fide, cum quo sunt fremitus et indignatio adversus Deum, et horribilis fuga Dei, et poenarum, ut in Saul, Iuda et similibus. Alius est timor filialis, videlicet verus pavor cum fide, id est, consolatione, qua cor iam acquiescit in mediatore, non fugit Deum, sed agnita eius misericordia luctatur cum pavore, et incipit credere Deo, invocare eum, et se ei subiicere vera reverentia. Talis timor est in Ioseph et in omnibus sanctis. Haec in experientia, in quotidiana invocatione considerentur, non involvantur obscuris dubitationibus.

Sit igitur haec plana responsio: *Non dedit nobis Deus Spiritum timoris*, id est, timorem servilem, indignationem adversus Deum, et horribilem fugam, non dubitationes.

Econtra nominat *Spiritum potentiae*, id est, Spiritum potentem seu fortem, primum fide vivificantem corda et consolantem, ut ad Deum accedant, non fugiant, non irascantur, non oppri-

mantur desperatione et morte. Est item potens seu constans in retinenda assensione doctrinae contra diabolos, et contra hostes Evangelii. Est et fortis in perferendis odiis et cruciatibus, in confessione. Ex his effectibus intelligi potest, quid nominet Spiritum potentem. Sic et in primo capite ad Ephesios inquit: *Credentes secundum efficaciam potentiae roboris eius, quam potentiam effecit per Christum excitans eum a mortuis*, id est, Deus efficax est in conversione, et fide vivificat et liberat ex morte, confirmat assensionem in corde, et constantiam in confessione.

Spiritum dilectionis etc.

Antea nominavit Spiritum potentem, ut illustri vocabulo ignaviam et hypocrisin taxaret. Intelligit enim veros motus, quibus vivificamur in pavoribus, et exuscitamur ad invocationem, et confirmamur in confessione et in omnibus periculis et laboribus ministerii contra diabolos et eorum organa. Nunc nominat Spiritum dilectionis. Ut enim prius de vivificatione nostri dixit, ita iam de virtutibus erga alios loquitur.

Etsi autem vocabulum Dilectionis alias aliter usurpatur, tamen hic complectitur dilectionem erga Deum et erga homines propter Deum, ut cum dicitur Roman. 13.: Dilectio est impletio legis. Et significat Spiritu sancto accendi dilectionem erga Deum, id est, feruorem et zelum in conservatione doctrinae, invocationem, gratiarum actionem, et laetitiam in Deo, patientiam in cruce et confessione. Deinde erga homines significat amorem concordiae, curam vitandi odia et semina dissidiorum, repressionem superbiae et cupiditatis vindictae, placide monere et audire alios. Denique sumatur declaratio dilectionis ex ipso Decalogo. Ac datur Spiritus sanctus, ut accendat motus congruentes legi divinae. Et talis est ipse, quales motus in lege describuntur.

Quoties autem dicitur de dilectione nostra erga Deum, sciant auditores oportere dilectioni fidem antecedere, et sensum dilectionis Dei erga nos, quia cor non accedit ad Deum, nisi fide acquiescat in mediatore, et statuat Deum reconciliatum esse, ut dicitur ad Ephesios 4.: Per hunc habemus accessum ad Deum fide. Hoc cum fit, sentitur consolatio, quae est agnitio dilectionis Dei erga nos, de qua dicitur ad Romanos 15.: Dilectio Dei effusa est in corda nostra per Spiritum sanctum, id est, sentimus nos diligi a Deo. Et ad Roman. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Item apud Zachariam capite 12.: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum. Nominatur Spiritus gratiae, quo sentimus nos esse in gratia, in vera consolatione, in lucta poenitentiae. Haec consolatio cum fit in nobis, vicissim incoatur dilectio nostra erga Deum, et sequuntur invocatio, gratiarum actio, laetitia in Deo, patientia in cruce: quia hos interiores cultus Propheta complexus est nomine invocationis. Haec consideratio de vocabulo dilectionis et de fide praelucente valde necessaria est.

Spiritum modestiae.

Considera restrictionem, Spiritus potens seu fortis est acer, agit negotia difficilia, et adit magna pericula. Sed tamen sancti prospiciunt metas, non evehuntur extra vocationem, sicut multi, qui primum spiritu ardentes egerunt res utiles, postea elati rebus secundis tentarunt aliqua extra vocationem, cum quidem existimarent se recte facere, quae postea exitus tristes habuerunt, ut Samson, Iosias et alii.

Historiae prophanae habent innumerabilia exempla, quia duces ignorantes Deum non frenantur Spiritu sancto, ut Hercules, Themistocles, Pausanias, Marius, Pompeius, Iulius. De his omnibus vera fuit vox: Deponit potentes de sede. Item, 1. Petri 5.: Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Haec bellatorum exempla magis incurrunt in oculos.

Inde utcunque considerentur exempla regentium Ecclesias. Multi suo quodam zelo multa recte fecerunt, postea fiducia sui vel dogmata finxerunt, vel alias res extra vocationem moverunt, ut Gregorius multa instituit, et Episcopi saepe praetextu religionis moverunt seditiones, et multi omnibus temporibus quodam stulto zelo, praetextu religionis volunt constituere novas politias. De talibus omnibus dicit ad Romanos capite 12.: Sapite, sed ad modestiam, id est, manete intra verbum et vocationem. Et 2. Petri 1.: In fide in virtutem, in fide in scientiam, id est, fides non sit ignava, sed sit ardens, ardeat autem cum iudicio et delectu.

Ita quia hoc loco addidit restrictionem, Deus nobis dedit spiritum fortem, sed tamen impetus moderantem, et compescentem animos, ne elati dogmata fingant, aut novos cultus, ne sint tubae

seditionum, ne Ecclesiam dilacerent λογομαχίαις aut aliis non necessariis rixis. Ita contra stultum zelum, contra superbiam, contra cupiditatem vindictae, contra πολυπραγμοσύνην, et contra petulantiam nominat spiritum modestiae, id est, spiritum compescenten et moderantem inordinatos impetus.

Caeterum notum est in sermone apostolico vocabulo σωφροσύνης comprehendi modestiam, temperantiam et castitatem. Item cum dictum sit de virtutibus, quae in conversis accenduntur a Spiritu sancto, repetenda est et admonitio de doctrina iustificationis. Quanquam in conversis certissimum est esse Spiritum sanctum, quem pater et filius in corda eorum spirant, et obedientia in eis incoata est: tamen statuere debent, se non illa novitate iustos esse, id est, habentes remissionem peccatorum, et acceptos esse ad vitam aeternam, sed propter mediatorem filium Dei, cuius merito placata est ira Dei, et qui est perpetuus intercessor, cuius merita nobis donantur, ut imputetur nobis iusticia. Hunc mediatorem fide apprehendi oportet, et retineri hanc perpetuam consolationem, quod propter hunc mediatorem placeamus, non propter nostram novitatem, cum qua multum adhuc sordium est, iuxta dictum Psalmi 143.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, scilicet propria dignitate seu qualitatibus, sed iustificati fide pacem habemus.

Quod autem aliqui dicunt, nos esse iustos inhabitatione divinitatis, sciendum est, inhabitationem esse effectionem novitatis. Haec effectio ita fit, cum cor prius apprehendit remissionem peccatorum et consolationem, intuens in mediatorem Filium *Dei*, et statuens te propter illum mediatorem habere remissionem, et iustum esse, id est, placentem *Deo*, non propter effectionem novitatis aut novitatem. Ita manet vera propositio: Paulus conversus habet remissionem peccatorum, et est iustus, id est, acceptus *Deo* propter meritum Christi, seu propter propiciatorem sola fide, iuxta illud: Quem posuit propiciatorem per fidem, per sanguinem eius. Haec consolatio semper sit in conspectu, qua cum reguntur corda, simul fit vivificatio, et illud quod dicitur Iohannis decimo quarto: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Discernenda tamen est consolatio a novitate, quia in vero agone cernimus nostra peccata, et iram Dei, nec potest niti iusticia, nostra novitate, iuxta illa dicta Exodi 34.: Coram te innocens non est innocens. Item Iob. nono: Vere scio, quod non sit iustus homo coram Deo.

Ne igitur te pudeat testimonii Domini nostri.

Dixit datum esse spiritum non timiditatis, sed efficacem in consolatione, et constantem in confessione. Nunc addit adhortationem tanquam consequens. Ergo esto constans in confessione, non pudeat te testimonii, id est, confessionis, non frangaris specie crucis, et econtra autoritate et sapientia adversantium, sicut alibi inquit 1 Corinth. 9.: Non pudet me Evangelii. Sicut manifestum est, moderatae naturae ingentem dolorem esse, stare inter paucos et spretos, et videri stulte aut petulanter adversari summorum hominum, qui antecellunt sapientia, virtute et autoritate, iudiciis, et turbare publicum statum, dici facem seditionum, tubam bellorum esse. Adversus hanc tentationem Esaias inquit capite 59.: Ne timete probra hominum.

Sustineas mala cum Evangelio secundum potentiam Dei, qui fecit nos salvos etc.

Postea inserit saepe repetitum dictum: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo. Affirmat nostra opera nequaquam esse causam vel meritum remissionis peccatorum seu reconciliationis, sed dicit nos secundum propositum Dei et gratiam salvari et vocari. Intellige gratiam gratuitam misericordiam Dei erga nos promissam propter filium, sicut saepissime loquitur Roma 5.: Multo magis exuberat gratia et donum per gratiam vel in gratia. Ubi gratia significat relative gratuitam acceptationem, donum vero significat donationem Spiritus sancti, novam et aeternam iusticiam et vitam.

Complectitur enim integra beneficia, nec filius Dei sic tantum aufert peccata, ut non imputet, et tamen natura maneat in his sordibus et in morte, sed reipsa aufert, cum restituit vitam aeternam.

Scio cui credidi etc.

Hic moventur disputationes de dubitatione, An conversus debeat manere in dubitatione, utr[illegible] habeat remissionem peccatorum, et an sit in g[illegible]tia? Hic plane respondendum est: Quanquam

naturaliter haeret in hominibus dubitatio, tamen certissima doctrina est, et vox Evangelii perspicua, conversos oportere vincere dubitationem, et statuere quod habeant remissionem peccatorum, et sint in gratia.

Ideo enim promissiones divinitus traditae sunt, ut naturalis dubitatio tollatur, et non credenti seu manenti in dubitatione promissio inanis sonitus est. Ideo Paulus inquit ad Romanos capite quarto: Ideo ex fide Gratis, ut sit firma promissio. Haec fides opposita est dubitationi, iuxta illud ad Romanos capite quinto: Iustificati fide pacem habemus et accessum ad Deum. Quanquam autem sentitur trepidatio, tamen sciant corda dictum in Marco capite nono: Credo Domine, sed opem fer diffidentiae meae. Sic petamus et nos confirmari, iuxta illud: Quanto magis dabit pater coelestis Spiritum sanctum petentibus. Et haec fides intueatur promissionem, et crescat in invocatione. Hoc cum fit, consolatio ipsa in nobis est testimonium, quo agnoscimus nos liberari ex morte aeterna, de qua consolatione inquit Paulus ad Romanos capite octavo: Accepistis Spiritum clamantem Abba pater. Hic spiritus dat testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei. Et in hanc sententiam ait Augustinus: Credens scit se credere.

Verum est autem, Prophetas et Apostolos habuisse singularia testimonia, quae etiamsi propter ministerium et propter auditores ipsis data sunt, tamen etiam ipsos privatim confirmant, et tamen ipsorum fides nitebatur non illis donis et miraculis, sed misericordia propter filium Dei promissa.

Quaerunt monachi hanc certitudinem non in promissione, sed in qualitatibus suis ubi cum inveniant immunditiem, iubent manere in dubitatione. Contra vero sciendum est, fidem intueri promissionem, non qualitates nostras, sicut recte dictum est ab Augustino: Totius fiduciae certitudo esse debet in pretioso sanguine Christi.

Formam retineto sanorum verborum.

Repetit praeceptum de conservanda puritate doctrinae, quod saepissime in divinis concionibus recitatur. Et summa comprehensa est in hoc dicto: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Usus est autem Paulus hic singulari verbo: *Retineas formam sanorum verborum*, id est, quae tibi antea delineata est. Vult et res ipsas retineri, et modos loquendi perspicuos, et usitatos Prophetis et Apostolis. Quanquam enim non superstitiose postulat ubique eadem verba recitari: tamen vult vitari ambiguitates et *λογομαχίας.*

Exaggerat autem praeceptum, cum iubet custodiri doctrinam tanquam praeclarum depositum. Constat autem in custodiendo deposito severissime postulari bonam fidem. Nec frustra addit: *ut custodiat per Spiritum sanctum.* Vult non indulgere auditores rationi quaerenti cavillationes contra recte tradita, vult invocatione Dei confirmari corda, ut sint firma in retinendis recte traditis. Multi indulgentes suis speculationibus, et habentes studium contradicendi excutiunt Spiritum sanctum, quales hic nominat quosdam, Phigellum et Hermogenem et reliquos. Praecipit igitur ad Corinthios 2. Corinth. 10. redigi mentes in captivitatem Christo.

Dei misericordiam domui.

Non praetereunda sunt hic exempla, quae hic recenset Paulus, quorum prius est de Apostatis vel corruptoribus doctrinae, quod commonefaciat nos de insidiis diaboli, et de nostra infirmitate. Cum enim hi defecerint, qui familiares fuerunt Apostolis, et spectatores fuerunt miraculorum, quid postea fiet? Expavescamus igitur et oremus nos confirmari, ac meminerimus illa dicta Lucae 12.: Diabolus depoposcit vos, ut cribraret vos tanquam triticum, veruntamen ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua Petre.

Alterum exemplum est hominis benefici erga Ecclesiam, de quo genere eleemosynae extant praecepta, promissiones, commonefactiones et exempla, quae omnia nota sunt. Genesis 12.: Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi. Et Deuteronom. trigesimo tertio: Doctrina tua a viro sancto tuo. Qui dicit patri et matri uxori et liberis, nescio vos, hi erunt custodes legis meae. Benedicam holocausto tuo, Qui oderunt eum, non consurgent. Vides plura membra. Primum alligat sacerdotes ad certum genus doctrinae divinis testimoniis traditum per Prophetas, Christum et Apostolos. Postea addit praeceptum, quales esse velit doctores, videlicet, tali robore fidei, ut anteferant confes-

sionem vitae. Postea addit promissionem quod sit exauditurus hoc sacerdotium divinitus ordinatum. Postremo minatur hostibus huius sacerdotii Syrach capite septimo: Time Dominum et honore afficito sacerdotes, et des eis partem eorum. Proverbiorum tertio: Honora Dominum de primitiis frugum tuarum, et replebuntur horrea tua abundantia, et vino torcularia tua. Et Matthaei capite decimo: Qui dederit potum aquae frigidae uni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Primae Corinth. nono: Nemo militat suis stipendiis. Et 2. Corinth. 9.: Qui dat semen seminanti, augebit semen vestrum.

Considerentur et exempla: Deus benefecit obstetricibus Aegyptiis, quae noluerunt interficere infantes Hebraeos. Reddidit gratiam hospitii Abdiae, qui abdiderat Prophetas in specubus contra Iesabel, 1. Reg. 9. Item Abdemelech, qui benefecit Ieremiae, ut narratur Ieremiae 39. Et hoc loco Paulus bene precatur Onesiphori familiae, et infra agit gratias Philemoni propter beneficia erga Ecclesiam, et quidem dulcissimis verbis usus est: *Viscera sanctorum per te reficiuntur*, id est, in magnis periculis et doloribus habent defensionem, et hospitium apud te, ita ut pericula depellantur, et leniantur dolores tuis officiis, in quibus nihil est fucatum. Vicissim igitur acquiescunt sancti sincera laetitia cordis sine metu et suspicionibus.

Iam haec praecepta, promissiones, comminationes et exempla primum docent, nos quoque debere in hoc genere officiosos esse. Secundo consolatur beneficos, ut vicissim expectent auxilium a Deo. Tertio significant Ecclesiae non deesse hospitia in hac vita, et qualia sint, videlicet: rara apud summos principes, sed frequentiora apud mediocres, quales fuerunt Abdias, Abdemelech, Sergius, Onesiphorus, Philemon et alii similes.

Caput II.

In secundo capite initio rursus testimonium extat ordinationis, velle Deum eligi ministros Evangelii per Ecclesiam, et approbare horum electionem. Quare sine ulla dubitatione horum ministerio est efficax, iuxta dictum Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Deinde monet, quales eligi velit, ubi nominatim duas virtutes flagitat, facultatem docendi, et fidelitatem, id est, assiduitatem et constantiam in veritate. Cum autem fit mentio facultatis docendi, manifestum est multa comprehendi. Ita supra iubet eligi διδακτικόν. Item ad Titum caput 1. iubet eligi talem, qui possit refutare adversarios. Ad haec difficilia opera necesse est iuniores discendo praeparari. Talibus dictis omnibus praecipiuntur, et approbantur studia doctrinae. Hac erecti consolatione libentius discamus et feramus communes difficultates nostri ordinis, et expectemus auxilium et defensionem a Deo. Iuxta illud 1. Corinth. 15.: Non est inanis labor vester in Domino.

Nemo militans implicat se negotiis victus etc.

Similitudo sumta est a militibus, qui non possunt domi manere, ut regant oeconomiam, neque vagari negociationum causa, sed miles totus servit suae functioni: Ita vult ministrum Evangelii totum servire propriae vocationi, et non ingerere se in alienas, in gubernationem politicam. Non habeat minister Evangelii alterum pedem in templo, alterum in curia. Et Petrus inquit 1. Petri 4.: Non sitis ἀλλοτριοεπίσκοποι. Item 1. Thess. 4.: In hoc sitis φιλότιμοι, ut sitis quieti, et propria agatis.

Laborantem agricolam oportet primum suorum laborum participem esse etc.

Vult Deus intellectum iusticiae et aliarum virtutum in hominibus lucere, ut agnoscamus ipsum qualis sit, et discernamus eum a malis naturis. Cum autem sit bonus et servans creaturas, est etiam aequalis, bonus bonis, id est, servans bonos, et puniens malos. Haec in eo aequalitas nominatur iusticia. Ac docet nos quoque iusticiam esse aequalitatem, et eam a nobis flagitat. Hunc igitur ordinem instituit, ut homo servet aequalitatem erga homines, non noceat aliis, det res pro rebus, pro labore mercedem. De hac aequalitate loquuntur dicta Levit. 19.: Diligas proximum sicut teipsum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Lucae 10.: Dignus est operarius mercede. Talis est aequalitas, ut is qui suo labore coluit agrum, fruatur rebus ibi nascentibus.

Cum autem Paulus antea praeceperit, ne implicentur doctores negotiis victus, quae im-

pediunt officium, mox addit responsionem ad eam quaestionem, quae opponi poterat: Unde igitur vivent docentes? Respondet proposita similitudine: Agricola fruatur suo labore, ita docentes victum habeant ex collatione Ecclesiae. Hoc praeceptum saepe repetitum est, quia vero addit Paulus admonitionem: *Considera quod dico, det tibi Dominus intellectum in omnibus,* significat non tantum loqui se de mercede corporali, sed etiam de incremento donorum, quae fideliter docentibus auget Deus. Ut agricola primum fruitur suo labore, sic doctor fidelis primum percipiet sui laboris praemia, accendet Deus in ipso maiorem lucem, maius robur fidei, et alia dona, quia fideliter docet, sicut parabola de negociantibus docet, Lucae 19.: Habenti dabitur, et a non habente etiam id quod habet auferetur.

Praesta te ministrum recte secantem sermonem veritatis etc.

Existimo sumtam esse metaphoram a divisione membrorum in victimis, quas non licuit temere partiri, sed pectus et harmos oportuit abscindi ab adipe, et dari sacerdotibus, qui inde victitabant: Adeps, renes, cauda cremabantur. Et lex non solum significationis, sed etiam utilitatis rationem adhibuit, attribuit enim eas partes sacerdotibus, quae sunt magis carnosae, reliqua comburebantur. Cauda significabat omnes actiones referendas esse ad Deum tanquam ad finem. Adeps seu pinguedo significabat rigari omnia a Deo. Renes significabant carnales affectus esse cremandos.

Ab illa igitur arte secandi victimam sumit similitudinem, cum iubet recte secari verbum Dei. Complectitur autem universam diligentiam recte docendi, et quia in docendo divisionum et definitionum magna vis est: doctorem tenere necesse est ordinem membrorum totius doctrinae recte distributum, ut manifestum est, horrendas confusiones sequi, quando non recte miscentur genera doctrinarum, Legis et Evangelii, doctrinae spiritualis et politicae. Assuefaciat etiam doctor auditores, ut ipse quoque integrum doctrinae corpus mente comprehendere possint, et videant seriem membrorum, initia, progressiones et exitus. Haec sententia etiam testatur placere Deo studia discentium, quia nemo potest recte docere nisi didicerit, sicut et supra 1. Tim. 4. monet, inquiens: Attendite lectioni, consolationi et doctrinae.

Prophanas verborum inanitates vitato.

Gangraena vocabulum est factum a verbo *γραίνειν*, quod significat arrodere. Est autem malum saevius cancro, urens et arrodens carnem et ossa, ut statim velut in cinerem redigantur. At nisi membrum cito praecidatur, occidit hominem.

Hac imagine significat impia dogmata, et celeriter late vagari, et valde perniciosa esse. Qua in re non solum vanitas et levitas humanae naturae agnoscenda et deploranda est, quae delectatur mendaciis, sed etiam diabolorum malitia, et potentia consideranda est, qui gratis, sine ullo suo incommodo spargunt et confirmant tetros furores, tantum ut Deum contumelia afficiant, et odio Christi perdunt homines.

Cohorrescamus etiam cogitantes de potentia, de qua dictum est Lucae 22.: Satan intravit in eum. Ac idola ethnica omnium temporum mundi, Bacchanalia, humanae victimae, et alii furores, sunt testimonia eius potentiae, et inter eos, qui nominari volunt Ecclesia Dei, semper fuerunt multa tetra deliramenta.

Etiam tempora vicina apostolicis habuerunt turpissimas sectas, inquinatas abominandis opinionibus et confusionibus libidinum. Haec exempla consideranda sunt, ut simus memores gravissimarum admonitionum Matth. 26.: Orate, ne intretis in tentationem. Item 1. Petri ult.: Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret. Exuscitet in nobis cogitatio periculorum, timorem et invocationem, ne opprimamur otiosi, securi, ebrii, aut voluptatibus, aut ambitione, aut aliis cupiditatibus, et opponat fides potentiae diabolorum potentiam Christi, qui dicit Iohan. 10.: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Item 1. Iohan. 3.: Apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Item Gene. 3.: Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Considerandum et hoc est, quod fascinatos a diabolo Paulus inquit, paulatim in maiorem impietatem ruere, sicut alibi dicit, Roma 1.: Tradidit eos in reprobum sensum.

Stat firmum fundamentum etc.

Paulus ingressus in hanc tristem commemorationem de dissipationibus Ecclesiae, opponit consolationes duas, alteram publicam, alteram pertinentem ad singulos. Publica haec est: Quod certissimum est tamen filium Dei sedentem ad dexteram aeterni patris, regnantem et reprimentem diabolos, et assidue intercedentem pro nobis, esse sacerdotem aeternum, et colligere sibi Ecclesiam in genere humano, quantumcunque adversantibus diabolis. Hoc decretum firmum et immotum est.

Tenenda est igitur haec consolatio, semper fore aliquam Dei Ecclesiam, alias magis, alias minus frequentem, alias magis, alias minus oppressam erroribus, iuxta dicta Christi Lucae 17.: Erit sicut in diebus Noae etc. Item, Matth. 24.: Propter electos abbreviabuntur istis dies. Erunt semper aliqui electi usque ad finem mundi, et non sunt electi, nisi in coetu vocatorum, iuxta illud Roma 8.: Quos elegit, hos et vocavit. Servabit igitur Deus semper aliquos recte docentes et discentes, seu multos seu paucos.

Altera consolatio. Sed dicat aliquis, etiamsi mansura est electorum Ecclesia, quid hoc ad me pertinet, an et ego sum inter electos? Aut ubi illi quaerendi sunt, cum ubique multum sit vitiorum et dilacerationum? Hae quaestiones valde turbant mentes, sed firmissime tenendae sunt hae sententiae divinitus expresse traditae. Primum quod semper sint aliqui electi in hac vita, iuxta illud Matth. 24.: Propter electos abbreviabuntur isti dies. Item, Matth. 28.: Ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi. Omnes autem electos sciamus oportere in coetum vocatorum pervenire, iuxta illud Roma 8.: Quos elegit, hos et vocavit.

Cum vero audimus electos tantum in coetu vocatorum esse, quaerunt mentes talem Ecclesiam, quae sit politia tranquillissima, honestissima, et officiosissima. Sed ex voce divina sciendum est, aliud esse Ecclesiam, et aliud hospitia, scilicet politias, in quibus plurimi palam sunt hostes Evangelii et Ecclesiae. Deinde ipsa Ecclesia visibilis in hac vita est coetus bonorum et malorum, ut manifeste docent dicta Christi, Matth. 13.: Simile est regnum coelorum sagenae etc. Et in hac ipsa Epistola ad Timotheum dicitur: In magna domo sunt vasa aurea honorata, et testacea ad deformes usus facta.

Nec propterea dubitent pii, coetum, in quo est professio verae doctrinae, esse veram Dei Ecclesiam, etiamsi vident multos inquinatos manifestis vitiis. Hac praemonitione necesse est omnes esse confirmatos, ne faciant dissipationes, sicut Donatistae faciebant. Sed maneamus in communi congregatione recte docentium, etiamsi magno cum dolore cernimus negligi disciplinam, et sit invocatio piorum eo ardentior, sicut manebant in communi congregatione Zacharias, Simeon, et similes.

Audivisti igitur ubi sint quaerendi electi, scilicet, in coetu vocatorum. Iam cum disputat tua mens, an et tu sis in numero electorum, semper teneas hanc regulam: Nos de voluntate Dei ex verbo ipsius iudicare oportere, cum agis poenitentiam, et in vera consolatione credis te recipi propter mediatorem, certum est tunc te placere Deo, iuxta dicta Ezech. 18.: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item, Roman. 5.: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Sic cum in agone perseveras in fide et in invocatione, certum est te esse electum, iuxta illa dicta Matth. 24.: Qui perseverarit in finem, hic salvus erit. Et Apocalypsis 14.: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et Apocal. 2.: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam etc. Et 2. Corinth. 5.: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

Haec dicta simul ostendunt oportere in hac vita incoari sanctificationem, et certo beatos esse, qui in hac vita ad Deum conversi sunt vera poenitentia et fide, et in agone poenitentiam et fidem retinent, iuxta illa dicta Iohan. 6.: Haec est voluntas Dei, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam aeternam. Item, Ioh. 17.: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Haec simplex consideratio vera est, et utilis piis mentibus.

Caeterum alibi saepe dictum est, causam reprobationis esse peccatum in illis ipsis, quos Deus non elegit ad salutem, contra vero electionis causam esse nequaquam nostra merita, sed misericordiam, qua propter filium deprecatorem et mediatorem divinitas recipit illos, qui fiunt membra mediatoris, cum tracti voce Evangelii fide am-

plectuntur filium mediatorem. Ibi non indulgeamus diffidentiae, nec velut enthusiastae expectemus violentos raptus, sed sentientes initia fidei, clamemus ad Deum propter filium, ut Spiritu suo sancto nos adiuvet, sicut praeceptum est, Lucae 16.: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Impediuntur humanae mentes, de electione in Deo cogitantes, cum imaginantur successionem temporum. Ab hac imaginatione, cum utcunque nos abducimus, multae quaestiones tolluntur, ut etiam veteres scriptores dixerunt.

Recitata hac praemonitione de electione et de Ecclesia, melius intelligi potest, cur Paulus dicat: *Si quis mundaverit se a vasis deformioribus, erit vas ad honorem.* Haec mundatio non est desertio congregationis, sed est conversio ad Deum.

Dices autem: Quomodo fieri conversio potest, si tantum electio est causa? Respondeo: Electio sic est causa, ut Deus etiam vocare te velit. Vult igitur te audire Evangelium, et non repugnare, non indulgere diffidentiae, sed luctari cum infirmitate, et petere, ut Spiritu sancto adiuveris. Concurrunt enim hae causae, Verbum Dei, Spiritus sanctus, et voluntas non repugnans, vere luctans cum dubitatione, et petens ut iuvetur Spiritu sancto, sicut dictum est, Rom. 8.: Spiritus opem fert infirmitati nostrae.

Haec fiunt magis perspicua considerato hoc fundamento, quod utraque praedicatio universalis est, scilicet praedicatio poenitentiae, et promissio gratiae, et quod utrunque praeceptum universale est, videlicet, ut omnes et singuli agamus poenitentiam, et omnes et singuli credamus in filium Dei. Ad hoc fundamentum congruunt haec dicta: Deus vult omnes homines salvos fieri. Item, Acto. 10., Rom. 2.: Apud Deum non est acceptio personarum. Has consolationes tenere utile est ad refutandas multas quaestiones, et ad reprimendam tentationem de particularitate.

Sic ergo intelligatur Paulus hoc loco de mundatione: *Mundes te*, id est, agas poenitentiam, agnoscas errores et delicta, et doleas, et credas Evangelio. Haec cum fiunt, audita voce Evangelii, simul Spiritus sanctus est efficax in voluntate non repugnante, sed luctante cum dubitatione et petente auxilium.

Sectare Iusticiam, etc.

Intelligo Iusticiam universalem, id est, obedientiam iuxta omnia praecepta Dei. Quanquam autem deinde adduntur nomina specierum, quae inclusae sunt in universali iusticia, tamen non est inusitatum posito toto aliquas insignes partes deinde nominatim recitare, praesertim cum id fit singulari consilio, ut hic vult monere Paulus, ita placere obedientiam, quando coniuncta est cum fide: ideo expresse addit nomen fidei. Iactant obedientiam et hypocritae, ut Luc. 18., sed necesse est in Ecclesia semper in conspectu esse hanc regulam Psalmi 143.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Sed quod certo habeamus remissionem peccatorum, et imputationem iusticiae propter mediatorem, sola fide, non propter nostras virtutes, sicut ille Pharisaeus Lucae 18. somniat.

Postea nominat dilectionem et pacem, ut opponat hoc contentiosis, qui praetextu iusticiae movent non necessaria certamina, de quibus dicitur Roma. 10.: Habent zelum, sed non secundum scientiam, sicut de Paschate, de fermentato olim rixae fuerunt, et multae nunc sunt futiliores, ut de dormitione animarum, et an Noë mures induxerit in arcam. Et ex sequentibus apparet, nomina dilectionis et pacis hic expressa esse, ut maiore cura retineatur in Ecclesia concordia: quia mox addit insignes admonitiones, quae continent multa illustria verba. Manifestum est autem necessariam esse virtutem, dilectionem et studium retinendae concordiae, haec autem retineri non potest, nisi infirmitates aliquas in aliis placide toleremus, et omittamus rixas de aliquibus non necessariis quaestionibus.

HALIS
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.